

LIBRA
Toronto, Ontario

SPICILEGIUM SOLESMENSE

COMPLECTENS

SANCTORUM PATRUM

SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

ANECDOTA HACTENUS OPERA.

PARISIIS. — EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES, VIA JACOB, 56.

SPICILEGIUM SOLESMENSE

COMPLECTENS

SANCTORUM PATRUM

SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

ANECDOTA HACTENUS OPERA,

SELECTA E GRÆCIS ORIENTALIBUSQUE ET LATINIS CODICIBUS,

PUBLICI JURIS FACTA

CURANTE DOMNO J. B. PITRA

O. S. B. MONACHO E CONGREGATIONE GALLICA

NONNULLIS EX ABBATIA SOLESMENSI OPEM CONFERENTIBUS.

TOMUS QUARTUS

IN QUO MONUMENTA TAM AFRICANÆ QUAM BYZANTINÆ ECCLESIÆ PROFERUNTUR ET ILLUSTRANTUR.





PARISIIS,

PROSTAT APUD FIRMIN DIDOT FRATRES,

INSTITUTI FRANCIÆ TYPOGRAPHOS.

M DCCC LVIII.

ALEXANDRO · JACOBO

BERESFORD · HOPE · V · C

DOCT · JUR · CIVIL

SENATORI · REGNI · BRITANNICI · PRO · POPULO

QUO · VERBIS · SCRIPTIS · EXEMPLIS · PROCURANTE

RES · ANTIQUARIA · BRITANNIS · IN · DIEM · CRESCIT

CUJUS · OPERA · ET · SUMTU

VETUSTIUS · IN · ANGLIA · COENOBIUM · MONACHORUM

QUI · SUB · BENEDICTI · PATRIS · LEGE

AUGUSTINO · DUCE · MILITARUNT

DOROVERNIAE · RESTITUTUM

QUARTUM · SPICILEGII · SOLESMENSIS · TOMUM

TITULIS · ET · MONUMENTIS · PRISCIS

INSIGNEM

EDITOR

D · D · D

ANECDOTORUM MONUMENTORUM

TABULA ET SCHEMATA ACCESSERUNT.

PROLEGOMENA

AD

SPICILEGII

SOLESMENSIS

TOMUM IV.

Africanæ primum, deinde Constantinopolitanæ ecclesiæ monumenta hunc tomum explent pene totum. Hæc celeberrimi Nicephori, in nostris jam quasi domi habitantis, nomen præ se ferunt præcipuum; illa Verecundi, novi hominis, cui jus civitatis eo lubentius postulamus, quod ipsius ecclesia et provincia gallicam in ditionem cessit. Sed quum animus est mox dicere fusius quæcumque ad Africanum nostrum attinent, Nicephorum vero, jam antea in primi tomi præfatione satis prolixe ornatum, iterum in tomo sequenti, si Deo placet, peculiaris de ejus vita et scriptis, et uberior notitia redhibebit, reliquum est ut paucis in hoc brevi prologo recenseamus quæ ad utrumque accedere jussimus.

Primus jure dandus locus erat ignoto poetæ, cujus Crisias, sive de judicio et extremo orbis fato poema, vetus Commodiani nostri carmen, sed alia prorsus minerva, refert; nomen vero aliud non esse gnarus quidam vir asseruit quam ejusdem Verecundi : id quod suo loco statim disceptandum nobis erit.

Ejusdem potiori jure sunt quæ sequuntur e chalcedonensi concilio. Exceptiones, quibus necessario nexu alligantur Rustici diaconi S. R. E. in ejusdem synodi acta variæ animadversiones, pariter paulo post diligentius a nobis excutiendæ.

Parcat delicatulus lector cui iterum recantare cogor mei Commodiani rhythmos ἀμέτρους, eaque importunitate regestos, ut quum incidissem in duos Instructionum codices a recentioribus neglectos, me non piguerit vel minimas relegere varietates. Si quis vero poemata id genus saltem levi expenderit brachio, is facile concedet in illis probe legendis, quo insolentiora sunt, eo religiosius vel tenuissimos apices esse notandos; idem porro ægre non feret jam plus minus quadringentos tres et sexaginta versus, aut integros restitui, aut novis et plerumque sanis ornari lectionibus. Ad hæc, meminerit lector in primo tomo remanere sub finem Carminis apologetici et adhuc pendere, quasi interrupta mœnia, quadraginta circiter versus, olim mihi desperatos. Quorum in loco ut alios rescriberem pene novos, tam fecit communicata mecum humanissime mediomontana plagula, nuper a cl. v. Thoma Philipps edita, quam dura et iniqua famosi equitis Bunsen suspicio, nempe finxisse me callide exstinctum esse in codice Commodiani nomen, licet etiamnunc apertis signis appareat. Certe quidquid apparet, tu habes in p. 224, quin immo plenius fortasse quam in exesa membrana expressum; et lætor ea demum superesse quæ meam conjecturam in firmissimum mutant argumentum. Sed ubi nunc jam nemo non lecturus est Commodiani nomen, hoc ego testor nec mihi neque ulli lectum, post octo itineris mei anglici menses; testor etiam, integro poemate jam meo periculo sub Verecundi nomine typis tradito, rem ita non fuisse compertam vel ipsi mediomontani codicis possessori, harum certe rerum peritissimo, quin Oxoniam venerit, eruditorum judicia tentaturus. Quid porro? Præstantissimus arbiter eligitur, stupendus ille senex prope centenarius, Martinus Routh, tam mente quam sensu integerrimus. Affertur liber æque venerandus, circumstantibusque discipulis et amicis, qua sanctæ Magdalenæ, qua Orioli, qua Universitatis collegiorum sociis, sollicite versatur liber, neque epigraphe omittitur; hærebat senex, donec ipse nobilis Baronettus meam illi objicit conjecturam de Commodiano. Cui statim, erecto alacriter capite, senex : « Oppido probabile, ait, *very likely*. » Hæc mihi Oxoniæ scribebat illustrissimus Philippsius, quem honoris causa nomino, litteris die 29 sept. a. 1850 datis. Hactenus hæc de priore voluminis parte.

Posterior autem palmari nomine sancti Nicephori merito superbit, in qua nimirum tum ejus Antirrhetica adversus Eusebium et Epiphanidem absolvuntur, tum brevior adversus Iconomachos libellus, omnium, ni fallor, elegantissimus,

faustam in lucem promitur. In hoc quippe mollior quædam et subtilior tela retexitur, inspersis etiam de veterum picturis et iconibus flosculis inexspectatis; in illo vero, ut antea jam adversus Eusebium patuit egregie, dicendi genus est vehemens, grave, copiosum; in utroque summus ille vir, ut olim Thucydides, rerum est pronuntiator sincerus et grandis. Tum etiam utrique libello, atticæ venustatis mirum in modum æmulo felici, profuerunt Dübneri mei curæ vigiliæque adeo indefessæ, ut non semel sed iterum his tractandis otium rarum sed omne dederit. Quo certe, si licuisset, uti voluissem etiam in cæteris recensendis Græcorum monumentis. Eum vero qui tot alios sustinet labores, ne spes quidem fuit futurum esse ducem in ejusdem Nicephori typico et canonibus cæterorumque antistitum orientalium legibus investigandis. Stravi igitur iter solus ac propemodum primus, candide dico, ut lubrica me incedentem via ac lutosa, sordes inter et paludes, boni et æqui rerum ac periculorum æstimatores benigne excipiant.

Hæc igitur sunt quæ CLXVIII Nicephori canonibus, similia satis, duxi connectenda:

1. Sunt Joannis Jejunatoris didascalia et epitimia ad sanctimonialium disciplinam [p. 416-435], et triplex canonarii editio ex codicibus expressa [p. 436-440], tum liturgica quædam [p. 440-442], ad extremum senarii aliquot, nec metri lepore, nec rerum amœnitate destituti [p. 442-444].

2. Sunt varia de christianis Græcorum festis typica, nimirum Athonitarum triplex, et unum multiplici opere Studitis et Hierosolymitanis aptatum [p. 445-456].

3. Sunt non pauca e diagogicis regulis vetustioribus epitimia, magnis insignita nominibus, scilicet Athanasii [p. 456], ejusdem et Chrysostomi [p. 457], Ephræmii [p. 458-459], Basilii [p. 459, 460], Epiphanii [p. 461], iterum Chrysostomi [p. 461-464], tum etiam patrum chalcedonensium [p. 464], ac postremo Sisinnii et complurium antistitum [p. 464, 465].

4. Vix alia sunt quæ statim sequuntur, qualia Nicolai grammatici constantinopolitani synodica [p. 466-476], ejusdem ad monachorum Sancti-Montis interrogationes responsa [p. 476-480], fortasse ejusdem tractatus de Græcorum jejuniis [p. 481-487], varia typici cujusdam metrici e codicibus descriptio [p. 487-490].

Epinicium in clausula addidi, seu piissimum carmen Nicolai mystici, ut videtur, de beata Virgine juxta crucem lamentante. Ut vero superioribus Jejunatoris ac sequentibus Pselli senariis majores iambos, sic minores illis, recreandi me et

lectores causa, addidi, nec tamen in his jocis manum de tabula sustuli.

Omissis enim quibuscumque supra relatis, nullus dubito quin reservata in appendices monumenta hunc tomum abunde honesteque per se commendarent. Si nihil aliud, hoc profecto gratum, rursus ad nostra ex Urbe descendisse cl. equitem J. B. de Rossi, ut septemdecim titulos carthaginienses christianos suam in lucem et quocum solet laudis splendore educeret. Eidem etiam mecum lectores congratulentur quod ipso benignissime procurante, Crisiadis e codice vaticano urbinate accepi apographum.

Quanto magis lætor ejusdem me uti demum potuisse acumine ac felici indagine, dum ad manum adhuc esset typis licet commissum nicænorum patrum decretum insigne, novum et celeberrimum, de pascha videlicet rite celebrando! Eo jucundius fuit saltem pressa legisse vestigia, quod mihi calcar et stimulos addebat illustrissimus pictavensis ecclesiæ Episcopus, cujus nomen satis superque est ut etiam lectori secunda appendix suspiciatur. Tum auxit animos ipsius argumenti præstantia, quum præter annosam tot sæculorum nobilitatem venerandamque nicænorum patrum memoriam, in causam venerit maxima christianorum festivitas reique liturgicæ summa lex. « Quid enim », inquit Leo (epist. XXXVI) pene nicæna verba referens, « quid rebus humanis ad exo« randam misericordiam Dei efficacius suffragetur, quam si « una gratiarum actio et unius confessionis sacrificium ma« jestati [Domini] ab omnibus offeratur. »

Par autem erat non prius ultimam tangere metam, quin propius accederem ad codicem novum et ad veterem quinquaginta titulorum collectionem unde nicænum decretum accepi ; et brevi parergo excurrerem in vastam illam inexploratamque pœnitentialium apud Græcos canonum provinciam, ut olim, sic etiam ad nostra usque tempora ab omnibus orientalis ecclesiæ alumnis tritam et frequentatam. Hæc generatim dicere habui ; jam de Verecundo disputandum singulariter.

VERECUNDUS, JUNCENSIS

EPISCOPUS.

I.

Omnis Verecundi historia in tribus aut quatuor veterum verbis, inque tribus totidem codicum titulis continetur.

Primum quidem elogium neque porro omittendum, nudum tamen nomen est in Vigilii papæ decreto adversus Theodorum cæsariensem [1].

Deinde semel eum appellat Victor tunonensis inter episcopos Constantinopolim ex Africa accersitos a. 449, et paulo post addit : « Verecundus vero ecclesiæ Juncen-« sis episcopus in defensione memoratorum perdurans capitulorum, Chalcedone « urbi, ubi refugium fecerat, in diversorio gloriosæ martyris Euphemiæ, de hac vita « migravit ad Dominum [2].

Huic epigraphæ quasi sepulcrali Isidorus hispalensis notitiam addit litterariam : « Verecundus, Africanus episcopus, studiis liberalium litterarum disertus, edidit « carmine dactylico duos modicos brevesque libellos, quorum primum *de Resur-« rectione et Judicio* scripsit, alterum vero *de Pœnitentia,* in quo lamentabili car-« mine propria delicta deplorat [3]. »

Ultimo demum Verecundi nomen, nec sine aliqua censura, inseritur epistolæ qua Adrianus pontifex ad Carolum imperatorem queritur missum ad se fuisse Petrum quemdam episcopum, qui inter alia Pontifici obtulit : « *Breviarium chalcedonensis concilii*, a quodam Verecundo episcopo editum, quem in apocryphis reperiens, falsidicum esse declarat [4]. »

His adde tres tantum codices eodem nomine notatos, quorum ætate primus est noster vossianus, in quo prima manu et majoribus litteris scriptum, fol. 1 : *Incipit liber Verecundi presbyteri in Exodo* (*Exodi* post correct.) *cantico;* et iterum in nota superioris marginis, scriptura sæculi XII : *Verecundus presbyter super canticum.* Item prima manu rescribitur, fol. 39 : *Explicit explanatio cantici Deuteronomii Verecundi presbyteri.* Præclarus ille codex, quum Verecundi commentarios unus habeat, hic profecto quam diligentissime describendus a me est.

Recentis bibliopegi manu satis rudi compactus, prima veteris tegumenti folia amisisse videtur; sane nullam in eo sive loci sive primæ originis notam superesse, dolendum. In plagula chartacea membranæ illata legitur : *Ex bibliotheca viri illustris Isaaci Vossii* 20. Paulo supra *Acad. Lugd.* Tum in folio versatili : *Ms. lat. Voss. F.* 58. Sunt fol. 124, nonnullis post 71 omissis, ut, nondum absoluto Ezechiæ cantico, statim transeat interpres ad v. 3 cantici Habacuc; excepta ea lacuna, a f. 1 ad 116 unus et continuus Verecundus est. Phœbadii vero agennensis tract. *Adversus Arianos* ultima octo folia obtinet, non multa varietate ab edito dissimilis. Scriptura carolino charactere paulo antiquior, hic illic longobardicis seu potius gothicis inspersa siglis, facile extremum attingit sæculum octavum. Quin a longe vetustiori fuisse fideliter descriptum suaderent tum verba passim indistincta, tum prisca nonnullas dictiones scribendi consuetudo, tum quædam obsoletæ orthographiæ glossemata, tum etiam siglorum usus parcior quam ferre solet scriptura

(1) *Cæsariensem.* Manci *conc.* t. IX, c. 61. — (2) *Dominum.* Gall. XII, 230; Patrol. t. LXVIII, p. 959. — (3) *Deplorat.* Isid. Edit. Areval. t. IV, p. 143. Cf. infra p. 131. — (4) *Declarat.* Cod. Carol. epist. LXXVI; *Histor. rer. franc.* tom. V, p. 562. *Falsidicum* audi non integros habentem canones.

octavo vel nono sæculo solemnis. Facit quoque ad antiquitatem remotam quod paucissimæ litteræ majores ab initio periocharum emicant, nec nisi singulorum librorum capiti præfixæ; paucæ etiam rusticæ, ut aiunt, titulis inseruntur; adde quod omissis cincinnulis aut staminibus, quæ carolina lemmata fere semper exornant, hic tantum in vacua litterarum spatia argenteus liquor infunditur. Eadem manus duplici utitur scriptura, crassiore in prima codicis parte, subtiliore in altera [fol. 87-103], nisi nova manus inde successerit. Scriptum codicem egregie recensuit διορθωτής paulo recentior, qui ne cæteri oberrarent notarii, verba lineolis rectis distinxit, sphalmata scripturæ expunxit, novam aut communiorem induxit pronuntiationem, quum vetus fortasse nimium saperet gothicam loquelam aut africanam latinitatem. Nulla appenditur quaternionum epigraphe; vix rara in marginibus præcipuarum periocharum distinctio; uno quippe ductu ab initio ad finem singula fere cantica continentur. Etsi primo aspectu satis elegans scriptura sit, tot scatet vitiis, ut vel barbariem notarii prodat, vel annosam archetypi redhibeat vetustatem. Corrector autem quidam recens, haud secus ac priscus ille alter sæculi IX, voces iterum distinxit, interpunctionis signa renovavit aut addidit, puncta expungendis litteris supposuit, aliaque curavit ac si codicem mox prælo commissurus fuisset. Idem etiam notulas in uno alterove insigniore loco margini adjecit : quem denique non leviter suspicor fuisse ipsum Isaacum Vossium. Cur vero nec librum in lucem, neque auctorem in ullam hominum memoriam introduxerit, id me omnino fugit, et quidem attonitum tenet.

Mihi porro tanta religio fuit unicum illum codicem quem hactenus superesse novi, exprimendi integerrimum, ut quum fere totum in Vossii bibliotheca leidensis Academiæ descripsissem, eumdem deinde humanissime mihi traditum, in Galliam asportaveram, tutoque exceptus hospitio in nostrorum S. Edmundi collegio Duacensi [1], totus eram in novis et diligentius iteratis curis, quum exarsit subito rerum nostrarum tumultus quo universæ Galliæ facies in aliam et improvisam mutata est. Meum erat ægre quidem, sed festinanter curare ut Verecundi codex suos repeteret forulos. Ea tandem composita pace quæ meos relegi manipulos spicasque colligi permisit, jamque incepto hoc Spicilegii tomo, præla strenue volvebantur, quum ego identidem horridiore Africani mei sermone commotus et anxius, temperare non valui quin scriberem ad cl. v. J. Geelium, merentissimum bibliothecæ leidensis præsidem, ut de quibusdam dubiis iterum codex sollicitaretur. Ecce post aliquot dies, et hunc Verecundi codicem et alterum de quo mox, communi et fausto itinere functos, grandi licet interjecto terrarum tractu, in hospitiolo meo solesmensi excipiebam. Ita me in voluptatem et admirationem rapuit illud tantæ liberalitatis exemplum, cui nec promtissima defuit voluntas, neque commoditas perquam opportuna, ut publico

(1) *Duacensi*. Hic lubet meas persolvere grates Rev. et dilecto Patri P. Burchall, a quo non semel fui neque tantum in transcursu quasi in gremio familiæ suæ admissus. Unde parcat mihi lector si neque jam omisero notulas quas hodie, decem post annos, eodemque fere temporis momento, relego, accinctus itineri longo, paucis diebus ante Paschatis solemnia. Tunc enim in ultimo apographi mei folio, mea manu et ingenui adolescentis L. Groome in partem collationis asciti consignato, scripsi : « Absolvebam tandem hoc opus nocte et vigilia magna Paschali, ann. M.DCCCXLVIII; quod inceptum in Natali D. N. J. C. quum aliena in terra longum iter agerem, horis postmodum confectum succesivis, inter multas rerum ambages temporumque procellas ingentes, dum in Gallia mea perque vicina late loca, totus qua patet Occidens concuteretur; ego vero e Batavia Belgioque redux, tutus inter bonos Anglicæ Congregationis fratres degerem, scriberem, pro modulo orarem, aliquid ad solitum servitutis pensum, ut sacra XI.ma fert, addere satagerem; quod utinam ad erratorum veniam, ad meorum pacem, ad matris Ecclesiæ solatium aliquando proficiat! » Sed hactenus hæc.

debeam illud testimonio celebrare, ne mihi tantum gratum sit ac laudandum, sed quibuscumque demum probantur optima bonarum litterarum commercia. At properandum ad alia.

In codice Vaticano 3324, post scripta Cæsaris commentaria, pag. CXI versa, legitur manu sæc. XV catalogus librorum, quos, uti videtur, æque ac codicem, olim asservabat monasterium sancti Martini mascianensis; ea autem serie ibidem inscriptos videre est : « Librum Jonæ abbatis, librum Concordiæ regularum, *Verecundus super canticum,* Regula Basilii et Benedicti[1]. »

Tertius codex olim erat ecclesiæ ovetensis, deinde penes Ruysium Azagram, quem testatur vidisse se Perezius, Arevalus vero post Lorenzanam asservari in bibliotheca sanctæ ecclesiæ toletanæ, a quo derivavit apographum, si qua fides nimis dubio P. Higuerræ, ad Luitprandi sui annum 683 hæc scribenti[2] : « Alter (Verecundi libellus) penes me est cum scholiis Jo. Ruysii Azagræ, a secretis principis Bohemiæ, viri quidem doctissimi, scriptus ex codice gothico in membrana ms. Sic incipit :

Quis mihi mœsta dabit lacrymosis imbribus ora [3]? »

Missum per me facies windsorianum codicem apud Montefalconium cum multis memoratum[4], quos eo in loco a Vossio in transcursu positos, deinde vero in Hollandiam vectos certum tibi exploratumque sit.

Hactenus veteres : neque aliud quidquam subsidii recentioribus fuit; idcirco eadem tantum aut ad verbum expresserunt[5], aut mutando vel leviter in varios abiere errores[6], aut etiam penitus omisere[7]. Neminem quippe novi qui Adriani papæ locum aut codicem mascianensem, aut etiam vossianum meminerint. Nova igitur et a cæteris relicta sparta mihi obtingit, dum uberiorem ac certiorem de Verecundi vita et libris commentarium exornare, ejusque sive presbyteri sive episcopi gesta et scripta describere pro viribus enitar.

II.

Ut a nomine et loco exordiar, solemnior est Verecundi appellatio tum inter Afros[8], quum etiam in cæteris Romani orbis partibus[9], quam ut in illa immorari non pigeat, præsertim quum vel eo nomine civitas integra in Numidia exstiterit, quæ septem et sexaginta titulos nuperrime protulit[10]. Notetur tamen una nominis

(1) *Benedicti.* Hæc ad me ultro mittebat benignissime, ut solet, cl. eq. J. B. de Rossi : verum suspicio non deest hunc codicem mascianensem non alium esse quam vossianum; at ne conjectura expenderetur, caute providit bibliopegus batavus male feriatus.—(2) *Scribenti.* Edit. Plantin. 1640, p. 320. Vereor ne ab illo κωμικῷ vade cæteri Hispani eadem acceperint confidentius. — (3) *Ora.* Cf. infra p. 131, et Areval. ubi supra; tum Polyc. Leyser, *Hist. poetar. med. ævi*, p. 146 ; Sebastian. Kortholt. *de Poet. episcop. diss.* p. 20. — (4) *Memoratum.* In *Bibl. bibl.* ms. t. I, p. 678. — (5) *Expresserunt.* Caveus, *Hist. litt.* ed. Basil. 1741, p. 524; Miræus ad Hildeph. in Fabr. *Bibl. eccl.* p. 69; Lœscher, *de PP. africanor. meritis singular.* lib. II, p. 184; Oelricht, *de Lat. eccl. script.* V *et* VI *sæc.* p. 367. — (6) *Errores.* Possevin, *Appar. sac.* p. 519; Fabric. *Bibl. med. et inf. lat.* t. V ad *Verecund.*; D. Ceillier, t. XVI, p. 618; Higuerra, ubi supr. et alii quos suo loco emendare necesse nobis erit. — (7) *Omisere.* « De hoc scriptore, inquit Lœscher, l. cit. Bibliotheca Gesneri, Kœnigii et Lexicon eruditor. tacent, cujus mentio etiam in plerisque aliis nulla. » His enim recentiores pene omnes promto calamo adderem. — (8) *Afros.* Vide L. Renier, *Inscr. rom. de l'Algérie*, n. 1025, 1314, etc. — (9) *Partibus.* Ut omittam cæteros, sunt Gruteri tituli XX hoc nomine prænotati. Verecundi, unius ex Augustini amicis, villa Cassiaci erat prope Mediolanum. — (10) *Protulit.* L. Renier, l. cit. n. 1410 ad 1477.

varietas quam a scriptione gothica fortasse acceperunt nonnulli Isidoriani codices, qui legunt aliquando *Vergundus* [1].

Duplex erat Juncensis civitas, utraque episcopali insignita sede, quarum una in Mauritania [2], altera in Byzacena, cui addictum fuisse nostrum ambigere non sinit Victor tunonensis; haud ignobile quippe oppidum, quum illic habita juncensis synodus fuit [3], paulo ante Verecundum, anno D. N. 523 aut 524. Qui hujus civitatis episcopus nomine primus appellatur Valentinianus, a. 411, sedit inter Donatistas in Collatione carthaginensi, ubi nomen episcopi catholici reticetur [4]; unus quoque post Verecundum Numidius agnoscitur [5] in Byzaceni concilii epistola Constantinopolim missa a. 631.

Sed priusquam ad episcopatus fastigium veniret, floruisse eum ingenio et doctrina in presbyterorum ordine, ex ipso Vossiani codicis lemmate persuadetur. Non est enim quamobrem, aliter ac ibidem semel et iterum inscribitur, non presbyterum fuisse interpretem canticorum existimemus.

Quin indicia non desunt primo eumdem fuisse monachum; certe notatu dignum Eliam ab illo laudibus efferri ut vitæ monasticæ conditorem, beatamque prædicari illam professionem, quæ, veluti lectica, aliis portantibus, quietum hominem suffert, et quo voluerit, pervehit. « Vide, ait, si non uno vel duobus supportantibus onera monasterii, cæteri sub regimine viventes et quietem peragentes professionis instantiam in lectica portantur; per quam sine dubio ad Hierusalem pervenient civitatem [6]. » Ecce demum breviter et egregie descriptum omnem monachatum : « Corpus ergo monachorum quod ex multitudine fraterna consistit, et plurimorum corda in uno spiritu commassantur, in oblatione offerri dicuntur [7]. »

Sacerdotis autem in gradum cooptatus, nec pietati defuit, neque scientiæ sive sacræ sive profanæ. Philosophiæ enim haud expers, etiam externas satis calluit disciplinas, qui Plinii, Solini, Pseudo-Alexandri aut Aristotelis ac veterum physicorum libros versavit [8], ne omisso quidem decantato *Physiologo*, quem primus diserto no-

(1) *Vergundus*. Sic habet editio Fabriciana Hildephonsi seu potius Isidori *de Viris illustr.* in *Bibl. eccles.* l. cit. — (2) *Mauritania*. Cf. Collat. Carthag. inter Donatist. c. 187, Patrol. Migu. t. LVIII, p. 332. — (3) *Fuit*. Mansi t. VIII, p. 633. A. 724 mendose posuit Morcellli *Afr. chr.*, I, p. 192. — (4) *Reticetur*. N. 187, in Optat. Dupin. p. 280; Patrol. t. XI, col. 1329. — (5) *Agnoscitur*. Mansi, t. X, col. 928. Ita enim licet interpretari illud corruptum *Sosianæ-Juncis episcopus*. Mirum enim quot modis idem nomen depravetur in *Juca*, græce γούγκη, *Inucensis*, *Nicensis*, etc. Ultimum adhuc superest in accurata Gallandii Bibliotheca, t. XII, p. 230, unde repetitur in Victoris editione parisiensi; sed sole clarius mendum est, ut nemo non legat, sicuti supra fecimus: « Verecundus vero ecclesiæ *Juncensis* episcopus. » Ejusdem generis est mendum quod irrepsit in Vigilii sententiam adversus Theodorum, cui subscripsisse dicitur *Vereccundus Lunensis*, al. *Lucensis*, id quod card. Norisius dextere a Pagio emendavisse declaratur, legendo, si superis placet : *Nicensis!* Emendautor ergo Baronii Annales, Pagi critica, conciliorum collectiones certissima hac lectione *Juncensis*. Vid. Baron. ad a. 551, n. XI, t. X, p. 68. Libenter hic, data occasione, restituam duos Corippi versus quos minus apte videtur sollicitavisse Mazuchelli; scilicet in *Johannidos* lib. VI, v. 390, 391, legitur vulgo :

Vinci populator iniquus
Arva tenens vicina mari.....

Tum lib. VII, v. 20 :

Castra locanda mihi mediis Vincensibus arvis,
Quæ modo raptor habet.

Eumdem esse utrumque locum per se patet, et in Byzacena quærendum rerum series monet; verum in utroque suadeo legere : *Junceæ* et *Juncensibus*, id quod certe propius ad codicem accedit quam ea quæ Mazuchelli proposuit : *Vici*, *vicensibus*, aut *vitensibus*, aut denique *vincum*, omnibus ignotum. Vid. Corippi *Johann.* in coll. Byzant. Bonnens. p. 139, 144, 286. Cf. Morcelli *Afr. chr.*, t. I, p. 39, 192, 193; t. II, p. 33; t. III, p. 307. — (6) *Civitatem*. Vide p. 114 *a*. Hæc litterula columnam alteram designabit. — (7) *Dicuntur*. V. p. 59. — (8) *Versavit*. Vid.

mine Chrysostomo adjudicavit[1]. Sed multa e fontibus vere historicis hausit[2], multa ipse non paucarum rerum testis addidit, sive quum nota recenset africanorum hæreticorum portenta[3], sive quum ex orci tenebris nobis excitat insolentiora monstra Venustii et venustianorum[4], aut ultima idololatriæ legit vestigia apud Afros, Pœnos et Syros[5], aut ultima grassantis adhuc vandalicæ tempestatis nubila describit[6].

Sed Scripturæ libris potissimum imbuitur eruditus sacerdos, qui optima studiis sacris fundamenta posuit, litteram excutiendo juxta optimorum interpretum translationes, non solum LXX et Theodotionis[7], in multis ibidem redivivi, sed et « Presbyteri sancti, » ut habet, aut Hieronymi quem suo lubenter extollit elogio[8]. Adde haud indiligentem ἀκρίβειαν qua apocrypha a θεοπνεύστοις secernit[9]. Bonis igitur auris ductus, vela liberius in sacras tendit allegorias, ut eas tamen potius captet quas induxere veteres. Utinam non tædeat suis locis venari quæ uberrime inspersit de vite, uva, vinea[10]; de Dei thesauris[11], manu[12], sagittis[13] et arcu[14], de cervis[15], de cornibus[16], de fluviis[17], de Christo soli simillimo in Ascensione[18], de oliva et ficu[19], de typica Jonæ persona[20], quin immo totum illud, quodcumque est, de Debboræ epinicio commentarium hic recolendum pene esset!

Tum presbyteri nostri pietas non una ex parte fulget : præter enim suavissimas librorum expositiones, in quibus, more Tertulliani aut Augustini, aspera africanæ loquelæ rudimenta emollit in dulcia ad Jesum verba, ne dicam oscula, suspiria et lacrymas[21], vitam ejus moresque commendat amica cum sanctissimis confessoribus necessitudo, inter quos emicuit beatus Mustatius, in Palæstina pro fide exsul, novi fortasse hominis ignotum nomen[22], nunc vero, nisi fallor, Africæ christianæ debito cum honore restituendum, idemque inter primos annumerandus qui loca sancta collustrandi gratia, veterum collegere traditiones. Tam etiam fidei quam morum integritatem vindicant multæ ipsius in hæreticos et schismaticos querelæ, multaque cum illis opportuna certamina et importuna[23]. Uri demum bono domus Dei zelo is facile existimandus est, qui, raro inter Latinos exemplo, cantica in ecclesiis repetita

p. 37 *a*, 64, 106. — (1) *Adjudicavit*. V. p. 106, ad quod velim ea recolantur quæ notabam in tom. III, proleg. p. LXIV. Cf. etiam p. 64. — (2) *Hausit*. Vid. p. 22, 23, 41 *a*, 44 *a*, ubi Josephum laudat, *de Bello Jud*. lib. VI, c. 21, p. 286, ed. Didot. — (3) *Portenta*. Vide enim de Donatistis, p. 20 *a*, 41 ; de Valentinianis, Marcionistis, Manichæis, Maximianistis, p. 42 *a*, 104 ; de Priscillianistis, p. 47, 104.—(4) *Venustianorum*. Vix enim alias vel nomine memoratos *Benostianum* et *Venustianos*, vide p. 20 *a* et 104 ; cui sectæ uberius illustrandæ adeo pauca suppetunt, ut in nullo veterum hæreticorum catalogo inuratur, in nullo recentiorum descriptorum albo recensitam invenerim. — (5) *Syros*. Recole quæ habet de templis Remmon in Damasco, Nesrac in Ninive, Astarte Sidoniorum, pag. 103 *a*, de idololatris modo sævientibus, licet in Africa jam pene exstinctis, p. 38, 39.—(6) *Describit*. Refert quomodo primum effusa gothica vel herula rabies sæviret, p. 24, truderet in exsilium episcopos, pag. 40, ecclesias susque deque verteret, p. 59 ; quæ quidem ne prolixo exornem commentario, ut alicubi fortasse promiseram, omnino vetat et loci et temporis angustia. Sed otium mihi fecisse haud immerito Ruinartium dixeris in locupletissimo suo de Persequutione Wandalica commentario ad Victorem Vitensem, p. 193, Patrol. t. LVIII, p. 359. — (7) *Theodotionis*. V. p. 50. Et vide innumeras notas in canticum Debboræ, ubi miranda cum fragmentis Theodotionis in Hexaplis consonantia deprehenditur, ut ausus fuerim dicere, p. 121, n. 8, illud canticum ex eodem eximio interprete fuisse ad litteram expressum. — (8) *Elogio*. V. p. 120, n. XXIII; 121, n. XXV.—(9) *Secernit*. V. p. 30 *a* et 92, ubi de Manasse oratione.—(10) *Vinea*. Vid. ad singula *indicem rer*. — (11) *Thesauris*. Vid. p. 33, ib. — (12) *Manu*. V. p. 35, 36, n. XXXVII. —(13) *Sagittis*. V. p. 37, 38, n. XXXVIII, XXXIX. —(14) *Arcu*. V. p. 81, n. XII.—(15) *Cervis*. Vid. p. 63, n. XVII. — (16) *Cornibus*. V. p. 76, n. II, III. — (17) *Fluviis*. Vid. p. 82, n. XIII, XIV. — (18) *Ascensione*. V. p. 85, n. XIX.—(19) *Ficu*. V. p. 89, n. XXIX. — (20) *Persona*. V. p. 101 sqq. — (21) *Lacrymas*. Vid. p. 14, 15, 25 *a*, 38. — (22) *Nomen*. Vid. p. 88 et not. 8, cui quum addenda quædam promiserim, spe lucis abundantioris jam exstincta, tacere præstat quam incertis dubia augere.—(23) *Importuna*. Cf. not. 2, 3, 4.

vulgo exponunt, ea usus precum publicarum consuetudine, ut inter loquendum aut scribendum, collectas sacramentariorum ultro suis immisceret orationibus[1]: a quo demum de pluribus rescimus quæ vix ab ullo alio didiceris, videlicet Esdram libro psalmorum cantica junxisse, ut eodem sono cantuque psallerentur[2]; quatuor esse cantica ab Esdra in psalmorum ordine inscripta, puta Moysis tria et Debboræ unum; plura post Esdram de corpore prophetarum cantandi usum invaluisse, sed adeo varium ut alia ab aliis usurparentur[3]; aliquam certe fuisse ecclesiam, forsitan juncensem, in qua frequentabantur quæ illic exponuntur cantica e quibus Debboræ, Manasse, Jonæ verba vix alibi recitabantur. Sed ecce tantum primam horum commentariorum evolvi paginam; quin plura dein me deterreri, quis mirabitur?

Nil etiam mirum e tam bono Scripturarum et sacræ liturgiæ thesauro optima eruditum presbyterum eructavisse dogmata, sive ex pulpito in homilias suos sparserit novem libros, sive, quod verisimilius est, Hieronymum imitatus, in lectorum gratiam sua calamo commiserit. Certe sana sunt quæ ad sacram Eucharistiam[4], quæ ad pontifices et sacerdotes *secundi ordinis*[5], quæ ad angelos nationum custodes[6]. Sana et præclara sunt quæ dicit et de originis culpa[7], et de gratia sive necessaria, sive, hoc enim verbo utitur, *sufficiente*[8]. Alterum non novi locum e tota Ecclesiæ vetustate, quo splendidius illucescat purgatorii pœna, quam in hac Verecundi mei ἐκφράσει, ad II Petr. III, 7: « Hunc esse, inquit, existimo purgatorium qui januis est paradisi cir« cumseptus, ut per ipsum omnes salvandi pertranseant, tantum in unoquoque ex« cocturus, quantum in eodem sordeculas invenerit peccatorum. » Et ne cum illo damnatorum pœna confundatur, statim : « Est itaque, ait, alter ignis qui tenebrosus « esse dicitur, nimirum æternus, ubi damnandi sunt impii quibus dicetur : « Ite, etc. » Mox autem iterum et pressius, more scholasticorum : « Quæritur ergo nunc cujus ignis speciem demonstravit, utrum illius qui tantum peccatum consumit, homines autem lædit, quem Dominus in terra veniabiliter misit, an illius purgatorii, vel certe quem nuper diximus damnandorum? Unde æstimo purgatorium dici, qui ad purgationem nostrorum census est delictorum et *usque ad inferos* penetrabit...: *usque ad inferos* quod ait, peccatores agnosce inferorum nomine nuncupari[9]. » Dogma etiam habet hæreseosque notam, nullam esse sanctitatem, unitatem nullam nisi in Ecclesia[10]; et eam non solum esse unam sanctamque, verum et ubique diffusam[11], quin immo sic perpetuam ut jam in templi dedicatione Salomon tam oraret pro plebe quam pro gentilitate[12], et ab omnium rerum principio primum sit Ecclesiæ exordium[13]. Quid plura? An morum, an disciplinæ regulas reticeam? innumera mitto, ne sim infinitus.

Hæc vero probæ in Verecundo eruditionis argumenta e certa temporum nota majorem sibi conciliant auctoritatem; ultra enim annum 534 excedere omnino vetant quæcumque diserte de vandalica persequutione enarrantur : capta siquidem hoc anno Carthagine, Belisarius vandalicæ ditioni et sævitiæ finem feliciter imposuit[14].

(1) *Orationibus*. Vid. p. 48, ubi rara liturgiæ africanæ gemmula, quam ego quum proposuerim viris harum disciplinarum callentissimis, ne exceptis quidem doctis gallicanæ liturgiæ scoticis interpretibus, inaudita omnibus hæc precatiuncula apparuit.—(2) *Psallerentur*. V. p. 1 et 40. Cf. de psalmodia africana Commodiani *Instruct.* n. LXV, v. 959, 962, ne te ad Augustini *Enarrationes in psalmos* mittam. — (3) *Usurparentur*. V. p. 1.—(4) *Eucharistia*. V. p. 7 *a*, n. XIV; 19 *a*, n. XIV; 21 *a*, n. XVIII. — (5) *Ordinis*. Sic habet p. 14 *a*.—(6) *Custodes*. V. p. 15.—(7) *Culpa*. V. p. 43 *a*. — (8) *Sufficiente*, p. 16, cf. not. 7. —(9) *Nuncupari*. V. p. 24 *a*, 25. Hoc usque adeo sensit Vossius et intellexit ut margini sponte invitusve injecerit hoc scholiolum sua manu : « *De igne purgatorii*. » Ob eum fortasse locum ab editione danda refugit.—(10) *Nullam*. V. p. 22 *a*. — (11) *Diffusam*. Vid. p. 37, n. XXXVIII. — (12) *Gentilitate*. V. p. 70 *a*.—(13) *Exordium*. Vid. p. 84 *a*. — (14) *Imposuit*. Vide Ruinartii *Dissert.* modo laud. cap. XII, p. 430 sqq.

Presbyter igitur ad hunc usque diem remansit Verecundus. Sed ubi in vulgus emiserit tanta doctrina refertos suos novem libros, ita oportuit in eum omnium animos converti ut plebis clerique consensu, sede juncensi vacante, fortasse paulo post a. 534, ad sacerdotii apicem ascenderit.

Fabricio enim assentiri nequeo, presbyterum ab episcopo, unumque Verecundum in duos incommode dispertienti [1]; namque ex paucis veterum testimoniis nihil sive de loco, sive de ætate refertur, quod non apprime in unum quadret : vix operum discrimen est, eo quod Isidori notitia minus integra, omissis presbyteri commentariis, episcopi tantum opellas recenset.

Neque melius divinabat Possevinus quum nudam exornans codicis aut leidensis aut moscianensis epigraphem, hæc de suo finxit [2] : « Verecundus presbyter scripsit *in Cantica canticorum.* » Utrumque enim codicem, quem unum esse valde suspicor, incœpisse puto ut nostrum : *Liber Verecundi presbyteri in Exodi cantico;* unde titulus recentior et brevior, ut dixi : *Verecundus presbyter super cantica.* Inde pronum fuisse addere : *in Cantica canticorum*, nemo non videt. Sed de presbytero satis; nunc de episcopo sermo sit.

III.

Longe alia Verecundo obvenit rerum et temporum varietas, statim ut primas juncensis ecclesiæ capessivit. Vix enim a quatuor annis pace africanis ecclesiis restituta, exarsit repente turbulenta *de tribus Capitulis*, ut aiunt, controversia, in quam tam doctrinæ suæ pondere quam ingenii fervidioris æstu noster in præceps actus, a scopulis fortasse non satis cavit, quibus non unus, vel inter optimos, maxime ex Africanis, afflictus elisusque miserrime est. Verumtamen, quæcumque hic temere gesserit, lætor eum posse non uno excusari nomine : primum scilicet, quod ab initio excitatæ ab imperatrice pessima Theodora procellæ, sanior profecto et major pars episcoporum cum Verecundo fuit; deinde quod, ipso Victore tunonensi diserto teste, uno anno ante quintam generalem synodum e vivis excessit, in imperatorem quidem vix omnium calculis probandum contumax, sed nondum colluctatus cum legitimis pontificis romani decretis, qui ad annum usque Verecundi extremum sententiam retinuit suspensam. Sed quum in vexatissima illa causa non ultimas partes egerit noster, cujus etiam superest instrumentum ex Actis chalcedonensibus, ab ipso, nisi fallor, exsculptum, abs re non erit illic parum immorari. At minime rerum mihi animus est longam et perplexam retexere iliadem; summa satis erit in transcursu tangere, omittere a cæteris trita, nova vero quædam, immo anecdota, nisi fallor, potius in medio ponere.

Deplorata Vigilii papæ tempora potissimum ea sunt in quibus Deus vult a cunctis intelligi, dum sinit aliquando res romanæ ecclesiæ titubare in summumque discrimen adduci, ipsum adesse semper ut Petro, quum cœpisset mergi, manum extendat. Sic quippe Vigilius ille, hactenus ad malum expergefactus, ubi legitimus esse cœpit episcopus, jam strenuas pro universo grege peregit excubias. Necessarium tamen erat quoddam piaculum, eoque loco, tempore, theatro celebrandum, quo digne justitia Dei simul et misericordia ac summa Ecclesiæ regendæ providentia conciliarentur. Sensit hoc Vigilius, quum inter asperrimas imperatoriæ persequutionis sævitias, exsul in Byzantini palatii ædibus, clamavit, si Anastasio fides : « Digna factis recipimus [3]. »

(1) *Dispertienti.* In *Bibl. med. et inf. lat.*, ad Verecundi nomen.

(2) *Finxit.* In *Apparat. sacr.* t. II, p. 519. —

(3) *Recipimus.*

Quæ autem, veluti publica decem ferme annorum pœnitentia, Vigilium excitavit, totamque concussit Ecclesiam, causa scilicet *trium Capitulorum* ex tribus diversis temporibus longe aliter æstimanda est. Primum enim, qui ea defendebant, laudandi profecto sunt, quum Vigilium pontificem quem sequerentur habentes ante omnia ut concilium chalcedonense incolume maneret, totis nervis contenderent. Deinde tolerandi erant quum, suspenso ad concilium generale judicio, ipse Vigilius in damnationem inclinaret, jam certus nullum inde detrimentum esse fidei et Ecclesiæ decretis derivaturum. Postremo autem reprobati fuere, postquam damnante tria Capitula quinta synodo, quam mox Romani probavere pontifices, nondum ad ordinem redacti sunt. Jam vero ut ex illo temporum et rerum discrimine varia Vigilii acta facile explicantur, ita gratum mihi est ad primam certe periodum, vix autem ad secundam pertinere totam Verecundi disputationem. Unde sat erit de hac et illa tantum pauca perstringere.

Mirari subit cur statim ut Sylverius papa, obrutus ærumnis, inedia confectus, in insula Palmaria interiisset, idem ille sancti pontificis inimicus Vigilius, nemine contradicente, in successorem eligeretur. Divinum ibidem consilium vidit Baronius, et multa verborum gravique copia id ipsum exponit. Vix autem credendum tam cito compositam fuisse tantam litem, nisi cleri romani consessus, præter gesta quædam legitimo pontifice haud indigna, præ oculis habuisset monumentum certum, quo Vigilii fides, doctrina, futuraque agendi ratio, adeo perspicua fieret ut nullus jam molestæ suspicioni locus esset. Signum illud vidit Baronius in epistola novi pontificis ad Justinianum, quæ tamen tribus post Sylverii obitum mensibus scripta est. Ecce, nisi me mea fefellit opinio, ad manum est illud monumentum, nullo quidem notatum nomine, sed quem Vigilii esse, et pontificatum inchoantis, quisque prudens lector mecum æstimabit. Miror enimvero e bono et vetere codice vossiano [1] nondum fuisse hactenus erutum; tanti enim est pretii, tamque insperatæ novitatis, ut dum primus ego illud profero, ne ipse decipiar, vel ubi nihil timendum, timeam. Lege, lector, et ut magni annalium parentis verbis defungar, « audi grandi miraculo nova hominem loquentem lingua, ubi pontifex cœpit esse germanus; ut momento temporis, novam formam acceperit, et consona sanctis patribus prophetarit. Audi ipsum e sublimi apostolico throno ista clamantem [2]. »

Fol. 36. Credo igitur in unum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum : Patrem scilicet, omnipotentem, sempiternum, ingenitum ; Filium vero, ex ejusdem Patris substantia vel natura genitum, ante omne omnino vel temporis vel cujusquam initium, id est omnipotentem, æqualem, consempiternum et consubstantialem Genitori ; Spiritum quoque sanctum, omnipotentem, utrique Patri scilicet ac Filio æqualem, consempiternum atque consubstantialem, qui ex Patre intemporaliter procedens, Patris est Filiique Spiritus [3] : hoc est tres personas sive tres substantias unius essentiæ sive naturæ, unius virtutis, unius operationis, unius beatitudinis atque unius potestatis : ut trina sit unitas, et una sit trinitas, juxta vocis Dominicæ veritatem, dicentis : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* [4].

(1) *Vossiano.* Ms. lat. Voss. q. 122, infra describitur. — (2) *Clamantem.* Baronius ad a. 540, XIII. Nolumus a codicis scriptura, præter expleta sigla et interpunctionis signa, vel in minimis recedere, quin infra notetur. Vid. infra, p. XXI, appendiculam de vossiano codice. — (3) *Spiritus.* Vetus formula et sana, certe Photianis tricis antiquior. — (4) *Sancti.* Matth. XXVIII, 19.

In nomine, inquit, non in nominibus, ut et unum Deum per indistinctum divinæ substantiæ nomen ostenderet, et personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret: quia, dum tribus unum deitatis nomen est, æqualitas ostenditur personarum; et rursus æqualitas personarum nihil extraneum, nihil accidens [1] in eis permittit intelligi: ita ut et unusquisque eorum verus perfectusque sit, Deus videlicet ex plenitudine divinitatis; nihil minus in singulis, nihil amplius intelligatur in tribus. Fol. 36 v°.

Ex hac autem sancta et beatissima atque consubstantiali Trinitate credo atque confiteor unam personam, id est Filium, pro salute humani generis, novissimis temporibus descendisse de cœlo, nec patriam sedem, nec mundi gubernacula relinquentem; et, superveniente in beata virgine Maria sancto Spiritu, atque obumbrante ei virtute Altissimi, eumdem Verbum ac Filium Dei in utero ejusdem sanctæ virginis Mariæ clementer ingressum, et de carne ejus sibi unisse carnem, anima rationali et intellectuali animatam: nec ante creatam esse carnem, et postea supervenisse Filium Dei; sed, sicut scriptum est, Sapientia ædificante sibi domum, mox carnem in utero Virginis, mox Verbi Dei [2] carnem factum; exindeque sine ulla permutatione aut conversione [3] Verbi carnisque naturæ Verbum ac Filium Dei factum hominem: unum utraque natura, divina scilicet et humana, Christum Jesum Deum verum eumdemque verum hominem processisse, id est natum esse, servata integritate maternæ virginitatis, quia sic eum virgo permanens genuit, quemadmodum virgo concepit: propter quod eamdem beatam virginem Mariam Dei genitricem verissime confitemur: peperit enim incarnatum Dei Verbum.

Est ergo unus atque idem Jesus Christus verus Filius Dei, et idem ipse verus filius hominis: perfectus in deitate, et idem ipse perfectus in humanitate, utpote totus in suis, et idem ipse totus in nostris. Sic Fol. 37.
per secundam nativitatem sumens ex homine matre [4] quod non erat, ut non desisteret esse quod per primam, qua ex Patre natus est, erat. Propter quod eum ex duabus et in duabus manentibus indivisis inconfusisque credimus esse naturis: indivisis quidem, quia et post assumptionem naturæ nostræ unus Christus Filius Dei permansit et permanet; inconfusisque autem, quia sic in unam personam atque subsistentiam adunatas credimus esse naturas, ut, utriusque proprietate servata, neutra converteretur in alteram.

Ac propterea, sicut sæpe diximus, unum eumdemque Christum esse verum Filium Dei, et eumdem ipsum verum filium hominis confitemur, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem; per omnia nobis similem absque peccato: passibilem carne eumdem, ipsum impassibilem deitate; quem sub Pontio Pilato sponte pro salute nostra passum esse carne confitemur; crucifixum carne, mortuum carne; resurrexisse tertia die, glorificata et incorruptibili eadem carne; et conversatum post resurrectionem cum discipulis suis, ac multis modis evidenter eis osten-

(1) *Accedens,* prima manu. — (2) *Dei.* Legam: *Verbum Dei.*—(3) *Conversatione* cod. — (4) *Matre.* Sic cod. et veteres: nam omnia ferme a S. Leone accepit.

disse sui corporis veritatem; et quadragesimo die, videntibus eisdem discipulis, ascendisse in cœlos; sedere etiam ad dexteram Patris.

Quem credo et confiteor, secundum [1] testificationem angelorum, sicut ascendit in cœlos, ita venturum judicare vivos et mortuos. Omnes enim homines ab Adam usque ad consummationem sæculi natos et mortuos, cum ipso Adam ejusque uxore, quæ non ex aliis parentibus nati sunt, sed alter de terra, alter [2] autem de costa viri creati sunt, Fol. 37 v°. tunc resurrecturos esse confiteor, et astare ante tribunal Christi, « *ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bona, sive mala* [3]; » et justos quidem, per largissimam gratiam Dei, utpote vasa misericordiæ in gloriam præparata, æternæ vitæ præmiis donaturum, in societate videlicet angelorum, absque ullo lapsus sui merito, sine fine victuros; iniquos autem, arbitrio voluntatis propriæ, vasa iræ apta in interitum permanentes, qui viam Domini aut non agnoverunt, aut cognitam, diversis capti prævaricationibus, reliquerunt, in pœnis æterni atque inextinguibilis ignis, ut sine fine ardeant, justissimo judicio traditurum.

Hæc est igitur fides mea et spes quæ in me dono misericordiæ Dei est; pro qua maxime paratos esse debere beatus Petrus apostolus præcepit *ad respondendum omni poscenti nos rationem* [4].

De sanctis vero quatuor conciliis, id est, nicæno trecentorum decem octo, constantinopolitano centum quinquaginta, epheseno primo ducentorum, sed et chalcedonensi sexcentorum triginta, ita me protegente divina misericordia, sensisse et usque ad terminum vitæ me sentire toto animo et tota virtute profiteor, ut ea [5] in sanctæ fidei defensione et damnationibus hæresum atque hæreticorum, utpote confirmatus Spiritu, omnimoda devotione custodiam. Quarum firmitatem, quia universalis Ecclesiæ firmitas est, ita me tueri ac defendere profiteor, sicut ea decessores meos defendisse non dubium est.

In quibus illum maxime et sequi et imitari desidero quem chalcedonensis synodi auctorem novimus exstitisse, qui suo congruens nomini, ejus se membrum qui de tribu Juda leo exstitit, vivacissima fidei solli-Fol. 38. citudine evidenter ostendit. Similem igitur suprascriptis synodis reverentiam me semper exhibiturum esse confido, et quicumque ab eisdem quatuor conciliis absoluti sunt, me esse orthodoxos habiturum. Nec umquam in vita mea, Deo nos in omnibus protegente, aliquid de sancta et vera [6] prædicationis eorum auctoritate minuere. Sed et canones, quos sedes apostolica suscipit, sequor et veneror, et, Deo adjuvante, defendo. Nec me ab hac professione reticere aut discedere aliquando promitto.

Epistolas etiam beatæ recordationis papæ Cælestini [7], Xysti, et præ omnibus beati Leonis, nec non etiam successorum ejus Hilari, Simplici, Felicis, Gelasi, Anastasi [8], Symachi, Hormisdæ, Johannis, Felicis, Bonefati, Johannis alterius et Agapiti, pro defensione fidei catholicæ,

(1) *Se deum* sigla cod. male ferunt. — (2) *Aliter* iterum minus bene. — (3) *Mala*. II Cor. v, 10. — (4) *Ratione* cod. I Petr. III, 15. — (5) *Eas* cod. hic et mox. — (6) *Vere* cod. — (7) *Cœlestinis* ib. — (8) *Ancæstasi* ib.

et pro firmitate suprascriptorum [1] quattuor synodorum et contra hæreticos, tam ad principes, quam episcopos vel quoslibet alios, per Orientem et Illyricum atque Dardaniam, aliasque provincias, diversis temporibus missas, inviolabiliter, adjuvante Christo Domino nostro, me custodire profiteor, et omnes quos ipsi damnaverunt, habere damnatos, et quos ipsi receperunt, præcipue venerabiles episcopos Theuderetum et Ibam, me inter orthodoxos venerari.

Hæc est igitur fides mea et spes quæ in me dono misericordiæ divinæ, pro qua maxime paratos nos esse debere beatus Petrus præcipit *ad respondendum omni poscenti nos rationem*, cum hac professione me vivere opto; cum ipsa ante tribunal Christi adsistere; per hanc a peccatis meis absolvi me credo, et a dextris gloriæ divina misericordia [2] deportandum. Quicumque autem aliud senserit, crediderit, prædicaverit, hunc anathematizat sancta et universalis Ecclesia Dei.

Secundum [3] igitur ipsius Domini doctrinam et Apostoli prædicationem, salva proprietate utriusque naturæ in una persona Christi, id est Dei et hominis, perfectus Deus qui clarificatur, credendus, colendus, adorandusque et Deus Dei Filius, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, in cujus plenitudine Pater est. Sicut enim in gloria Patris Filius est [4], secundum doctrinam Apostoli, ita in plenitudine Filii Pater est, dicente eo : *Ego in Patre, et Pater in me est* [5]. Et iterum : *Pater autem in me manens ipse facit opera* [6]. Serviendum itaque est Christo Filio, quia et perfectus Deus et verus est Filius, et qui fideliter servit Filio, Patri servit et Spiritui sancto qui in eo est. Et qui adorat Patrem, in ipso adorat Filium et Spiritum sanctum, qui in Patre est. Filius et Spiritus sanctus a Deo Patre procedit, ipso Domino dicente : *Ego in Patre, et Pater in me est.* De Spiritu sancto quoque ait : *Spiritus autem Paraclitus, qui a Patre meo procedit* [7]. Et quum Filium quis adorat, in eo Patrem adorat et Spiritum sanctum, quia in ipso est Pater, dicente eo : *Qui me vidit, vidit et Patrem meum* [8]. Et iterum : *Pater autem in me manens ipse facit opera.* De Spiritu vero sancto sic ait : *Ille,* inquit, *me clarificavit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis, et omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis quia de meo accipiet* [9]. Spiritus itaque Patris Spiritus Filii est, Apostolo dicente : *Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra* [10]. Et iterum : *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* [11]. Et iterum : *Scio enim quia hoc mihi proveniet in salutem per vestram orationem et subministrationes Spiritus Jesu Christi* [12]. In Evangelio quoque ipse Dominus ait : *Paraclitus,* inquit, *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo* [13]. Et in Actibus Apostolorum ita legitur : *Transeuntes autem Phrygiam et Galatiam, vetiti sunt ab Spiritu sancto loqui verbum in Asia. Quum venissent autem in Mæsiam, tentabant*

Fol. 38 v°.

(1) *Suprascriptorum* sic cod.—(2) *Misericordiæ* ib. — (3) *Secundum.* Hic incipit singulos fidei suæ articulos sacris eloquiis confirmare. — (4) *Est.* Phil. II, 11.—(5) *Est.* Joan. XIV, 10.—(6) *Opera.* Ibid. — (7) *Procedit.* Ibid. XV, 26. — (8) *Meum.* Ib. XIV, 9.—(9) *Accipiet.* Ib. XVI, 15. — (10) *Nostra.* Galat. IV, 9. — (11) *Ejus.* Rom. VIII, 9. — (12) *Christi.* Phil. I, 19. — (13) *Meo.* Joan. XIV, 26.

ire Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu[1]. Manifestissimis
Fol. 85 igitur testimoniis probatum quod Spiritus sanctus, Spiritus Paraclitus, Spiritus qui a Patre procedit, Spiritus sit Filii, Spiritus Christi, Spiritus Jesu. Tota enim Trinitas inseparabiliter in una substantia divinitate atque potentia adoranda, colenda, prædicanda est et timenda. Fugiendum itaque est atque pavendum omnibus christianis, ne, secundum errorem imperitorum hominum quos notat Apostolus dicens : *Errantium circa fidem*, induci possint ; *errantes*, inquit, *et in errorem*[2] *mittentes* : id est, qui in Trinitate sancta atque indivisa aliquid creatum aut inferius, posteriusve suaserint esse credendum, quia quidquid creatum est, Deus esse non potest, quod inferius perfectum non est ; quod posterius caret perpetuitate. Ac perinde in his gradibus, divinum nihil esse potest [3].

Cætera desiderantur.

Etiam omissa posteriore parte citius abrupta, superest quæ nobilissima inter Ecclesiæ instrumenta collocetur, professio fidei vere maximi pontificis. Eam vero aut Sylverii esse aut Vigilii quum oporteat, illo autem superstite nulla de tribus Capitulis quæstio fuerit, hunc igitur, id est Vigilium, audivimus, sed et de more suo expungentem antecessoris sui nomen ex albo pontificum. Audivere pariter et probavere non romani tantum cleri Italiæque episcopi, verum et africani ; unde nil mirum et ducis tam firmo et recto gressu præeuntis vestigia legisse omnes, sine tumultu, et ab illo speravisse Afros fore ut sarta tecta remanerent tam concilii chalcedonensis decreta quam tria Theodori, Theodoreti et Ibæ capitula.

Sed Spiritu Dei illustrante, mox sensit Vigilius aliam esse causam concilii IV, aliam trium Capitulorum ; deinde, salva merentium virorum, quales erant Theodoretus et Ibas, persona et fama, nihil impedire quin vel post eorum mortem scripta quædam illorum transverso calamo notarentur ; ad extremum sive qui capitula tuebantur, sive qui reprobabant, in unam consentire fidem, easdemque in hæreses intorquere anathemata. Ea vero fuit Africanorum præconcepta opinio, nihil in his omnibus esse distinguendum, nihil temporum iniquitati, animorum studiis, periculo schismatis concedendum. Vigilio igitur Constantinopolim accersito, denso agmine idem iter, primo signo dato, cœperunt Reparatus carthaginiensis, Primasius, Firmus, Verecundus episcopi, Reparatus alter et Ferrandus diaconi, Lampridius et Felix abbas, cæterique. Et alii libellos in vulgus edidere, alii stimulos usque adeo acres dedere romanis clericis, ut vel in familia pontificis plures, quorum primus nepos ejus Rusticus, nihil non moverunt ut bellum atrocius excandesceret, summusque pontifex ad incitas redigeretur.

Quæ fuerit Verecundi nostri pars in hoc tumultu, dici non posse ob monumentorum penuriam, fortasse ab illius honore est. Eum tamen mitius quam cæteros egisse inde putem quod ubi semel nomine appellatur, video eum consentire cum Primasio adrumetino, eumque unum ex Africanis studia cum illo miscere. Adrumetinus vero, trium Capitulorum causam, lata Vigilii sententia, statim dimisit. Jam Verecundi haud minima laus est Vigilio fortiter adfuisse, et secundum ex omnibus Afris, in gravissimo hujus

(1) *Jesu.* Act. XVI, 7. — (2) *Errore* cod. — (3) *Potest.* Sequuntur in codice, ut fert titulus : *Beati Augustini ex libris de Trinitate quædam capitula.* Præcedebant vero *alia fragmenta S. Leonis.* Ne lectorem fusiore nota retinerem, ad calcem præfationis distuli codicis descriptionem.

tempestatis æstu, summoque fidelium antistitum periculo, id quod fusius enarrandum est.

Quinque jam elapsis annis in quibus omnia pontifex dederat patientiæ, longanimitatis et prudentiæ exempla, Byzantinæ aulæ cæcus furor usque eo erupit, ut imperatoris jussu turma militum, ejus nepote Justino duce, gladios conserere ausa fuerit cum exsule, sene et profugo, altare sancti Petri amplexante, quod in ipsius caput, dum capillis, barba, totoque traheretur corpore, corruisset, nisi clericorum ejus manus ruinas sustinuissent. Tam horrore sacrilegii quam plebis clamoribus victa tandem militum manus. Animos vix pontifex receperat, quum in præcipuum turbarum auctorem, Theodorum cæsariensem, et summum ejus fautorem Menam patriarcham constantinopolitanum, censurarum fulmina vibravit. Æterna certe memoria digni sunt tanti athletæ quatuor et decem strenui commilitones, quorum nomina in his tabellis censoriis sculpuntur; decimum est Verecundi juncensis nomen [1] et inscribebatur die xix kalendas septembris, anno christianæ libertatis DL.

Manum ad alia jam admovisse eum opinor; quæ ut detegerem, ejusque adderem operibus, non molli debui brachio rimari codicum pluteos. Forte enim mihi alia quærenti occurrerat epistola, quam supra retuli, Adriani ad Carolum, qua monebar sæculo VIII exstitisse ignotum hactenus Verecundi opus, inscriptum : *Breviarium chalcedonensis concilii a Verecundo episcopo editum.* Ut illud expiscarer, parciores Adriani notas religiose scrutabar : tam enim compendio quam rerum delectu ait a vulgatis hoc differre actis; et statim offendere quæ excerptorem studiis partium faventem prodebant, interque apocrypha, seu minus integra haberi; tum fuisse e Galliis Romam asportatum, unde vetustis gallicanorum canonibus misceri debuit. His ductus indiciis, mirum quot in Belgio utroque, quot omnibus in Galliis excusserim vetera cujuslibet juris collectanea; chalcedonicarum in primis rerum nihil reliqui intactum. Jam pene tædio victus, desponsusque animo, accessi ad falsi Isidori merces, quas nimium sperni novo persuasus fui argumento. Ex innumeris quos ubivis offenderam Mercatoris codicibus, primus quem paulo diligentius intuebar, duacenus erat, sub num. 522, sæculi XII, cujus ad calcem fasciculus erat sub illo lemmate repositus : *Incipiunt excerptiones de gestis calcedonensis concilii.* Deerat quidem Verecundi nomen, sed prælucente Adriani papæ indiculo, habebam breviarium; habebam selecta diligenter de singulis trium Capitulorum articulis; habebam non solum versionem veterem haud semel a vulgata diversam, sed loca passim inaudita, immo in uno exemplari adjectum e Liberati *Breviario* insigne fragmentum; habebam denique appendiculam ad collectionem quæ gallicana dici potest et certe apocrypha : quis non agnovisset Adriano visum « Breviarium chalcedonensis concilii a Verecundo episcopo editum. » Mox alia successerunt exemplaria, Parisiis quatuor, duo in montispessulanæ Academiæ bibliotheca [2], et plura facile suppeterent [3]. Quæ collegeram edidisse non piget, etiamsi conjectura mea excideret. Tanta est chalcedonensis concilii dignitas ut quæ fortasse ex authenticis actis, in ipso chalcedonensis ecclesiæ archivo, doctus testis et subæqualis, exsul pro sacra synodo ejusque vindex, inter ærumnas defloravit, respuere iniquum esset ac prope impium. Plura de his collectaneis, quæ suo loco uberrimis oneravi notis et scholiis, hic dicere me abstineo, etsi in novam dissertationem excurrendi promta occasio sit.

(1) *Nomen.* Exstat in Baron. t. x, p. 68; cum eo subscripsit Primasius adrumetinus.—(2) *Bibliotheca.* Grati animi et honoris causa hic libentissime inscribo nomen elegantis facilisque viri, KÜHNHOLTZ, multa litterarum et medicinæ scientiæ laude insignis, qui nihil neglexit ut studiis desideriisque meis inserviret.—(3) *Suppeterent.* Adde enim nuper detectos vaticanos 630, 1340, 1344, 3791.

Dixi antea his manum admovisse Verecundum ante annum 550, et priusquam Theodori cæsariensis damnationi subscripserit. Inter enim plura eorum notatu non indigna, me in primis excitavere scholiola, quæ videbam eadem αὐτολεξεὶ esse cum Rustici diaconi in eadem acta scholiis. Hæc igitur debui non tantum in Baluzii editione, sed in antiquis sanctæ synodi codicibus sigillatim expendere. Gratum enimvero opus erat, amœna plenum curiositate, varietate refertum : cum Rustico illo a Constantinopoli ad Chalcedonem excurrebam; nunc Acemœtarum, nunc Sanctæ Euphemiæ, nunc patriciæ Juliæ codices ad manum erant. Græca cum latinis conferre, emendare, distinguere festinabam. Videbam in marginibus e Rustici stylo fluere sigla, puncta, obelos, meniscos, quæ omnia nostros codices elegantissime adhucdum exornant [1]. Ad Baluzii editionem reversus, dolui vix apud eum inveniri mediam partem ex octingentis Rustici mei scholiis, et pleraque ita cum lectionum varietatibus permisceri, ut nemo ferme valeat a recentissimi editoris apparatu secernere quæ subtilis illius, si quis umquam, doctique et diligentis diaconi sunt. Rarum tamen exemplum erat atque vix in tota antiquitate latina bis inventum : ea scilicet solertia, eo indefesso labore, ea rei diplomaticæ, ut aiunt, et philologicæ divinatione, ut vel in recentioribus nihil supra, diaconum romanum sæculo VI contulisse codices, græca cum græcis absolvisse, latina iisdem admovisse, apographa ad archetyporum retulisse fidem, tum addidisse scripturarum indagationi quæcumque sub ingentis controversiæ æstum in calamum injiciebant fervida theologi, notarii, litigatoris, et a Vigilio sensim discedentis, studia : historia quippe actæ rei hæc minus sunt, quam acta ipsa res vivensque hominum vita. Unde muneri meo defuisse me existimavissem, nisi vel post præstantissimi Baluzii operam [2], octingenta illa Rustici scholia cæterasque distinctiones et collationes integerrime retulissem.

Sed de tempore hujus apparatus hæc Baluzius pronuntiavit : « Venerat is Constan-« tinopolim a. DXLVII cum papa Vigilio patruo suo, a quo postea defecit sub initium « anni DXLIX. gradusque sui honore et ministerio dejectus est anno sequenti. Ante « vero dejectionem suam aggressus est emendationem gestorum synodi chalcedo-« nensis x kal. martias anni DXLIX, et eam absolvit anno sequenti, IV kal. aprilis, « annum integrum et aliquanto plus huic operi incumbens [3]. »

Etsi multa nimis negotia Rusticum ita distinere potuerint, ut vix uno anno hoc opus absolverit, ægre tamen adducor, dum singulas temporis notas ipsius manu sæpe scriptas collustro, ut credam tamdiu eum huic labori insudasse. Agedum, hanc chronotaxim relegere juvet, maxime e codice primo A, non omissis cæterorum varietatibus.

Concilii chalcedonensis actio prima in nomine DNI NRI JHU XPI cœpit emendari D. KL. MAR. X. IND. XII. (*al.* XI *cum cruce*).

Explicit prima cognitio. Finivimus emendantes et CONFFMA A PRID. A kal. XϚII FER. IIII. IND. XIII, XV. KAL. aprl. (*post act.* I).

Contuli die XV. KL. april. (*post act.* II).

Scripsi prid. KAL. april. fer. III. ind. XIII (*post act.* III).

Exemplar contuli die x kal. april. indict. XIII (*post act.* IV).

Incipit actio V. alleluia.

Cont. die kal. april. fer. IV. ind. XIIII (*post act.* VII).

Cont. die fer. VI kal. april. indictione XIII (*post act.* VIII).

Cont. gr. kal. april. in cod. acum. (*post act.* IX).

(1) *Exornant.* Nolui lectoribus invidere specimina quædam horum siglorum, quæ sub num. VI præfixæ tabellæ pingenda curavi. Cæterum eadem fere scholia simillimis distincta signis vidi nuper in cod. vatic. 1319. — (2) *Operam.* Vide ejus collect. Nov. Concil. p. 954-1372. — (3) *Incumbens.* Ib. p. 971.

Const. ς kal. april. ind. XIII *fr.* ς in acum. codice (*post act.* X).
Cont. d. altero a. kl. aprl. (*post act.* XI).
Cont. VI fr. ante pascha vicinissim. dat. kl. aprl. II. ind. XIII (*al.* CXIII, *post act.* XIII), et requievi ab opere perpetrato, complens, adjuvante Christi gratia, collationem sanctissimi concilii chalcedonensis.
Cont. die VI kl. aprl. ind. XIII (*post act.* XIV).
Cont. ad solum codice acum. quia non affuit alius græcus d. fr. V. kl. aprl. ind. XIII (*ad calcem*).

Hic vero quæ præcipua esse deberet temporis nota, indictio adeo variatur, quum deinceps habeatur XII aut XI, XIII, XIV, iterum XIII, mox CIII, ut vix tuto ibi pedem figere ausim. Quum autem immane videretur annum integrum in prima et una actione conferenda insumtum, et in cæteris tredecim tantum aliquot dies, satius mihi videtur, prætermisso indictionum calculo, ad unam seriem dierum totam exigere temporis computationem. Rursus, quum feriarum notæ vix inter se constare videantur, una saltem, cui præ cæteris lemma insignius affigitur, dubia tollet : feria nimirum sexta, quæ dicitur tum ante pascha vicinissima, tum universi clausula operis. His igitur diligenter expensis cum cl. amico æque in his rebus versante, J. B. de Rossi, cujus sententiam alibi dabo fusius expressam [1], unus nobis videtur annus Rustici notis apte respondere, scilicet a. 549, in quo paschalis festivitas incidit pridie nonas apriles.

Atqui hoc anno jam Verecundum exegisse sua ab iisdem codicibus excerpta jure videtur inferri ex eo quod semel et iterum disertis verbis a Rustico illa rescribuntur [2]. Neque jam ita unius Rustici esse putem quæcumque collegi scholia, maxime quæ ad lectionum meram ἀκρίβειαν pertinent, ut nonnulla jam in suis exemplaribus Verecundus marginis alleverit, quæ sua diligens diaconus fecerit. Codex enim montispessulanus, olim buherianus, potius peculiarem varietatum recensionem exhibet quam alterum Rustici scholiorum exemplar; hujus enim ibi raræ sunt notæ, immensæ vero veteris et gnari cujusdam collatoris animadversiones, quem tam Verecundum fuisse quam Rusticum suspicari licet.

Ultima demum est Verecundi opella, quam Duaci pariter una cum excerptis chalcedonensibus reperire mihi contigit [3]. A longo jam tempore præ oculis oberrabat initium, quod antea Hispani dederant, libelli de pœnitentia cujus prima verba sunt : *Quis mihi mœsta dabit,* etc. Sed quum haud solet unum ἑρμαῖον in via occurrere, in eodem codice præmittebatur carmen ejusdem tituli atque alterum Verecundi ab Isidoro non omissum : *De pœnitentia*, sive *Exhortatio pœnitendi*. Utrumque ejusdem esse nullum mihi reliquit dubium prioris clausula quæ aperto tramite ducit ad posteriorem :

Sequentia vero carmina, constructa lamentis,
Suspirando lectita, nonnumquam plorando decanta.

Et mox :

Quis mihi mœsta dabit lacrymosis imbribus ora, etc.

Quæ si lector legerit, primo sono musam agnoscet africanam, rudesque illas audiet rhythmorum hexametrorum camœnas, quæ jam, Commodiano paranympho, sedem et thalamum in Spicilegio habuere. Utinam aliquis pia et operosa manu col-

(1) *Expressam.* Vid. inter *addenda.*—(2) *Rescribuntur.* Cf. infra p. 183 et 212, inter plura. — (3) *Contigit.* Plus semel jam debueram debitas persolvere grates ornatissimo bibliothecæ duacenæ præfecto et cl. v. DU THILLOEUL, qui non semel me potius in grato suorum studiorum commercio et amicorum contubernio quam in publici musæi hospitio recepit.

ligat quæcumque a vetusto tempore in hanc obsoletam poetriam derivarunt! quantumvis enim hæc arida sit et salebrosa, inde multa perenni scaturigine certum est emanavisse, quæ hodiedum in recentiorum poematum alveo recepta ultro fuerunt.

Vix autem duos rhythmicos libellos Verecundi esse, Isidoro et codicibus hispanis fidem facientibus, concedetur, quin promta sententia statuatur illi abjudicandum esse quod in tomo nostro sequitur, CRISTADOS *liber de signis præcedentibus judicium*. Ut non eum omitterem omnino, unus fecit Arevalus, hæc scribendo de codice et poemate meo : « Auctor antiquus mihi videtur multis de causis; quos exponere « in aliud tempus differo. Conjicere autem licet auctorem esse Verecundum, afri« canum episcopum, quem duos modicos brevesque libellos carmine dactylico edi« disse... Isidorus testatur. Liber Verecundi de pœnitentia exstat Toleti in celebri « codice Azagræ, cujus si nactus fuero apographum, tutius de re tota judicium pro« ferre potero[1]. »

Judicet lector, nec a me quid statuendum sit exspectet. Spicas enim nostrum est legere, et in manipulos, ne pereant, ligare; aliorum vero sit granum e palea discutere, ab hordeo frumentum secernere, et in cibum vertere lautum et delicatum. Mollia certe, ut et cruda, in illo ultimo orbis fatiscentis epinicio non desunt, tamque variæ ac versipellis faciei auctor est, ut modo videatur esse V aut VI sæculi, modo vix XV, nec video quo jure inter alterutram periodum quisquam sistere queat.

Unde ab Helicone malim Byzantium properare et redire ad Verecundum, quem cum Vigilio vidimus adversus nequitiæ potestates viriliter colluctantem. Sunt lacrymæ rerum, quas fortasse noster, sub hac tempestate, in inconditos suos et lugubres rhythmos effuderit : idem quippe Isidorus sensit, quum scripsit eum edidisse libellum *de pœnitentia*, « in quo lamentabili carmine propria delicta deplorat. » Offendenti enim hominum turbas et partium tumultus perquam difficile est non semel et iterum lubricis hærere vestigiis.

Interea, ut vidimus, caute Verecundus aderat Vigilio altaria amplexanti. Sed neque tutum illi perfugium diu mansit sacrum illud SS. Apostolorum et S. Sergii martyris asylum, quæ fuit supra relatæ tragœdiæ palæstra. Crescentibus enim insidiis, ne cum egregio confessore Vigilio veritas et Ecclesia Dei in vincula conjiceretur, ita providit Deus, ut clam aufugiens pontifex trans mare quæsierit effugium in basilica Sanctæ Euphemiæ apud Chalcedonem. Ubi patrum chalcedonensium robore munitus, nihil penitus remisit apostolicæ auctoritatis; atque perinde ac si Romæ, in ipsa lateranensi basilica sive vaticana, summa pace consisteret, ibi cum suis circumstantibus episcopis degens, quæ essent Ecclesiæ libertatis et catholicæ fidei integritatis, tractare minime prætermisit[2]. Ex his autem strenuis commilitonibus, contubernio utentibus profugi pontificis, duo præcipua cum laude memorantur in epistola italici cleri, tunc temporis scripta : « Hoc videntes *alii duo, qui inter ipsos « et sanctitate vitæ et divinarum scripturarum scientia sunt ornati* ad Sanctam « Euphemiam Chalcedonem fugerunt, et ibi usque hodie sub tanta necessitate ja« cent, ut quum infirmitate corporis laborantes, nec medicum invenire merean« tur, pericula immensa sustineant[3]. » Vix autem dubitandum quin horum unus Primasius fuerit; Verecundum autem alterum esse negare non sinit breve Victoris tunonensis elogium jam laudatum; quo quidem titulo hæc omnis de vita Verecundi tela succidetur, quæ jam ab eodem ordiebatur : « Verecundus vero, inquit, ecclesiæ

(1) *Potero*. Proleg. ad Dracont. n. 73, p. 52; cf. n. 41-45, p. 33-39, ubi fusius describitur Azagræ codex, ejusque tota historia retexitur.—(2) *Prætermisit*. Baron. a. 551.—(3) *Sustineant*. Hard. conc. t. III, p. 48.

« juncensis episcopus, in defensione memoratorum perdurans capitulorum, Chalce-
« done urbe, ubi refugium fecerat in diversorio gloriosæ martyris Euphemiæ, de
« hac vita migravit ad Dominum. »

Credendum vero non prius obiisse infelicem episcopum quin læto saltem omine potuerit auspicari pacem Ecclesiæ, illamque videre subitam rerum conversionem qua tandem fortitudinis simul et prudentiæ suæ Vigilius præmia adeptus est. Quum enim ex una parte Menæ et Theodori publica pœna Occidentalium et Africanorum sibi reconciliaret animos, ex altera parte accessit quod imperator appensa de tribus Capitulis edicta tolli jussit, et ex sententia Vigilii, quæ fecerat abrogavit; tum etiam Theodorus cæsariensis, malorum omnium auctor, pœnitens tandem facti, libellum supplicem ipsi Vigilio papæ obtulit, quo et rectam fidem professus est et quatuor sacra concilia comprobavit; denique ipse etiam Menas constantinopolitanus, qui eamdem ob causam fuerat ad certum tempus communione privatus, similem libellum obtulit; quo in gratiam accepto, reddita est Ecclesiæ pax, et, quod idem pontifex postularat, cuncta in generali agitanda concilio reservata sunt.

I.

[illegible]

II.

[illegible]

III.

Explicuerunt quę ante gesta p̄missa sunt · NUNC INCIPIUNT GESTA prima concilii calchedonens · Rusticus ex latinis et grecis exemplum maxime acoemiti monasterio emdaui · CONCILII CALCHEDONENSIUM ACTIO PRIMA IN NOMINE DNI NRI IHU XPI CEPIT EMENDARI · D KL MAR · X · IND · XII

IV.

EXPLICIT PRIMA COGNITIO FINIUIMUS EMENDANTES & CONFERENTIA APUD · AKAL · X · III · FER · IIII · IND · XIII · XV KAL APRI [illegible] ROM CONTULI TAN NOTAUI DISTINCTI · DO GRATIAS.

V.

INCIPIT LIBER UERECUNDI PRESBRI [illegible]

CANTICO

Cantica quedam que in diuersis libris dispersa ad simi litudinem dauiticorum psalmorum esdras scriba legit

VI.

[illegible]

SPICILEGIUM
SOLESMENSE.

TOM. IV
PARS PRIOR.

MONUMENTA

ECCLESIÆ AFRICANÆ.

VERECUNDUS

JUNCENSIS EPISCOPUS.

(546-552)

COMMENTARIORUM SUPER CANTICA ECCLESIASTICA

LIBRI IX.

LIBER I.

ARGUMENTUM. — I. Interpres de Ecclesiæ canticis breviter præfatus, — II. Duos ait celebrari cantantium choros et triplicem Domini gloriam e dejecto spiritali Pharaone; tum quis sit equus et ascensor συμβολικῶς. — III. At Christus adjutor est, ille Deus Abraham, verus omnium pater; — IV. Idem et dux belli, hostiumque debellator, — V. Quos vel in baptismatis, vel in flammei stagni fluenta demergit. — VI. Sic enim ab initio corruerunt angeli nequitiæ. — VII. Sic turpius traducti per crucis trophæa, — VIII. Ex gentilium simulacrorum eversione, — IX. Et hæreticorum damnatione, palam profligantur.

INCIPIT LIBER VERECUNDI PRESBYTERI IN EXODI CANTICO [1].

I.

Cantica quædam, quæ in diversis libris dispersa, ad similitudinem Davidicorum psalmorum, Esdras scriba legis collegit, libroque psalmorum adjunxit [2], ut eodem sono cantuque psallantur, quo solent ipsi quoque psalmi cantari [3]. Ex quibus sunt: canticum Moysi [4], quod est in Exodo decantatum, quum Pharaonis exercitus deperisset [5]. Secundum est canticum [6] Numerorum, quod principes decantarunt, dum baculis puteum defodissent [7]: quod quidem propter brevitatem nimiam in ecclesiastica psalmodia cantari non solet. Tertium est Deuteronomii: *Attende, cœlum, et loquar* [8]. Quar-

Ex unico codice Vossiano bibliothecæ Lugduno Batavæ, sub his inscripto signis: *Ms. lat. Voss. F.* 58. Est sæc. IX aut VIII desinentis, de quo fusius antea.

(1) *Cantico.* Secunda cujusdam manus, sed vetusta, summo fol. margini præfixit minuto charactere: *verecūd pbr sup cantica.* Tum titulus noster prima manu, rusticis capitalibus, in quas insertæ breviores litteræ sunt, ut supra exprimitur, nisi quod notarius, quum primum scripsisset *in Exodo*, ipse nobis, ut legimus, correxit. — (2) *Adjunxit.* Hilarium Noster præ oculis habuit scribentem: « Esdras enim, ut antiquæ traditiones ferunt, incompositos [psalmos] et pro auctorum ac temporum diversitate dispersos, in volumen unum collegit et retulit. » *Præf. in Ps.* p. 6. Sed Esdram psalmis cantica quædam adjecisse, id sane ut primum hic asseritur, ita novum aut certe a paucis existimo traditum. — (3) *Cantari.* Vide quæ supra obiter de modo et consuetudine hymnos in ecclesiis africanis canendi, Verecundo duce, diximus. — (4) *Moysi.* Ita sæpissime veteres codd. Nostri quidem indoles sæpe notabitur; scriptura vero, minime sibi constans, non tanti facienda visa est quæ rescriberetur. — (5) *Deperisset.* Exod. XV. — (6) *Canticorum* cod. — (7) *Defodissent.* Numer. XXI, 17, 18. — (8) *Loquar.* Deuter. XXXII. Mox africana dictio *desecata.*

tum, Debboræ. Cætera autem quæ de prophetarum corpore desecata descendunt, usus ea cantandi instituit.

Cæterum, quot sint numero, cantica non demonstrantur, quia frequenter ab aliis alia vidimus decantari. Nunc vero canticum Exodi suscepimus explanandum.

II.

Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est[1] [Exod. xv, 1].

Scit profecto cui debeat propheta cantari, quoniam sunt plurimi qui non Domino, sed sæculo cantant. Pariterque secum alios exhortatur, dum non dicit singulariter : Cantem, sed *Cantemus*. Nam diversi diversis rebus cantant, sicuti quos increpat Isaias, quod cantent in conviviis suis, et citharam ac quiniriam tangant[2]? Alii vero canticum Sion super flumina concinunt Babylonis[3], qui se continentes ab illecebris mundi, fluminibus non commiscentur distensionis humanæ. Hi vero qui verba quidem Domini mente comportant, sed mundanorum actuum varietate divisi sunt, in fluminibus cantant.

Quod autem adjecit : *Gloriose enim honorificatus est*, tres Domini glorificationes ostendit : primam quidem, dum Pharaonem profundis abyssi demersisset; secundam, quando spiritalem Pharaonem crucis vexillo in sua Dominus passione suspendit; tertiam, quum eumdem Diabolum cum complicibus suis stagno ignis æterni damnaret. Et idcirco gloriose honoribus extolletur ab his qui diligunt eum, dum se punierit odientes, vel certe quum ignobiliter crucifixus, gloria resurrectionis est honoratus.

Equum et ascensorem projecit in mare. Hoc historice novimus esse in Pharaone completum. Nam spiritaliter omnis humani generis caro equus figuraliter prænotatur[4]. Sed hic equus aliquando Christum, Satanam aliquando comportat. Nam equus salutis est nuncupatus is qui colla Domino subjicit ascensori, dum obedientia divinæ obsequitur voluntati. Qui autem dæmonicis se subjicit blandimentis, ascensorem sibi sine dubio dæmonem supponit : de quo nunc dicitur : *Equum et ascensorem projecit in mare;* videlicet in distentione mobilium voluptatum. Iterum potest ad baptisma referri, in quo homines equi et spiritus ascensores pariter submerguntur : illi ut salutem, isti ut obtineant pœnam. In futuro quoque suppletur, quum ultima damnatione Diabolus peccatoribus consummatur[5].

III.

Adjutor et protector factus est ei in salutem [v. 2].

Adjutores ii esse dicuntur, qui nobis in quibusdam actibus sua obsequia largiuntur; protectores vero sunt, alios sua potentia defensantes. Sed multiplex est protectio in diversis : aliis protectio, Deus; aliis protectio mendacium fit, qui se falsitatibus contuentur, sicut Isaias[6] dicit : « Et posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus[7]. » Alii protectionem sui duritiam faciunt colli; quales increpat Job : « Quia cervix eorum proteget eos[8]. » Id est, superbia illorum munit eos. Dominus ergo Jesus Christus adjutor factus est nostri, quum ad nostram se infirmitatem declinans, humanas adjuvat mentes. Protector autem in salutem tunc demum fiet,

(1) *Honorificatus est.* Canticum illud partim legitur in missa romana, ad tractum sabbati sancti; itidem inseritur in breviar. mosarabicum « in lætatione diei Paschæ, » et ad calcem psalterii sorbonici, teste Sabaterio; ita et romani vetutissimi, editi a. 1593, et iterum 1663, curante B. Thomasio. —(2) *Tangant.* Is. v, 11, 12. Nota vocabulum *Quiniriam*, Cangio ignotum; cui tamen Carpenterius suggessit *Cinara* e glossario veteri, eodem sensu. Is vetus Isaiæ interpres forte respexit ad hebraicam ejusdem loci dictionem כִּנּוֹר, quæ apud LXX κιθάρα est. — (3) *Babylonis.* Ps. cxxxvi, 1. — (4) *Prænotatur.* Cf. Meliton. *Clav.* ix, n. 3, supra, t. iii, p. 6 sqq. — (5) *Consummatur.* Rursus paulo infra, n. v, judicium ultimum cum baptismo confert : unde effulget indicium satis tutum tam Verecundo quam Africæ ecclesiis infra Paschæ solemnia id canticum in usu fuisse. — (6) *Esaias* cod. plerumque, non constanter. — (7) *Sumus.* Is. xxviii, 15. — (8) *Eos.* An respectu ad Job xv, 26? Cæterum veterem italam

quum nos ab actibus sæculi liberarit, simulque cum sanctis remunerationi dederit sempiternæ.

Hic Deus meus, et honorificabo eum; Deus patris mei, et exaltabo eum.

Quem vos despicabilem hominem æstimatis, *hic* est *Deus meus*. Et idcirco articulari usus est verbo; dicens : *hic*, tamquam præsentem ostendit, quum utique Deus, nec videri oculo, nec ostendi digito possit, nisi Verbum caro factum, ut habitaret in nobis.

Et honorificabo eum. Honorificare dicitur honoribus afficere, id est, in honore Dei quippiam facere. Quum enim sanctis actibus occupamur, et ea quæ facimus pro Deo [1] facimus, honorificare dicimur Deum.

Deus patris mei, et exaltabo eum. Deum esse sui patris ostendit, ne quis deum sibi novum confingat; sicut hi [2] quos increpat sermo divinus : « Dii quos non noverant, novi, recentes, venerunt, quos nesciebant patres eorum [3]. » Quod autem ait : *Deus patris mei*, cur unius patris, et non trium patrum inserit mentionem, sicut dici solet : Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob? Hic enim Moyses patrem suum solum significat Abraham merito, quod ei primum Christi repromissio nascituri fuerit facta. Quod et Apostolus assectatur : « Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus [4]. » Quod etiam populus christianus id ipsum de Abraham recte dicit, quia, sicut Paulus ostendit, « Ipse est pater omnium nostrum [5]. » Tamen melius hoc de Christo accipimus, qui noster verus est pater.

Exaltabo eum : quod adjecit, differentiam faciens ab his qui humiliant eum, quia Deum tunc demum exaltamus, quum secundum quod dictum est, de eodem sentimus. Humiliant enim Deum hi qui differentias faciunt Trinitatis, qui etiam aliam dicunt Dei Filium creaturam.

IV.

Dominus conteret bella, Dominus nomen est illi [v. 3].

Tam corporalia quam spiritalia *Dominus conteret bella.* Bellorum quippe genera tria esse dicuntur : aut enim externa sunt, aut civilia, aut intestina. Externa sunt, quæ contra potestates ac mundi fortitudines gerimus. Civilia sunt, quæ contra homines, unius videlicet civitatis cives, confligimus, quum vel eorum injustitiis errorique non cedimus, vel passiones persequutionesque nobis illatas viriliter toleramus. Intestina vero sunt, quæ intra nos in nostris cordibus excitantur, tanto periculosiora, quanto secreta. Sed *Dominus conteret bella;* non ait Subvertet, aut Vincet, sed *Conteret;* quoniam ad pulverem atque ad nihilum deducentur. Liquide enim debent dominica verba cognosci, quia non est dictum : Dominus conteret bellatores, sed : ipsa conteret bella; spiritalia quippe in nobis spiritali motu bella consurgunt, et quum fuerint resecata, nos incolumes subsistemus : idcirco conteri ipsa bella dicuntur.

Dominus nomen est illi. Ostendit naturali nomine Dominum dici, non quia dominatur propriæ creaturæ : alioquin, priusquam fieret creatura, Domini vocabulum Fol. 3.
non habebat.

V.

Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare [v. 4].

Sexcentis enim curribus Pharao Dei populum fuerat persequutus : quos mari demersos tartarus sumsit. Spiritalis quoque nequitiæ currus debemus agnoscere illos, quos communis consilii jugo malitia subdit, quum videlicet plures homines uno malo conspirant. Sed et unus homo, quum ternis irretitur quaternisque delictis, currus esse diceretur : sicut ille intellectualis est equus, qui unius peccati commisso spiritalem sibi superposuit Pharaonem.

Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare. Exercitum ejus, vel homines intellige [6] ejus voluntatibus obedientes; vel certe prævaricatores angelos quos secum

versionem Africanis quum maxime solemnem toties a Verecundo allegari nemo non lætabitur. — (1) *Pio Deo* cod. — (2) *Hii* satis frequenter cod. — (3) *Eorum.* Deuter. XXXII, 17. — (4) *Ejus.* Galat. III, 16. — (5) *Nostrum.* Rom. IV, 16. — (6) *Intellege* cod. Sic alias *intellegentia*, *neglegere*, et cætera id genus.

attraxit. Nec non etiam nostrorum multitudinem significat peccatorum, quæ in mari dicitur mitti, quum ad undam baptismatis venerimus. Qui ternis quaternisque delictis vel ampliori numero prægravantur [1], ibi pariter cum omni cogitationum exercitu defraudantur. In secundo quoque Domini Salvatoris adventu, in mare stagni flammei princeps mundi cum suis potestatibus submergetur.

Electos ascensores, ternos statores demersit in Rubro mare [2]. Consuetudinem corporalis voluit certaminis demonstrare, ubi super currus plures ascendunt, et exinde catervis inimicorum obsistunt. Terni autem statores inesse monstrantur, qui cogitatione, verbo et facto semper assistunt; ut undelibet ex tribus unum nobis laqueum anteponant, quia triplex hominibus est peccandi facultas : cogitationibus, verbis et operibus compellimur ad delictum. Unde terni statores, quod in hac nobis triplici via spiritales hostes assistentes [es]se dicuntur. Nam nec hoc vacat, quod electi [3] et stantes significantius exprimuntur, quia sunt inter eos desidiosi spiritus, infirmi, atque etiam imbecilles, qui electi dici non possunt. Et iterum alii sunt sæviores, in crudelitatibus promti, ad insequendum violenti, ad terrendum feri, ad seducendum callidi, ad suggerendum dolosi, ad circumveniendum parati; qui etiam crudelium nominibus bestiarum consueverunt nuncupari : « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem [4]. » Et ab Apostolo nunc principatus, nunc fortitudines, nunc potestates, nunc simpliciter angeli nuncupantur. Statores autem pro eo quod stent parati, sagaces, nihilque in se, quantum pertinet ad malitiam, tarditatis habentes. Et ideo demersi sunt in profundum maris, quum undam baptismatis transiremus, et iniquitatum magnarum veniam caperemus. Nec non etiam posterius demergentur [5], quum æternis fuerint mancipati suppliciis. Merito ipse eos Dominus dicitur submersisse, quod ejus tantum sunt judicio condemnandi.

VI.

Pelago operuit eos; devenerunt in profundum, tamquam lapis [v. 5].

Hoc historice dicit, quod, sicut lapis in aquarum superficie positus, nulla levitate portatur, sed statim corruet in profundum, ita et hi deciderunt in profundum. Tropologice autem, peccatores angeli malignitatum pondere propriarum in cœnoso gurgite nequitiarum sæcularium corruerunt; unde lapidi propter offensionem duritiamque sunt impiam comparati, et offensioni tantum, non rationi parantur. Fortasse Joannes hoc in Apocalypsi descripsit, quum dicit vidisse se angelum catenam immensam manu tenentem, abyssi claustra pandentem, in qua mille annis diabolum colligavit [6]; quum Dominus ascendisset in cruce, et ille descendisset in ignem. Plenius tamen in revelatione nostri complebitur Salvatoris, quum pœnali fuerint supplicio ultionis perpetuæ condemnati.

VII.

Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute; dextera manus tuæ [7], *Domine, confregit inimicos* [v. 6].

Quis præsentem Domini gloriam non sensisset, quum uno transitu alios sine prœlio liberasset, alios sine gladio peremisset? *Glorificata est in virtute,* Israelem populum conservando. *Confregit inimicos,* Ægyptium conterendo : quod in nostro completum est Salvatore, quum ligno ac ferro, id est cruce clavisque, ab hominibus armaretur. His enim duobus generibus armorum prœlia consummantur, ut ex hoc illum bella suscipere paruisset, de quibus vincens Satanam, trophæa reportasset. Id ipsum Apostolus monstrans ait : « Exspolians principatus et

(1) *Prægravamur* cod. — (2) *Mare.* Egregia *ibique* veteris interpretis lectio, quam videsis apud Sabaterium *Bibl. S S. lat. vers. antiq.* t. I, p. 164. — (3) *Electos* in cod. — (4) *Draconem.* Ps. xc, 13. — (5) *Demerguntur* cod. — (6) *Colligavit.* Apoc. xx, 1. — (7) *Tuæ.* Ita et tres codd. Sabater.

potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semet ipso [1]. » Illa quoque nobis est glorificatio Salvatoris ostensa, dum resurgens a mortuis, æternam vitam [2] dextera suscepisset; sed et in posterum fiet, quum clarificatione postrema glorificaturus est sanctos, damnaturus est inimicos.

VIII.

Et in multitudine virtutis tuæ conteruisti [3] *adversarios; misisti iram tuam, et comedit eos sicut stipulam* [v. 7].

Multitudo virtutis ministri monstrantur angelicæ potestatis, quorum opera tyrannica Pharaonis demersa est multitudo. Dominus Jesus Christus hoc tunc demum fecit, quando, semota infirmitate corporis, divinam in dæmonibus potentiam demonstravit, ut eum fortissimum cognovissent, quem illuserant imbecillem. In diversitate quoque mirabilium variorum, quæ per suos est famulos operatus, gentilia comminuit simulacra, ut in multitudine virtutis suæ adversarios contrivisset. Hoc iterum potest ad hæreticos convenire et ad populos gentium infidarum; dum alios verbo, alios abditis evocationibus, alios terroribus, alios infirmitatibus, flagellis alios aut innumerosis inspirationibus trahit, ut multitudine virtutis propriæ conterat inimicos.

Misisti iram tuam, et comedit eos tamquam stipulam. Iram hic exsequutores angelos cognoscamus, qui sunt ultionem ab Ægyptiis consequuti; nec non spiritaliter a peccatoribus sumunt, qui merito stipulæ ac paleis comparantur, pro eo quod leves omni motu impulsi sunt vitiorum, vel quia stipulæ finis est ignis.

IX.

Et per spiritum iracundiæ tuæ divisa est aqua [v. 8]. Quem dixit iram, ipsum etiam iræ spiritum demonstravit, qui submersionibus populi durioris aquam divisit. Sed et hoc potest ad hæreticos declinari, qui spiritu vindictæ divinæ a charitate vel ab invicem segregantur. Nec non potest de populo christiano, quorum alteri ad dexteram, alteri segregantur ad lævam.

Gelaverunt tamquam murus aquæ; gelaverunt fluctus in medio mari.

Hoc ad munimen procedentis [4] populi prædicatur, quia, insufflante vento urente tota nocte, mare vertit in siccum. Id enim gelat quod ad liquidum prioris potest converti naturæ; unde aquæ gelare sunt dictæ, quæ, postea emollitæ, ægyptium in profundo populum receperunt. Mystice tamen murus intelligi possunt de quibus propheta dicit: « Quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate; die ac nocte circumdabit eam super muros ejus [5] [iniquitas]. » Fol. 5.

Assertores impiæ pravitatis gelati muri esse dicuntur, quoniam corde duro ac frigido asserunt universa: nunc adversus Deum apparent obstinati; nunc in concupiscentiis exsoluti, liquidi ac molles, per diversa discurrunt. Fluctus autem in mari medio congelantes, populi sunt in hujus vitæ dubio sæcularique incursu, schismatica pravitate durati.

Nec vacat quod ait: *In medio mari*, quia sunt qui non medium, sed terminum proximumque littoris locum attingunt [6]: hi videlicet qui, etsi perfidiam tenent, non tamen duriori corde defendunt.

(1) *Semet ipso.* Coloss. II, 15. — (2) *Æterna vita dexteram* cod. Sed nota in verbo sequenti peculiarem Verecundi loquelam; quam quidem, maxime quod ad usum conjunctionum *ut, si, nisi, quum, dum* attinet, tetigi in *Prolegom.*, ne sexcenta loca et quæ supersunt, in his notarum angustiis excutere cogerer. — (3) *Conteruisti.* Sic codex aperte, facili conjectura corrigendus: *conterruisti.* Verum quo rarius, eo illud retinendum accuratius esse, ipse nos monere ad h. l. Sabaterius videtur, qui ex uno codice eamdem varietatem sedulo notavit. — (4) *Præcedentis* cod. Quod erat emendandum. Hebræis enim per mare transeuntibus convenit, non autem populo christiano, de quo superius et proxime. Tum suspicio erat *munimen* esse pro *monimen* vel *monimentum*, a *monere.* Codicis tamen lectio ad *murum* recto tenore aptatur. — (5) *Ejus.* Ps. LIV, 10. — (6) *Attingant* cod., præter auctoris consuetudinem.

Argumentum. — X. Explosa allegorici Pharaonis superbia, — XI. Plumbique cum impietate exposita similitudine; — XII. Describuntur Salvatoris miracula, — XIII. Tum ipsius ab inimicis ultio, — XIV. Item ejusdem in suos misericordia; — XV. Sed et pia erga peccatores sævitia, — XVI, XVII. Minæ, mulctæ, judicia, — XVIII, XIX. Tunc demum qualia Deus diligentibus se præparaverit.

X.

Dixit inimicus : « Persequens comprehendam, partibor spolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea [v. 9]. »

Talis [1] quondam superbia Pharaonem ascivit; spolium sibi existimans Israelis, pariterque quod ab Ægyptiis acceperant, auferendum. Nunc autem intelligibilis ille Pharao [2], dum ecclesiis excitat tentamenta, sanctosque subvertere collaborat, et eos sibi existimat prædam, dicit : Percutiam christianos gladio persequentis; saturabo animam, ruinis gratulatus illorum; dominabitur manus mea in cædibus vastatorum. Hic est qui etiam in Isaia elato corde præsumit : « Dixit enim : In fortitudine manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi, et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum, et detraxi quasi potens in sublimi residentes. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum, et sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt, sic universam terram congregavi, et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret [3]. »

XI.

Misisti spiritum tuum, et operuit eos mare; devenerunt in profundum, tamquam plumbum in aqua validissima [v. 10].

Misso Domini spiritu, ægyptia turba marinis est aquis immersa. Sed quia nos ea in verbo Domini desideramus intelligi, quæ in nobis quoque complentur, melius hoc ad gentilem populum referemus, in quo missus est Dei Spiritus, et replevit eum scientiæ veritate. Unde propheta testatur : « Repleta est scientia Domini universa terra, sicut aquæ maris operientis [4]. »

Devenerunt in profundum, tamquam plumbum in aqua validissima. Intellectualis est profunditas carnalis conversatio, quæ diversis peccatorum fluctibus huc illucque vagatur. Hæc ergo animas in se submersas obruet [5], atque in profundum adducit; verbi gratia, invidia, improbitas, atrocitas, livor fluctus sunt malitiæ sæcularis : talia non præfocant mentem, nisi, divino in hominibus Spiritu concitato, justis eos suppliciis condemnaret. *Devenerunt in profundum, tamquam plumbum in aqua validissima.* Plumbo peccatores propterea comparantur [6], quia statim ut ignis vigorem acceperint, resolventur atque in suis caloribus contabescunt. Pondere quippe natura metallum hoc prægravatur (sicut iniquitatis quoque), quia grave, dum non revolat in supernis, sed demergitur in profundis. Plumbi materies, dum subter accipit flammam, non eliquatur, si tamen humoris aliquantulum habeat. Attamen, si desuper acceperit flammam, indifficultius [7] eliquatur. Cui impii merito comparantur, qui humorem terrenæ labis habentes, ignemque concupiscentiæ naturalis subter se, hoc est in abdito, retinentes, non eliquantur, ut molles ac tractabiles moribus fiant; sed quum eis desuper con- Fol.
demnationum ignis exarserit, tunc demum contabescunt, ut plumbei esse noscantur. Propterea in Zacharia, « Iniquitas super massam plumbi sedere [8] » dicitur, ut igne liquetur.

(1) *Talia* forte melius. — (2) *Farao* non semel cod. — (3) *Ganniret*. Is. x, 14, 15, plane juxta Vulg. — (4) *Operientis*. Is. xi, 9. — (5) *Obruet*. Auctori placet futurum cum sequenti indicativo junctum. Vide paulo post similia, et recole quæ præfati sumus de singulari Verecundiana syntaxi. — (6) *Comparantur*. Cf. Meliton. c. vi, 15, t. I, p. 291. — (7) *Indifficultius*. Notum sæc. ix, *indifficulter*, teste Cangio. Inauditum vero hactenus, nisi fallor, comparativi exemplum. — (8) *Sedere*. Zachar. v, 8.

XII.

Quis similis tibi in diis, Domine, quis similis tibi, gloriosus in sanctis, mirabilis in majestatibus, faciens prodigia [v. 12]?

Deos, angelos posuit supernasque virtutes, in quibus Domino nemo umquam poterit comparari. Nam et de Domino intelligitur Salvatore, qui Deus quum esset, factus est homo, et deos sibi, id est apostolos, quosdam elegit; quibus gratia licet major fuerit attributa, non tamen possunt suo Domino comparari, quia ille a se quod habebat, accepit; hi autem ab illo quod acceperunt, dono sunt consequuti. Iteratio facta, *Quis similis tibi*, ostendit nullum ei posse componi, qui super omnes est Deus. Quod cum admiratione pronuntiandum est: *Gloriosus in sanctis, mirabilis in majestatibus;* aut quod eum glorificent sancti, aut quod sanctos ipse collatis glorificet donis, videlicet in eo quod conferet[1], glorificet semet ipsum. Quod autem ait : *Mirabilis in majestatibus*, quamvis una majestas sit creaturarum conditrix omnium, attamen secundum mensuram sibi collatam, et angelicæ potestates, non irrationabiliter creduntur habere majestates; in quibus majestatibus Dominus mirabilis appellatur. Ideo dictum est : « Veniet Filius hominis in majestate sua et angelorum Dei[2]. »

Faciens prodigia. Priusquam hominem Salvator acciperet noster, occultus adhuc, prodigia operatus est multa in persequutionibus Ægypti, in ostensionibus eremi, in terroribus populi. Sed et assumto corpore, quum resuscitationes faceret mortuorum, integritatem redderet fœtidorum, sanitates perficeret infirmorum, vento, mari ac fluctibus imperasset, quis eum prodigia non sentiat operatum?

XIII.

Extendisti dexteram tuam, et devoravit eos terra [v. 12]. Melius hoc de Domino cognoscimus Jesu Christo, cujus dextera crucis est extensa patibulo, et terra crucifixores ejus absorbuit, vel certe terrenis sunt cupiditatibus deglutiti; quia principum sacerdotum hæc sententia fuit : « Nisi occiderimus eum, venient Romani, et tollent terram nostram et gentem[3]. » Quum ergo nolunt perdere terram terra sunt devorati.

XIV.

Gubernasti justitia tua populum tuum hunc quem liberasti [v. 13].

Dispensatione Domini reservatum israeliticum populum Scriptura sacra declarat. Figuralis Ægyptus quæ fuerat servitus idolorum, quondam nos oppresserat captivatos. Justitia tamen Domini miserentis, percusso principe Pharaone, ejus sumus mancipio liberati. Nunc ergo populum christianum, quem christiana libertate ditasti, pietate ac justitia custodisti.

Exhortatus es virtute tua, in refectione sancta tua. Hoc est, quum nos diversis reficis adjutoriis, exhortaris nos ad sequendum Patri. Hæc dicuntur sive *in virtute* sua, in Christo scilicet suo, qui secundum Apostolum dicitur Dei virtus et Dei sapientia[4]. In hac virtute Pater nos exhortatus est *in refectione;* qua nos lassos ille refecit qui suis humeris ovem erraticam reportavit. Recte itaque refectio sancta est, qua nos ille refecit, qui carne ac suo sanguine nos saturavit.

XV.

Audierunt gentes, et iratæ sunt; dolores apprehenderunt habitantes Philisthiim [v. 14]. Gentes illæ quæ persequutionem faciebant Ecclesiæ primitivæ, audierunt Dominum conregnasse : et indignatæ regnum ei surripere voluerunt. Unde enim Herodes tantos parvulos interfecit; martyrumque cruor, ubique diffusus, iram gentium protestatur quæ super se Christum regnare noluerunt. *Dolores apprehenderunt* Fol. 7.

(1) *Conferet* an pro *confert*, ut alias imperativum *confere?* Sed amat, ut dixi, futurum, præsenti subsequente. — (2) *Dei.* Luc. IX, 26. — (3) *Gentem.* Joan. XI, 48. — (4) *Sapientia.* I Cor. I, 24.

habitantes Philisthiim. Philisthiim Cadentes poculo [1] interpretantur. Cadentes poculo illi sunt qui ebrii sunt, et non a vino. Ira inebriat mentem; luxuria, libido, cupiditas, et quæcumque sunt similia saturant mentem. Qui tali poculo saturantur, hi Philisthiim esse dicuntur.

XVI.

Tunc festinaverunt duces Edom et principes Moabitarum, apprehendit eos tremor [v. 15]. Edom Sanguineus dicitur atque Terrenus. Duces sanguinei atque terreni, hæretici scilicet et sacerdotes, qui solent sanguinem fundere pereuntium animarum, terrenique sunt ac terrena sapiunt. Festinant et in suis pravitatibus currunt, sed timore Domini feriuntur, quum eis manus ejus in judicio fuerit revelata [2]. Moab Ex patre dicitur. Hi extra patrem esse noscuntur qui præceptum Dei patris omittunt, suamque voluntatem ut libitum fuerit, consequuntur. « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui reliquistis mandata Dei, servantes doctrinas hominum [3]. »

Tabuerunt omnes inhabitantes Chanaan. Chanaan Mobilis sive Liquidus interpretatur. Liquidi sunt qui in peccatis ac frequenti lapsu labuntur, mobilitatemque consilii variantis intendunt. Ipsi Chanaan habitare, non peregrinari dicuntur, qui tabescunt, quando malis operibus delectantur, confusionisque suæ opprobrium sumunt. *Quum Dei viderent* [4] *populum pertransire,* scilicet de terrestribus ad æterna, vel certe [5] qui talibus incubant vitiis, suorum delictorum ignibus contabescunt.

XVII.

Decidat super eos timor et tremor magnitudinis brachii tui [v. 16], ut vel ad pœnitentiam convertantur, vel certe Domini potentia in novissimo revelata terroribus quatiantur. Quod autem ait *magnitudinis brachii tui*, brachium Patris Filius esse cognoscitur [6], cujus magnitudo totas terruit gentes, ut fidei gratiam humiliter percepissent.

Fiant tamquam lapis, donec transeat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus, hunc quem liberasti. Obduratis mentibus incumbent, mundo terrestria cupientes, donec te diligentes fragilem transeant vitam, populusque carnalibus vinculis absolutus, tibi cohæreat Salvatori. Quis hanc sententiam mente pertractans, non statim impleri cognoscit? quod, pluribus sua desideria in cœlum dirigentibus, alios [7] obduratos atque cæcatos nihil hujusmodi cogitare, ut vere lapidei facti, sensum non capiant sanitatis.

XVIII.

Induc et planta eos in montem hæreditatis tuæ; in præparata habitatione tua quam præparasti, Domine, sanctuarium tuum, Domine, quod præparaverunt manus tuæ [v. 17]. Montem hæreditatis Dominicæ Christi Ecclesiam dicit, in qua animarum plantaria, ab idolorum cultu præcisa, Domini manibus inseruntur. Ideo induci dicuntur, pro eo quod pastor gregem proprium antecedat, ut ipse nos fideles in suis ovilibus intromittat. Hoc etiam Dominus Christus in Evangelium protestatur: « Quia omnis plantaria quam Pater meus non plantavit, eradicabitur [8]. » Beatior autem illa est arbuscula, quam Jesus in horto conserit Patris! Montem vero quem superius dixit, eumdem præparatum habitaculum, sanctuariumque, Dei manibus significat præparatum: mons dicitur, quod in cœlestibus crementetur [9]; habitaculum, quod ibidem immortaliter maneamus; sanctuarium, quia post maculas naturalium delictorum, purificationum exinde veniam consequemur

(1) *Poculo.* Ex Hieron. — (2) *Revelatum* cod. — (3) *Hominum.* Matth. xxiii, 23; xv, 9. — (4) *Dividerint* cod. — (5) *Vel certe, an certe,* non eodem sensu usurpat auctor, posterius enim illi est cum aliqua dubitatione. Sed de his alias dixi. — (6) *Cognoscatur.* Melit. *Clav.* i, 10; t. ii, p. 8. — (7) *Alii* recto casu exspectabatur. — (8) *Eradicabitur.* Matth. xv, 13. — (9) *Crementetur.* Et hoc adde Cangianis.

sanciri, quæ Deo Patri meremur. *Quod præ-*
1. 8. *paraverunt manus tuæ.* Manus Domini prophetas, apostolos, martyresque cognosce [1], per quos Deus operatus est plura, ut Ecclesiæ suæ potentiam sublimaret.

XIX.

Domine, qui regnas in æternum et in sæculum et adhuc [v. 18].

Æternum [et] sæculum et adhuc! Immortalis vitæ immensitatem propheta non potuit explicare : propterea æterno sæculum junxit [2]; quamvis post æternum non possit aliquid superesse, tamen illi sæculum copulavit. Et post sæculum spatium quoddam adjecit, dicendo *adhuc*, quod nullo potest fine concludi.

XX.

Quia introivit equitatus Pharaonis cum quadrigis et ascensoribus in mare, et induxit super eos Dominus aquas maris [v. 19].

Consummatione terminum demonstravit, quum spiritalis exercitus Pharaonis ultimæ pœnæ excipiet capitale, ibique currus equitesque quos meminit, supra stagni vorantis alveo reconduntur, Domino justis eos judiciis damnaturo.

Filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio mari, transeuntibus in se credentibus in hac vastitate [3]. Jesus omnipotens aridam nobis præparat [4] viam, quo [5] vestigiis animarum firmiter fixis, nullorum fluctuum mole premamur aut mobilitate jactemur, sed ejus auxilio liberemur, qui Petrum profundum calcantem auxilio dexteræ sublevavit!

EXPLICIT EXPOSITIO CANTICI EXODI.

VERECUNDI

LIBER II.

ARGUMENTUM. — I. Cantici *Magni,* ut dicitur, interpres cœlum et terram ait in eo appellari multiplici sensu, — II. Multisque modis enuntiari Dei Verbum, — III. Nomen et magnitudinem. — IV. Tum divina describit opera, judicia, vias. — V. Dein, exprobrata Judæorum perversitate, — VI. De sacris agit Dei nominibus, Patris simul et Matris, Custodisque et Domini. — VII. Inde excurrit in succedaneas hominum ætates. — VIII. Denique obiter de angelorum nationibus et præsidiis satis præclare disputat.

INCIPIT [CANTICUM] DEUTERONOMII.

I.

Deuteronomium [7] (quod secunda lex appellatur : *Deuteros* quippe Secunda, *Nomos* Lex dicitur apud Græcos) canticum habet, quo Moyses, ultimo sui temporis fine, postquam populum servare ceremonias erudivit, cœlum ac terram in testimonium invocavit.

Attende, cœlum, et loquar, et audiat terra verba ex ore meo [XXXII, 1]. Quum populum Moyses aspiceret duricordem, nec divinis obedire mandatis, irrationabilia protestatus est elementa, ut rationalis homo, si mandatis cœlestibus non obedisset, elementis convincentibus damnaretur. *Attende, cœlum, et loquar, et audiat terra verba ex ore meo.* Cœlum spiritale [8] posuit sanctos, in quorum cordibus Deus, tamquam in habitaculo proprio, commoratur; et idcirco illis *attende* dicitur, pro eo quod purificato mentis obtutu ostensa sibi mysteria videre

(1) *Cognosce.* Recole Melitoniana l. 1. t. II, p. 8, 31, 230.—(2) *Propter æternos sæculum junxit* cod. mendose. — (3) *Vastitate.* Nescio quid illic forte exciderit. — (4) *Præparet* malim. — (5) *Quo.* A codice non discedimus. — (7) *Deuteronomium.* Codex hic et infra scribit : *Deutheronomium, Deutheros.* Absque re notare non est hoc canticum similiter haberi in psalterio corbeien I VII sæc., in psalterio laudunensi pervetusto, in psalterio sorbonico, etc.; sed et in breviario mozarabico ad dom. I Advent. et ad fer. VI post oct. Epiphan. Denique in psalt. rom. cura B. Thomasii edito. — (8) *Spiritales* cod. male, ut reor.

mereantur; non enim possumus verba Moysaica contemplari, et quæ loquitur spiritaliter intueri, nisi cœlum[1] fuerimus effecti, et intra nos celare cœperimus sacramenta divina, ut eloquio Davidico congruamus: « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi[2]. » Cœlum enim dictum est a Celando, vel quod intra se celet occulta; vel quod sit stellarum diversitatibus picturatum, id est Cælatum, quia cælare dicitur sculpere[3].

Audiat terra verba ex ore meo. Terra animales carnalesque sunt homines qui audire tantum Moysen, id est, divinæ legis sermonem possunt, non tamen pervidere. Idcirco terræ dicitur: *audi;* cœlo autem: *attende;* ut sanctus proprie videat, carnalis autem audiat quæ dicuntur. Tropologice[4], cœlum angelos ponit, qui Verbum illud bonum quod Pater eructavit, videre commerentur. Homines autem, terræ limo formati, audire potius secundum hominem potuerunt Salvatorem, quam occultam in homine videre majestatem. Nec moveat quod verba pluraliter, et non singulariter appellaverit Verbum, quum per eumdem Filium omnia quæ
Fol. 9.a loquitur, Pater proferat verba: « Inclinate, inquit, aurem vestram in verba oris mei[5]. » Spiritaliter, alius quærendus est sensus. *Attende, cœlum, et loquar,* Ecclesiæ dicit. Et *audiat terra verba ex ore meo*, Synagogam terræ vocabulo significat Judæorum.

II.

Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea [v, 2].

Ex persona Patris agnoscitur, cujus Eloquium novissimis est temporibus exspectatum, quia « Verbum caro factum est et habitavit in nobis[6]: » pluviæ comparatum, pro eo quod de nube intelligibili Maria matre descendens, terræ nostri corporis sociatus, sanctis nos prædicationibus, tamquam pluviis, irrigavit. Unde David: « Et descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram[7]. » Vellus, humanam carnem; terram vero, stillicidiis infusam, Ecclesiæ multitudinem prævidebat.

Et descendant sicut ros verba mea. Ros[8] consumtas reficit herbas; et quæcumque pastu jumentorum pertulerint detrimenta, ejus refrigerio recompensant. Non aliter evangelica verba vexationes solidant animarum; quas intellectuales pecudes, sine dubio dæmones, malis suasionibus devorarent[9]. Unde recte ait *descendant,* quia nobis divina verba cœlitus ministrantur sicut imber super gramen, et sicut nix super fenum. Imbribus gramina nutriuntur, nivibus fenum. Quibus coaptatus evangelicus sermo confovet animas et nutrit; qui nunc pluviis [ob] terram scilicet saturandam, nunc nivibus propter puritatis candorem nitidæque intelligentiæ minutias comparatur, nunc ignibus similatur, calore suo vitia decoquendo, lumenque interius sensibus exhibendo, Jeremia dicente: « Et factus est sermo tuus in gaudium et in lætitiam cordis mei, et quasi ignis æstuans divisusque in ossibus meis[10]. » Et iterum: « Ecce dabo verbum meum in ore tuo ignem, et populum istum stipulam[11], » quod sancti Spiritus plena descensio linguis est flammeis exæquata; ut splendidus calor per apostolos ægyptias stipulas quas israelitici populi congregabant, leviori succenderet spiritu charitatis. Nonnumquam mallei vocabulo nuncupatur, sicut memoratus propheta testatur: « Ecce sermo Domini sicut malleus conterens petras[12], » nimirum duricordes, quos ictu frequenti confrangit atque in pulverem demolitur. Sic itaque fit ut verbum Dei multis similitudinibus comparetur, dum uniuscujusque rei efficientias imitatur. Feno gramineque significari populum Isaias ait: « Vere fenum est populus; exsiccatum est fenum, et cecidit flos[13]. » Idem quoque

(1) *Celum* debuit scribere Verecundus. — (2) *Tibi.* Ps. CXVIII, 11. — (3) *Sculpere.* Nugas id genus habet Isidor. *Etymol.* — (4) *Tropholoice* cod. Cæterum huc spectant plura Meliton. l. l. t. I, p. 50, 120. — (5) *Mei.* Ps. LXXVII, 1. — (6) *Nobis.* Joann. I, 14. — (7) *Terram.* Ps. LXXI, 6. — (8) *Ros.* De rore et pluvia non omittendus Melito l. l. t. I, p. 86, 90; et alia hujusmodi in t. III, p. 405, 451, 482. — (9) *Devorarunt* corr. rec. in cod. — (10) *Meis.* Jerem. XX, 9. — (11) *Stipulam.* Ib. V, 14. — (12) *Petras.* Ib. XXIII, 29. — (13) *Flos.* Is. XL, 7.

alibi ait : « Facti sunt homines sicut herba tectorum, et sicut gramina quæ non maturescunt [1]. »

III.

Quia nomen Domini invocabo [v, 3]. Differentiam monstrat quod illius possunt verba sicut pluvia nivesque descendere, qui Dominici fuerit nominis invocator. Quid autem sit nomen Domini invocare, quove tempore debeat invocari, Davidici declarant psalmi : « In tribulatione mea invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine [2]. » Tunc enim humilis animus quod rogat, impetrat ; et Deus non abjicit postulantem. Invocare autem est Dominum, nulli alii nisi Domino famulari, sicut propheta demonstrat : « Domine, præter te alium non novimus : nomen tuum invocabimus [3]. » Ergo invocare Deum est in se vocare ; ut habitaculum ejus fieri mereatur.

Date magnitudinem Domino Deo nostro. Cur hortatur propheta Domino Deo magnitudinem dari, quum magnitudinis ejus non sit finis, et ei nihil possit augeri, tamquam quod habuerit diminutum ? Sed hoc est dare magnitudinem Deo, magnificare per omnia Creatorem ; non magnum faciendo, sed magnum intelligendo. Sicut Josue Acham filio Carmi dixit : « Fili mi, da gloriam Deo [4]. » Sine dubio, glorifica Deum. Hoc populis gentilibus dicit, qui, paganitatis errore delusi, deos sibi magnos alios atque alios confingebant. Quos Moyses prohibens, Dominumque nostrum docens esse magnificum, protestatur : *Date magnitudinem Domino Deo nostro*. Itidem potest hæreticis convenire, qui magnitudinem Dei Filio subtrahentes, minorem eum infirmumque prædicant. *Date* itaque *magnitudinem* Domino *Deo nostro*. « Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non erit finis [5]. » Date ergo, non aliquid addendo, sed fide credendo.

IV.

Deus, vera opera ejus, et omnes viæ ejus judicia [v. 4]. Veritatis auctor est Deus, et veritas ipse est Deus, et universa in veritate firmavit, et omnes viæ ejus judicia. *Viæ*, consilia occultasque dispositiones agnosce, quæ judicio, mensura, pondereque consistunt. *Deus, vera opera ejus, et omnes viæ ejus judicia.* Quum Salvator in pluribus miracula consummaret, et imitatores malivoli non defuerunt, qui veram virtutem sequi falsis illusionibus niterentur; sicut Simon magus ejusque auctor phantasticas sanitates quibusdam ignorantibus [6] visus est demonstrare, sed non sunt ejus opera vera. Quoniam verus Deus veris operibus operatur; falsus autem falsa committit.

Et omnes viæ ejus judicia, vel quod justis judiciis cuncta gessisset, vel quod ejus omnes sententiæ futura judicia minitentur. Opera Dei alia sunt vera, alia sunt mirabilia, sicut dicit Scriptura : « Mirabilia opera tua, et anima mea novit nimis [7]. » Quæ considerans alius dicit : « Consideravi opera tua, Deus, et expavi [8]. » Et alia sunt quæ possunt intelligi; alia quæ non queunt apprehendi, de quibus Salomon : « Sicut in ventre prægnantis non invenies ossum [9], ita opera Dei non intelligis universa [10]. » Quod sic secundum spiritalem intelligentiam currit : sicut in anima prægnati [11] fide non investigas Christum, quia non potest in conscientia pervideri, ita neque ejus dispensationem, quibus universa ponderantur, agnoscere prævalebis. Omnia tamen quæ vel revelata videmus, vel occulta sentimus, vel amplius abdita penitusque ignoramus, vera sunt ac mirabilia, nostram tamen fugientia parvitatem.

Et omnes viæ ejus judicia. Viæ Domini multæ sunt, quas tamen David e duabus, tamquam radicibus, dixit emitti : « Universæ viæ Domini, misericordia et veritas [12]. »

(1) *Maturescunt.* Is. XXXVII, 27. — (2) *Latitudine.* Ps. CXVII, 5. — (3) *Invocabimus.* Ps. LXXIX, 19. — (4) *Deo.* Jos. VII, 19. — (5) *Finis.* Ps. CXLIV, 3. — (6) *Ignorantes* cod. — (7) *Nimis.* Ps. CXXXVIII, 14. — (8) *Expavi.* Habac. III, 2. — (9) *Ossum.* Apud Tertull. Carm. adv. Marc. II, 196 : « De Christi nova carne caro, deque ossibus *ossum.* » — (10) *Universa* Eccle. XI, 5. — (11) *Prægnantis* legesis. — (12) *Veritas.* Ps. XXIV, 10.

Nam via [1] dicitur mandatorum : « Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatares cor meum [2]. » Itidem : « In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis [3]. » De justificationum : « Viam justificationum tuarum fac ut intelligam, et exercebor in mirabilibus tuis [4]. » Lex quoque ipsa via est : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini [5]. » Quam legem cur dederit, David propheta testatur : « Propter hoc legem dabit delinquentibus in via [6]. » Offensis consulens nostris, quibus in hujus sæculi via frequentius colligamur, viam nobis contulit legis vel per sanctos corporaliter factæ, vel naturabiliter mentibus attributæ.

Deus fidelis, et non est iniquitas in eo. Non ita fidelis dicitur Deus, sicut homo fidelis est, qui participatione fidei fidelis ostendi-
Fol. 11. tur; sed ille verus fidelis, qui fidei totius est fons; idcirco fidelis est appellatus, quod promissionum suarum exhibeat sponsionem. « Fidelis enim Dominus in verbis suis [7]. » Nam sicut justus dicitur propter damnationem malorum, retributionemque bonorum, ita misericors propter adjutorium infirmorum, nec non etiam miserator propter veniam delictorum : fidelisque propter exhibitionem dicitur promissorum.

Et non est iniquitas in eo. Hujus quæstionis Apostolus tractatum sequutus est latiorem : « Quid dicemus? Iniquitas apud Deum? absit [8]. Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax [9]. » Æquitati iniquitas non concurrit, neque potest veritati mendacium commisceri. Quod si nobis quædam videantur incongrue dispensari, nos potius [10] quæ fiunt non sequimur intellectu : attamen ille juste misericorditerque omnia moderatur. Mystice de Christo dicta noscuntur, quem Judæi falsum iniquumque putantes, crucis suspendio necaverunt [11]. De quo Propheta : « Deus fidelis, et non est iniquitas in eo, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus in ore ejus [12]. » Nam et homines dicti sunt dii : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes [13]. » Sed nemo se ex illis ab iniquitate poterit excusare, quum nemo de genitis est, qui non impie gessit. Ille tantum genitus [14], qui fidelis est, *et non est iniquitas in eo.*

V.

Peccaverunt : nonne hi filii immaculati [15] [v. 5]? Inter Dei filios reputati, atque ab eodem de toto mundo peculiariter congregati, *peccaverunt*, qui quondam immaculati fuerant, priusquam maculas contraxissent. Quo [16] populus Israeliticus increpatur : *Peccaverunt*, Dei Filium pernegando. Christianis rursus hoc dicitur, qui gratiam baptismatis consequuti et in hoc immaculati effecti, vitiorum sunt fragilitatibus obvoluti. Hæreticis quoque sententia ista concurrit, qui et filii et immaculati fuerunt, priusquam scissæ charitatis macula peccavissent. Itaque si filii immaculati peccant, quid nos polluti fatemur? Hæc exprobratio, ut mihi videtur, maxime illis concurrit, qui ficta nunc sanctitate videntur hominibus esse quod non sunt. Quum vero Deus revelaverit abscondita tenebrarum, et manifestaverit occulta cordium, tunc demum hi qui eos in sæculo putaverant sanctos fuisse, seque fortasse abjectos, dicturi sunt, *Peccaverunt : nonne hi filii immaculati?*

Progenies prava et perversa, hæc Domino retribuisti [v. 6]? Prava, quia recto itinere ad Deum noluit ambulare; perversa, quæ pro Deo idolis deservivit. *Hæc Domino retribuisti?* cum increpatione legendum. Tribuere est primum beneficia collargiri : retribuere est vicissitudinem impensi beneficii compensare. Tanta tibi ac talia Domino tribuenti hæc, pessima et mala pro-

(1) *Viam* cod. — (2) *Meum.* Ps. CXVIII, 32. — (3) *Divitiis.* Ib. 14. — (4) *Tuis.* Ib. 27. — (5) *Domini.* Ib. 1. — (6) *Via.* Ps. XXIV, 8. Adde Melit. *Clav.* t. II, p. 15, 31, etc. — (7) *Suis.* Ps. CXLIV, 13. — (8) *Absit.* Rom. IX, 14. — (9) *Mendax.* Rom. III, 4, — (10) *Non potius* cod. : forte *nonne potius.* — (11) *Negaverunt* cod. — (12) *Ejus.* Is. LIII, 9. — (13) *Omnes.* Ps. LXXXI, 6. — (14) *Ingenitus* forte. — (15) *Immaculati.* Notanda sane versionis insolentia. Vulg. *Non filii ejus in sordibus.* — (16) *Quod* in cod.

genies, reddidisti, ut eo relicto diis gentium serviretis? Stephanus martyr Judæis in contentionem collectis increpat, quod superbo semper spiritu et duris cervicibus Domino restitissent, Remphæ stellisque sacrificantes, non Creatori [1]. Itidem ad Christum intellectus iste recurrit : quem venientem de cœlo ad ruinam humani generis sarciendam, prava et perversa generatio crucifixit. Pseudo quoque christianos impulsat, qui propriæ redemtionis immemores, fidem, veniam delictorum, beatitudinem futurorum, scientiamque veritatis sequuti, vitia pro virtutibus offerunt Deo, et bono contumeliam fa-
12. ciunt largitori. Quod etiam potest hæreticis convenire, qui pacem a Christo perceptam scissionis corruptione [2] fœdarunt.

VI.

Sic populus stultus et non sapiens. Fecit, subaudi. Stulti sanctis litteris ostenduntur terrenis distentionibus occupati, horrea destruentes angusta, et domicilia in diffusione latissima construentes, fructus fructibus augmentantes. Merito evangelicus dives qui sibi hanc spem vanissimam promittebat, exprobratus audivit : « Stulte, hac nocte reposcunt a te animam tuam; quæ præparasti cujus erunt [3]? » Nabal Carmelus, copiosus ac dives, sibi suisque convivium parans, sed David per suos famulos nihil impertiens postulanti, stultus est demonstratus [4] : et stultitia ejus manente cum eo, cœlesti percussus est ultione.

Nonne hic ipse est tuus pater, qui possedit te et fecit te [*et creavit te*], ait propheta? quod sic intelligitur : pater per gratiam possedit in præscientia, fecit in plasmate, creavit in redemtione. Uni populo loquitur, et propterea, *tuus pater*, ait; quia, licet multi sint qui verbo Domini generantur, unam tamen, charitate nectente, faciunt massam; et unum corpus, membrorum multitudine distributa, formantur. Patres aut natura aut adoptione consistunt. Natura, qui de propria substantia filios diligunt; adoptione, qui alienos, interveniente dilectu [5], sibi juris civilis observatione conjungunt. Verus ergo Filius Dei Patris solus est Dominus Jesus Christus. Nos vero licet filii dicamur, ejus munere compellati, non tamen possumus nos nisi per gratiam spiritaliter genitos affirmare.

Ingratis ergo filiis atque etiam indevotis qui suum nolunt cognoscere genitorem, increpat sermo divinus : *Nonne hic ipse est tuus pater, qui possedit te et fecit te et creavit te?* Possidemur a Christo, dum ejus sumus subditi voluntati. Facit nos, dum spiritali nativitate a carnali materia transmutamur; sicut ipse primus homo non ex nihilo, sicut elementa, factus est, sed de terræ pulvere conformatus. Creamur vero transformatione virtutum. Deus aliquando dicitur pater, nonnumquam mater, interdum custos, sæpe dominus. Pater est perficiens [6] te, erudiens atque comportans : « Ecce ego tuli te in omni via qua ambulasti; sicut pater tollit parvulum suum, et erudit eum [7]. » Mater, quum propensioris affectu dulcedinis parvulos nutrit, inertes comportat, et occulto quodam miserationis utero per pietatem [8] conceptos ad maturitatem perducit. Unde Dominus per Jeremiam ait : « Ego feci, ego portavi, ego genui, ego servabo [9]. » Custos, quum nos servat a malis, induit bonis, quia « non dormitavit, neque obdormiet qui custodit Israel [10]. » Dominus, cum potestatis suæ moderamine, sicut ei libitum est, ordinat universos.

VII.

Memoramini dies antiquos sæculi [v. 7].

Quos in paradiso, priusquam pelleretur Adam, tenebamus. Nonnulli, licet hæretice, sic tamen hunc asserunt locum, ut dies antiquos intelligant æternos atque cœlestes, de quibus animæ sunt ad inferiora quasi projectæ; quos nunc obliviscuntur, cæcati peccato [11]. Unde dictum est : *Memoramini dies antiquos sæculi.* Melius hoc dicimus

(1) *Creatori.* Act. VII, 43.—(2) *Corruptionis* cod.—(3) *Erunt.* Luc. XII, 20. — (4) *Demonstratus.* I Reg. XXV, 25. —(5) *Interveniente dilectum* cod.—(6) *Proficiens* ib. —(7) *Eum.* Deuter. I, 31.— (8) *Propriarum* cod.—(9) *Servabo.* Is. XLVI, 4.—(10) *Israel.* Ps. CXX, 4. —(11) *Peccato.* Hæc enim fuit Origenistarum insania.

tamen, quod malitiam videtur refragantis populi desecare, ut ad sanctorum primi temporis simplicem vitam provocent auditores, uno exhortans eodemque vivere
Fol. 13. modo quo patriarchæ, prophetæ, apostoli, sanctique vixerunt. Tropologice [1], dies antiqui sunt Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, Job, Isaias, David et cæteri sancti, qui suis temporibus splenduerunt, ut eorum imitationem sectantes, ipsorum dierum memores esse possimus. Vel certe *dies antiquos sæculi* longissimum illud vitæ tempus ostendit, quo nongentis et amplius annis homines victitabant; quod nos propheta commonet memorari, ut ex eo clareat, quod longævam vitam Deus hominibus præparavit, sed eam peccando sibimet homines minorarunt.

Dierum differentia multa est : alii sunt dies hominis, de quibus propheta dicit : « Et diem hominis non cognovi, tu scis, Domine [2]. » Alii sunt dies cœli, sicut Davidicus admonet psalmus : « Et ponam in sæcula sæculorum semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli [3]. » Et iterum dies antiqui quos idem esse significat : « Recordatus sum dies antiquos, et annos æternos in mente habui [4]. » Unde differentiam [5] monstrat dies antiquos ab annis æternis multum abesse, quia dies antiquos [dicit], quos vitæ protelatio longioris agebat, quam vel in paradiso vel in principiis mundi Patres fruebantur; antiqui anni vero censentur æterni quos, immortalitate percepta, credimus nos, miserante Domino, percepturos. Unde lacrymis exorandus est Deus, ut dignetur horum nobis dierum participationem conferre.

Intelligite annos nationis nationum. Nationis angelicæ annos sempiternos hortatur intellectualiter exoptare. Nationum [6] quæ aliæ possunt intelligi, nisi humanarum, super terram; apud inferos, animarum; in aere, fortitudinum impiarum? quia rationalis creatura in quatuor quodammodo dividitur nationes : angelorum bonorum una est; hominum vero, secunda; animarum, tertia; quarta, spirituum immundorum. Super has tres nationes, solius angelicæ nobis naturæ annos intulit exoptandos, quia ipsa est natio nationum. Aliter mundus ipse quinque generationum divisionibus dispertitur. Prima usque ad diluvium currit; secunda Abrahæ temporibus imputatur; tertia, Moysi [7] et judicum cæterorum; quarta quæ regum tempore transmeavit usque ad Joannem; quinta quæ sub Christi currit adventum. Istarum ergo nationum breviati sunt anni; solius ante Noe vitæ fuerat longævitas constituta, quæ perpetuæ vitæ similitudinem continebat; et idcirco adjicit : *Intelligite annos nationis* illius primæ sequentium *nationum.*

Tropologice, *annos nationis nationum* Ecclesiæ hæresumque nobis figuraliter tempora monstrat, quod illa in æternum, hæ temporaliter vivant; et ad illius ecclesiasticæ nationis annos, procul dubio immortales, nostros erudit sensus, quos intelligere debemus, et quorum memores incessabili debemus gemitu suspirare.

Interroga patrem tuum, et annuntiavit tibi; seniores tuos, et dicunt tibi. Historice pontificem cæterosque secundi ordinis significat sacerdotes, qui patres proprie nuncupantur, quod per eos in domo Domini animæ spiritaliter renascantur. Nam quod nos seniores in latino dicimus, Græci presbyteros nuncupant; a quibus et legem Domini interrogare debemus, et ea quæ scripta sunt edoceri. In Scripturis sacris annuntiare, semper non nisi vel prædicatio Evangelii vel miraculorum virtus significari solet, sicut : « Annuntiate inter gentes mirabilia ejus [8]. » Et iterum : « Annuntiabunt cœli justitiam ejus [9], » id est, apostoli Christum, Patris justitiam, infidelibus prædicarunt. Apostolus [10] quoque sumto Isaiæ testimonio ait : « Quam speciosi sunt pedes evan- Fo
gelizantium pacem, annuntiantium bona [11]! » Ita nunc : *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi.* Non alias res magis quam

(1) *Trópholologice* cod. — (2) *Domine.* Jerem. XVII, 16. — (3) *Cœli.* Ps. LXXXVIII, 30. — (4) *Habui.* Ps. LXXVI, 6. — (5) *Differentia* non displiceret. — (6) *Sic* cod. — (7) *Moysi,* more veterum. — (8) *Ejus.* Ps. XCV, 3. — (9) *Ejus.* Ps. XXI, 32. — (10) *Apostoli.* cod. — (11) *Bona.* Rom. X, 15.

eas quæ pertineant ad Evangelium salutis, interrogari monstravit, dicendo : *Annuntiabit tibi.*

Spiritaliter, Christum patrem intellige, quem debemus interrogationibus provocare, quoniam ipse est thesaurus sapientiæ et scientiæ absconditus, a quo virtutem discere valeamus; seniores autem apostolos esse cognosce.

VIII.

Quum divideret Excelsus gentes, quomodo dispersit filios Adæ [v. 8]. Hoc quoque secundum litteræ textum non inutiliter currit, quod congregatos filios Adam ad constructionem immanissimæ turris, quæ superbia demonstratur, Domini sunt judicio linguarum varietate dispersi; ut secundum modum suarum linguarum varietatem gentium discrevissent, angelosque custodes pro merito percepissent. Lege in Daniele principem Persarum, et in Ezechiele principem Tyri. Tropologice, divisas gentes schismatum distributiones ostendit, quas filiorum Adæ vocabulo demonstravit; quibus non dubitatur [1] malos angelos præsidere, quorum sunt arte divisæ.

Statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei. Manifesto Danielis indicio comprobatur unicuique genti præsulem angelum institutum, cujus regimine dispensetur. Unde princeps Persarum et princeps Græcorum Michaeli archangelo obsistere confirmantur. Tamen quærendum est utrum tantæ sint gentes quanti sunt angeli Dei; quod utique non potest esse possibile. Sed sic distinguendum est : secundum numerum gentium fines statuit angelorum Dei, malorum videlicet, qui se pro Deo colendos hominibus obtulerunt; nec ab omnibus communiter, sed unusquisque in sua gente quam deceperat, colebatur.

Allegorice vero gentes, sicut supra, doctrinas hæreticas cognoscamus, quibus finem quemdam in vanitatis errorem prædixit *secundum numerum angelorum*, quod ait nimirum, ostendens unicuique earum prævaricationum angelum deputatum. In bono aliter intelligi datur : gentium fines diversas variarum provinciarum locorumve ecclesias intimavit. Quibus Deus angelos, id est sacerdotes doctoresque, secundum proprium numerum, commodavit.

ARGUMENTUM. — IX. Ait interpres quis sit Jacob fidelis, — X. Quæve in eumdem peculiaris Dei providentia. XI. Unden m per allegoriam Domino relata aquilæ similitudo, — XII. Item pastoris, — XIII. Et matris, — XIV. Immo et nutricis parvulos suos butyro, lacte, adipe, medulla, vino depascentis. - XV. Porro ad hæc quid plebs delicata? Ecce recalcitrat. — XVI. Ecce Deum per omne nefas, — XVII. Perque idolorum, — XVIII. Perque omnium scelerum flagitia, exasperat Cæterum vix ullum verbum est quod non Ecclesiæ aut animæ, æque ac judaicæ genti accommodetur. Nova vero testimonia, sane inter veterum præstantissima, quasi fidem Africanæ ecclesiæ de sacra Eucharistia semel [XIV] et iterum [XVI] præ se ferunt.

IX.

Facta est portio Domini populus ejus Jacob [v. 9]. Licet diversi sint in partibus populi distributi, et variis doctrinarum teneantur studiis, Domini tamen portio populus est Jacob, qui Supplantator interpretatur. Si igitur et nos cœlesti adjutorio communiti, mala omnia supplantemus, peccatique victores, Satanam nostris sub pedibus conterat Jesus Christus, Domini pars esse merebimur : ubi enim portio dicitur, quædam soliditas divisa censetur. Naturalis humani generis soliditas quibusdam est in partibus distributa. Et alias Diabolus per philosophiam, alias per idololatriam, alias per hæreticas obtinet functiones. Sola Domini est portio Jacob, quam ex his omnibus congregavit. Figuraliter in David monstratur esse completum, quod ex diverso populo ad eum debitores plurimi convenissent æris alieni, videlicet ejus auxilio defensandi [2]; æris alieni, nimirum peccati, quod a Diabolo quondam, malo creditore, fuerant mutuati. Unde etiam usuras reddebant, nisi veniret et pro nobis redderet qui ex usuris et ini-

(1) *Dubitantur mali angeli* ex vet. correctione cod. —(2) *Defensandi.* I Reg. XXII, 2 sqq.

quitate liberat peccatores [1]. Populus enim christianus aliquando debitor fuit; cujus etiam cautio tenebatur, de qua dicit Apostolus : « Delens quod adversus nos erat chi-
Fol. 15. rographum decreti, quod erat contrarium nobis, et illud tulit de medio, affigens eum cruci suæ [2]. » Quod si fuit cautio, quærendum est ubi conscripta sit. Jeremias propheta demonstrat : « Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino, super latitudinem cordis ejus [3]. » Exactores quoque cautionis illius quærendi sunt, et fortasse ipsi sunt Pharaonis ministri, qui debito labore laterum terrenorum israeliticos populos deprimebant. Quorum tamen virgam, id est potestatem adversam, quum Jesus Dominus confregisset, Isaias ait : « Quomodo cessavit exactor, quievit tributum, confracta est virga percussoris ejus [4]? » Cavere itaque condecet christianos, Dominique populos congruit observare, ne quid exactores, semel divino munere propulsatos, sibi ipsi excitent ad tributa quæ spiritaliter delinquendo redduntur.

Funiculus hæreditatis ejus Israel. Quod supra portio, hoc nunc funiculus; quod Jacob, hoc retexuit Israel. Sed quia funiculis hæreditas demetitur, propterea Dominus ex reste flagellum aptavit, ut significanter ostenderet hæreditatis suæ mensuram funiculo divisisse [5], ut unam foris excluderet, et partem aliam relinqueret in templo; siquidem mercantes tantum expulit foras : hoc significante David, quum Rabath urbem amplissimam subvertisset, quæ mundi typum gestabat, ex qua populum captum in duas distribuit partes : unam sibi necessariam reservavit; aliam vero graviori morte damnavit [6]. Contendamus itaque de Rabath civitate perdita capti, in sortem haberi quæ David vivificante salvatur, et non in eam quæ mortis sempiternæ cruciatibus perimetur.

X.

Sufficientem eum sibi fecit in terra deserta, in siti caloris, ubi non erat aqua [v. 10].

Terra deserta, licet eremus significetur, per quam annis quadraginta israeliticus populus pertransivit, ubi siti æstuque detriti, serpentum quoque virulentiam pertulerunt. Sed altius a littera conscendamus. Terra deserta est mundus hic præsens, bestiarum ferax, hominum videlicet perversorum, serpentumque prolator, spirituum sine dubio nequiorum, ubi quietis æternæ nulla domicilia continentur. Sufficientes nos facit, dum per adjutorium gratiæ sublevamur [7], ut simus « sicut egentes, multos autem locupletantes; tamquam nihil habentes, et omnia possidentes [8]. » Populum [9] enim suum sic facit Deus sufficientem, dum non tantum non appetit aliena, verum etiam propria collargitur, ut in Domino dicat : « Etenim hæreditas mea præclara est mihi, et Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei [10]. » Sanctitatis quippe plenitudo, etsi aliis non prærogat quod non habet, attamen sibi semper ex eo quod nihil habet, abundat, et cum Apostolo dicit : « Nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles; usque in hac hora et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles [11] sumus. » Talis ergo sufficiens est in terra deserta.

In siti caloris, ubi non erat aqua.

Siti caloris est ariditas concupiscentiæ ignibus excitata; ubi aqua nulla est refrigerii, consolatio scilicet gratiæ spiritalis. Moraliter, terra deserta est anima vitiis habitatoribus destituta, quæ dum cœperit suam latitudinem virtutibus obtinere, sufficiens erit, nihilque forinsecus exoptabit. Sitis autem caloris est desiderii fervor, charitatis flamma succensus; ubi corruptionis aqua humanæque doctrinæ liquor non potest inveniri.

(1) *Peccatores.* Ps. LXXI, 14. — (2) *Cruci suæ.* Coloss. II, 14. — (3) *Ejus.* Jerem. XVII, 1. — (4) *Ejus.* Is. XIV, 4. — (5) *Divisisse.* Joan. II, 15. — (6) *Damnavit.* II Reg. XII. — (7) *Sublevamur.* Vicissent hic olim qui tricas in sufficientem gratiam nectentium dissiparunt, si os hæreticum occludere tam splendido testimonio contigisset. — (8) *Possidentes.* II Cor. VI, 10. — (9) *Popolum* cod. idem superius *parvoli, diabulum* legebat. — (10) *Mei.* Ps. XV, 5. — (11) *Stabiles* cod. I Cor. IV, 11.

Circuivit eum, et erudivit eum, et custodivit eum sicut pupillam oculi.

Circuivit spiritali munimine circumsepiente. *Erudivit* gratiæ magisterio præmonente. *Custodivit* angelorum agmine reservante. Circuivit Dominus populum suum, ne delictis incursantibus dissipentur; unde dicit propheta David : « Immittit angelos Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos [1]. » Erudit quoque sequentes se, ne quid caliginis ignorantia supplantentur; unde Dominus ait : « Intellectum dabo tibi, et instruam te in via quam ingredieris [2]. » Et iterum : « Ego sum Dominus, deducens te in viam, et docens quæ ignorabas [3]. » *Et custodivit eum sicut pupillam oculi.* Custos animarum nostrarum solus est [Deus], de quo scriptum est : « Nisi Dominus custodierit civitatem, in vano vigilant qui custodiunt eam [4]. » Et « Non dormitavit neque dormiet qui custodit Israel [5]. » Ipso nos custode, confidimus eripi; quo non custodiente, pereunt non erepti. Pupillæ oculi merito custodia Domini comparatur, quæ clauditur duabus palpebris, ut geminis nos contegat testamentis, (si tamen lumen in nobis verissimum teneamus) cordis occulta collustrans.

XI.

Quemadmodum aquila tegit nidum suum, et super pullos suos, quos diligit, expandit alas suas, et recepit eos, et suscepit eos super humeros suos [v. 11].

Divina protectio aquilæ comparatur, quæ generosos filios probat, et probatos diligenter enutrit, atque ab universis improbitatibus servat. Fertur enim, sicut philosophi narrant [6], pullos suos singillatim pedibus comportare atque in ipso solis oculo stabilius evolare. Si recto lumine pullus solis radios intuetur, tamquam generosus a parentibus educatur. At si reverberatis obtutibus splendorem lucis non quievit tolerare, tamquam degenerem atque indignum, expansis pedibus, humi prosternunt, taliquc perimunt casu. Merito ait : *Et super pullos suos quos diligit.* Sunt etenim alii quos negligit. Quotiens iterum sentit hominem suis nidulis insidias præparare, aut lapidem pedibus tollit, et in verticem injicit persequentis; aut expansis alis superpositos pullos importat, et remigantibus pennis longius evolat. Idcirco ait : *Expandit alas suas, et recepit eos super humeros suos.* Dominus quoque noster expandit super nidum Ecclesiæ suæ alas protectionum suarum, spiritales sanctos tamquam pullos apportat, qualis ille fuit qui dicebat : « Et in operibus manuum tuarum exsultabo [7]. » Hoc quoque evangelica parabola demonstrabat, ubi pastor perditam ovem postquam invenit, humeris reportavit.

XII.

Dominus solus ducebat eos, et non erat cum eis deus alienus [v. 12]. In columna ignis et nubis suum populum Dominus præcedebat, ut et metator itineris et defensor populi [8] affuisset, Christi mysteria futura fuisse demonstrans : qui, columna nubis et ignis, carnis Verbo conjunctæ futurum ostenderet principatum; quem christiana multitudo, consequens viventium terræ habitacula, sortiatur. Hoc de perfectis dici potest, qui Christum libere consequentes, alterius dei in se non faciunt portionem : nam quos avaritia comitatur, polluit immunditia, libido sufflammat, licet christiani dicantur, et eos Dominus deducere videatur, deos sibi tamen alienos admittunt.

Quæstionis nascitur ordo : Stephanus martyr Judæorum infidelitatem exprobrans, dicit eos, annis quadraginta quibus in eremo fuerant commorati, deos alienos coluisse [9]; hic tamen dicitur quod non erat cum eis deus alienus. Manifesta intelligentiæ ratio demonstratur : quod infidelis populus, quando cum diis fuerat alienis, nemo cum

(1) *Eos.* Ps. XXXIII, 8. — (2) *Ingredieris.* Ps. XXXI, 8. — (3) *Ignorabas.* Forte ex Is. XLVIII, 17. — (4) *Eam.* Ps. CXXVI, 2. — (5) *Israel.* Ps. CXX, 4. — (6) *Narrant.* Quos vide longo ordine recensitos ad Meliton. cap. VIII, 9, t. II, p. 480. — (7) *Exsultabo.* Ps. XCI, 5. — (8) *Populis* cod. — (9) *Coluisse.* Act. VII, 43.

eo esse monstratur, quia idolum, ut Apostolus ait, « scimus quia nihil est in mundo [1], » et qui idolis servit, nihil servit, et se cum idolis facit, non idolum secum.

XIII.

Secum perduxit eos, in virtute terræ cibavit eos ex nascentia [2] agrorum [v. 13].

Fol. 17. Per virtutem terræ, ubertatem abundantiæ monstrat. Nascentia agrorum, fructus ubertatis copia nutritos ostendit. Tropologice, virtus terræ, id est Ecclesiæ fides : agrorum autem nascentia Scripturarum sunt intellectus, quibus Dei populus pascitur et fovetur. Moraliter, animæ concurrit humanæ, quæ diurnis profectibus virtutem in se cœperit obtinere, quæ sola est humilitas appellanda, ad quam nos Dominus exhortatur : « Discite quia mitis sum et humilis corde [3]. » Agrorum autem nascentia sensus sunt et cogitationes nostræ quibus spiritales capimus cibos.

Suxerunt mel de petra et oleum de firma petra. [Petra] secundum Apostolum significat Dominum Salvatorem : « Petra autem erat Christus [4]. » De quo, qui dulcedinem capiunt, mella sumunt. Qui vero lenitatis ejus misericordiam apprehendunt, de firma petra oleum bibunt. Inter petram autem et firmam petram certum est differentiam poni; et hunc petram dici, eo quod carnis mortalitatem portasset; firmam vero petram, immortalitatis obtinens firmitatem. Tunc quippe morte devicta, mortis nos vinculo liberavit; propter quod Apostolus ait : « Ut mortem destrueret et eum qui habebat mortis imperium, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti [5]. » Et iterum : « Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus [6]. » « Ascendit in altum, » a mortuis resurgendo et in cœlum gloriosissime conscendendo. « Captivam duxit captivitatem, » mortem captivando transpungens. « Dedit dona hominibus, » remissiones sine dubio peccatorum.

XIV.

Butyrum boum et lac ovium suxerunt [v. 14], de petra, subaudi [7]. Quod historico congruit intellectui. *Butyrum* autem *boum* apostolicorum est magnitudo sermonum qui robustioribus et exercitatis sensibus conferunt cibos. *Lac* vero *ovium*, ut arbitror, propheticarum sunt instructiones lectionum, quas oves propter simplicitatem eloquii certum est appellari. Tropologice quoque potest aliter coaptari, ut boves ovesque intelligas animas sanctas, quæ propter exercitationem laborum simplicitatemque mentis ita dicuntur; et modo butyrum audientibus largiuntur, dum sapientiam inter sapientes loquuntur; modo cibum prærogant lactis, dum parvulis in Christo lac potum, non cibum subministrant.

Cum adipe agnorum et arietum. Si enim textus litteræ solummodo cognoscatur, quomodo suxerunt agnorum pinguedinem atque adipem arietum? Transeamus igitur ad intelligentiam meliorem, quæ contritæ menti conferat sanitatem, et contribulato spiritui perferat medicinam. Adeps itaque agnorum est abundantia charitatis, quæ martyrum cordibus enutritur, in quibus sola viget simplicitas morum et immaculatæ conversatio vitæ. Arietes autem, principes gregum, ductoresque cognosce : qui tamen et ipsi dilectionis æternæ pinguedinem conceperunt. Quorum illi adipem sugunt, qui imitatione continuis illorum instituuntur exemplis. Verbi gratia, Machabæi septem germani pœnas multa tolerantia sustulerunt. Hi charitatis adipem, id est firmitatis pinguedinem, in suis sensibus obtinebant. Idcirco acerbitas tormentorum fortiores animos nullatenus complicavit. Si itaque et nos illorum per Dei gratiam instituto formati, numquam tyrannicas sævitias formidemus,

(1) *Mundo*. I Cor. VIII, 4. — (2) *Ex nascentia*. Ita cod. 1 Sabat. Sequentia tamen non quadrant. Mox *habundantiam* cod. — (3) *Corde*. Matth. XI, 29. — (4) *Christus*. I Cor. X, 4. — (5) *Servituti*. Hebr. II, 15. — (6) *Hominibus*. Ephes. IV, 8. — (7) *Subaudis, quod historice* cod.

impugnantemque nos inimicum, et Christum in nobis jugulare nitentem, viriliter repellamus, nostras animas mortibus opponentes, adipem memoratorum exsugamus sanctorum. Sic quoque, quum insistimus ecclesiasticos imitari doctores, arietum adipes comedemus. Vacuum fragilis vitæ tempus perdere non debemus; sed quorumlibet agnorum intellectualium, arietumque pinguedinem devorare curamus. Nam si hæc agnorum arietumque pinguedo est, herbis fenoque necesse est crementetur. De quibus Davidicus memorat liber : « Producens fenum jumentis et herbam servituti hominum [1]. » Et iterum : « Qui producit in montibus fenum [2]. » Hoc quod terra montesque spiritales largiter gignunt, sanctarum pastus sunt Scripturarum, quæ pro qualitate animi profectibus increscentibus, nunc terra dicuntur, si minus sapimus in eis; nunc montes, si eas mystice perscrutamur.

Filiorum taurorum et hircorum. « Cum adipe, subauditur. Tauros significat patriarchas, qui fortitudine colli sui, id est obedientiæ, justitiam [3] coluerunt. Hircos vero prophetas, qui lascivientem populi gregem discursu suo colligere nitebantur; de quibus Ecclesia dicit : « Cum incenso et arietibus offeram tibi boves cum hircis [4]. » Filii autem eorum sunt qui ex eis spiritali germine procreantur ; quia non qui filii carnis, hi filii Dei sunt; sed qui filii sunt promissionis, deputantur in semine. Adjutori Domino nostras flebiliter conscientias prosternamus, ut taurorum hircorumque spiritalium semini deputemur.

Cum adipe renum tritici et sanguinem uvæ. Subaudiendum est : Suxerunt *renum tritici* [adipem]. Adeps secundum litteram nullam intelligentiam capit, neque enim triticum renes aliquos habet. Sed metaphoram [5] ex aliquibus animalibus sumsit : ut sicut pinguia pecora etiam in renibus adipes nutriunt, ita quoque pinguia frumenti grana eorumque medullas plenas adipi comparavit. Mystice vero recte concurrit. Tritico Scripturæ significantur divinæ, quarum spiritali similagine pascitur mens, cujus tamen exterius corium, id est historica lectio, relinquetur. Nec enim me juvat holocaustorum, sacrificiorumque diversitas ; neque me juvat Jacob connubia quatuor habuisse, fraternoque odio cedentem, plurima apud Laban pecora conquisiisse; nunc varia, nunc unicoloria pro pastorali labore tulisse ; et cætera, quæ si spiritaliter cogitentur, plena mysteria cognoscentur. Hæc ergo universa tritici sunt coria compellenda, quæ autem ibi interius latent, medullæ esse atque simila videbuntur.

Et sanguinem uvæ. Sanguis uvæ martyrum est sanguis, VEL CERTE IPSIUS CRUOR DOMINICÆ PASSIONIS, QUO QUOTIDIE DE SACRIS ALTARIBUS SATURAMUR [6], inebrians mentem, ut terrestribus careamus, cœlestibus utamur; unde dicit is qui tali fuerat poculo saturatus : « Calix tuus inebrians quam præclarus est [7] ! »

XV.

Bibit vinum, et manducavit Jacob; satiatus est, et recalcitravit dilectus [v. 15]. Vini genera plura sunt, quæ in Scripturis sanctis intelligibiliter demonstrantur. Est « vinum quod lætificat cor hominis [8], » et est vinum, ira draconum; unde sequenter scribitur : « Ira draconum, vinum eorum [9]. » Aaron quoque cum filiis quotiens ingreditur sancta sanctorum, prohibetur tangere vinum [10]. Et Apostolus ait : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria [11]. » Omne peccatum inebrians mentem vinum figuraliter appellatur. Quo vino inebriatus Jacob intelligibilis, homo sine dubio christianus, recalcitrat et resistit : qui aliquando dilectus comparatione Christi sanguinis fuit. Sed et hoc quod ait : *Bibit vinum, et man-*

(1) *Hominum.* Ps. CIII, 14. — (2) *Fenum.* Ps. CXLVI, 8. — (3) *Justitiæ* cod. — (4) *Hircis.* Ps. LXV, 15. Audaciorem Nostrum corrige, aut cf. cum Melitone, t. III, p. 17, sq. — (5) *Metamforam* cod. — (6) *Saturamur.* Exordium habes sententiarum Verecundi de S. Eucharistia; plura enim subinde suppetunt, æque sedulo notanda. — (7) *Est.* Ps. XXII, 5. — (8) *Hominis.* Ps. CIII, 15. — (9) *Eorum,* Deuter, XXXII, 33. — (10) *Vinum.* Levit. X, 9. — (11) *Luxuria.* Ephes. V, 18.

ducavit Jacob, quemadmodum corporalis poculi vinum poterit manducari, non sequenter agnosco. Sed quia vinum luxuriæ molestiæque significat, ostendit; quod dum hoc anima facit, potatur; et dum potatur, si-
Fol. 19 mul etiam vescitur; nec tamen solum vescendo, sed etiam saturando se, Domino recalcitrat, qualitas delinquendi multa est. Et alii modicum quid gustant peccati, qui conceptionem rei faciendæ moliuntur in corde. Alii vescuntur, qui cogitant pravitatem et opere subsequuntur. Alii vero saturantur, qui consuetudinem peccandi quod impie gesserint, dulciter habent; et ipsos nunc sermo divinus impulsat, qui saturitate peccati Domino recalcitrant.

Impinguavit et incrassavit et dilatatus est. Pinguedinem mentis, non corporis tangit; plures escas diversorum facinorum comedendo mens crassior fit, ut audiat: « Prodiet quasi ex adipe iniquitas eorum [1]. » Et dum pinguedine fuerit cumulata, latitudine quoque distenditur. Quid autem sit incrassari, quid dilatari, sic potest colligi: incrassatur animus dum in se reatus incurrit, et ea facit in quibus ipse tantum peccat, et alios secum non attrahit ad peccandum. Quum vero cœperit talia perpetrare, quæ possint et alios contaminare, dilatatur; et ob hoc nunc miserabiliter Jacob impinguatus et incrassatus et dilatatus esse convincitur.

Et dereliquit Deum qui fecit eum, et recessit a Deo salutari suo. Derelinquit Creatorem suum, dum imaginem ejus polluit et incestat, imaginem in se transfigurans inimici. Nam dum quis misericordiam non habet, quæ imago Dei est, crudelitatem retinet, quæ imago est Satanæ. Dum fide caret, a Deo salutari recedit. Dum perfidiam recipit, inimici in se imaginem ponit, et derelinquit eum qui fecit illum, et recedit a Deo salutari suo. Derelinquit peccando, recedit blasphemando et idolis inhærendo.

XVI.

Exacerbaverunt me in alienis [v. 16]. De peccatrice dicitur plebe, quæ sibi deos alienos per doctrinas hæreticas fingit. Vel certe factis agnosce; aliena enim sunt facta quæ displicent Deo.

In abominationibus suis exasperaverunt me. Abominatio dicitur quando Dei sacrificium idolis deputatur. Verba itaque nostra [2], quibus Deum debemus impensius collaudare, si cœperimus turpiloquiis vitiare, in abominationibus nostris Dominum provocamus. Nec non stupra, violentiæ, rapinæ, incontinentiæ, cædes, insidiæ, abominationes esse dicuntur. Pro quibus Dominus indignatur.

XVII.

Sacrificaverunt dæmoniis, et non Deo [v. 17]. Dei « sacrificium spiritus contribulatus [3] » est; superbia autem, sacrificium Satanæ [4]. Incontinentia ejusdem est hostia; impuritas, similiter. Impudicitia libamen est spirituum immundorum; et multa sunt alia quæ demoniis homines sacrificant, et non Deo.

Dii quos non noverant, novi, recentes, venerunt, quos nesciebant patres eorum. Deos novos et recentes gentium significat simulacra, quæ Abraham, Isaac et Jacob patres eorum non coluerunt. Sed tropologice, deos recentes hæresum doctrinas ostendit quas recentius fingunt, et ut visum fuerit, deos sibi novos componunt. Quis enim nesciat Donatistas alterum sibi Christum induxisse? Similiter Benostianus [5], et cæteri qui ea colunt quæ apostoli patres eorum non docuerunt. Non quod illorum nunc sint patres, sed quod fuerint aliquando, quum apud nos permansissent in fide. Moraliter vero, deos novos orientes, consuetudines pravas et carnales agnosce. Quibus et obedientiam et sacrificium exhibemus. Si dolus in nobis cœperit dominari, novus deus factus est. Nec non etiamsi falsitatis ejus consequuti fuerimus effectum, sacrificium obtulimus idolo, nostris in cordibus ficto; et ita fit ut tantis obediamus diis quantis fuerimus

(1) *Eorum.* Ps. LXXII, 7. — (2) *Nostis* cod. — (3) *Contribulatus.* Ps. L, 19. — (4) *Satanæ.* Sententiam egregiam concionatores suam faciant per me liceat et exornent, sed prius eam secum morose meditaturi. — (5) *Venustianus* alias, idem profecto de quo dixi paucis ad *Prolegg.*

contaminationibus involuti. Aliis deus venter est, sicut Apostolus dicit : « Quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum[1]. » Aliis aurum deus est, aliis iterum argentum, aliis terra, aliis ministrorum ornatus. Et quisquis Deum verum minus diligit, et plus caducum aliquid delectatur, recentem sibi deum confingit.

XVIII.

Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Deum alentem te [v. 18]. Quotiens ad figmenta vanissima infidi revolvuntur, et illorum se obligant sacrificiis, qui neque pluent, neque terræ fertilitatem poterunt commodare, derelinquunt Deum formatorem suum et alentem se. Quod spiritaliter de fidelibus populis accipimus dictum : qui Deum a quo sunt geniti verbo veritatis, derelinquunt, et ab hæreticis doctoribus seducuntur. « Voluntarie quippe genuit nos verbo veritatis suæ[2]. » Et : « Nolite attendere doctrinis hominum in hypocrisin loquentium mendacium[3]. » Pascit autem nos Deus non solum corporalibus, sed etiam spiritalibus cibis ; unde dicit Ecclesia : « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit[4], » verbo sine dubio Scripturarum, scientia intellectus[5] earum, annona corporis Christi, potuque sanguinis ejus, qui piis altaribus immolatur. Idcirco Paulus apostolus Atheniensibus dicit : « Non semet ipsum reliquit absque testimonio, dans pluviam de cœlo et fructus a terra[6], » id est, sine testimonio suæ legis non se relinquit[7], dans nobis pluviam verbi divini, ut terra, quæ sunt humana corda, bonis operibus fructificare contendat[8]. Idcirco hæc nobis data sunt dispensatione sanctissima, ut nullis nos possemus oppositionibus excusare, quum illud quoque potest intelligi : terram dare fructus humanæ animæ, naturali lege discretionis gratiam accepisse, ut etiam nolens suum noverit Creatorem.

ARGUMENTUM. XIX. Deus igitur usque adeo exacerbatur, eoque zelo iræ succenditur, — XX. Ut aversa facie, degenerem detestetur et infidam sobolem ; — XXI. Ut genti jam non suæ ipse non sit Deus, sed potius in apostatas dirus exactor ; — XXII. Singulos insectaturus igne, — XXIII. Sagittis, — XXIV, Fame, peste, bestiis, — XXV. Omnium internecione, — XXVI. Ne quidem exceptis juvene cum virgine, nec sene cum puero, — XXVII. Ut vel eorum memoria pessum omnino detur. — XXVIII-XXX. In tantum dementiæ gentem istam venturam esse mirari pergit, tum et singula aut plebi christianæ, aut animæ coaptare. Inter hæc de purgatorii catholico dogmate testimonia profert, quæ vix a quoquam tantæ ætatis luculentiora.

XIX.

Et vidit Dominus, et zelatus est, et exacerbatus est super iram filiorum suorum et filiarum [v. 19]. Zelotes Deus propterea nuncupatur ex similitudine maritorum, qui castitatem suarum conjugum exsequuntur, quia et ipse sponsus est mentis, quam nolit diabolicis adulteriis vitiari. Igitur, si quid nostras animás fideli devovimus sponso, colluvionem debemus fugere delinquendi ; ne, dum ille adulterinam reprehenderit mentem, ultionis æternæ damnatione confundat. Nam quod ait : *Hæc vidit Dominus, et zelatus est ;* vidit utique sibi displicentia mala ; et quum videret, illico zelando punivit.

Super iram filiorum suorum et filiarum. Filii, filiæque, licet sexu proprio discernantur, apud Deum tamen nihil impedit fragilitas sexus, ubi fuerit cordis firma voluntas. Nam licet quæcumque mulier videatur, si virtutibus studet, infirmitates conculcat, aculeos iræ, indignationis furorem, libidinis captivitatem in sua conscientia premit, nulli dubium est quin hæc pro viro sit numeranda. At ille qui secundum corporis qualitatem vir esse videtur, et effeminatur tamen incredulitate, immunditia, fallacia, versutia,

(1) *Ipsorum.* Phil. III, 19. — (2) *Suæ.* Jac. I, 18. — (3) *Mendacium.* I Tim. IV, 2. — (4) *Deerit.* Ps. XXII, 1. — (5) *Intellectu* cod. De Sacramento deinde quam præclara! — (6) *Terra.* Act. XIV, 16. Sed Lystris hæc, non Athenis, Apostolus disputavit. — (7) *Non in se relinquit* cod. — (8) *Contendunt* ib.

vanitate, superbia, hic pro femina reputatur. Multæ quippe martyrio coronatæ sunt mulieres; pluresque viri impatienter persequutorum manibus corruerunt, et in se muliebris fragilitatem sexus transformarunt, diabolo cohærentes, cujus laqueis illigantur.

XX.

Et dixit : Avertam faciem meam ab eis, et ostendam quid erit illis in novissimis diebus [v. 20]. Ultimæ damnationis est pœna, avertere Deum suam ab homine visionem. Sicut abstracto solis lychnique [1] fulgore, tenebræ condensantur : ita quum a conscientia Deus averterit vultum, illico tenebris interioribus caligatur, et tamquam non videns ubi itine-
Fol. 21. ris recti tramitem consequatur, per omnes vias errorum vitiorumque diverticula pertrahetur. Quod in initio passionis Dominus demonstravit, quum dorsum haberet ad Petrum, cumque negasse tertio demonstratur. At quum ejus intuitus corruentem apostolum respexisset, correxit offensam. Respexit quippe Dominus Petrum, et ubertim lacrymosis confessionibus pœnitentiam gessit. Sed nec Jonathan, Saul filius, qui interpretatur Columbæ donum, diligere posset David puerulum, nisi ejus pulchritudinem propius conspexisset, eique balteum, arcum ac vestimentum familiariter condonavit. Jonathan figuram sæcularium continet regum, qui videntes nostrum fortissimum David, credentes in Domino meo Jesu, balteum circumspectæ districtionis suæ arcumque defensionis, per leges pro ecclesiis datas, indumentumque suæ potestatis eidem religiosius obtulerunt, dum plebem christianam muniunt ac defendunt.

Quod autem ait : *Ostendam quid erit illis in novissimis diebus*, perditionem significat Titi tempore Vespasianique conflatam, vel imperante Ælio Hadriano, ut absque homine diu terra israelitica vacuisset. Tumque Jeremiæ flentis est vaticinium comprobatum : « Viæ Sion lugent, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem [2]. » Si autem ad christianum velis populum cuncta referre, ostendit eis novissimo tempore præparata judicii futuri tormenta, dum per Evangelium prædicatur, quod ibi fit « fletus oculorum et stridor dentium [3] : » quem cuncti majori debemus formidine memorari, ne, dum nostram negligentius gerimus vitam, miserabiliter pereamus.

Quia natio prava et perversa est; prava, quia se odiosis actibus depravavit; perversa, quia naturali lege directa [4], semet ipsam pervertit. Quum enim carnalibus actibus damur, et spiritus in nobis quadam carnis fragilitate deprimitur, ut non possimus quippiam de spiritalibus assectari, perversi efficimur. Perversus quippe est, præposteratus vel reciprocus, qui inferiora sua exaltat, superiora vero dejicit. Quod tamen non solum fictis potest christianis aptari, qui versa vice, dum confessione fideles sunt, infideliter vivunt; verum etiam hæreticis convenit dici, qui Christum venerando blasphemant, et fidem honorando conculcant. Uni quoque potest homini convenire, qui penes se nationes varias ac multiplices tenet. Ex quibus multæ sunt bonæ, plurimæ nequiores. Nam si cogitationum multiplicita[te] quæ insurgunt adversus Deum, dogmata componat, assertiones exerceat, quæstiones opponat, doctrinas fictas investiget, natio prava est. Si [quis] autem vanitatem hanc corporeæ fragilitatis vitio accumulet, ut vivat inceste, rapinis insistat, violentiarum atrocitatibus delectetur, despiciat cunctos, semet ipsum extollat, utpote contrarius Christo, qui humilitatem abjectionemque docuit, perversa natio compellatur. A quibus nos custodire debemus, qui Salvatoris viam concupiscimus obtinere, ne, dum quid recto itinere currimus, errore viæ decepti, alium tramitem teneamus, qui nos longius a finibus Jerusalem cœlestis expellat.

Filii, in quibus non est fides in eis. Me-

(1) *Ignisque* cod. — (2) *Solemnitatem.* Thren. I, 4. — (3) *Dentium.* Matth. VIII, 12, etc. — (4) *Quia naturalis legis directa* cod. Hærebam aliquando, ne forte africanæ latinitati darem illud absolute dictum *naturalis legis directa*, eodem sensu ac *jura*, sed, donec meliora docear, correctioni puto standum.

tuendus hic valde sensus est, qui non infideles, sed fideles contingit : neque enim posset filios appellare, quos se scit spiritaliter non deperisse. Vides quod nationem pravam ac perversam postea filios appellavit; sed in quibus nulla est fides : non quod non acceperint, sed quia perceptam noluerint reservare. Unde mihi illuc videtur inclinari sententia, quod eos potius exhortetur, qui fidem infideli perfidia mutaverunt. Distantia quippe talis est; in multis viva fides increscit, quos Apostolus laudat, dum Colossensibus scriberet : « Audiens fidem, inquit, vestram, et dilectionem quam habetis in
2. sanctos, quoniam supercrescit in vobis, secundum Evangelium regni quod pervenit ad vos [1]. » Itidem Romanos epistolariter consolans, dicit quia « fides vestra annuntiatur in universo mundo [2]. » Hoc est fidem increscere, dum et firmitas ejus in nobis quotidie peraugetur, et aliis nostro intimatur exemplo. In pluribus tamen mortua est, sicut Jacobus apostolus dicit : « Quia fides sine operibus mortua est » in semet ipsa [3]. Et quid sit mortua, ipse sequenter exposuit : non quod simul obliterata sit et amissa, sed dum in nobis vitæ fructum non operatur, mortua comprobatur, sicut se communia quoque sermonis eloquia probant, dum hominem, vivum quidem, sed inutilem operi cuilibet, atque [4] inexpeditum esse viderimus, dicimus mortuum, non quo vita corporis careat, sed quo vi mentis expeditæ privetur. Nunc non ait : filii in quibus mortua est fides; neque : in quibus crescet fides, sed : *in quibus non est.* Si itaque in eis fides non est, filii quomodo compellantur, quum per fidem Domino generamur? Nisi quia fuerit aliquando, sed succedente dimota est pravitate; recte sensim temperatus est intellectus dicendo : *in quibus non est.* Non in quibus aliquando non fuit, siquidem multi infeliciter accipiunt semen verbi, sed a volucribus spiritaliter transvoratur. Nimirum a dæmonibus consumitur, dum hæretico dogmate vitiatur.

XXI.

Æmulaverunt me in idolis suis, et non in Deo ; in ira concitaverunt me in idolis suis [v. 21]. Hic sermo Æmulare [5] triplici ponitur ratione : Æmulare est imitari : « Æmulamini charismata majora [6]; » et alibi : « Æmulamini bonum in bono semper [7]. » Æmulare itidem est invidere, seu etiam adversari, sicut dictum est per Samuelem Sauli : « Quia abstulit a te Deus regnum, et tradidit illud æmulo tuo [8]. » Fenenna quoque personam continet Synagogæ. Æmulabatur Annam, dum sterilitate depressa, non pareret prolem ; affligebat quoque eam æmula ejus et vehementer angebat [9]. Æmulam ait, inimicam vel invidam. Angebat vero quod ait, significat opprimebat, tracta metaphora [10] a porcis, qui morbo quodam, qui angina dicitur [hoc est, *sinance* [11]], sæpius præfocantur, si quidem subito oritur in faucibus et eos præfocat insperate. Tertio autem Æmulare dicitur in iram adducere, sicut in hoc ostenditur loco. Et Apostolus dicit : « An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus [12]? » hoc est, ad iram excitamus? quod sic exprimitur videnter, dum ex industria cum alio [13] agimus vel verbis colloquimur, ut sensibiliter levissimis suspicionibus proximorum conscientias terebremus, eosque ad iracundiam provocemus : illos sine dubio æmulamur. Cauta sagacitate debemus æmulari bonos et æmulationem fugere malignorum.

Hoc ergo ait : *Æmulaverunt me in idolis suis et non in Deo,* quod sequenter exposuit. *In ira concitaverunt me.* In alienis æmulaverunt, pertinet ad hoc quod adjunxit : *in*

(1) *Vos.* Coloss. I, 4. — (2) *Mundo.* Rom. I, 8. — (3) *Ipsa.* Jac. II, 26, 17. — (4) *Ad quem expeditum* in cod. pene legeretur. Tum paulo infra : *quo vim mentis expeditæ.* — (5) *Æmulari* correxit recentior. — (6) *Majora.* I Cor. XII, 31. — (7) *Semper.* Galat. IV, 28. — (8) *Tuo.* I Reg. XXVIII, 16. — (9) *Angebat.* I Reg. I, 6. — (10) *Tractam metaforam,* et post correctionem *metaphoram* cod. — (11) *Sinance.* Nemo, opinor, id auctori africano retulerit. Merum est enim glossema, sed prima manu scriptum ; habes igitur sæculi IX voculam quæ et plebeium hujus ætatis sermonem excitat, et codicis significat patriam. Idem enim puto id esse quod gallice *esquinancie.* — (12) *Sumus.* I Cor. X, 22. — (13) *Aliorum* cod.

ira concitaverunt. In idolis, idem est in alienis. Ad illud quod subjunxit, *Et non in Deo*; quia idola secundum Apostolum nihil sunt : « Scimus enim quia idolum nihil est in mundo [1] », sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant et non Deo. Non ergo eum in vero Deo, sed in idolis æmularunt. Rectius tropologice convenit schismaticis dici, ex persona Filii, quem aut minorem dicunt, aut initium non nisi a Virgine præsumsisse, aut phantasiam esse, et cætera quæ sibi confingunt. Hi deos potius quam Christum exorant, qui eis dicit quod non in Deo eum æmulaverunt. Filium quidem æmulati sunt, sed et in aliis similitudinibus con-
Fol. 23. ficiis. Si quis cogitatione propria sibi Christum molitur depingere, et non eum ineffabilem, sicut Pater est, existimare, ei quoque dicitur : *Æmulaverunt me in idolis suis, et non in Deo*, ubi resonat hoc quod est dictum : « Et si novimus Christum secundum carnem, nunc jam non novimus [2]; » quod isto percurritur sensu : si novimus Christum fragilem, infirmum, hominem comedentem, bibentem, dormientem, nunc autem talem eum jam non novimus, postquam mortalitas est immortalitate donata.

Et ego zelabo eos in non gente. Non gentem posuit christianos, qui non sunt sicut cæteræ gentium; nationes uno in loco habitant congregati, sicut gens videlicet Judæorum : ibi sexcenta millia fuerunt adunata; vel sicut quælibet Gothica, vel Parthica, seu Herula. Sed nos dispersi per totum diffusæ latitudinis orbem, pauci sumus in diversis locis distributi, in medio schismatum, hæresum, Judæorum, infidelium commorantes, et merito non gens appellamur. Completam videmus hanc experimento sententiam : dum enim Judæa plebs fidelem populum sectaretur ad fidem, zelatus illos esse dicitur Deus, ut fidem sectando sequantur quam nos tenemus. Sed hoc non fecissent, nisi zelo fuissent Domini provocati; quod quia obedire nolentes obstiterunt, perditionis Titianæ sunt gladio dimetiti.

In gente insensata irritabo eos. Gens insensata idololatriæ populus appellatur, qui sensum ac sapientiam Christum necdum didicerat possidere. Nam insensati dicuntur qui fidem non receperunt veritatis; et hi qui rectam aliquando fidem tenentes, negligentius perdiderunt, sicut Galatas Apostolus increpat : « O insensati Galatæ [3] ! » qui verum sensum pravis assertionibus dimiserunt. Irritari vero canum est proprie, qui excitati illos insequuntur adversus quos fuerint provocati, ut pugnando ac fugiendo vitentur. Et Judæi quodammodo irritati sunt in nobis, dum nos persequutionibus afflixissent; eosque, martyrii certamine dum vincimur, vincimus; fugiendo vitavimus aliquando : in his dico qui nos in unitate corporis Christi priori tempore præcesserunt. Hæc vox potest ab Ecclesia dici, dum pro suis delictis alienigenarum oppressionibus fatigatur.

XXII.

Quia ignis accensus est ab ira mea, et ardebit usque ad infernum deorsum [v. 22].

Ira Domini ignem sæpe succendit. Non enim unus est ignis qui sufflammatur a Domino, sed triplex : est ignis consumens delictum, de quo dicebat : « Ignem veni mittere in terram, et quam volo ut ardeat [4] ! » et iterum : « Ecce Dominus in Sion, et caminus antecedit eum [5], » quoniam ignem sufflammavit immensum. Est itidem ignis qui consumturus est universa, de quo David ait : « Ignis ante eum ambulabit [et inflammabit] in circuitu inimicos ejus [6]. » Et apostolus Petrus : « Cœli autem qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservandi in die judicii et perditionis impiorum hominum [7]. » Et iterum : « Adveniet autem dies Domini ut fur; in qua cœli magno impetu transibunt; elementa vero calore ignis resolventur [8]. » Hunc esse existimo purgatorium, qui januis est Paradisi circumseptus, ut per ipsum omnes salvandi pertranseant; tantum in unoquoque exco-

(1) *Mundo*. I Cor. VIII, 4.—(2) *Novimus*, II Cor. V, 15. —(3) *Galathæ* cod. Galat. III, 1.—(4) *Ardeat*. Luc. XII, 49.—(5) *Eum*. Isa. XXXI, 9.—(6) *Ejus*. Ps. XCVI, 3. — (7) *Hominum*. II Petr. III, 7.— (8) *Resolventur*. Ib.

cturus, quantum in eodem sordeculas invenerit peccatorum. Et hoc in Genesi memoratur : « Posuit ante januam Paradisi Cherubim et flammeum gladium atque versatilem [1]. » Et Apostolus : « Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur; et unius cujusque opus quale sit ignis probabit [2]. » Est itaque alter ignis qui tenebrosus esse dicitur, nimirum æternus, ubi damnandi sunt impii quibus dicetur : « Ite in ignem æternum [3]. » Ipsis quo-
l. 24. que : « Ite in tenebras exteriores. » Si enim ignis est, et in ipso igne tenebræ sunt, procul dubio tenebrosus est, ut illud possit expleri : « Tollatur impius, et non videat claritatem Dei [4]. » Quem David describens ostendit quod fumosus sit ac tenebrosus : « Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit : carbones succensi sunt ab eo. Inclinavit cœlos et descendit, et caligo sub pedibus ejus [5]. » In revelatione quoque Abrahæ, inter divisiones sacrificiorum quas fecerat, tenebrosus ignis asseritur pertransisse [6] : illius ignis similitudinem monstrans, quo segregandi sunt peccatores. « Quum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumigans et lampas ignis transiens inter divisiones illas. »

Quæritur ergo nunc cujus ignis speciem demonstravit : utrum illius qui tantum peccatum consumit, homines autem non lædit, quem Dominus in terra veniabiliter misit, an illius purgatorii, vel certe quem nuper diximus damnandorum. Unde æstimo purgatorium [7] dici, qui ad purgationem nostrorum census est delictorum, et usque ad inferos penetrabit, utpote ubi non tantum corpora, sed etiam animæ, post resurrectionem, transibunt. Et de spiritali igne potest intelligi, quem in hoc sæculo Salvator emisit, in ira videlicet misericordi, qua peccata comburit, homines salvat.

Usque inferos quod ait, peccatores agnosce inferorum nomine nuncupari. Sicut dictum est : « Et percutiam domum Jeroboam [8], » pro his qui habitant in domo, ita etiam *inferos*, pro his qui inferis destinantur, significanter ostendit.

Manducabit terram et nascentia ejus. De consumtorio igne potest intelligi, qui universa combusturus est elementa ; et idcirco terram et terrenam scientiam consumit. Concurrit tamen ut et de spiritali igne, quem Dominus misit in mundo, non inconsone sentiatur, ut terram et nascentia terræ, carnem et carnalia opera manifestet, dum jam non in corpore, sed spiritu vivimus, quia « qui in carne sunt, Deo placere non possunt [9]. » Utinam hic ignis meæ carnis terram exurat, et quæcumque in ea nequiter oriuntur, consumat!

Fundamenta montium, superborum substantiæ dinoscuntur, in quibus fundati atque stabiliti quodammodo sistunt. Eadem fundamenta divinus exurit ignis, dum, mortificata cupiditate terrena, ab animis abeunt universa, ut is qui spem ponebat in mundo, sciat tantum in Domino confidere. Certe ignis ille quoque debet intelligi, qui consumendo destinatus est mundo, quoniam montes et eorum firmitatem exuret. Ignis hujus vis terrorque quanto multipliciter comprobatur, tanto pœnitentiæ lacrymis inflammemur; nec enim aliter potest exstingui, nisi tantum fletibus oculorum.

XXIII.

Conteram in eis mala, et sagittas meas consummabo in eis [v. 23]. Sagittæ divinæ multipliciter agnoscuntur. Est sagitta verbi divini, de qua dicitur in psalmis : « Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi [10], » id est sermones tui mea pectora concusserunt; et non ait, sicut in hoc loco : Sagittæ tuæ consummatæ sunt in me, sed tantum : « Sagittæ infixæ sunt mihi. » In aliis enim infiguntur,

(1) *Versatilem.* Genes. III, 25. — (2) *Probabit.* I Cor. III, 13. — (3) *Æternum.* Matth. XXV, 41. — (4) *Dei.* Isa. XXV, 10. — (5) *Ejus.* Ps. XVII, 9. — (6) *Pertransisse.* Genes. XV, 17. — (7) *Purgatorium.* Vide supra alterum et palmarem locum, quo Ecclesiæ africanæ gladio tam multæ quam insulsæ novarum religionum querelæ jugulantur. — (8) *Jeroboam.* III Reg. XIV, 10, 14. — (9) *Possunt.* Rom. VIII, 8. — (10) *Mihi.* Ps. XXXVII, 3. Huc spectat Melitoniana formula t. II, p. 88, t. III, p. 405.

ut dolorem pariant pœnitendi. In aliis autem consummantur, quibus « a planta pedis usque ad verticem non est sanitas [1]. » Sicut enim in emortuo corpore si jaculeris sagittam, non tantum dolorem non facit, verum etiam sensus vulneris ibidem nullus habebitur : ita in obdurato corde, dum divini verbis sagittæ mittuntur, nullam omnino de peccatis tristitiam pariunt audienti, [ut] postremo audiat [2] frustra : « Percussi filios
Fol. 25. vestros, disciplinam non receperunt [3]. » Et iterum : « Percussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam. Induraverunt cervicem suam super petram, noluerunt reverti [4]. » Hæc ergo est omnium malorum congestio, ut, consummatis in se prædicationis divinæ sagittis, nullum omnino sentiat metum.

Aliter iterum potest intelligi : comminans quippe Deus populo prævaricatori, quatuor plagis dicit eum affligi, quas et malas sagittas appellat, sicut Jeremias testatur : « Visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus, gladium ad occisionem, et canes ad lacerandum, et volatilia cœli, et bestias terræ ad devorandum et dissipandum [5], » captivitatem Titi Vespasianique temporibus factam ostendens : quando tanta fuerat copia mortuorum, ut vivorum obsequia non sufficerent sepulturæ; tunc enim in illis divinæ sagittæ sunt consummatæ, istis plagis atque hujuscemodi miseria dissipati.

Nam aliter tropologice currit; nam quod ait « gladium ad occisionem, » Diabolum intellige, animarum videlicet peremtorem. « Canes ad lacerandum, » hæreticos, schismaticosque demonstrat, membra Christi sine dubio lacerantes : « Videte, inquit, canes; videte malos operarios [6]. » « Volatilia cœli » humanorum sunt ignominia vitiorum. Bestiæ terræ devorantes et dissipantes, persequutorum sunt sævitiæ paganorum. Hæc ergo intelligis excitari populo Dei, si secundum nos hunc sensum intelligere delectaris.

XXIV.

Tabescunt fame, et esca avium erunt, extensio nervorum insanabilis [v. 24].

Hæc quoque illi populo provenerunt, ut fame fuissent nervoque consumti. Quod vero nervorum tensionem ait, pestem significanter expressit, qua major pars fuerat plebis afflicta, tensione quadam tumoris membra distendens.

Figuraliter autem famem verbi significat spiritalem, quam non solum Judæa, misso verbo, interfecto nimirum Christo, verum etiam negligentes perferunt christiani, qui, terrenis vanitatibus occupati, curisque sæcularibus saturati, legem in se non recipiunt Evangelii. Tabescunt itaque fame animi, non corporis, et esca dæmonum fiunt, quos avium nomine nuncupavit; quum enim vacuam mentem et ab omni meditatione divina repererint alienam, illico tamquam escam suam rapidis vitiorum suggestionibus rodunt.

Quod vero dicit *extensio nervorum insanabilis*, elationis superbiæque tumorem expromsit : quod distentus animus, videlicet nervo quodam humilitatis, complicationem non capit. Et hæc ira major est Dei, qua percusserat illos quos beatus Stephanus objurgabat : « Dura cervice et incircumcisi corde et auribus, vos semper sancto Spiritui restitistis [7]. »

Unde sub persona Sennacherib, similiter Dominus per Isaiam Diabolum increpabat : « Scivi enim quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea [8], » « Durus es tu, » quod ait, pertinaciam demonstravit : « nervus ferreus, cervix tua, » superbia indomabilis demonstratur; « frons tua ærea, » temeritas infrænata sive audacia perdita significatur. Hæc enim tria illi quoque conveniunt, quem ipse sibi Diabolus subjugaret. Idcirco hæc nervorum extensio insanabilis appellatur. Non

(1) *Sanitas.* Is. I, 6. — (2) *Audiatur* conjiciebam, nihil addens, et aliter distinguebam. Locus certe nonnihil luxatur. — (3) *Receperunt.* Jerem. II, 30. — (4) *Reverti.* Id. V, 3. — (5) *Dissipandum.* Jerem. XV, 3. — (6) *Operarios.* Phil. III, 2. — (7) *Restitistis.* Act. VII, 52. — (8) *Ærea.* Is. XLVIII, 4.

enim possunt tales ad sanitatem perduci.

Dentes bestiarum immittam in eis, cum furore trahentium super terram.

Hoc quippe secundum litteram genti judaicæ Deus iratus exhibuit, ut bestias eis devoratrices immitteret, quorum direptionibus premeretur, sicut Assyrii regis tempore Salmanazar contigit, quum leones eis, indignante Domino, mitterentur; unde Jeremias quoque testatur : « Idcirco percus-
26. sit eos leo de sylva ; lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum [1]. » Licet hoc possit etiam Romanis aptari, qui, duce Vespasiano atque Tito, Judæam totis viribus subruerunt : ut bestiæ propterea nuncupentur, quod suæ sævitiæ feritatem inhumanis cædibus non destiterint exhibere. Sed melius hoc spiritali currimus intellectu, ut bestias quoque spiritales nequitias cognoscamus, quæ humanum genus variis peccatorum dentibus rodunt, a quibus se propheta David erui postulabat : « Ne tradas bestiis animas confitentes tibi [2]. »

Dentes vero impulsatrices sunt cogitationes quibus animam rodunt, suisque eam delictis incorporatam comedere confirmantur. Aliquantis quippe hi prævalent dentes, ut lacerent dissipatos ; nonnullis vero ne quid praevaleant, [a] Domino conteruntur : « Molas leonum confregit Dominus [3] ; » animam videlicet, quam non quiverunt devorare, *cum furore trahentium super terram*. Non enim lædunt, nisi quos terrenis voluerint actibus dissipare, eosque per diversa trahentes, huc illucque variis distinctionibus tendunt, ut nunc sollicitetur animus acquirendo, nunc acquisita servando. Itidem metu distenditur, ut ne [4] a potentioribus auferantur. Nunc occultandi locus inquiritur. Dum invenerit inquisitor, occultando non est securus : circumspicit per momenta, [huc] illuc oculos tendit, ne quid mota sit terra, si fortasse obruit quod habebat, neve ærugo deformet. Et dum depositum occultum velit inquirere, circumspicit ne superveniat homo. Et sicut bestiarum dentibus, hoc furore super terram animus dissipatur.

Hæreticis quoque non inutiliter [5] coaptatur, qui dentes habentes aculeos doctrinarum, et quum sint ipsi bestiæ propter indignationem qua sæviunt super terram, tamen dissipatam pertrahunt plebem.

XXV.

A foris sine filiis privabit eos gladius [v. 25], ille nimirum qui peccato [6] transfodit mentes, acutoque calliditatis astu percutit transgressores. De quo Ezechiel ait : « Si videris gladium venientem [7], » id est insidiantem Diabolum; et idcirco forinsecus percutit quos vacuos facit actibus bonis corporaliter exsequendis. Plures enim ab intus privantur, dum corda eorum sanctis cogitationibus vacuantur. Nonnulli vero a foris, qui, ut diximus, otiosi sunt, nec valent ea exsequi quæ possunt corporaliter operari. Secundum divini juris multiplicem intellectum, ad eos quoque refertur qui foris extra Ecclesiam positi, gladio spiritali secantur, sine suis videlicet filiis, quos Dominus adversus alterutrum scindit, dum filius desit a patre, et frater a fratre, et filia a matre, et ita completur : *A foris sine filiis privabit eos gladius*. Quod significat Jeremias : « Contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer. Si exiero ad agros, ecce occisi gladio ; et si introiero civitatem, ecce attenuati fame [8]. » In agro occisos gladio, hæreticos dicit peremtos a Diabolo vulnere scissionis. In agro, ubi nulla sunt habitacula veritatis, nulla domicilia charitatis, nullaque culminum munimenta spiritalium gratiarum, sed incursionibus raptatorum diffusa æqualitate campi ager iste patescit; ubi murus Dominus non moratur. Quod autem ait : « Et si introiero civitatem, ecce attenuati fame, » intra Ecclesiam futuri temporis negligentiam videt; quia multi fuissent qui

(1) *Eorum.* Jerem. v, 6. — (2) *Tibi.* Ps. LXXIII, 19. — (3) *Dominus.* Ps. LVII, 7. — (4) *Et ne* cod. — (5) *Non utiliter* cod. — (6) *Peccata* ib. — (7) *Venientem.* Ezech. XXXIII, 6. — (8) *Fame.* Jerem. XIV, 17.

divini verbi famem sufferrent, dum otio negligentiæque indulgent, quia pauci sunt studiorum cœlestium auditores, amatores atque cultores.

Et in promtuariis eorum erit timor. Promtuaria, cellaria cognoscuntur, quæ
Fol. 27. solent conscientiis coaptari, ubi timor sollicitudinis vanæ tanto plus infunditur, quanto fuerint a Domino segregata, quæ propheticus sermo demonstrat : « Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor [1]. » Pulsat hujusmodi timor pectora miserorum, et gravi sollicitudine prægravat mentem; adjuncta sibi nec [non] tristitia tribulationis atque angustiæ, quo reatu eam affligat diriore.

XXVI.

Juvenes cum virgine, lactans cum stabilito sene. Dixi : disperdam illos [v. 26].

Exterioris hominis indicio interiorem quoque cognoscimus; quia per gradus profectuum [2] dum currit, ætates dicitur commutare, ut nunc lactans, nunc juvenis, nunc senior existimetur. His lactantibus Apostolus dicit : « Lac vobis potum dedi, non escam [3]. » Et iterum : « Tamquam modo geniti infantuli sine dolo, lac concupiscite [4]. » Hanc infantiam non corporis, sed animæ fuisse credamus, sicut etiam lac spiritalis doctrinæ sermo est cognoscendus. In hac infantia mortuus est filius Bersabeæ, qui fuerat adultero seminante conceptus : idcirco virilis juventutem ætatis non quivit obtinere [5]. In hac quoque infantia filius Jonathæ Miphiboset, cum nutrice dilapsus, claudus est utroque pede confectus [6]. Illos existimo infantes mori de adulterino semine procreatos, qui nascuntur in perfidia doctrinarum, et, priusquam discretionis scientiam sumant, ab hæreticis perimuntur. Hi vero qui ad professionem veniunt spiritalem, et a nutrice, id est præcessorum institutione, gestantur (si quidem per eorum ruinam conversationemque perversam, hac rudes, hac imperiti fuerint lapsi, ut nec moralem, nec contemplativam assequantur doctrinam), isti dicendi sunt in infantia cum nutrice ruisse, et utriusque pedis vestigia confregisse. Caveamus itaque negligentium fratrum societatem adjunctam, maxime quos videmus tempore præcessisse, ne, dum illorum erudimur exemplo, graviori lapsu planemur, ut in omni vita nostra ultra currere nequeamus.

Sicut autem infantiam spiritalem diximus discernendam, ita quoque juventutem condecet intueri. Qui, accinctis in veritate lumbis, expediti Dominum consequuntur, majorique longanimitate firmati, discunt in patientia sua possidere mentem suam, juvenes sunt hujusmodi compellandi; armorum quippe Dominicorum spiritaliumque certaminum exercitia consequuntur. Et hi sunt qui dicunt : « Deus, qui docuisti me a juventute mea [7]. » Tales juvenes indignatus Dominus se perimere comminatur de Jerusalem intelligibili : « Juvenes eorum occiderunt gladio [8]. Audietur clamor de domibus eorum. » Occidentur sine dubio, quum peccati gladio fuerint interemti, et super eos unaquæque ecclesia fuerit contristata. Tum demum « audietur clamor de domibus eorum. » Hoc idem de virginibus, senibusque cognosce : ut animas intemeratas contrariarum studio doctrinarum virgines esse condiscas; maturæ vero ac judicii pondere graves.

Stabiliti senes mystice figurantur, quos idcirco perdere se pronuntiat Deus, quia videt humani cordis nequitiam, procliviorem [9] ad malum, furari, occidere, adulterare, jurare mendacium, libare Baalim et ire post deos alienos; corrupta quippe est terra in iniquitatibus nostris. Nobis ergo hæc mala [magis] quam ultori Domino deputemus, qui juste quod justum est exsequitur.

Privabo autem ex hominibus memoriam eorum. Gravis comminatio, quæ non tantum interimit peccatores, verum etiam memo-

(1) *Timor.* Ps. xiii, 5. — (2) *Profectum* cod. — (3) *Escam.* I Cor. iv, 2. — (4) *Concupiscite.* I Petr. ii, 2. — (5) *Obtinere.* II Reg. xii, 19-21. — (6) *Confectus.* II Reg. iv, 4. — (7) *Mea.* Ps. lxx, 17. — (8) *Gladio.* Jerem. xviii, 21, 22. — (9) *Proclivior est* cod. et adde pessimam interpunctionem.

riam punitorum ex hominibus privat. Sanctos ac rationaliter institutos intelligimus homines appellari, de quorum memoria au-
Fol. 28. feret delinquentes, dum videlicet indigno exitu consummantur [1], ut numero piorum non deputentur; indigni, nisi propter iram inimicorum, ne longo tempore sint super terram. Malitia nobis grassantium inimicorum prospere cedit; quia tanto propitium senties Deum, quanto ille viderit adversantem nocendi tendiculas præparare. Idcirco vim ultionis aliquantulum inquit contemnere propter iram inimicorum, vel quam ipsi passuri sunt, ut super terram longo tempore non morentur, vel certe quia ipsi meo populo furialiter indignantur. Idcirco ego non eos permitto puniri, quamvis digna faciant ultione. Alto consilio Dei benignitas agit, ut, peccantibus nobis, aliquantulum differat puniendos; quo possint inimici spiritalium potestatum quibus suadentibus compellimur ad peccandum, non de nostra perditione lætari. Unde Moyses pro peccatore populo occasionem reperit supplicandi: «Ne, inquit, Domine, indignetur furor tuus super populum tuum; ne quid dicant Ægyptii : Callide eduxit eos, ut percuteret in montibus et deleret de terra. Quiescat, obsecro, ira tua, et reminiscere miserationum tuarum [2]. » Ostendit itaque posse Dominum flecti, ut a populo peccatore temperet manum, dum in eo gloriari non patitur inimicos. Differet identidem, ut ipsos adversarios puniat primum, et deinceps sua peccatores præveniat bonitate, aut obduratos præparet futuro judicio condemnandos.

XXVII.

Et hoc est quod ait : *Nisi propter iram inimicorum, ne longo tempore sint super terram, ne extollant se adversarii eorum et dicant : Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia* [v. 27]. Omnia præsumta temeritas inimici sibi ascribit, quod sibi non convenire cognoscit. Potestas divina judicat delinquentes, et in quibus justo dispensaverit arbitrio vindicandum, exhibet ultionem. Hanc sibi facultatem nequitiæ spiritales assignant, quod quasi eis licentia suffragetur quos voluerint puniendi; unde proprie sermo propheticus intimavit eos miserorum lapsibus gratulari : nec enim norunt non pati [3] qui passionum sunt incentores; extollunt se, elevant atque complaudunt, dum infelices animos criminibus faciunt obligari; et inde lætitia vaniore congaudent; unde nos tristitia graviore confundunt. Et sicut incentivis illorum si fuerimus convicti, nobis confusio procuratur, ita, si per gratiam Dei impulsionum aculeis non cedamus, victi cum opprobrio repelluntur.

XXVIII.

Quia gens perdita consilio est, et non est in eis disciplina [v. 28].

Recte perdito [4] consilio ac disciplina dicuntur, qui a Domino recesserunt; ipse enim solus est verum consilium, sicut in Proverbiis attestatur : « Ego consilium, mea autem virtus [5]. » Similiter quoque esse intelligitur disciplina, quia corripit nos in misericordia et miserationibus. Hæc itaque gens prævaricatorum est angelorum, qui nostris gratulantur in malis, perdito consilio, quia rectum non tenent intellectum. Consiliorum variæ species ostenduntur : sunt enim bona, de quibus dicitur : « Consilium bonum custodiet te. Cogitatio autem sancta servabit te, ut custodiat te a via mala et a viro loquente nihil fidele [6]. » Est deinceps consilium malum, de quo Jacob se liberari poscebat : « In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea [7]. » Nec non et illud : « Cogitaverunt consilium quod non potuerunt stabilire. [8] » Propter hoc David orabat : « Dissipa, Domine, consilium Achitophel [9]. » In quo serpens callidus figuratur, cujus consilia Ecclesiæ nocitura dissipat Deus ; sic quoque Fol. 29.
perditum consilium fiet, dum mala cogita-

(1) *Consumantur* cod.—(2) *Tuarum.* Exod. XXXII, 12. — (3) *Compati* lubenter legam. — (4) *Perdita* rursus malim, aut *perditi.* — (5) *Virtus.* Prov. VIII, 14. — (6) *Fidele.* Prov. II, 11.—(7) *Mea.* Genes. XLIX, 6. — (8) *Stabilire.* Ps. XX, 12.— (9) *Achitophel.* II Reg. XV, 31.

tio sinitur in aliquo prævalere. Sed et poscendus est discretor Spiritus sanctus hanc nobis gratiam collargiri, quo[1] perdita consilia indisciplinatosque motus perspicaciter cognoscamus.

XXIX.

Non sapuerunt intelligere hæc [v. 29] : inimici nimirum populi Dei, qui saporem non habent. Mentis quippe lumine spoliati, ignorantiæ malitiæque sunt tenebris circumsepti. In eo quod saporem dixit, subtiliter commendavit animæ cibos sapientiam appellari, quæ ruminando frequenterque mandendo, quamdam sui dulcedinem nostris sensibus fundit; et tanto dulciter sapit, quanto plurimum ruminatur. Illud tamen cavendum est : « Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem[2]. » Quia manducare mel multum non est bonum; dulcedinem sapientiæ plusquam mensuram percipere, periculosum est nimis. Multa saturitas vomitum parit; et id quod erit in comestione dulcissimum, post nauseam reperietur amarum.

Percipient hæc in futuro tempore. Quæ modo noluut percipere voluntate, in futuro percipient necessitate : judicii tempus expressit, ubi scientia, ignorantia, bonitas, malitia, fatuitas, calliditas in medio proferentur; ibique cognoscet unusquisque quod hic noluerit edoceri, vel certe quia superius de pœnis et afflictionibus loquebatur, dicendo quia « ignis accensus est ab ira mea et ardebit usque ad inferos deorsum, » et cætera quæ sequuntur; de his dicit : *Percipient hæc in futuro tempore.*

XXX.

Quomodo persequetur unus mille, et duo commovebunt multa millia [v. 30]? Virtutis gratia, de cœlestibus veniente, dum inter se spiritus atque caro compugnant, siquidem adhuc trahitur caro fragilitate terrena, spiritus jam renovatur de die in diem in agnitione veritatis : mille solus vitia superabit. Quod si, obediente sibi corpore et ditioni propriæ subjugato, infirmas cœperit anima consuetudines sectari, duo, corpus videlicet et anima, sibimet concordantes, vitiorum multa millia commovebunt; tot enim in homine dæmones perimuntur, quot peccata vincuntur.

Potest iterum aliter intelligi, ut ad libros hæreticos referatur; quod unus, propheticus videlicet liber, apocryphos[3] mille convincit. Quod si, Evangelio sociato, cœperis ex utroque pugnare, multa millia dejicis fallaciam doctrinarum.

Hoc iterum de unoquoque potest homine dici, qui licet infideliter vivens, tamen quia studium gerit moribus componendis, persequitur mille; quod si per fidem Jesu Domino fuerit copulatus, duo erunt, et propterea multa millia perimunt delictorum.

ARGUMENTUM. — XXXI. Deinde in his quæ Dei potius misericordiam quam vindictam exaggerant, totus est interpres : Domini videlicet Salvatoris commendat virtutem, et in ipso firmam populi tutelam; — XXXII. Suam esse vineam Ecclesiam, — XXXIII. Botrumque unum ex innumeris acinis in charitatis ligno; — XXXIV. Se esse ducem, tum maxime « plebis fatigatæ, defessæ in invio et desolatæ. » — XXXV. Cui nullas daturi sunt dii suppetias. — XXXVI « Videte, videte, quoniam ego sum Deus, et non est alius præter me (et videnda semel atque iterum illa eloquentis interpretis μετάφρασις). » — XXXVII. « Dilatabo in sanctis opera mea. » — XXXVIII. « Inebriabo sagittas meas sanguine, qui eductus est in cruce. » — XXXIX. Vulnera denique a Deo fieri, non vero mortem. — XL. Deum demum esse suorum sanctorum in cœlo lætitiam.

XXXI.

Nisi quod Dominus subdidit eos, et Deus tradidit illos. Quoniam non Deus noster sicut dii illorum [v. 31]. Virtus Domini Salvatoris commendatur in his hostibus subigendis, quos nisi ipse alligaverit, suisque tradiderit conculcandos, vincere non valemus. Qui enim infirmus tantis tamque innumerabilibus prævaleat inimicis? Quo-

(1) *Quo* ita cod. — (2) *Sobrietatem.* Rom. XII, 3. — (3) *Apofricos* cod. manu Vossii, opinor, correctus.

rum ne unum quidem posset sufferre, si non ille sufferat, qui solet in corporali quoque certamine, non per multos, sed per paucissimos, victoriam collargiri. Sufficit ille fortissimus ductor, qui suum præcedit spiritaliter vulgus, ut sufficiat persequentes, et deinceps contradet perimendos. Ostendit invisibilem animæ pugnam, non breviter, sed diutius peragendam. Tantum ut nostris consuetudinibus obsistamus; quibus quidem nec ipsa voluntas est obsistendi, nisi fuerit desuper condonata. Certemus itaque certamina Dei, quoniam debemus Asa regis imitare virtutem, non quam corpore, sed quam animo continebat : qui dum numerosis fuisset exercitibus circumseptus, ait :
30. « Ubi humanum cessat auxilium, hoc solum habemus residui, oculos dirigere ad te [1]. » Et Moyses pavidum vulgus exhortans : « Tantum state ; vos enim tacebitis, et Dominus pugnabit pro vobis [2]. » Poscendus itaque Deus est, qui vires tribuit adjutorii, sicut Doctor gentium ait : « Roborare Christum per fidem in cordibus nostris [3] ; » quo spiritalibus inimicis obsistere valeamus, eosque in nostri pectoris possessione necare, quia non Deus noster diis gentium exæquatur, qui clamantibus auxiliari non possunt, flentibusve in angustia nihil impertiunt adjutorii. Ipse est quippe loquutus : « Invoca me in die tribulationis tuæ, et eripiam te. [4] » Et iterum : « Si non occurrit tibi in tempore afflictionis tuæ, et in tempore tribulationis tuæ adversus inimicum [5]. » His probatur exemplis nostram potius negligentiam arguendam quam Dei patientiam accusandam, quæ invocata idcirco paululum tardat, ut crebris postulationibus excitetur, non ut desperationibus omittatur.

Inimici autem nostri insensati. Carent sensu, qui caruerunt Christo, quoniam in ipso est scientiæ plenitudo; nam qui Dei populum insectantur, licet sint fraudulentis calliditatibus expediti, tamen ipsa sua malitia fatui comprobantur. Hoc quidem contrariis principibus nostrisque persequutoribus coaptatur; quod si stulti sunt, quæritur unde illis hæc stultitia conscribatur. Nimirum quia ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt. Populus autem Domini fiducialiter dicit : « Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est [6]. » Et alibi scriptum est : « Hæc est sapientia et intelligentia vestra, si legem Domini Dei vestri audieritis [7]. » *Inimici autem nostri insensati.* Prævaricatores angeli inimici sunt populo Dei, qui cœlestem sapientiam relinquentes, terrena sunt stultitia delectati. Non solum ipsi, sed et plures alii sunt adversarii : hæretici, pseudoprophetæ, philosophi, infideles et omnes qui Christum, « in quo sunt thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi [8], » reliquerunt; idcirco et nobis inimici et sibi facti sunt insensati. Si librum legeris apocryphum, inimicus est tibi. Sed memento quod omnes inimici facti sunt insensati.

XXXII.

Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum, et propago eorum ex Gomorrha [v. 32].

Vinearum plura sunt genera : est israelitica vinea, quam Dominus plantat, cui dicitur : « Ego plantavi vineam electam, omne semen verum [10]. » Et est vitis ægyptia, unde Pharao populum sumit. Hanc pincerna regis, in carcere cum Joseph positus, per somnium exprimere videbatur [11], et propterea servitio tyrannico mancipatur. Est etiam vitis assyria, quam Sennacherib populo se daturum pollicebatur, quum regem obsideret Ezechiam [12]. Est alia Babylonis; de quo Jeremias dicit populo captivato : « Plantate vineas, et serite agros, et ædificate domos, et habitabitis ibi [13]. » Longum est diversarum genera vinearum præsenti loco subnectere. Sed curioso lectori quædam intelligentia semina enucleamus [14], ut

(1) *Te.* II Paralip. xx, 12.—(2) *Vobis.* Exod xiv, 14. —(3) *Nostris.* Ephes. iii, 17. *Christum habitare* Vulg. —(4) *Te.* Ps. xlix, 15.— (5) *Inimicum.* Jerem. xv, 11. — (6) *Est.* Ps. cxviii, 98. — (7) *Audieritis.* Deuter. v, 6. — (8) *Absconditi.* Coloss. ii, 3. — (9) *Genera.* Cf. t. ii, p. 449. — (10) *Verum.* Jerem. ii, 21. — (11) *Videbatur.* Genes. xl, 9. – (12) *Ezechiam.* IV Reg. xviii, 31.—(13) *Ibi.* An Jerem. iv, 3? — (14) *Conculcamus* cod. Sed libenter audacius corrigam, ut legas : *intelligentiæ semina.*

cognoscat quæ sit ista differentia vinearum. Nunc autem de inimicis nostris dicitur, quod *ex vinea Sodomorum eorum plantata sit vitis*. Vitem ergo plantationem intellige spiritalem. Et alii quidem ex vinea Jerusalem plantantur, si videlicet apostolicam vitam sanctaque fidelium instituta sectentur. Quod si pravum quisque propositum tenet, et morum nequitia depravatur, sodomiticis impietatibus captivatur, ubi turpitudo virorum, inhumanitas hospitum, inopum esurientiumque nulla compassio, ex vinea Sodomorum plantata est anima ejus, et ex Gomorrhæ civitate germina sumsit. Omnis enim plantatio morum quam non plantavit Pater cœlestis, sed princeps mundi malitiæque fautor, hæc vinea Sodomorum
Fol. 31. est. Sed quid Dominus de hac vinea dicit? « Et corrumpam vineam ejus et ficum ejus, de quibus dixit : « Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei [1]. » Verum illi qui confidentes in auro sapientiæ, simulacra sibi componunt in corde doctrinarum falsarum, et israeliticos pueros alienigenis litteris imbuunt, ut legem divinam omittant, ex babylonia vinea sunt vites hæreticæ. Ex vinea Sodomorum est vitis judaica. Ex vinea Gomorrhæorum est vitis prævaricationis, ex qua sunt principes prævaricati a Deo. Hanc vineam arbitror habere cultores et vinum gignere, unde qui biberit, audiet Isaiticam vocem : « Væ vobis qui potatis a mane usque ad vesperam, ut in vino æstuetis; quumque potati fuerint satis, evomant, et vomitus orium repleant mensas suas [2]. » Hoc vino potatus est Nabal Carmelus, quum temulentus a David injuria non revocaretur, et idcirco post decem dies percussus a Domino est. Si qui autem sunt duricordes, Dominum nescientes, Moysen et Aaron, legem et sacerdotes non audientes, ex vinea ægyptia sunt plantati. Qui vero bella adversus nos gerunt et inquietudines excitant scandalorum, ex Syria, id est sæculi superbia, venientes (hoc enim interpretatur), etiam hi dicuntur ex vinea syriatica propagari.

Uva eorum uva fellis. Sicut est uva ex qua vinum fit, quod lætificat cor hominis, ita etiam est uva fellis, ex qua peccatores potantur; ex tali vino felli commixto potare Judæi voluerunt Salvatorem. Sed ille qui peccati vinum non bibit, « nec dolus inventus est in ore ejus [3], » noluit tale poculum degustare; non enim dignatus est amaritudinem judaicam suavitate propria commutare, sed spiritalem nolentes dulcedinem sumere, in suis eos amaritudinibus dereliquit.

Uva eorum uva fellis, hæreticorum scilicet, quorum potus amarus est, nec in se Christi dulcedinem habet, licet videantur Christi nomen fateri; nam, sicut botrum unum omnis facit populus christianus, qui ex uno charitatis ligno descendit, sed acinos innumeros habet; nec prius potest vinum a vinaceis separari, nisi a pressuris fuerit conculcatum : ita hæreses universæ botrum unum amaritudinis faciunt, coeuntibus in se uvis fellineo liquore vexatis. Et idcirco botrus amaritudinis in idipsum. Una quoque earum proprie amaritudinem habet, nec sibi invicem commiscentur; sed ex vicinitate fœtoris sibimet coæquantur. Et fortasse jericuntius fons ac vinea [4] liquoribus suis mundat carnales. Lex intelligitur, qui universos agros, sine dubio plebem, sua [5] salsedine fecerat infecundos. Sed quum Eliseus, evangelicus videlicet sermo, sal in eo scientiæ posuisset, illico benedictionis fecunditatem accepit.

Ira draconum vinum eorum [v, 33]. Spiritalium enim draconum ira dissipavit eos quos indignationis suæ vino potarunt, ut ira draconum vinum fuisset hæreticorum effecta [6]..., quorum insanabilis furor est, quia sanitatis nolunt recipere medicinam [7].

Nonne hæc omnia congregata sunt apud me, et signata sunt in thesauris meis [v. 34]? Quæcumque enim a nobis fiunt, aut verbo aut cogitatione procedunt; licet a nobis

(1) *Mei*, Osee II, 12. — (2) *Suas*. Is. V, 11. — (3) *Ejus*. I Petr. II, 22. — (4) *Vineam* cod. — (5) *Plebe sua* id. — (6) *Effecta*. Hic putem deesse nonnulla, quibus exponitur thema illud cantici : *furor aspidum insanabilis*. Cf. Sabatier ad h. l. p. 390. — (7) *Medecinam* cod.

oblivione tollantur, apud Dominum tamen congregata sunt, et in thesauro ejus signata. Thesauri Domini multi et innumerabiles sunt : alii sunt thesauri sapientiæ et scientiæ, quod est Christus. Alii thesauri nivis et grandinis, indulgentiæ videlicet et pœnitentiæ. Alii thesauri furoris et iræ, judicii videlicet et vindictæ futuræ. Et si quæras, curiose lector, in libris divinis invenies quos Deus thesauros habeat apud semet ipsum occultos, si tamen spiritaliter universa valeas retractare.

XXXIII.

2. *In die judicii retribuam illis, in tempore quum lapsus fuerit pes eorum* [v. 35]. Et quidem hæreticorum lapsus est pes. Et licet videantur corporaliter stare, spiritaliter tamen jacent prostrati; sed tunc plenius pes eorum, id est firmitas, in lapsu deducetur, quum manifestati fuerint ad sinistram damnationis translati. *Quoniam prope est dies perditionis eorum, et adveniet parata illis.* Omnibus impiis perditionis dies proxima est et parata; superveniet in tempore, quando illi nihil suspicionis habebunt. Dies perditionis duplex est : aut enim tunc venit, quando pes dilabitur inimici, id est, sensus circumscriptione trahitur delinquendi; aut tunc quando supremum consummationis advenerit tempus. *Quoniam judicabit Dominus populum suum, et in servis suis consolabitur* [v. 36]. Judicat Dominus servos suos, et paterna clementia flagellat quos diligit; quos enim emendat, saluti destinat, et in servis suis consolationem tenet. Populum judicat, in servis consolatur. Multum enim interest inter servos suo domino jugiter famulantes, et inter populum sola nominis ditione subjectum.

Sed etiam sic recte intelligitur : Israelem, populum suum carnalem, judicavit Deus, repellendo a fide, et incredulitatis suæ laqueis vinciendo. In servis autem apostolis omnibusque discipulis consolatus est; vel quicumque sunt in tentationibus et passionibus subsequuti. Nam et sic recte accipitur : judicavit Dominus populum, quem de Ecclesiæ gremio, tamquam de nutricis sinu, pertulit repellendum. Et in servis suis consolationem invenit, in illis videlicet qui Deum sequuti sunt, et fraternam tenuerunt in unitatis vinculo charitatem.

XXXIV.

Videt enim eos fatigatos, et defectos in abductione, et desolatos. Fatigantur qui requiem sibi non quærunt Salvatoris, de quo hæc prophetico spiritu ait. Si enim in multis distenditur mens et per plurima trahitur, nimirum distractione fatigatur; sicut fatigatus est Ægyptius quem David reperit oberrantem, quum Amalecitarum latrunculos sequeretur [1] : spiritalis enim David Æthiopem populum, gentilem videlicet plebem, sequendo dæmonas oberrantem, et absque itineris recti tramite pervagantem, tenuit, lassamque massa fici [2], id est sancti Spiritus munere, confortavit, ut ipsa postea traderet Amalecitas in manibus Redemtoris, videlicet imprecando ejus auxilium. Una cum eo per gratiam roboratus, insequitur inimicos. Jurat autem et David ne eum ultra patiatur in manibus suorum contradi dominorum, hoc est quod in psalmo dicitur : « Si oblitus tui fuero, Jerusalem, obliviscatur me dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero te [3], Jerusalem, in principio lætitiæ meæ. »

Ecce juravit Dominus Jerusalem, plebem videlicet suam, numquam se ulterius relicturum; et hoc est quod nunc dicitur : *Vidit eos fatigatos, et defectos in abductione, et desolatos.* Deficiunt enim quorum Christus firmitas non est, et abducuntur delectationum varietate suarum, et desolantur ab illo spiritali habitatore animarum. In quatuor distributionibus omnes miserias texit, quibus animæ discedentes ab eo ac veræ fidei regulam relinquentes, miserabili-

(1) *Sequeretur.* I Reg. xxx, 11. — (2) *Lassamque massam fici* cod. — (3) *Tui.* ib. Ps. cxxxvi, 5, 6.

ter complicantur. Fatigantur pagani qui per diversa inventionum suarum argumenta currentes, comprehendere nequeunt veritatem : dum enim dispositionibus quibusdam quæstionis currit assertio, ac sibi apprehendere veritatis indicia gratulantur, illico ubi quippiam obsistit quod dissidere videatur, ad primæ iterum quæstionis revertuntur tractatum ; sicque fit ut multis controversiarum inventionibus fatigentur, nec tamen suis tractatibus certum inveniant finem : quippe qui Christum finem ignorant. « Finis enim legis Christus est ad justitiam omni credenti[1]. » Deficiunt hæretici qui perseveranter in Christi manere nequeunt veritate. Abducuntur pseudochristiani, qui nobiscum in ecclesiis corpore sociantur, mente tamen longius semoventur. Desolantur autem Judæi, de quorum medio Christus habitator abscessit.

XXXV.

Et dixit : Ubi sunt nunc dii vestri, in quibus confidebatis in ipsis [v. 37]?

Opprobrium suum portant recedentes a Deo, qui, dum idola venerantur, suum Creatorem contemnunt. Qui, dum eos viderit miseriis tangi, tribulationibus fatigari, erudit quod idolum nihil sit in mundo. Et tunc ipsa sui miseratione loquetur : « Ubi sunt dii vestri, quorum non potuistis præsidio liberari? » Hoc Isaias dicit : « Et ascendet Moab in domo dei sui, et clamabit, et non exaudietur[2]. » Hoc quoque potest schismaticis coaptari, qui deos sibi spiritaliter fingunt, et Deum Christumque ejus pro suo sibi arbitrio ponunt, et non sicut vere sunt, creduntur ab eis[3]. Quid aliud nisi idola machinantur, quorum auxilio in die judicii liberari non possunt?

Quorum adipes hostiarum edebatis et bibebatis, vinum libationis eorum [v. 38]. Idololatris recte refertur, qui deos propterea figmenta putabant, quia carnibus et adipibus victimarum, ventri dediti, vino et adipibus, saturabantur. Sed et nunc spiritalium idolorum cultores, nimirum hæretici, qui idcirco fiunt, dum abundantiam temporalem sectantur, doctrinisque falsis insistunt : recte dicitur quod adipes hostiarum edant, carnalis sacerdotii quæstum. Per adipes quippe et hostias nihil aliud nisi sacerdotium et quæstum ostendit.

Vinum vero *libationis* potationes sunt doctrinarum, non quæ Deo, sed quæ dæmoniis immolantur. Et fortasse idcirco percussi sunt filii Heli, quia hostiarum adipes Deo debitas, non sacris altaribus, sed sibimet deputabant. De vino quid dicam? Quod Apostolus prohibet bibere, « in quo est omnis luxuria[4]. » Sed et Aaron, cum filiis ingrediens sancta sanctorum, vinum bibere prohibetur[5]. Et Jonadab filiis suis statuit ne biberent vinum. Quid autem intersit Aaron cum filiis non bibere vinum, quum ingrederentur sancta sanctorum, tantummodo ex præcepto Domini ; quid vero Jonadab propria voluntate filios prohibere simul vinum[6] non tangere? Curiosius lector inquirat. Magnum est divinis obtemperare mandatis ; sed amplissimum est super aliquid adjicere propria voluntate[7]. Præceptum fuit, evangelistam laboris sui sequi mercedem. Sed Paulus proprio fuit labore contentus. Non expetit quod debetur, ut aliquid Dominicis laudibus augeatur. Dominus aliquibus diebus Aaron et filios vinum potare vetuit ; Jonadab filios prohibuit in perpetuum.

Surgant nunc, et adjuvent vos, et fiant vobis protectores. Opprobrium sui cognoscant, qui Dominum verum omittunt, et deos falsos sibi confingunt, dum imaginationibus acquiescunt ; quibus in die Domini dicetur : *Surgant nunc, et adjuvent vos, et fiant vobis protectores. Surgant* itaque quos ipsi vobis elevastis, vel quos videtis æternis ignibus

(1) *Credenti.* Rom. x, 4. — (2) *Exaudietur.* Forte Is. xv, 2. Sed locus Sabaterio videtur omnino defuisse. — (3) A *deis* cod. — (4) *Luxuria.* Ephes. v, 18. — (5) *Prohibetur.* Levit. x, 9. — (6) *Vinum.* Jerem. xxxv, 6. — (7) *Voluntate.* Macte! oraculum sanctissimorum seniorum sapientia dignum! Inde enimvero vita monastica omnis proficiscitur. Sed et cætera bonæ per me frugi sint.

consternatos. *Et adjuvent vos*, qui se non potuerunt adjuvare. *Et fiant vobis protectores*, qui se non potuerunt liberare.

XXXVI.

Videte, videte, quoniam ego sum Deus, et non est alius præter me [v. 39]. Quis hoc alius indicat, nisi ille qui se voluit hominibus demonstrare? et idcirco dupliciter iteratur: *Videte, videte!* non, audite, sicut per prophetas annuntiatum, sed propriis oculis videte revelatum. Audiant qui dicunt Patrem non posse videri, sed Filium. Si ergo hic Filius loquitur, qui se etiam videri demonstrat, non est alter Deus præter ipsum. Quid ergo facient de Patre, quem [1] solum non videri credunt? Multos sibi deos diversi homines fingunt; sed cognoscant quia unus est Deus. Quem nisi intellexerint, sicut eum veritas habet, Deum sibi alterum fingunt. Sed audiant quia non est alius præter me.

Videte, videte, quoniam ego sum Deus. Videte oculis in carne, videte mente in divinitate; videte testimonio prophetali, videte miraculorum virtute. « Si enim, ait, in me non creditis, ipsis operibus saltem credite [2]. »

Sed et hoc potest intelligi: *Videte, videte, quoniam ego sum Deus.* Videte, Judæi; videte, gentiles; ut ad duas videatur plebes dirigi sermo. An certe, videte, præsentes; videte, longius audituri. Sed et sic inutiliter agnoscetur. Videte in lege, videte in Evangelio, quia utraque in unum concinunt Deum. Videte fide, videte intellectu, quia *ego sum Deus*.

Valde movet quod non simpliciter dixit: *Et non est alius*. Cur adjecit: *præter me?* Recte satis, si tamen Jesus lumen nostris cordibus largiatur, ut revelata facie videamus quæ mystice prædicantur. Non enim dixit: *Et non est alius* in me, sed *præter me*. Est enim Pater in Filio, et Filius in Patre. Sed extra Patrem non est Filius, nec extra Filium Pater. Idcirco ait: *præter me non est Deus*, ac si subjungeret: sed in me est Deus, quia « ego, inquit, in Patre, et Pater in me est [3]. »

Ego occidam, et vivere faciam; percutiam, et ego sanabo. Occidam carnem, vivificem spiritum. Occidam infidelem, vivificem fidelem. Occidam mortalem, vivificem immortalem. Occidam natos ex corruptionibus, vivificem renatos ex spiritu. Occidam Judæos, vivificem Christianos. Occidam litteram legis, vivificem Evangelium. Occidam deputatos ad sinistram, vivificem ad dexteram segregatos. Occidam temporali morte, vivificem immortali resurrectione. Occidam me ipsum per crucem, itidemque vivificem post sepulcrum. Multis enim Deus modis occidit, ut vivere faciat quos dignatur.

Utinam et me peccatorem occidat, ut vivificet justificatum! Tali se morte mori Moyses precabatur, ut tamen gratiam in oculis Domini reperisset. Ordo quoque ipse non inutiliter positus demonstratur, quod non prius vivificat et sic occidat; sed occidet, ut vivificet deinceps, et de subsequentia cognoscendum est.

Percutiam, et ego sanabo. Percussio Domini sanitatis ostendit. Qui percutit, vexat; Dominus autem quum percutit, sanat; percutit corda dilectionis jaculo, et sanat languorem amoris a sæculo. Percutit dæmones, ut sanet homines. Percutit peccata, et redhibet mentibus sancta. Obsecro, Jesu bone, percute in me mala mea, et sana in me bona tua. Percute superbiam antiqui reatus. Percute resistentes, et sana subjectos. Percute Pharaonem, ut salvifices Israelem. Hoc est quod etiam Job sanctissimus ait: « Increpationem ergo Domini ne repellas, quia ipse vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanitatem præstat [4]. »

XXXVII.

Quia extollam manum meam in cœlum, et jurabo per dexteram meam [v. 40].

Extollere est per opinionis fragrantiam

(1) *Qui solum videri non* cod. — (2) *Credite.* Joan. x, 38. — (3) *Est.* Joan. ib. — (4) *Præstat.* Job v, 18.

dilatare; cælum sancti intelliguntur, sive ipsa Ecclesia; manus autem in operibus significatur: et hoc est quod intelligi voluit: dilatabo in sanctis opera mea. Vel certe aliter intelligi potest: *Extollam in cælum manum meam*, in Scripturis sanctis elevem potentiam meam. Quum enim releguntur, et ex ipsis divinæ potentiæ perspicitur magnitudo, manum suam in cælum elevat. Sed et hoc poterit coaptari, ut ex persona Deitatis dictum in incarnatione Christi cognoscas. Fol. 35. Extendit enim in cælum, id est, in corpore assumto, manum suam, sine dubio virtutum miracula, per quæ occultus in homine manifestari potuit Deus.

Et jurabo per dexteram meam. Nullius sacramento constringitur Deus, quia [Deus][1] sacramentorum ipse est. Quid ergo dicit *jurabo*, nisi ut juramentum Dei pro confirmatione verissima intelligas? nam *jurabo per dexteram meam*, confirmabo per immortalitatem meam. Vel certe dexteram Christum agnosce, in quo se immortalem esse mortalem monstravit, quia mortalitatem humanam immortalitate divina transfudit; et hoc est quod dixit.

Vivo ego in æternum, quia exacuam ut fulgur gladium meum, et continebit judicium manus mea [v. 41]. Gladium, divinitatem dicit, quæ tamquam in vagina latuit in carne. *Exacuam* dixit; clarificem, et fortasse hoc est quod Dominus de suo adventu testatur: « Sicut enim exiet fulgur ab oriente usque ad occidentem, sic erit adventus Filii hominis [2]. » Merito *continebit judicium manus mea*, quia venturus in judicium manifestius apparebit.

An certe gladium Verbum Dei intellige, ut non sicut lex obtunsius loquebatur, ita Evangelium protestatur. Sicut enim fulgur ex nubium collisione nascitur, et lumen sui trepide circumspicientibus monstrat, ita prædicatio Evangelii, ex prædicatorum consona percussione producta, auditorum mentes illustrat. Et sic manus Domini judicium continebit, ut alios trahat ad fidem, alios removeat, alios resolvat a captivitatibus peccatorum, aliis nihil salutis ostendat, et ineffabilibus suis quibusdam judiciis universa dispenset.

Moraliter hæc intelligentia currit. *Exacuam ut fulgur gladium meum*, erudiam sensum meum, ut velocitate quadam intelligentiæ luminis sui præveniat cunctos, et continebo judicium discretionis. « Spiritalis enim universa dijudicat, ipse autem a nemine judicatur [3]. » Iste sensus congruit etiam Domino Salvatori, qui gladium suum, corpus nimirum, mortalitate obtunsum, immortalitatis lumine suscitando, tamquam acuendo reddidit claritati. Et judicabit, et continebit in manu judicium, gentes absolvens, Judæos condemnans, « ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant [4]. »

Et retribuam judicium inimicis, et his qui oderunt me reddam. Non ait: Ut judicem inimicos, sed: Retribuam judicium. Retribuere est factis digna pensare. Inimici autem tam dæmones quam hæretici cognoscuntur, nec non etiam pseudochristiani, qui licet videantur professione Christum tenere, vita autem et moribus inimici sunt ejus; et cur inimici dicantur, rationabilis ordo demonstrat. Christus misericordia est, religio, sanctificatio, bonitas, et quibuscumque aliis nominibus poterit nuncupari. Si quis ergo christianus est, sed immisericors, misericordiam in se perimit; misericordiam in se perimendo, Christum occidit. Sic ergo fit ut non semel Christus fuerit a Judæis occisus: verum etiam multotiens, quod sine dolore dici non potest, a christianis quotidie crucifigitur similiter. Et qui sanctificationem derelinquit, id est, castitatem in se occidit, nihil aliud nisi Christum occidit: hujusmodi ergo inimici sunt ejus ipsi. Sunt etiam qui oderunt eum. Sed proprie illa est differentia, quod inimici dicantur dæmones et hæretici; odientes autem, pseudochristiani. Merito illis *retribuam*, tamquam quæ mala gesserunt, ut severus judex *retribuam*; istis vero *reddam* velut depositarius, quia

(1) *Quia* supra lineam est ac redundat. Sed *Deus* omisere. — (2) *Hominis*. Matth. XXIV, 27. — (3) *Judicatur*. I Cor. II, 15.—(4) *Obtunsum* cod. sæpius, quem ideo rescribo. — (4) *Fiant*. Joan. IX, 39.

apud eum quæ fecerint, deposita sunt facta. Et ideo illorum judex, istorum depositarius demonstratur.

XXXVIII.

Inebriabo sagittas meas sanguine, et gla-
36. *dius meus manducabit carnes* [v. 42].

Sunt enim sagittæ Domini spiritales, quibus humani generis percutit corda, et sanguinem a nobis consumunt spiritalem. Sicut enim ipse Christus sagitta dictus est electa in manu Patris, ita quoque ejus apostoli sagittæ intellectualiter nuncupantur, quos per totam mundi latitudinem forti arcu dispersit. Et fortasse istas sagittas pro signo misit Jonatham, ut David crudelis regis effugeret manus. Et his sagittis percussus est Saul, rex videlicet nequam, ut de regno israelitico deperisset.

Hæ sagittæ potant sanguinem nostræ infidelitatis atque carnalium vitiorum, pro eo quod dictum est de eis : « Peccata populi mei comedent [1]. » Hi enim qui fæculentias morum excoquent sermonibus suis, et purgatiorem animam reddunt, bibere quodammodo cruorem nostrum dicuntur. Et idcirco : *Inebriabo sagittas meas sanguine.*

An quod melius intelligendum est (quia non ait quo sanguine, sed tantum sanguine), fortasse [de] illo accipere debemus, qui eductus est in cruce de latere Salvatoris, ut sagittas suas suo sanguine saturaret? Quum enim prædicatorem verbi Dei videris audientium corda charitatis quodammodo vulneribus fodere, et sic fiducialiter verbo astare, ut mortis pœnarumque terrorem conculcet [2], dicito quod sagittæ Domini inebriatæ sanguine.

Sed et de martyribus non inutiliter congruit, qui effusione sui sanguinis epotantur, et ita ebrietatis poculo fiunt temulenti, ut suas quoque animas tradere non dubitent occidendas.

Et gladius meus manducabit carnes. Spiritus sanctus gentiles attrahit turbas : utrumque enim potest intelligi et sermo divinus, et Spiritus sanctus; quia Spiritu et verbo, hoc est virtutibus et prædicationibus, carnales animæ pertrahuntur ad fidem, ut manducentur et incorporentur spiritalium fidei.

Aliter quoque intelligentia currit. Corpus Domini gladius est, per quem totum sibi mundum subjecit. Et quia ipse est caput corporis Ecclesiæ, multitudo vero fidelium corpus ejus, utique eos quos sibi incorporat, et ad unitatem suorum membrorum adducit, comedere dicitur. De sagittis talibus dictum est : « Sagittæ tuæ acutæ, potentissime, populi sub te cadent [3]. » Quæritur enim et quales istæ sunt : non enim obtunsæ, sed acutæ sunt, ut omnem duritiam cordis valeant penetrare. Habet e contrario sagittas nequissimus princeps qui Christi semper exercitum æmulatur, et sagittis suis plures interimere concertatur. Quid enim dicit quæ Christi sagitta percutitur, quia vulnerata charitatis ego sum [4]? Qui autem sagitta percutitur inimici, sicut Achab, rex Samariæ, sagitta Syrorum percussus, corruit, atque omnem vitalem sanguinem fudit, ut mortis æternæ supplicio damnaretur : merito in pulmonibus dicitur vulneratus [5], ubi physici dicunt superbiam dominari. Percussus superbiæ vulnere, omnem animæ salutem effudit, quippe Deum relinquens et semet ipsum idolis subdens.

XXXIX.

A sanguine vulneratorum et captivitate. Duplicia sunt vulnera spiritaliter percutientia, sicut etiam carnali contingentia ictu : alia sunt inimicorum vulnera, quæ salutis adimendæ fiunt causæ; alia quæ infliguntur medici ferramento. Utrumque ferro fit, sed non æquali arte vel animo : ille facit ut adimat, iste ut reparet sanitatem. Non enim eadem sunt vulnera quæ in

(1) *Comedent.* Osee iv, 8. — (2) *Conculcet* nota, ac si *inculcet* diceret. — (3) *Cadent.* Ps. xliv, 6. — (4) *Sum.* Cant. iv, 9? Si integra lectio, notanda iterum est. — (5) *Vulneratus.* III Reg. xxii, 34

hostibus Israelitæ deligunt, et quæ inimici Hebræis imponunt. Aliud est occidere, aliud vulnus imponere. Prædicantibus sanctis, quum compunctio sumitur conscientiæ peccatricis, ecce vulnerat is qui jaculum dirigit verbum. Quod si potuerit et
Fol. 37 simul occidere, attrahitur utique, ut in corpore et quoscumque victos gladio divini sermonis suæ coadunaverit fidei. Nam Hebræi vulnera charitatis infigunt; Syri vero, alienigenæ nationes videlicet, atque hæretici, nec non etiam dæmones, sævitia corporali [1] vulnera mortis infigunt. Videmus enim, totoque mundo teste cognoscitur, gladium Domini bonitate propria desæviisse; et idololatras [2] multitudines spiritaliter interemtas, fideles effectas, quarum sanguinem sagittæ Domini biberunt. Non in terra effusus est. Aliud est enim in terra sanguinem fundi, aliud in sagitta manere. Si quidem Petrus et Paulus, cæterique sancti, suis sermonibus sævitiam mei cordis excoquant et vulnus mihi Dominicæ charitatis infigant: ecce sanguine meo potantur, quia in me sanguinolenta decoquunt opera peccatorum, et cum aculeo compunctionis eorum refrænor a malitiis. In sanguine meo sagitta permansit, et merito *inebriabo sagittas meas sanguine.*

E contrario vero, quoscumque percutiunt peccatores, et suis verborum vulneribus retrahunt a salute, sanguinem eorum in currum effundunt, sicut Achab, qui, in currum totum sanguinem suum, vulneratus a Syris, effudit. Syri enim hæretici cognoscuntur, qui dum potuerint quemlibet suorum sermonum sagittis transfigere, et ad ambitum terrenæ gloriæ suadere, super currum vulneratus, salutis suæ totum sanguinem fudit. Melius tamen, ut existimo, illis poterit convenire, qui ab eis in sacerdotali honore tamquam in curru levati, vehementi mortis sagitta vexantur, ut simul totum vitalem sanguinem fundant. Jezabel quoque, impiæ animæ, sanguis non pervenit ad terram sicut Abel, ut ad Deum posset clamare, sed aspersus in pariete permansit, quoniam deorsum fuerat præcipitata per servos, eunuchos videlicet et effeminatos. Isti servi sensus carnales sunt: qui deorsum a supernis impellunt, et quum in ruinam dejecerint animam peccatricem, sanguinem ejus in pariete, quem diversis impietatibus construxerint, spargunt. Et merito eunuchi, quia per dissolutionem vitæ vigorem sibi amputaverint naturalem, et luxuriæ sunt enervatione soluti. Sanguis quidem intellectualis Abel clamat ad Deum, quia fortasse post mortem, peccati pœnitentiam gerit; sanguis vero Achab et Jezabel omnino nullis clamoribus invocat Deum, quia « peccator quum venerit in profundum malorum, contemnet [3]. » Captivitatum vero quæ sit differentia, Paulus gentium magister ostendat: « Paulus, vinctus Jesu Christi [4]. » Et iterum: « Salutat vos concaptivus meus Barnabas [5]. » Ecce ipse concaptivus est. Quoniam quum vellet proprio Domino per ignorantiam calcitrare, vinctus ab eo, vinculisque pietatis innexus, Domini captivus factus est. Obsecro te, Jesu meus, me quoque captivum tuæ efficias pietatis, ut vinctus a te, tuoque sub jugo redactus, captivitatis tuæ vinculum portem!

Ecce quo sanguine et quali captivitate sagittæ Domini saturantur. Sapiens lector, appositis adhibe te cibis; prudenter attinge, sciens te debere [ad] talia præparare, hoc est, Scripturarum sanctarum dum legendo comedis delicias, intelligentiam para, ut talis intellector habearis, qualis fuerit [6] præparator.

A capite principum inimicorum. Inimicos paganos appellat vel hæreticos. Quorum principes potestates sunt dæmonicæ; caput autem principum istorum Diabolus est, cujus capitis captivitatem operatus est Dominus, quum in cruce conscenderet, eumque virtutis potentia captivavit. Sed et imperatoriæ potestati, quæ caput est omnium

(1) *Se vitia corporalia* cod. — (2) *Idolatrias* ib. — (3) *Contemnet.* Prov. xviii, 3. — (4) *Christi.* Philemon. i. — (5) *Barnabas.* Coloss. iv, 10, ubi salutat Aristarchus; vel Philem. 13, ubi Epaphras. Sed utrobique nostri memoria excidit, dum vult salutari Barnabam. — (6) *Fueris* forte melius.

38. principum paganorum nos persequentium, utiliter convenit, quam sibi Dominus fidei sociando spiritaliter subjugavit.

Aliter quoque intelligentia currit. Corpus Domini gladius est, per quem totum sibi mundum subjecit; et quia ipse est caput corporis Ecclesiæ, multitudo vero fidelium corpus ejus, utique eos quos sibi incorporat, et ad unitatem suorum membrorum adducit, comedere dicitur : dum eos vexillo subjicit crucis, ut ejus carnem conversi comedant, membraque sua faciet sibimet sociatos, suo eos corpori sociando.

XL.

Lætamini, cœli, simul cum eo, et adorent eum omnes angeli ejus [v. 43].

Cœli cum Domino collætantes, et in passionibus gloriantes, apostoli sunt atque martyres. Angeli vero, qui nuntii dicuntur, possunt intelligi hi qui semper, ut devoti famuli, suo domino ministerium exhibent spiritale. Namque factum est secundum litteram in nativitate Salvatoris, quando cum eo et angeli glorificaverunt Deum, et cœli sunt collætati in apparitione pastorum, quum suavibus concinerent cantilenis : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax [1]. »

Lætamini, gentes, cum plebe ejus; et confirment eum omnes filii Dei. Conjunctionem significat plebium, judaicæ videlicet atque gentilis; plebem quippe ejus judaicam indicat multitudinem conversam ad fidem, cujus societati adjunctæ sunt gentes in sanguine Christi. Quod autem ait : *Confirment eum omnes filii ejus*, populos christianos agnosce, ex quorum multiplicatione fides Christi firmatur. Et in ea ipse convalescit, et sic fit ut confirmetur a filiis Dei, « qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt [2]. »

Quoniam sanguis filiorum ejus defendetur. Cruor martyrum defendetur, qui ejus filii dicuntur, non occisione malorum, sed conversione infidorum. An certe sanguinem filiorum apostolorum intellige, quoniam ipsos proprie filios nuncupavit. « A sanguine enim Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, requiretur a generatione hac [3]. »

Et defendet, et retribuet judicium inimicis. Retribuet inimicis mala. *Defendet* suos, vel certe defendet crucis patibulum supportando. Retribuet judicium dæmonibus a quibus tenebantur obnoxii.

Et his qui oderunt eum reddet. Ipsi sunt inimici qui etiam oderunt eum; non æqualiter retributionem Dominus confert : aliquotiens digna indignis, ac propterea non dixit : Reddet mala, sed tantum : *Reddet*, utique [4] bonitatis suæ debitum, quia bonus est, omnium debitor est, etiam malorum. An certe reddet unicuique secundum opera sua, quod apud eum boni vel mali operis deposuerit quisque, hoc etiam illo recipiat redhibente, qui in justis redditurus est justa.

Et emundabit Dominus terram populi sui. Emundabit Ecclesiam, quum eam sine macula fecit et ruga; emundabit etiam corda sanctorum, ut in eis sibi tabernaculum præparet habitandi, quæ terra dicuntur propter culturam et fructificationem virtutum. Emundabit quoque corpus, quum oculus non concupiscit, nec peccato trahitur in luxuriam corporalem; unde etiam terra dicitur : vel quia de limo formatum est; vel quia nunc spinas vitiorum, nunc frugem bonorum germinat morum. Mundat ergo Dominus terram suam, quum carnem nostram fecerit puriorem ab omnibus inquinamentis carnalium delictorum. Caput autem velare, est præ confusione libertatem mentis non habere, quia caput mulieris vir est, id est, principalis pars carnalis spiritus est. Qui spiritus velatur, quando confusionis conscientiam portat, et nullam fiduciam libertatis habeat. Latus autem dissuere, hoc est, cordis revelare secreta, per confessionem videlicet delictorum. Si ergo leprosos nos esse cognoscimus, et peccatores esse sentimus,

(1) *Pax.* Luc. II, 14. — (2) *Sunt.* Joan. I, 13. — (3) *Hac.* Matth. XXIII, 35. — (4) *Utrum* cod.

obstruamus ora nostra, ne Dei justitiam enarremus, quam factis sequi nolumus; Fol. 39. mentem nostram præ confusione ad Deum non elevemus, sed una cum publicano peccatore dicamus : Peccavi, Domine, et oculos non sum dignus elevare in cœlum [1]. Confessionem vero peccatorum tamquam latera scindentes, immobiliter teneamus, talique remedio ab spiritali purgabimur lepra, et a peccatis veniam consequemur. Quod enim lepra in corpore, hoc faciunt delicta in corde, quæ noster Jesus solus misericorditer sanat : cui est gloria in sæcula sæculorum.

EXPLICIT EXPLANATIO CANTICI DEUTERONOMII VERECUNDI PRESBYTERI.

VERECUNDI

LIBER III.

ARGUMENTUM. — Is commentarius tam afflictæ Jerusalem quam pœnitentis animæ describit luctum, infortunia, solatia, non omissa identidem pia Ecclesiæ commemoratione. — I. Ab initio audiri videtur vox martyrum memoriam Dei deprecantium. — II. Tum detestatio hæreticorum Scripturas depravantium. — III. Deinde orphanæ et viduæ animæ succurrit querela, in hæresis aut schismatis angustia derelictæ; — IV. Cui venalia sunt aqua, lignum, immo nullus quovis pretio victus comparandus. — V. Eadem peccati stipendio venumdata, — VI. Ægyptus traditur et Assyriis, — VII. Ut et sua et patrum peccata, — VIII. In servorum, seu spiritalium nequitiarum ergastulo luat; — IX. Panem ægerrime sub imminente gladio comestura; — X. Livida pelle, fame quasi clibano torrida. — XI. Tam matris quam virgineos honores deflet amissos, — XII. Tam principum quam seniorum decus violatum. — XIII. Quippe mola potentes, cruce juvenes dehonestantur. — XIV. Sed quid senes ad portas fame deficere, quid electos a psalmis cessare, dicere pergit; — XV. Et quid converti chorum in luctum; — XVI, XVII. Coronamve capitis cadere; — XVIII. Aut excæcari oculos super mentem. — XIX. Desinit cum propheta in pia admodum et lacrymosa oratione ad Deum æternum, semperque suorum memorem, — XX. Qui ut cuncta condidit, ita renovare potest, — XXI. Iratum quidem, sed ut patrem, non ut dominum aut judicem.

INCIPIT EJUSDEM IN CANTICUM JEREMIÆ.

I.

Memento Domine, quid factum sit nobis [Thren. v, 1].

Canticum hoc Jeremiæ vaticinio decantatum est, quum captivitatis plurimas miserias deplorasset, quas per se Babylonius tyrannus ingesserat, et per [2] Nabuzardan militiæ principem incusserat, nec non, Godolia peremto, Ismael, Nathaniæ filius, excitarat : qui reliquias captivorum, quas Chaldæus hostis remiserat, voluit in Ægyptum transportare; idcirco canticum hoc lamentationibus ultimis junxit; Domini clementiam poscens finem malis imponi, quod tamen ecclesiasticus usus invenit psalmorum more cantari [3], dum cantici vocabulum ab eodem accipere nullis prænotationibus tituletur.

Memento, Domine, quod factum sit nobis : aspice et vide opprobrium nostrum.

Barbaram captivitatem historice deflet, miseriasque quas pertulit, ingerit aspectibus creatoris. Tropologice vero martyrum vox esse monstratur, qui pœnis afflictionibusque subjecti, Domino dicunt : « *Memento, Domine, quid factum sit nobis.* » Dum enim non ulciscitur suos, et patienter patitur persequutores grassari, obliviscitur quodam modo, sicut ille probat qui lacrymabiliter proclamabat : « Usquequo, Domine, oblivi-

(1) *Cœlum.* Cf. Luc. XVII, 10, 13. — (2) *Quas per* cod. — (3) *Cantari.* Idem extra ecclesiæ africanæ cancellos in usum venisse testantur et cod. reg. Suec. nunc vaticanus, editus a B. Thom. ad calcem Psalterii rom., p. 734, et Breviarium mozarabic. ad fer. v dom. II quadrag. Ignorat denique nemo idipsum cantari solemniore ritu in lect. III Noct. 1 in Sabbato sancto.

sceris me in finem [1]. » Et iterum : « Oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ, quoniam propter te morte afficimur tota die [2]. » Quum autem fuerit recordatus, et suorum pressuras famulorum absolverit, persequentium malitias ulciscitur cruciatu. Omni ex parte prophetæ sententia temperatur. Non dixit : Memento, Domine, inimicorum nostrorum, ut videlicet suis digna factis exsolvant ; sed : *Memento quid factum sit nobis*, ut hæc reminiscens, auferas quæ patimur; malefactoribus autem ignoscas. Hoc quidem est : *aspice;* quod etiam : *vide.* Sed iteratio orantis afflictionem ostendit. Cum affectu dolentis isti sunt versiculi relegendi.

II.

Hæreditas nostra conversa est alienis [v. 2]. Quum enim Judæus fuisset populus transportatus, alienigenæ vacuam possederant terram ; quæ fuerat hæreditas populi Dei, facta est possessio prædatoris. Adversus hæreticos ista deprecatio currit, qui hæreditatem Ecclesiæ Christi vel dæmonibus, vel pravis tradiderunt institutis.

Recte ait : *Conversa est,* quia quidquid convertitur, erat quidem, sed in aliud est postea commutatum. De Scripturis potest iterum sanctis intelligi, quæ sunt hæreditas fidelium populorum ; de qua non ait : Conversa est ad alienos, sed *Conversa est alienis,* his videlicet qui a Deo facti sunt alieni. Pravo eorum conversi sunt intellectu, secundum Pauli sententiam, quia « aliis est odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem [3]. »

Domus nostra peregrinis significanter expressit alienigenas illuc deputatos, qui terram israeliticam post captivitatem populi coluissent. Tropologice autem, domus Scripturarum intelligentiæ cognoscuntur, in quibus habitaculum nostræ mentis firmemus, aliter enim in eis non valebimus habitare, nisi sensibus, tamquam januis patefactis, interioris intelligentiæ latitudinem teneamus; quam dum hæretici male secundum suæ pravitatis inventionem convertunt, domus nostræ peregrinis incolis transferuntur. Fol. 40.
Aliter iste potest iterum sensus agnosci : nequitiæ quoque spiritales peregrini possunt intelligi congruenter, qui perversis cogitationibus pessimorum, divinarum Scripturarum sermonibus falsas inserunt pravitates. Moraliter, domus hæc mens humana est cognoscenda, quam peregrini nimirum, vitia videlicet, sibi supplantant; quæ prævaricatione peccati domus nostras, animas utique, penetrarunt; aliunde enim ad nos ingressa sunt, non ex natura originem sumentia, sed ex culpa.

III.

Orphani facti sumus, velut non habentes patrem [v. 3], qui græco sermone ὀρφανοί [4], appellantur. Plenius demonstravit in eo quod ait : *Non habentes patrem*, quod illi dicere possunt qui sui causa peccati patrem amiserunt *Christum ;* orphani procul dubio facti, quia proprium perdiderunt genitorem. Vox hæc christianæ quoque plebi concurrit : quotiens tempore calamitatis seu persequutionis depressa, sacerdotalis ordinis patrem habere præpeditur, hac uti poterit voce. Sed notandum est quod ait : *Velut non habentes patrem.* Quia quidem habemus in cœlo, non dubitamus ; sed quia nos deserit modicum, ut patrem non habeamus in terra : adeo velut non habentes facti sumus. Nam non absolute dixit : Facti sumus non habentes patrem, sed : *velut non habentes*, ut et habeamus et habere non videamur.

Matres nostræ sicut viduæ. Matres synagogæ noscuntur, quæ septem principaliter in Oliveti monte constructæ fuerunt, sed obsidionis chaldaicæ tempore perscissæ sunt, a gentibus inflammatæ. Et has matres viduas defiet, sacerdotibus interemtis qui Deo solebant filios, credulos videlicet populos, generare. Tropologice, ecclesiis quoque poterit coaptari, quæ persequutionis tempore a suis viris, id est, sacerdotibus fugientibus relinquuntur : propterea non viduæ, quia vivunt

(1) *Finem.* Ps. XII, 1. — (2) *Die.* Ps. XLIII, 24. — (3) *Mortem.* II Cor. II, 16. — (4) *Orfani* cod.

earum viri; sed quasi viduæ, quia relinquuntur ab eis.

Id mihi tamen diutius cogitanti aliter intelligendum occurrit, cur non viduas, sed sicut viduas appellavit, ostendens habere quidem virum, sed non plenius retinere. Et fortasse ipsæ sint decem David figuraliter concubinæ, ad quas initio quidem ingressus, ipsasque sibi non pleno maritali conjugio fœderavit, sed quibus posset, utpote concubinis, ex parte conjungi; quarum tamen Absalon, crudelior natus, sub specie principis Satanæ, potitus adulterio, et æterna sunt jussione David damnatione punitæ : hæreses manifestum est figurare, quibus fortissimus noster Dominus Jesus Christus sociatur ex parte, in eo quod Dei Filium confitentur, baptismum sequuntur, sacras litteras legunt, ritus sacrificiorum exercent; sed has Absalon ille nequissimus, qui [1] bellum semper gerens adversus proprium Creatorem, adulterino vexat incestu, damnationique perpetuæ ultionis Christi judicio subdit. Matres iterum nostras fidem, credulitatem, confessionemque cognosce, ex quibus nascimur Deo. Sed quum cœperint hæreticis vanitatibus vitiari, Christique in eis substantia commutari, sicut viduæ potius quam vere viduæ compellantur, quia videntur forinsecus virum amplecti, quem intrinsecus amiserunt.

IV.

Aquas nostras in pecunia bibimus, et ligna nostra in commutationem accepimus [v. 4].

Israelitis, tempore plurimo circumdatis, necdum quidem captivatis, aquæ ligni que proprii penuriam significat accessisse : quæ,
Fol. 41. nisi pretio, consepti non poterant ab hostibus invenire. Moraliter, « aquas nostras in pecunia bibimus, et ligna nostra in commutationem accepimus » : aquas, animæ virtutes; pecunias vitia esse demonstrat, quæ credenda sanitatem mentis absumunt; et hoc est *aquas nostras in pecunia bibimus*, virtutes, vitiis crescentibus, amisimus. Aliter iterum potest iste sensus agnosci : *aquas nostras in pecunia bibimus*, vox est fidelium adversus cupidos sacerdotes, qui templum Domini faciunt domum negotiationis, et a baptizatis lucrum aliquod consequuntur; qui nunc dicunt : Aquas nostri baptismatis in pecunias accipimus præmiorum. Hic sensus pœnitentibus itidem coaptatur : *Aquas nostras in pecunia bibimus*. Aquas proprias bibunt, qui lacrymarum suarum liquoribus saturantur, dum Scripturarum pecunias intelligentiæ libra perpendunt, ac meditatione frequenti [2] charitatem mentis inflammant; proniorque fit animus ad dolendum, quanto meliori profectu suorum aculeos senserit delictorum. Sicque fit ut in pecunia Scripturarum, aquas bibamus lacrymarum nostrarum : « Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura [3]. »

Ligna quoque in commutationem accepimus. Doctoris vox ista est qui dum plurimos in Ecclesia viderit corruentes, elaborat ab infidelibus vel aliunde restaurare conversos; ut ligna fidelium animarum per commutationem accipiat destructorum. Sapientes quoque sæcularium litterarum, qui sui exercitationem ingenii longe lateque diffundunt, quum ad sacras venerint litteras Evangelii, ibique scientiam commutarent, dicunt: *ligna nostra in commutationem accepimus*, scientiam spiritalem accepimus pro scientia sæculari.

V.

In cervices nostras fugati sumus [4], *laboravimus, requiem non accepimus* [v. 5]. Contemtum captivorum ostendit, qui manu cervicibus posita propelluntur hostili, ut nolentes currere compellantur. Moraliter cervix superbia, sicut Job dicit : « Posuerunt cervicem suam sicut scutum [5]. » Id est, superbia sua protectionis usi sunt loco : per hanc superbiam tamquam in cervices fugamur a Do-

(1) *Qui* pro *idem;* nihil enim deest, et ita codex.— (2) *Hac meditatione frequentis* ib.—(3) *Mensuram* cod. Ps. LXXIX, 6. — (4) *Sumus*. Ita græcum ἐδιώχθημεν, insolens versio tamen. Sabaterii codd. : « In cervices nostras *curvati sumus*. » Breviar. mozarab. : *cervicibus minabamur*, ut Vulg.— (5) *Scutum*. Job XV, 29.

mino, quia « excelsus Deus, et humilia respicit, et alta de longe cognoscit [1]. »

Laboravimus, peccatis servientes ac vitiis; requiem non accepimus, quia nos inquietudinis captivos effecimus. Sicut enim quieta spiritalis est vita, sic inquieta carnalis. Nonnulli volunt has voces martyribus coaptare, qui conculcati persequutorum opprobriis, de alia in alteram fugierunt civitatem. *Laboravimus, requiem non accepimus.* Donec affliguntur tormentis, laborant et nullam requiem patiuntur.

VI.

Ægyptius dedit manus Assyriis in satietate ipsis [v. 6].

Historice significat ægyptium assyriumque militem unanimiter ad captivitatem israelitici populi convenisse, ut spoliis abstractis suas cupiditates et voluntates barbaras satiassent. Tropologicam intelligentiam sequamur. Ægyptus, Tenebræ; Assyrii, Dirigentes dicuntur : quæ vocabula copulationes hæresum monstrant. Quum enim Donatistis, Maximianistæ; Valentinianis, Marcionistæ, Manichæique junguntur, Assyrius manus Ægyptio sociavit.

In satietate : acquisitionis populi [2], jam seducti, non charitatis gratia simul conspirant, sed ut Ecclesiæ firmitatem oppugnent. Quæ : « Non timebo, dicit, millia populi circumdantis me [3]. » Alter quoque potest in his verbis sensus agnosci : aeriæ potestates intellectualiter Ægyptii nominantur; assyriis hominibus qui sibi sanctiores esse videntur, opus suum conjungunt, ut per eos persequutiones ingerant veris sanctis, quos Dominus in Evangelio demonstravit : « Veniet hora, ut omnis qui vos occiderit, putet se sacrificium Deo offerre [4], » et hoc faciunt, donec suæ sævitiæ feritatem saturent impietate pœnarum.

VII.

Patres nostri peccaverunt et non sunt : nos autem iniquitates eorum exsolvimus [v. 7].

Vehemens sententia ! quæ parentum delicta filiorum vexatione defensat : nobis non sufficit nostra delicta portare, nisi etiam aliorum oneribus prægravemur. Quod sacerdotibus infelici sorte sæpe contingit : ipsis peccantibus, populus flagellatur, delicta patrum suis afflictionibus solvens. Secundum multiplicem intellectum his quoque concurrit, qui Christi Ecclesiam dissipantes, multos secum, scissa charitate, seducunt. Quos auctorum [5] delicto gravari iste versiculus terribiliter demonstrat. Unde quæsumus vos, vanitatum doctrinis aliquando subversos, ne putetis impune simplicitate deludi, æstimantes nihil vobis concurrere detrimenti, per alios oberrantes, non propria voluntate labentes. Quasi inter Cain et Lamech homicidii sit illa distantia; quum inventor mali assectatorque pari pœna mulctetur. Et Dathan atque Abiron deceptique ab eis uno sunt interitu deglutiti. Fol. 42.

Patres nostri peccaverunt, et non sunt; nos autem iniquitates eorum exsolvimus.

Potest et ad originalia peccata deferri. Illis enim primis hominibus peccantibus, cæteri pœnam peccati absolvant. At qui proprias non habent, alienas culpas absolvant, nisi fuerint per gratiam liberati.

Patres nostri peccaverunt, et non sunt. Non vacat quod ait : *Peccaverunt, et non sunt.* Omnis peccator ex eo quod delinquit, ad nihilum redigetur; et ideo non est, quia ab eo qui semper est, corruit dilabendo. Nec ait : *Patres nostri peccaverunt, et* non est peccatum eorum; sed *non sunt* ipsi; quia, peccatore defuncto, peccati tamen permanet noxa. Quam filii duplici modo persolvunt : aut paternis iniquitatibus inhærentes, afflictionibus deprimuntur, ut exsolvant peccata parentum; quo vel semen pereat impiorum, vel parentibus dolor filiorum vexationibus oriatur. Si autem filii melioribus institutis genitalis vincula delicti baptismo dirumpant, unusquisque eorum suis punitur absolviturque commissis.

(1) *Cognoscit.* Ps. CXII, 4; CXXXVII, 6. — (2) *Populi jam seductis* cod. *Acquisitionis populus* respicit ad I Petr. II, 9. — (3) *Me.* Ps. III, 7. — (4) *Offerre.* Joan. XVI, 2. — (5) An *actorum?* An aliud mutandum?

VIII.

Servi dominati sunt nobis, et non est qui redimat de manibus eorum [v. 8].

Qui dominicæ libertatis jugum noluerunt supportare, servorum dominio regis babylonici subjugantur. Nec est quisquam qui tributa solvendo victori populum redemisset. Reges enim Juda victi subdebantur tributis, et populum de captivitatibus liberabant. Nunc vero regibus captivatis, non est qui redimat ultra. *Servi dominati sunt nobis, non est qui redimat de manibus eorum.* Servos spiritales nequitias recognosce : qui cœlestem perdiderunt libertatem, dominantes servis peccati, quibus redemtor dominus non est. Luctus ergo est infidelium pœnitentium, Satanæ laqueos evadere cupientium, cujus dominio fuerant irretiti. Nec non itidem hæreticos servos agnosce, hominesque pessimis moribus institutos, qui servi facti sunt vitiorum ; et dum in hæresi dominantur, jugum nesciunt moderari. De quorum potestate, nisi subjectos Redemtor absolverit, eripi non valebunt.

IX.

In animabus nostris acquisivimus panem nostrum a facie gladii solitudinis [v. 9].

Beatior conscientia, quæ in animo semper panem sibi Scripturarum variarumque virtutum acquirit, et ex tritico hordeoque novi vel veteris Testamenti conquirit sibi copiosissimam frugem, unde panem suis sensibus condat !

A facie gladii solitudinis, ab impugnatione Diaboli percussoris. Solitudinis gladius appellatur, quoniam cordis humani terra, quum semel ibidem transierit, desolabitur : ideo dictum est : « Ante faciem ejus paradisus, et post eum solitudo deserti [1]. » Priusquam enim invadat fidelem mentem, paradisus est. Invasam vero, solitudinem reddit, quia recedit a Deo, qui supplantatur a Diabolo : vel quia ipse de solitudine venit, quem Deus a liberationis gratia derelinquit, ac desolabitur [2]. Moraliter, corpus anima vivit : anima, bonis operibus. Verbi causa, misericordia nostræ mentis est salus ; benivolentia, pietas, charitas, pax, et cætera hujusmodi vivificant mentem. In his animæ virtutibus cœlestem æternumque consequimur panem.

Fol. 13.

A facie gladii solitudinis. Est alius intellectus superiori contrarius (Nec in hoc offendat quod contrarius sit, cum magis scripturæ latitudo sit admiranda, quod diversos pariat sensus). *A facie gladii solitudinis.* Præsentia Domini Salvatoris propterea gladius appellatur, quod alios ad dexteram, alios aggregat ad sinistram ; solitudinis vero, quod solum Patris Verbum homo sit factum.

X.

Pellis nostra ut clibanum livida facta est a facie plagarum famis [v. 10].

Magnitudinem famis per lividæ pellis significationem expressit. Quam si quis velit [3] scire, Josephum legat, qui propter famem filios dicit a parentibus devoratos ; sed et fauces devorantium latrunculos præfocare, ut etiam deglutitos cibos pene de ipsis visceribus evulsissent. Sicque raptores latrunculi absque horrore sumebant. Tropologice, pellis est nostra qua primi sunt peccatores induti, finibus paradisi miserabiliter propulsati. Merito multorum una est pellis ; non enim ait : pelles nostræ, sed *pellis nostra*, mortalitas sine dubio, livore peccati contracta, per quam sumus clibano, id est Diabolo comparati, subversionis auctori, sempiternis ustionibus præparati, ad damnationem incommodi gravioris delati, per quam saturitate divina jejuni, æternæ sumus famis afflictione damnati.

A facie plagarum famis. Corporaliter quidem una est plaga famis : cur autem plagarum multarum ait, nisi quia famem monstravit internam ? Quum enim cibo cœlesti deseritur anima, per omnes sensus

(1) *Deserti.* Joel II, 3. — (2) *Desolabit* cod. — (3) *Si qui velit* ib.

suos plagas diversas patitur. Famis[1] oculorum, famis est lumen non contemplari divinum. Famis aurium est verbum salutis numquam audire. Manum ac pedum famis est operibus non communicare præcepti cœlestis, nec in viis justitiæ rectius ambulare. Sic per omnes sensus invenies multas plagas famis haberi.

XI.

Mulieres in Sion humiliatæ sunt, et virgines in civitatibus Judæ [v. 11].

Quotiens peccatorum fœditate gravamur, et de alto ad humilia miserabiliter proruimus consternati, mulieres nostræ, animæ nimirum, in Sion monte ecclesiastico humiliantur. Aliud quippe est in Sion, aliud extra Sion humiliari. Nos autem qui peccatores quidem sumus, et nostrorum tristitias peccatorum in domo Domini confitemur, non desperantes boni pastoris veniam subrogari, in Sion humiliamur. Ad has mulieres intelligibiles Jeremias testatur : « Audite, mulieres, verbum Domini, et assumat auris vestra sermonem oris ejus, et docete filias vestras lamentum, et unaquæque proximam suam planctum[2]. » Doceamus et nos filias nostras, affectiones scilicet, a nostris interioribus natas, ut pro suis peccatis noverint lamentari; proximas quoque, corporis utique nostri operationes, lamentationibus tempus impendere docemus, ut qui sumus humiliati per nos, allevemur per illum, quia amator est pœnitentium.

Et virgines in civitatibus Juda. Fidelium mentes virgines sunt, quoniam corruptelam
44. per Dei gratiam posuerunt. Civitates Judæ, ut æstimo, professiones sunt in diversitatibus vitæ. Nam alia est professio sacerdotum, alia levitarum, alia virginum, alia viduarum, alia conjugatorum; et in his gradibus aliquæ virgines intelligibiles exaltantur, quæ proficiunt, ad interiora tendentes intentionem propriæ voluntatis. Nonnullæ vero humiliantur, dum non expedite secundum modum suum Christum sequuntur; vel, quod est graviter flendum, in deterius prosternuntur. Has enim virgines Jeremias propheta deflebat : « Audite, obsecro, universi populi, et videte dolorem meum. Virgines meæ et juvenes mei abierunt in captivitatem[3]. » Virgines ac juvenes, mentes sensusque fidelium agnosce, in captivitatibus peccatorum transductas, quas propheticus plangit affectus.

XII.

Principes in manibus eorum suspensi sunt, et faciem seniorum non glorificaverunt [v. 12].

Doctorum Synagogæ, id est principum, morem institutumque asserit esse dolendum, quum in operibus dediti fuerint spirituum malignorum. Tunc quippe principes in spiritalium hostium manibus, utique operibus, pendent desiderio vitioso. Suspensi enim, quod ait, nutum animi demonstravit, quia quum fieri decernet aliquam rem secundum voluntatem hostis spiritalis, quilibet tota intentione suspensus exsistit, donec suis voluptatibus saturetur.

Faciem seniorum non glorificaverunt. Quod ait : *faciem seniorum*, ostendit tentationum procellam in omnibus pertransire. Nec enim malignissimus ille draco pueros novit suadere ad peccandum, et adolescentulis parcet; aut juvenes illecebris capit, et senibus requiem præstat; una tempestate convolvit omnem ætatem, sexum, conditionem, quoniam voluntas impia nescit miserorum lapsibus saturari. Sed tanto magis inflammatur, quanto pronos viderit infelices suis suggestionibus obedire. Evenit quoque ut in persequutoribus ista concurrant, dum ecclesiasticos principes senioresque plebis tormento, morte, contumeliisque convexant[4]. Quod utinam nos mereremur assequi, ut pro Domino Salvatore digni habiti contumeliam [pati] fuissemus, sanguinisque ejus pretio nostrum sangui-

(1) *Famis*, recto casu, eodemque hoc loco toties regestum, ut mutare noluerim. Et vetera non desunt exempla. — (2) *Planctum.* Jerem. IX, 20. — (3) *Captivitatem.* Thren. I, 18. — (4) *Convexat* cod.

nem mundaremus, dum nostri corporis hostiam Patri misericorditer libat!

XIII.

Potentes molis molebant, et juvenes ligno confixi sunt [v. 13].

Sedechiam historice regem ostendit, cujus oculos rex Babylonis evulsit, eumque molæ fecit addici; sed et alios principes, quos cruci jussit affigi. Tropologice, sensibilis quædam est mola sæcularis actus, quæ iterando non finitur, sed iisdem vestigiis semper involuta revolvitur, dum ea quæ veniunt, defluunt; aut defluentia colliguntur. His molis potentes molentes molent.

Potentium genera duo sunt: aut enim quis corporalibus est facultatibus potens, aut spiritalibus. Qui potentiam temporalium obtinent vanitatum, in his molis cupiditatum, concupiscentiarum, malitiæ, pertinaciæque volvuntur. Qui autem spiritales sunt, legis mola [1] molent, dum eadem releguntur, tenentur, repetuntur, frequentantur. Sic fit ut quædam sit spiritalis mola, qua [2] molent ut similaginem minutissimam ejiciant [3] intellectuum, unde Deo possit libamen offerri.

Confixos juvenes ligno, martyres accipimus crucibus interemtos; aut quia uno ligno multos dixit juvenes fixos, melius commortuos intelligimus Christo, quibus Apostolus dicit : « Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo [4]. » Et iterum : « Si enim mortui estis cum Christo, credimus quia etiam simul vivemus cum illo [5]. » Expediti ergo in Domino, mundoque mortificati, juvenes sunt affixi ligno Dominicæ crucis.

XIV.

Fol. 45: *Senes ad portas defecerunt, et electi ab psalmis suis cessaverunt* [v. 14].

Graves ac veterani, senio, inedia [6] fameque confecti, quum portas egredi vellent, ad herbas vel quælibet alia conquirenda, in ipsis sunt portis semineces consternati, vel certe quum ab hostibus pertrahuntur. Cantores quoque a suis officiis, territi vel capti, quieverunt. Tropologice, qui canitiem albatæ remissionis gratiæque consequitur, ac in mansuetudine opus suum perfecit, senex est : qui si Deum offendit, ad portas illas deficit, quæ dicuntur esse justitiæ, de quibus David : « Aperite mihi portas justitiæ; ingressus in eas, confitebor Domino [7]. » Ad has deficiunt senes, dum videlicet scandalis crescentibus fatigantur, et ad rectum itineris sancti cursum desistunt [8], ut, interciso pœnitendi ac lugendi tramite, quadam negligentia consternentur.

Et electi a psalmis suis cessaverunt. Tum quippe psalmorum decantatio spiritalium conquiescit, si incontinens animus Dei memoriam a semet ipso repellat, ut dicere non sinatur : « Psallam spiritu, psallam et mente [9] » Quod debet sine lassitudine pia mens in occulto conscientiæ proclamare, dum abjectas sæculares sordiculas, miserante Christo, conculcat; et semet ipsam cautius intueri, ne quid ab psalmis cantando desistat.

XV.

Dissolutum est gaudium cordis nostri [v. 15].

Pœnitentium vox ista monstratur, quorum gaudium spiritali contritione spiritus angustatoque corde conquiescit. Anima [10] humana diversas infirmitates secundum corporum qualitates importat, et ruina delicti aliquotiens fracturas incurrit; nonnumquam delictorum jaculis vulneratur; sæpe etiam variis doloribus cruciatur. Quod Isaias suo vaticinio protestatur : « In die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit [11]. » Et

(1) *Molam* cod. — (2) *Quam molent* ib. — (3) *Hjicient* ib. — (4) *Deo.* Coloss. III, 3. — (5) *Illo.* Rom. VI, 8. *Vivamus* in codice prima manu. — (6) *In eo ita fameque* cod. absurde. — (7) *Domino.* Ps. CXVII, 19. — (8) *Desistunt,* intricata cod. scriptura. Sed rectius esset *a recto cursu.* — (9) *Mente.* I Cor. XIV, 15. — (10) *Animæ humanæ diversas... important.* Ita codex, qui tamen singulariter pergit : *incurrit, vulneratur, cruciatur.* Eum ergo corrigi oportuit. — (11) *Sanaverit.* Is. XXX, 26.

iterum : « Vulnus et livor et plaga tumens[1]. » Nec non Jeremias : « Et cadent vulnerati in terra ejus[2]. » Livores, vulnera, et plagas tumentes spiritaliter in anima fieri non dubitamus. Quod puto et Abisai contigisse, qui cursor fuerat velox, tamquam unus ex capreis silvarum, nesciens veloces animi motus patientiæ gravitate tardare : unde dum cursu velocissimo sequitur inimicum, ictus vulnere deperiit[3], in loco inguinum secreto atque occulto, ubi fornicationis sævitia dominatur et lasciviæ morbus ardescit. Nam et Achab in corde sagitta percussus occubuit, inter pulmones et scapulas[4]. Quo evidenti[5] mysterio designatur, eos in corde vexari, quibus sapientiæ vigor, qui significatur in corde, falsitatum jaculis temeratur[6]. Et merito inter pulmones, ubi vitalis halitus, ubi salus omnis est; et scapulas, ubi Christi sarcina et onus leve portatur.

Hinc non *est*[7] *dissolutum cordis gaudium*, sed peremtum, *conversus est in luctum chorus noster* [v. 15]. Ubi communis est luctus, universalis quoque pœnitentia subsequetur, et tunc alter alterum excitat ad mœrorem, ut illud compleatur exemplum : « Convenite, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi, » quia Dominus noster silere nos fecit. « Potum dedit nobis aquam fellis, peccavimus enim Domino[8]. » Civitas munita Christi Ecclesia est, ubi peccatores silent, et potum amaritudinis præ tristitia bibunt; et quia fel quod Dominus gustavit, qui cunctorum peccata portavit, bibere jam non possunt, aquam tamen fellis in suis actibus potant.

XVI.

Cecidit corona capitis nostri [v. 16]. Ingens tristitia, dum ornamentum mentis aufertur; et ea quæ animam dono spiritali exornant, auferuntur a nobis. Hoc dicere potest is qui sacerdotio caret et qui virginitatis ornamenta quondam amisit : nec non qui fidei gratiam, id est Dominum, commutant perfidia falsitatis. Vis autem nosse Dominum nostri coronam capitis dici? Isaiæ testimoniis erudire : « In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ et sertum exsultationis residuo populi sui[9]. » Fol. 46.
Hæc igitur corona dum cadit, solis potest lamentationibus reparari. Nam quotiens hoc contingit, quid fieri debeat, Jeremias demonstrat : « Dic regi [et] dominatrici : Humiliamini[10]; sedete quoniam descendet de capite vestro corona gloriæ vestræ. » Sed multum interest quando cadat, quando descendat. Levior enim descensio quam ruina est concidenti[11]. Descendit, quia paulatim desidioso neglectum invectura profectu[12], et dum ad altiora non currit, ad inferiora descendit. Cadet autem qui simul virtutem quam habuit, aut intus amisit, aut foris expulsus a fide cecidit in ruinam.

XVII.

Væ nobis, quoniam peccavimus, propter hoc factum est in dolore cor nostrum [v. 17]. Ejulant peccatores, et væ sibi imputant esse, quoniam Dominum offenderunt. Unde dolor est ortus in corde, vel delinquendo suffixus, vel pœnitendo commotus, duplex doloris species æstimatur, de qua Isaias : « Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens[13]. » Hoc dicto significans dolori peccatorum dolorem compunctionis adjunctum. Malus iterum dolor : « In dolore paries filios[14]. » Iterum dolor in bono : « Et dolor meus renovatus est[15], » nimirum pœnitendi. Qui ergo post peccatum salubriter luget, in dolore cor habet, ut medicinali dolore dolor infirmitatis abscedat.

XVIII.

Quia excæcati sunt oculi nostri super montem Sion qui exterminatus est. Vulpes transierunt per eum [v. 18]. Quorum oculos malitia fecerit excæcari, ut Christi

(1) *Tumens.* Is. I, 6. — (2) *Ejus.* Jerem. LI, 4. — (3) *Deperiit.* II Reg. XXIII. — (4) *Scapulas.* III Reg. XXII. — (5) *Quod evidenti* cod. — (6) *Vigorque... temerantur* ib. — (7) *Huic non est* ib. — (8) *Domino.* Jerem. VIII, 14. — (9) *Sui.* Is. XXVIII, 5. — (10) *Humiliamini.* Jerem. XIII, 18. — (11) *Concedendi* cod. — (12) *Profectum* ib. Parum est quin legam : *Desidioso neglectu relictura profectum.* — (13) *Mœrens.* Lege Jerem. VIII, 18. — (14) *Filios.* Genes. III, 16. — (15) *Est.* Ps. XXXVIII, 3.

spiritalem Ecclesiæ montem, toto mundo crescentem, prospicere non sinantur, ipsis excæcatum est lumen super montem Sion. Nec non qui incarnationem Christi non credunt, similiter patiuntur vulpes transisse per eum. Persequutores eum vel hæreticos lacerasse cognosce. Nos autem dicamus : Illumina, Domine, nostri cordis obtutus, ut quæ digna sunt videamus, quæ autem indigna, vitemus [1].

XIX.

Tu autem, Domine, in æternum habitas, sedes tua in sæculum sæculi [v. 19].

In se Dominus habitans in æternum dicitur permanere, quia æterna illi mansio est, id ipsum esse quod permanet. Sedes tamen ejus non inutiliter Filius per mortalitatem assumtam cognoscitur dici, secundum quod ait : « Pater in me manens hæc operatur [2]. »

Ut quid in contemtu oblivisceris nostri [v. 20]? Lacrymabilis vox cunctorum, quæ fletibus ac mœroribus explicanda, discissit corda in angustia depressorum; quia non auxilium, statim ut imploratur, Dominus præbet, sed differt [3] occulto quodam judicio, et quasi despicit obsecrantes, ut per patientiam probet, et per victoriam muneret quos probaverit in contemtu.

Oblivisceris nostri. Ex humana fragilitate Deum æstimat oblivisci, quia oblivio subtrahit charitatem, læsos diutius differt [4], miserendi subtrahit facultatem, obtundit aciem bonitatis, et impertire auxilium non sinit in miseria constitutis. Hoc ergo propheta cognoscens, deflet in oblivionem se Domini corruisse.

Derelinquens nos in longitudine dierum. Memoriam nobis Domini jugiter imprecemur, et ut nostri sit memor, ipsi quoque memores ejus simus; nec enim obliviscentem se recordabitur, nisi ad hoc tantum ut ei insinuet inquirendum quod inquirere nesciebat; et dum memoria quæ inseruerit dilabuntur, si non occulta gratia itidem inspiraret, et ab animo submoventur. Præsidet enim Deus thesauro memoriæ, et occulta quodammodo dispensatione quæ illic sunt recondita, moderatur. Unde dictum est : « Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ [5]. » Unde reminiscentur, nisi quia noverant? Et iterum : « Populus vero meus oblitus es mei diebus innumeris [6]. » Ecce oblitus quod sine dubio fuerat memor. Amantem animam propheta demonstrat, quæ se a Domino non patitur derelinqui. Quod si ad modicum fuerit in tentatione relicta, dicit cum ejulatu lugubri : *Derelinques nos in longitudinem dierum?* Non vult enim se deseri ab eo quem diligit, quia ab illo destituta ad nihilum redigetur. Unde talem mens mea sumat affectum, ut a sui memoria Dominum non patiatur auferri. Quod si forte vel breviter senserit oblivione sublatum, consternata precetur : « Veni, Domine, noli tardare, et exsurge in occursum mihi, et vide [7]. » Hoc quoque adjungat anima mea : « Sicut terra sine aqua, velociter exaudi me, Domine. Defecit spiritus meus [8]? »

XX.

Converte nos ad te, Domine, et convertemur; renova dies nostros sicut antea [v. 21]. Scit propheta quoddam esse velamen infirmitatis objectum sensibus nostris, quod nisi fuerit illuminatione Christi submotum, converti ad Dominum nulla ratione valemus. Idcirco exorandus est, ut nos ad se inclinare dignetur. Quis enim tenebris septus, solis potest inquirere claritatem? Aut ubi locorum inquirat, quem scit in terris inveniri non posse? Restat ergo ut sol radiis fulgentibus oriatur, qui nullis voluntatibus obtinetur. Hoc Daniel toto sectabatur ardore : « Sequimur in toto corde, et timemus te, quærimus faciem tuam, ne

(1) *Vitemus.* Gemmulam hanc liturgicam in *Proleg.* tetigi libenter. — (2) *Operatur.* Joan. XIV, 10. — (3) *Differet.* Ita mox et alibi non semel. — (4) *Differet* cod. rursus, et paulo post *subtrahet.*—(5) *Terræ.* Ps. XXI, 28. — (6) *Innumeris.* Jerem. II, 32. — (7) *Vide.* Ps. LVIII, 6. — (8) *Meus.* Ps. CXLII, 6.

confundas nos [1]. » Initia reparationis antiquæ vitæ, quam nimirum in paradiso tenebamus, conversio nostra demonstrat. Idcirco ordinem propheta sectatus est : *Converte nos ad te, Domine, et convertemur; renova dies nostros sicut antea.* Renovari necesse est quidquid fuerat et tamen intercidit. Dies nostri antiqui immortales sunt, quos in paradiso tenebamus, priusquam excideremus, et averteremur ab eo : verumtamen scit propheta, quia per aversionem perditi dies per conversionem poterunt restaurari.

XXI.

Quia repellens repulisti nos a te, et iratus es nobis nimis valde [v. 22].

Tempera furoris aculeos, nec in nobis ultio sæviat peccatorum, dum nos iratus expellis. Quod autem ait : *repellens repulisti*, et non simpliciter : *repulisti*, ostendit repulsionis esse differentias duas : prima, qua traditur tentatori peccator; secunda, qua succumbitur tentamentis. Quum ergo tantum captivandus tentatur, repellitur; quum vero vincitur, nec pœnitet, repulsione repellitur. Et hoc est valde ac nimis Dominum indignari. « Quis novit potestatem iræ tuæ [2] ? » potestatem et numerum iræ divinæ quis prævalet invenire? « Quis enim novit potestatem iræ tuæ, aut præ timore iram tuam dinumerare [3] ? » quod aliquando ut pater, aliquando ut dominus, aliquando vero indignatur ut judex. Ut pater irascitur, quando verbis increpat delinquentem, et tamen pœnitentiæ non subtrahit medicinam, sicut Jeremias ostendit : « Ergo saltim amodo voca me, pater meus, dux virginitatis meæ es tu : numquid irasceris in perpetuum, aut perseveraveris in finem [4]? » Apparet hic ut patrem irasci, merito non in fine, sed usque ad tempus talis commotio permanebit. Quando paulo durius indignatur, ut dominus indignatur, et statim de peccato assumit vindictam. Quod Moyses quum sensisset, eo tempore quando totum Dominus voluit populum pernecare, ait : « Domine, ne indignetur furor tuus contra populum tuum [5]. » Severe voluit coercere, sed intercessu revocatus est sacerdotis. Ut judex autem tunc demum irascetur, quando dicturus est : « Ego sum judex et testis verus adulteris et mendacibus et falsiloquis et homicidis [6] ; » tunc quippe, post capitalem ignis æterni sententiam, veniæ non datur locus.

EXPLICIT EXPOSITIO CANTICI JEREMIÆ.

(1) *Nos.* Dan. III, 41. — (2) *Tuæ.* Ps. LXXXIX, 11. — (3) *Dinumerare*, ib. l. l. — (4) *Finem.* Jerem. III, 4, 5. — (5) *Tuum.* Numer. I, 53. — (6) *Homicidis.* Jerem. XXIX, 23.

VERECUNDI

LIBER IV.

Argumentum. — I. Verecundus vix alterum meliore tela intexuit commentarium quam in Azariæ canticum, quod veteres interpretes pene ignotum. Quod neophytis et pœnitentibus probandis, id enim putem, proposuit, ut illis potiora quæque fidei capita e singulis cantici versiculis scite eliceret et diligenter. — II. Christum esse Deum benedictum, et quo sensu, primum deputat; — III. Tum justum eum esse, et quæ sint illius judicia; — IV. Quotuplici modo in eum peccetur; — V. Quot pessima peccantium genera; — VI. Leprosum inter et peccatorem quid intersit; — VII. Quid, a Deo tradi. — VIII. Inde splendide trium patriarcharum ornamenta describit et singula cujusque [illegible]; — IX. Quæ vera Dei plebs; — X, XI. Qualis civitas; — XII. Quale in ara cordis sacrificium Deo litandum; — XIII. Quotuplex holocaustum; — XIV. Alia sacrificia a Deo accipi, alia rejici, alia prætermitti; — XV, XVI. Quinam perfectus Christi assecla, sive ante eum, sive cum eo, sive pone incedat. — XVII. Eadem ex cervi similitudine. — XVIII. Aliud esse credere in Deum, aliud in illo confidere. — XIX, XX. Quid sequi et confiteri toto corde. — XXI. Piæ exinde precationes ut Deus faciat secundum majestatem suam. — XXII-XXIII. Et secundum multitudinem miserationum suarum; — XXIV. Ut det gloriam nomini suo; — XXV. Ut sui confundantur inimici; — XXVI. Ut virtus eorum conteratur; — XXVII. Ut ipse demum cognoscatur in omni orbe terrarum.

INCIPIT CANTICUM AZARIÆ PROPHETÆ [1].

I.

Fol. 48. In hebræis voluminibus non habetur canticum Azariæ, sed Theodotionis eum translatio demonstravit. Et quamvis in auctoritate quæ ab Hebræis sumta est minime inveniatur, tamen in græcis atque latinis canonica eum sumsit auctoritas. Unde tamen a Theodotione sumtum est, non liquido paret. Sed nec tamen dicendum est quæ non invenit posse transferre, aut novum aliquid sub Azariæ nomine titulare; sed quia Danielis liber hebræis litteris [et] chaldæicis textus est verbis, accidit ut in chaldæo potuisset haberi, quod in hebræo contigit prætermitti [2]. Azarias unus fuerit e pueris tribus qui, Nabuchodonosor sævitia, fornaci succensæ traditi, non potuerunt vitiari. Ibique hoc canticum decantavit, quod nobis quoque in fornace sæculi tribuit concinendum.

II.

Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum, et laudabile et gloriosum est nomen tuum in sæcula. [Dan. III, 26.]

Poterat sermo divinus simpliciter adhiberi, ut propheta dixisset : *Benedictus es, Domine, Deus* noster. Cur autem adjecit : *patrum nostrorum*, prudenter debet inquiri. Ne itaque non patriarcharum et prophetarum Deum videretur assequi, propterea patrum suorum invocat Deum, non novum quemlibet atque ignotum, sicut exprobratur illis quibus dicitur : « Elegerunt sibi deos novos [3], quo modo panem hordeaceum. » Deos novos eligunt qui hæreticas sibi doctrinas impingunt; qui autem patrum suorum vestigia consequuntur, Deum utique credunt, quem patriarchæ atque apostoli tenuerunt.

Et merito *benedictus es*, quia « nemo bo-

(1) *Prophetæ*. Idem canticum editum est a B. Thomasio in fine veteris psalterii romani. Non semel excerpitur in missali romano, videlicet e v. 31 ad introit. fer. V post dom. Passion. et dom. XX post Pentec., tum e v. 40 ad offert. dom. VII post Pentec. Non pauca demum ex initio leguntur in hymno post proph. singulis IV temp. sabbatis. — (2) *Prætermitti*. Si addideris et chaldaice partim et partim hebraice scribi Danielem, probe prudenterque tibi erit exactum hoc Verecundi de cantico Puerorum testimonium, eo attentius excipiendum, quod ab Africano in celebri ad Origenem epistola oriatur vetus illa ac nimis decantata controversia, quæ tamen Afrorum ecclesias non movit ut non canticum illud inter canonicas Scripturas reconderent. Quo recentiora excitem, videsis eximiam R. P. Henneberg, S. Bonifacii Monacensis abbatis, *Revel. Bibl. Historiam*, p. V, c. 6, n. 20. — (3) *Novos*. Deuter. XXXII, 17.

nus nisi unus Deus [1]. » Recte hoc Ecclesia dicit, vel unaquæque anima quæ indulgentiam se noverit assequutam. In eo quod dixit : *Benedictus es*, non quasi hoc ostendit, quod ab alio benedictionem Deus accepit, quum dicere magis fuerat congruum : Benedicens es, Domine, Deus patrum nostrorum, ut ipse alios benedicere demonstretur, non ut ipse dicatur ab alio benedictus. Et certe rectius hoc de Christo intelligimus, qui benedictus a Patre est, cui dictum est : « Et benedicam te, et multiplicabo semen tuum in gentibus [2]. » Et iterum : « Benedixi ei, et erit benedictus [3]. » Licet hoc de Jacob dictum sit, sed intellectualiter transfertur ad Christum, qui solus est benedictus secundum divinitatem naturali nativitate, non adjunctione gratiæ [4] ; benedictus secundum carnem, sicut evidentius ostenditur in benedictionibus Joseph, quarum ordinem sequens nihil ad eum, sed ad Christum omnia referuntur :

« Deus enim patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicat tibi [5]. » Non dixit: Deus patris tui erit adjutor ejus, sed : « Erit adjutor tuus. » Deus enim non est adjutor patris Christi, sed ipsius Christi. Nam pater Christi populus agnoscitur judaicus, cujus adjutorium non est Deus, quoniam deseruit Salvatorem. Et Omnipotens non ait : Benedicet patri tuo et tibi; sed : « Benedicet tibi. » Non enim sic benedicebat Jacob Joseph filium suum, ut se a benedictionibus subtraxisset. Sed hæc omnia mysteriis implicata, ut in Christo complerentur, ostendit, qui solus est « benedictionibus cœli desuper benedictus, » quum eum in sua nativitate angeli collaudarent. « Benedictionibus abyssi jacentis deorsum, » quum sanctorum animas ab inferis exeruisset; « benedictionibus uberum et vulvæ » benedicitur in infernum. Non tamen dixit quia benedicitur in mundo, sed benedicitur in vulva et ubere : « Benedictionibus enim, ait, uberum et vulvæ. » Mundus in maligno positus est, et idcirco Deum patrum nostrorum non benedicit; populus autem qui est in vulva Ecclesiæ et ejus uberibus illactatus, Dominum benedicit. Idcirco « benedictionibus uberum et vulvæ. » Fol. 49.
In duas quippe partes omnem divisit populum christianum : aut enim perfecti sunt et spiritales, aut adhuc imbecilles et imperfecti. Qui ergo jam perfecti sunt, nati sunt ex Ecclesiæ utero, et sacrosanctæ legis uberibus nutriuntur, donec illius perfectionis immortale capiant donum. Qui autem adhuc infirmiter vivunt, et in carnalibus sordibus degunt, intra uterum dicuntur usque ad perfectionem partus portari, donec aut plenius generentur, aut infelicius abortiantur [6], ut etiam de ipsis dicatur : « Ne sit tamquam abortivum quod non subsistit [7]. » Non enim subsistunt, qui cum Christo non sunt, qui semper est; et propterea in aborsu peribunt.

Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum, Dominus prophetarum atque apostolorum, qui patres nostri sunt; ipse solus est benedictus. *Et laudabile* [8] *et gloriosum nomen tuum in sæcula. Laudabile*, quia, quum retro generationibus fuisset incognitus Dominus Jesus, se manifestius demonstravit. *Gloriosum*, quia solus est Deus deorum et Dominus omnium dominantium [9]. » An certe laudabile nomen ejus in hymnis, in miraculis gloriosum; mihi tamen videtur quod ait : *Laudabile et gloriosum in sæcula*, ad distinctionem voluit ista referre. Hinc enim laudabile est nomen ejus in Ecclesia, temporalique substantia novit, id est [credit], sed nomini tantum fideliter credit; gloriosum vero tunc erit, quum in futuro sæculo claritatem ostenderit majestatis.

III.

Quoniam justus es in omnibus quæcumque fecisti nobis [v. 27].

Cujus servus flagellatus agnoscit non severitate [10] Domini, sed justitia dispensari

(1) *Deus*. Marc. x, 18.—(2) *Gentibus*. Genes. xxvi, 24. — (3) *Benedictus*. Ib. xxvii, 33. — (4) *Gratiæ*. Comma forte tollendum, ut planius legatur : *non adjunctione gratiæ benedictus secundum carnem*. — (5) *Tibi*. Ib. xlix, 25. — (6) *Abortiantur*. Rarum quidem verbum, de quo grammatici certant. — (7) *Subsistit*. Job v, 16. — (8) *Laudabilis* cod. — (9) *Dominantium*. Apoc. xvii, 17. — (10) *Se veritatem* cod.

quidquid a Deo fuerit ordinatum. Dominus enim justus est in omnibus operibus suis, etiam si nos ejus justitiam minime cognoscamus. Hanc justitiam etiam Pharao flagellatus agnovit : « Justus es, Domine ; ego autem et populus meus impii [1]. » Si ergo justitiam Dei infideles agnoscunt, quanto magis fideles, etsi eam non intelligant, non tamen existiment aliquid Deum injustius ordinare!

Justus es in omnibus quæ fecisti nobis. Si comparentur exempla quæ superius de Pharaone posuimus, et nunc de propheta, parebit quanta sit differentia inter cognoscentem Deum et non cognoscentem; non enim ait Pharao : « Justus est in omnibus Dominus, » quia non poterat totam ejus justitiam cognoscere, qui agnitionis notitiam non habebat. Nunc autem propheta dixit : *Quia justus es in omnibus quæ fecisti nobis.* Adjiciendo : *Justus es in omnibus*, demonstratur propheta totam Domini justitiam cognovisse; quam etsi non intelligeret [2], propter abditas dispensationes et humanas intelligentias excedentes, tamen justum esse in omnibus non ambigebat.

Et omnia opera tua et rectæ viæ tuæ. Ut intellectus plenior habeatur, deest « recta, » ut sic dicatur : « et omnia opera tua recta, et rectæ viæ tuæ. » In operibus et viis duas res in Deum ostendit, quibus agit omnem rationabilem creaturam : opera ad dispensationem vitæ [3], ad devotionem pertinent; dispensat enim Deus tam singulos quam communiter universos, et bona et mala mortalium dispensationibus ordinat propriis. Viæ vero pertinent ad illuminationem evocationemque nostram : « Deduc me, Domine, in via tua [4], » per quam salus immortalitatis donatur. Et merito viæ multæ sunt, quia diversis diversa panditur via. « Uni sic, alteri sic, » sicut Apostolus dicit, « sed unusquisque proprium habet donum
Fol. 50. ex Deo [5]. » Sed et hoc potest ad nostrum Salvatorem referri, de quo dictum est : « Quia erat potens in dicto et facto [6] » ut opera virtuti, viæ prædicationi [7] deputentur.

Et judicia veritatis fecisti [v. 28]. Ininvestigabilis est sermo, nec potest facillime pervideri quæ narratio continet prophetiæ. Apud Deum multa sunt judicia, de quibus propheta precatur : « Voluntaria oris mei approba, Domine, et judicia tua doce me [8]. » Sunt judicia veritatis, sunt judicia justitiæ, sunt judicia jucunda, sunt judicia magna, et judicia ignis. Num quidnam hæc differentia judiciorum ab Spiritu sancto distributa? nonne thesaurum habet occultum? Hic enim dicit : *Et judicia veritatis fecisti.* Fecit judicia Deus in Ninive, sed non veritatis. Non enim explevit virtutem correptionis quam promiserat per prophetam. Quum enim comminatur, sed comminationem ultio non sequitur, non facit judicia veritatis, sed misericordiam veritatis; quia verum quod comminatus est, non adimplevit, sed donum quod non promisit, adimplevit. Judicia justitiæ sunt, quæ non pro mensura factorum tribuuntur, ut est : « Rogant me judicia justitiæ, appropiare Deo volunt [9]. » Judicia vero misericordiæ sunt, quæ dignis non pœnam, sed veniam largiuntur : « Judicia tua jucunda : ecce complevi mandata tua [10]. » Judicia quoque magna sunt, quæ ad hoc fiunt ut virtus Domini glorificetur in impiis : sic in Pharaone, quem idcirco suscitaverat, ut virtutem suam monstraret in eo : « Ego, ait Dominus, et redimam vos in brachio excelso et judiciis magnis [11]. » Illa sunt enim magna judicia, in quibus ad gloriam sui sic operabatur Deus, ut tamen malignus homo justius damnaretur. Judicia vero ignis sunt, illius, ut arbitror, sempiterni. Unde propheta dicit Azarias, atque [12] sciens comminationem ante per prophetam in veritate ultionis esse completam, dicit : *Judicia veritatis fecisti* : quod enim comminatus es inobedienti populo, consummasti. Veritatis judicia pariter timeamus, qui Do-

(1) *Impii.* Exod. IX, 27. — (2) *Intelligere* cod. — (3) *Viæ.* Ib. — (4) *Tua.* Ps. LXXXV, 11. (5) *Deo.* I Cor. VII, 7. — (6) *Facto.* Luc. XXIV, 19. — (7) *Opera virtutis, viæ prædicationis* cod. — (8) *Me.* Ps. CXVIII, 108.—(9) *Volunt.* Is. LVIII, 2.—(10) *Tua.* Ps. CXVIII, 39. — (11) *Magnis.* Ex. VI, 6. — (12) *Itaque* cod.

mini comminationes audimus, quia nisi pœnituerimus, comminationem promissio subsequetur.

Secundum omnia quæ induxisti nobis. Et super civitatem sanctam patrum nostrorum Jerusalem. Non enim super illam Jerusalem tantummodo furor Domini stillavit, et non super Jerusalem spiritalem, si peccaverit, illico destillavit. Quum enim nos Deus Ecclesiamque suam patitur persequutionibus concuti, mœroribus affligi, oppressionibus deteri, super civitatem sanctam vindictam incutit. Sed illa ratio conquiratur, cur ait : *Et omnia quæ induxisti nobis;* et non dixit: super nos, sed *nobis*, sicut dixit : *super civitatem sanctam.* Aliud est enim nobis inducere, aliud super nos inducere. Si enim in persequutionibus non vincimur humano timore, non frangimur irrogatis, non cedimus tentamentis, ecce induxit nobis Dominus malum, non tamen superduxit. Superducit autem illis qui in tentationibus subjiciuntur in lapsu; et idcirco quotidie dicimus : « Et ne patiaris nos induci in tentationem [1]; » non enim possibile est, ut non veniat tentatio : sed hoc rogamus ut non in illam inducamur, ab eadem videlicet non superemur.

IV.

Quoniam in veritate et judicio induxisti hæc omnia propter peccata nostra, quoniam peccavimus, et inique egimus discedere a te, et multum peccavimus in omnibus, et mandatis tuis non obedivimus [v. 28-30].

Non sunt æqualia peccatorum genera, et differentiæ multæ sunt, quo aliud ab alio discernatur. Plures enim peccant Deo, et non multum peccant, sicut ille qui dixit : « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci [2]. » Non enim dixit : Multum peccavi, sed tantum : Peccavi. Nam aliud est peccare simpliciter, aliud iterationes facere peccati, ut Mannasses in cantico demonstravit : « Peccavi, Domine, peccavi [3] ! » Super omnes autem est qui semel multum peccavit [4]. Peccat qui semel malum aliquod facit. Peccat et iterum peccat, qui non semel, sed sæpius peccatorum vinculis alligatur, vel uno duobusve vitiis alligatur. Multum autem peccat qui nullum peccatis finem imponit, sed per omnia trahitur mala. Propter quod hic evidenter Azarias testatur : *Multum peccavimus in omnibus*, ut videlicet omnia se delictorum monstret facinora perpetrasse. Difficile est enim omnes species percurrere delictorum : quod si etiam in omnibus semel peccetur aut secundo, quantus erit cumulus delictorum! Hic autem se multum dicit peccare, non in uno, sed in omni genere peccatorum; non semel aut secundo, sed multum. Fol. 51.

Complexus est tamen quid sit multum peccare : *Mandatis tuis non obedivimus :* quid est enim mandatis Domini non obedire, nisi decem præcepta non facere? Certe decem præceptorum consummatio vel etiam transgressio in una virtute aut vitio consistit, in obedientia aut in superbia. Unde quod in primo peccato per unam inobedientiam homo primus incurrit, hoc Moysi postea decem præceptis legalibus prohibetur [5]. Recapitulata enim decem legis præcepta, nihil aliud nisi primi hominis unum peccatum adcurrunt : « Diliges Dominum Deum tuum [6]; » quem si Adam diligeret, eumdem per inobedientiam non contristasset. « Sabbata Dei tui coles [7]; » si ille vellet otium quiescendi habere, non se per inquietudinem convolveret [8] tangere, quod ne tangeret, fuerat interdictum. « Honora patrem tuum et matrem tuam; » Dominum enim Patrem et cœlestem Jerusalem noluit honorare, qui reverentiam humilitatis noluit exhiberi. « Non occides; » occidit semet ipsum gladio transverberando peccati. « Non mœchaberis; » mœchatus est relinquendo Deum et inhærendo Diabolo. « Non furtum facies; » furatus est subripiendo quod ad se non pertinebat. « Non falsum testimonium dices; » mentitus est Deo, cu-

(1) *Tentationem.* Matth. vi, 13. — (2) *Feci.* Ps. l, 6. — (3) *Peccavi.* Vid. infra p. 98 canticum illud a Verecundo expositum. — (4) *Qui simul tum peccavit* cod. — (5) *Prohibentur* ib. — (6) *Tuum.* Deut. vi, 5. — (7) *Coles.* Exod. xx, 8. — (8) *Convelleret.* Correxit prima manus aut fere æqualis.

jus non credidit veritati. « Non concupisces; » concupivit indebitum cibum.

V.

Neque conservavimus, neque fecimus, sicut præceperat nobis, ut bene nobis esset.

Conservanda enim sunt in animo præcepta Domini, et opere facienda, ut beatitudinis retributio confiteatur. Audienda sunt enim præcepta Domini, et in animo conservanda, et operibus consequenda. De duabus rebus arguit semet ipsum : unam siluit; non enim dixit se non audire, sed non conservare. Qui enim dicit se non conservare, non audire se deliteri non potest; audivit enim quod se fatetur non conservare.

Merito, *sicut præcepit nobis.* Utique si præcepit Dominus, poterant audire præceptum : hoc omnis prophetia testatur Isaiæ atque Jeremiæ, nec non etiam Moysis, cæterorumque multorum qui populo fuerant colloquuti.

Et omnia quæcumque nobis fecisti, et omnia quæ induxisti nobis, in vero judicio fecisti [v. 31].

Fecisti plagas pestilentiæ, morbi, mortium; *induxisti* vero alienigenam regem, ad captivandum meritam gentem, quæ in vero judicio tuam exsequuta est ultionem.

Et tradidisti nos in manibus inimicorum iniquorum, inimicissimorum apostatarum, et regno iniquo et nequissimo præ omni terra [v. 32]. Quum enim persequutorum in manibus christianus populus venit, et cognoscit se propter disciplinæ severitatem hoc fuisse perpessum, ac pœniteri [1] incipit, resipiscens a malo, recte hoc dicit : *Et tradidisti nos in manibus inimicorum iniquorum, inimicissimorum apostatarum.* Nec mihi videtur hoc de persequutoribus dici paganis, sed magis qui post fidem perceptam in schismate corruerunt, ut rectius apostatæ nuncupentur. Non enim suffecerat *inimicorum* dicere, sed etiam *iniquorum.* Inimici sunt quia charitatem scindunt; iniqui, quia, carnalibus vitiis subjecti, in schismata corruerunt. Inimicissimi autem, quia non eis sufficit quod a nobis segregati abierunt in profundum, verum etiam sui nos similes fieri collaborant; et idcirco inimici sunt, quia præciderunt charitatem; inimicissimi autem, quia etiam quærunt animas jugulare. Hoc potest etiam referri ad dæmones, qui non tantum inimici sunt communem relinquendo Creatorem; verum etiam inimicissimi, quia humanæ insidiantur saluti. Ipsi etiam apostatæ nuncupantur, sicut eos evidenter apostoli Judæ sententia probat [2]. Moraliter vero, omnibus vitiorum aculeos inimicos agnosce, qui nobis insidias juges important.

Et regno iniquo et nequissimo præ omni terra. Vox pœnitentis est, qui se plangit et deflet traditum dæmonico regno, quod est iniquum et nequissimum omni regno terreno, dum per vitia captivitati se traditum videt. Aliter, hæreticorum regnum nequissimum esse iniquum, quis ignoret? siquidem unum regnum omnes hæreses construunt, sed ruinæ servatum. Et hæc mihi videtur esse domus in qua filii Job, relicto patre, cum sororibus potabantur; quæ modica concussa est Diaboli tempestate a quatuor angulis, tamquam a quatuor vitiis quibus hæreses obsequuntur : ambitio, cupiditas, luxuria, deliciæ. Et illico omnes intra se positos ruina vehementi restrinxit [3]. Non domus Job corruit, sed iniqui filii ejus, conviviis, potu et cibo videlicet dediti, temporali licentia congaudebant. Job qui sacrificia Deo jugiter immolabat, et attentus de peccatis sollicitudinem gerebat, ne quid forte delictum fieret in Deum, ipse ruinis tentationibusque premi non potuit; quotidie quippe ædificabat delictorum ruinas, et quidquid fuisset incursum, precibus et oblationibus consopibat. Et propterea tali non interiit morte, filii autem nihil cogitantes de Deo, sed ventri servientes et carni, impulsu perierunt ruinoso [4].

Et regno iniquo et nequissimo præ omni terra. Melius intellectualiter dæmonibus

(1) *Pœniteri,* ita non semel. — (2) *Probat.* Jud. 6. — (3) *Restinxit.* Job 1, 4, 19. — (4) *Ruinosa* cod.

coaptatur, qui vere nequissimi præ omni sunt terra. Et illud moraliter agnoscatur, vitiis atque hæresibus utiliter concordari [1].

VI.

Et nunc non est nobis aperire os [v. 33]. Culpam peccator agnoscit, et reatu conscientiæ ora confusionis occlaudit : « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas [2] ? » Sed et leprosus in lege segregatus a castris, digitum super os ponebat, caput linteo contegebat, latera dissuebat, et sic extra civitatem residens, præstolabatur salutem [3]. Quid enim est digitum super os ponere, nisi hoc quod nunc propheta testatur : *Et nunc non est nobis aperire os?* caput autem velare, præ confusione mentis libertatem constantiæ non habere? vel certe quia et mulieres velare caput jubentur et non tonderi. Effeminatæ quippe animæ debent velatum habere caput, quia loqui in ecclesia non admittuntur (peccatori autem quod non potest facere, non licet prædicare); et idcirco velant caput, quia superflua terrenarum cupiditatum in se infirmiter nutrientes, et propter hoc liberaliter cœlum aspicere non valentes, velare caput jubentur, ut discant operimento spiritali principale [4] mentis velare, refrænantes in se cupidos appetitus. Sed aliud est in ecclesia velare caput, aliud extra terminos sensibilis civitatis : quia leprosi extra civitatem sedebant velati. Nam qui intra ecclesiam velant caput, honorem angelis, id est sacerdotibus, deferentes [5]; et subjectos se virili potestati demonstrant, Christi videlicet jugo. Qui autem extra terminos civitatis abjectus [6] ab omni populo Dei et propter immunditiam lepræ, extra muros quoque fit et propulsatur, discat lugendo consortium reparare sanctorum et ad Jerusalem remeare cœlestem, sanata immunditia lepræ per quam fuerat segregatus. Omnis homo, peccato leprosus, et immunditia plenus delictorum, licet videatur hominibus jungi et in medio fortasse Ecclesiæ stare, apud Deum tamen separatus est, et semotus Ecclesia, et extra spiritales muros longius propulsatus. Quod vero dissuto latere sedebat, hoc est per confessionem omnia dextera et sinistra, nota et ignota, sive quæ per scientiam atque ignorantiam gesta sunt, confiteri. Quod et David faciebat, quando veniam dicendo poscebat : « Delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memineris [8]. » Per juventutem lubricum lapsum mentis ostendit, qui per scientiam incurritur delinquentis; et licet sciat se homo peccare, non se tamen prævalet refrænare. Ignorantiæ vero delicta multa sunt, aut difficilius [agnosci] possunt [quam] quæ sibi peccator ignoscit [9].

53.

Confusio et exprobratio facta est servis tuis et colentibus te. Alia confusio, alia exprobratio est : confusio in nobis nascitur, quum pro rebus quibuslibet verecundiam toleramus; exprobratio autem ab inimicis improperantibus subrogatur. Utrumque ergo in persequutionibus tolerant christiani, dum confusionem patiuntur, dum eos pagani vel hæretici, non veros, sed falsos esse asserunt christianos et non rectam fidem tenere. Certe quando martyribus dicebant : Ubi est Christus tuus? quid prævalet Deus tuus? quare te non eripit de manibus nostris? Ecce tunc confusionem religiosi patiebantur. Exprobratio autem, quando insectationibus pœnarum et durioribus affligebantur injuriis. Quod vero *servis tuis et colentibus te* adjecit, differentiam fecit, qui sint servi, qui colentes Deum. Et generaliter omnes fideles colunt Deum. Sed non tamen omnes fideles servi Dei dicuntur; sed illi tantum qui familiariter, abjecto mundo ac sæculi vanitate calcata [10], illi inhærent quem desiderant adipisci. Merito confusio servis, exprobratio colentibus; quoniam injuriis affecti pœnisque vexati, nullam respondendi fiduciam obtinebant.

(1) *Terra. Quod Deus immoraliter agnoscatur v. a. h. u. concordavit.* In codice vexatissimus locus. Jam pene legebam : *immo aliter.* — (2) *Meas.* Ps. XLIX, 16. — (3) *Salutem.* Levit. XIII, 45. — (4) *Principali* cod — (5) *Deferentes.* I Cor. XI, 10. — (6) *Abjectos* cod. — (7) *Ecclesiæ e. e. spiritalis.* Ib. — (8) *Memineris.* Ps. XXIV, 7. — (9) *Agnoscit* cod. iterum perturbatus — (10) *Calcata.* Hinc *servus Dei* idem ac *monachus*

VII.

Et ne tradas nos in finem, propter nomen tuum [v. 34].

Perpetuam captivitatem propheta metuit, ne, indignatione permanente jugi, eos usque in consummationem multæ miseria servitutis affligat: quod ne contingat, obsecrat. Tropologice, in finem se tradi propheta metuit, hoc est in Christo, quia in eo traduntur qui in illo scandalum patiuntur. Propheta precatur ne in finem tradantur. « Finis vero Christus est ad justitiam omni credenti [1]. » Vel certe in finem intellige usque ad consummationem mundi vel vitæ nostræ. Tradet enim Dominus peccatores, quum eos relinquet, et dæmonibus vel suis eos vitiis patitur obedire. Ex voce martyrum vel persequutionem patientur. Potest iterum intelligi : traditio duplex est. Aliquando spiritaliter fit, quum animam videmus carnali corruptioni subjectam. Aliquando corporaliter, quum persequutorum manibus affligendi christiani tenentur, etiam si verberibus contraduntur; et ob hoc postulant se non in Christo, sed pro Christo tradendos : qui enim pro Christo traduntur, martyrium sumunt; qui in Christo, hæresis scandalum patiuntur.

Quod autem ait : *propter nomen tuum*, quod est nomen ejus, propter quod non se tradi deposcunt? Utique Salvatoris : si enim salvat, non tradet.

VIII.

Et ne avertas misericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum et Isaac
Fol. 54. *servum tuum et Israel sanctum tuum* [v. 35].
Omnes enim patriarchæ sunt dicti, sed tamen diversitas ostenditur meritorum; Abraham *dilectus*, quia solus in cunctis mortalibus est omnibus antelatus; significanter enim quodam vocabulo dilecti dicuntur hi qui amorem in se dominorum inclinant. Isaac vero non dilectus, sed *servus* est appellatus; paternæ fidei comparatus, differet tamen aliquid a dilecto. Jacob vero *sanctus Dei*, consancitus, videlicet sanctificatus. Aliud est dilectus, aliud servus, aliud sanctus. Omnes quidem fideles etiam sancti dicuntur, Deo consecrati. Non enim aliquid majus est sanctus appellari, quum Paulus apostolus scribens Corinthiis sanctos appellat, quos postea de varietate sectarum ac turpitudine morum objurgat. Servi vero pauci sunt qui ex toto fidelium numero Dominicis jugiter famulantur obsequiis. Dilecti autem rarissimi perquam sunt, et qui possunt virtute fidei Abrahæ merito coæquari : qui unicum filium absque dubitatione obtulit immolandum, relicta patria, propinquis, omnique possessione terrena, Deum est subsequutus; nascituri Christi ex semine suo promissionem accepit; Dominum in angelo suscepit, eorumque pedes humiliter lavit, et, quod de nullo alio memoratur, hospitalitatis [2] jucunditatem impendit. Isaac pacis amator, Philistinorum jurgia devitavit, quum puteos terrenis ruderibus replevit. Sed Jacob benivolus matri servivit, patrem in nihilo contristavit; sed etiam ne contristaret sollicite cavit, quum fraternam vellet subripere benedictionem fraudulenter; admonitionem Domini frequenter audivit, ac revelationes spiritales aspexit, et per noctem verba loquentis audivit; non in die, sicut Abrahæ fuerat colloquutus; sed nec plenam Trinitatem valuit cernere, qui nec præsentiam sui quidem Domini meruit contemplari.

Fac differentias patriarcharum in virtutibus, et cognosces differentias gratiarum. Poscit ergo propheta ne misericordia Domini ab eodem avertatur. Aliud est auferre misericordiam, aliud avertere. Aufert, quum veniæ non datur locus; avertit, quum post duræ ultionis severitatem, flagellatis ignoscit. Non, inquit, propter nos, sed propter Abraham et Isaac et Jacob, quibus tale meritum contulisti, ut non sibi, sed et soboli prosint, secundum promissum Abrahæ factum, quod ejus semen [3] non sis in suis generationibus relicturus.

(1) *Credenti.* Rom. x, 4. — (2) *Hospitalitati* cod. — (3) *Semen.* Hic scriptura minus perspicua.

IX.

Quibus loquutus es, adimplere semen eorum sicut stellas cœli et sicut arena quæ est ad oram maris [v. 36] [1].

Abrahæ repromissio facta est duabus vicibus : semel, ad similitudinem arenæ maris multiplicari [2] dictum est semen ejus; secundo, sicut stellas cœli. Nec immerito, quia in cœlo et in terra futurum esset semen ejus : in Synagoga videlicet et Ecclesia. Propter hoc prima promissio pulveri comparatur; pro eo quod illi qui ex ejus semine nati sunt Judæi, carnales atque terreni, pulveri comparantur. Dispersi siquidem per omnem faciem venti, captivitatibus abierunt. Christianus vero populus, qui ex ejus fide nascitur, non pulveri, sed stellis cœlestibus comparantur : vel quod cœlum possessuri sunt, vel quod in modum luminarium virtutibus fulgeant variis. Hic autem quod stellas primum, et arenam maris postea nominavit, meritorum qualitatem discrevit : licet quia secunda sit promissio stellarum cœli, prima tamen præ electione gratiæ numeratur.

Quibus loquutus es, adimplere semen eorum sicut stellas cœli. Loquutus est in Verbo suo Christo Jesu, ut implerentur hi qui de-
55. putantur in semine Abrahæ lumine cœlesti; vacui enim erant, priusquam Verbum audirent. Quum autem gratia replerentur, semen facti sunt Abrahæ; an certe [qui valeant] adimplere semen eorum [3], æternæ saluti quotidie colligantur, donec sæculi consummatio fiat. Illud tamen est mirabiliter in ministerio competendum, quod stellarum lumen, non nisi sole decedente, succedat. Occidit sol, quando Christus in passione defunctus est crucis. Et illo decedente, universi sancti, tamquam stella in proprio lumine, claruerunt.

X.

Quoniam minorati sumus, Domine, præ omnibus gentibus, et sumus humiles in omnem terram, hodie, propter peccata nostra [v. 37].

Minor est enim sanctorum numerus in comparatione malorum, quia « arcta et angusta via est quæ perducit ad vitam; lata et perniciosa quæ ducit ad mortem [4]. » Comparata enim Ecclesia universis gentibus, hæreticis videlicet et schismaticis, nec non etiam infidelibus et Judæis, parva quidem est numero, sed virtute [5] præstantior modo, et excellentior dono. Et idcirco propheta prædestinatorum paucitatem cognoscens, non sine dolore testatur : *Quoniam minorati sumus, Domine, præ omnibus gentibus.* Sexcenta millia et quot [6] excurrunt armatorum egressa sunt de terra Ægypti, et vix duo repromissionis ingressi sunt terram, Josue atque Caleb. Ecce quomodo electorum numerus parvus est [7]! Multitudo autem peccantium ubique diffusa. Hoc etiam typice demonstratur in bellis pluribus, ubi paucitas filiorum Israel numerositati hostium comparata monstratur. Sed et hoc in persequutionibus recte dicit Ecclesia, quum hæresum [8] multitudine increscente, ejus populus numeratur; sicut enim Abraham unus de toto electus est mundo, ut electorum paucitas ostendatur; ita quoque necesse est ut hodieque electorum semen in paucitate consistat.

XI.

Et sumus humiles in omnem terram hodie propter peccata nostra, et non est in hoc tempore princeps et propheta et dux [v. 38].

Indicia [sunt] indignationis divinæ, ut sacerdotes vel prophetæ a Dei populo subtra-

(1) *Ora maris.* Sic cod. Genes. XXII, 17, etc. — (2) *Multiplicari* cod. — (3) *Eorum.* Iterum lacuna in codice. — (4) *Mortem.* Matth. VII, 14. — (5) *Virtutis* forte. — (6) *Quod excurrit* malim. — (7) *Est.* Huc tantillum medelæ ex aliis caute adhibe, aut ipsum Verecundum memora, cui modo is electorum numerus erat sicut arena maris aut stellæ cœli, certo igitur termino a nemine circumscribendus. Sed hæc ad pœnitentium cœtus, ut dixi, in compunctionem excitandos, dirigebantur. — (8) *Hæresim* et mox *Populi* cod.

bantur. Duabus enim rebus omnis regitur disciplina, quæ aut ad æternam pertinet vitam, aut dispensationi convenit temporali : duces enim publicæ quieti prospiciunt, communi consulunt disciplinæ ; sacerdotes vero et prophetæ regimini consulunt spiritali : ut, dum utræque res suis ordinibus currunt, in nullo Dominus offendatur.

Ubi autem indignatio ejus venerit, utrumque auferet a populo spiritali ; hoc est quoque quod Isaias dicebat : « Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet ab Jerusalem et ab Juda validum et fortem, omne robur panis et omne robur aquæ, et virum bellatorem, judicem et prophetam, et ariolum et senem, principem super quinquaginta, et honorabilem vultum, et consiliarium sapientem de architectis et prudentem [1] eloquii mystici. » Hæc omnia spiritaliter auferuntur ab Ecclesia, dum plebem suam divina cœperit correptio flagellare.

Quindecim enim res auferendas esse monstravit ab Jerusalem et ab Juda, quæ licet duæ videantur, unius autem rei significantiam gestant. Intra Judam enim tribum Jerusalem est, latiorque et amplior est Juda ; Jerusalem autem civitas est familiaris Deo, ubi ejus templum est, et sacrificia quotidie celebrantur, ubi sacerdotes obsequia spiritalia solvunt, quæ de cunctis tribubus Israel electa est. Et fortasse illa est sanctorum spiritalium multitudo, quæ semper obsequiis Dominicis famulatur, quæ visionem pacis in
Fol. 56. cordibus suis quotidie tenet, hoc enim Jerusalem interpretatur. Juda vero reliqua pars plebis est, etsi confessionem fidei tenet ; Juda quippe Confessio interpretatur. Non tamen talis est uti Jerusalem sanctæ civitati poterit comparari ; ad unum utraque pars Dominum pertinet ; sed illa est potior ac melior in qua diurnis sacrificiis Dominus honoratur.

Quum ergo indignatur, et velit plebem suam justis correptionibus flagellare, « auferet ab ea validum, » martyrem scilicet, ipsi enim sunt qui validi Jerusalem esse dicuntur. « Auferet fortem, » confessorem qui constantiam in adversitatibus tenet. « Auferet omne robur panis » et omnem scientiam legis et intelligentiam Evangelii. « Fortem et virum bellatorem » longanimum videlicet et eruditum, hæresibus obsistentem, qui bella spiritalia geret, armis legalibus militando. « Judicem et prophetam, » compositorem pacis et exhortatorem conversionis. « Ariolum et senem. » Licet in malo ponantur, arioli sunt tamen et in bono. Hoc in loco non potest de malis agnosci : nam si ariolos Deus de medio populi sui auferet, utique propitius hoc [potius] facit quam iratus. Arioli dicuntur qui sacrificiis et precibus quibusdam impiis et suasionibus funestorum verborum, ad phantasias dæmones compellunt. Sic ergo inutiliter. Etiam in bono potest ariolus intelligi spiritalis, qui fideli petitione impetrat a Domino quod rogaret. Senes vero mansueti et tranquilli in grege Domini cognoscuntur : de quibus Moysi dictum est : « Elige senes quos tu noveris senes [2]. » Et iterum : « Cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. [3] » Auferet ergo fidelem prædicatorem ; auferet senem et moribus gravem. « Principem super quinquaginta et honorabilem vultu, » sacerdotem præsidentem plebi et amabilem universis. « Consiliarium sapientem de architectis, » discretorem et ædificatorem animarum. « Prudentem vero eloquii mystici, » explanatorem mysteriorum obscurarumque intelligentiarum ostendit. Hæc sunt quæ ab Ecclesia subtrahuntur, quando suam Dominus familiam in correptionem coarctat.

Hac quoque consideratione motus propheta dicit : *Et non est in hoc tempore princeps et propheta et dux.* Quia utique in gentibus dissipati, huc illucque feruntur, omnis ablata est dignitas prophetalis. Eadem fiunt, quum hæresum nobis barbara sævitia concitatur, quando primatus et sacerdotium ipsæque Scripturarum prophetia quiescit.

(1) *Prudentum* cod. Correxi ex Vulgata quæ αὐτολεξεί concordat ad Is. III, 1, 2. — (2) *Senes*, nec dubia cod. lectio, Sed *lenes* requirit commentarius. At *Senes* Vulg. Num. XI, 16. — (3) *Immaculata*. Sap. IV, 2.

Neque holocaustomata, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum. Immolationum genera quatuor esse distinxit : holocaustum, sacrificium, oblatio, incensum. Holocaustum dicitur, quod totum igne consumitur : *holos* enim, totum ; *causti*, Ignis dicitur græce ; *holocaustum* dicitur totum igne consumtum [1]. Sacrificium vero, unde adipes igni tantummodo tradebant, reliquam partem sacerdos et oblator vescebatur. Oblatio ex similagine vel panibus offerebatur. Incensum ex thure vel thymiama expletum esse in dispersione gentis Judaicæ, certo testimonio comprobamus.

Sed nunc quæritur in nobis quomodo compleatur : in holocaustum martyres offeruntur, qui totum corpus et spiritum igne charitatis inflammant. In sacrificio sæculares, sed tamen fideles, de quibus ignis Dominicus consumit quidem adipem carnalis pinguedinis, ut tenuem ac subtilem habeant mentem, ne, pinguior tamquam Agag, divino judicio condemnentur; reliqua vero pars hominibus præbetur ad vescendum : quibus se imitabilem monstrat. In oblatione vero illi offeruntur quibus est cor unum et anima una. Oblatio ex panibus fit; panis ex multis granis commassatur. Corpus ergo mo-
. 57. nachorum, quod ex multitudine fraterna consistit, et plurimorum corda in uno spiritu commassantur, in oblatione offerri dicuntur. In incenso autem electi [2] intelliguntur, qui nuper fidei sociantur, de quibus non plena lux fidei ; sed fumus quidem, boni tamen odoris insurgit. Hæc omnia subtrahuntur a nobis, quando correptio nos divinæ concutit ultionis.

XII.

Neque locus ad sacrificandum in conspectu tuo et invenire misericordiam [v. 39].

Venientibus inimicis, templum succensum est Dei, ædes sanctæ combustæ, altaria comminuta, vasa translata : et idcirco non erat *locus ad sacrificandum;* quoniam Nabuzardan, princeps militiæ regis Nabuchodonosor, omnia sacrosancta loca igne combussit, ut sacrificantibus nulla occasio patuisset. Similiter quoque quum ecclesiis persequutiones nascuntur, altaria destruuntur, ædes sanctæ tolluntur ; nullus ad sacrificandum est locus. Quamvis parietum constructio non in ipsa sit Ecclesia, sed fidei veritas, tamen frequenter contingit, sicut ipsi experti sumus, quod ablatis domibus sacris, nullus fuisset orationum locus relictus, nobisque infelicioribus eadem vox inhæserat prophetalis, quando fuerat persequutionum Wandalicarum tempestas oborta [3].

Nullus locus ad sacrificandum in conspectu tuo et invenire misericordiam. Melius moraliter coaptatur : si enim mentem cujuspiam fidelis vitia captivarint [4], et tamquam Babylonii hostes Dei templum concupiscentiæ ignibus sufflammarint, altare sanctum destruxerint (invocationis affectum sine dubio, ubi orationum sacrificia deferuntur), vasa sacra transtulerint, desideria pia in malum mutarint (hoc est transferre non localiter, sed intellectualiter, mores in aliud commutare, ipsiusque animæ interiora), ut exinde simul omnem divini timoris memoriam alienent, recte dicendum est quod non sit *locus ad sacrificandum* in conspectu Dei. Templum quippe sanctum anima fidelis est; et ipsum templum evellitur, quum infirmitatibus exprimitur vitæ. Quod, his rebus itaque ablatis, quibus propitiari dicitur Deus, non erit locus ulterius misericordiam invenire.

Neque locus ad sacrificandum in conspectu tuo et invenire misericordiam. Quod ad omnem Ecclesiam refertur, uni quoque congruit animæ, quam quum Dominus deserit, et captivationi [5] hostium spiritalium subdiderit, holocaustomata orationum et sacrificium bonæ operationis abstulerit, oblationem quoque ab altaribus ne deferatur submoverit, tunc infelix anima et incensum suavissimæ charitatis dimittit ; his enim quatuor rebus humanæ menti propitiabitur Deus, et quasi mitis largitur, subtrahit indignatus.

(1) *Consumtum.* Ignoscant pueri, quibus hoc tritum etymon. — (2) *Electi,* nempe africani catechumeni. — (3) *Oborta.* Quam quidem tragœdiam non omisimus in *Prolegomenis.* Vossius hic sua manu scripsit in margine : *Persecutio Wandalica.* — (4) *Captivarent* cod. forte retinendum. — (5) *Captivatio* ib.

XIII.

Holocaustomata non ex uno genere animalium solent deferri. Aliquotiens ex bobus[1] [in] frusta concisis, sicut Elias obtulit quod cælestis ignis absumsit. Aliquotiens ex agno lactante, sicut Samuel obtulit, quando Philistæi adversus Israelem prælium susceperunt. Aliquotiens arietes, sicut Moyses, in consecratione Aaron ut filiorum ejus. In his ergo differentiis, nonne dicimus divinam[2] posse sapientiam in his vacuam esse nihilque interpretationibus haberi, quod eruditæ sapientiæ proferat ornamentum?

Bovem in holocaustum offerre, est Christum credere in passionibus immolatum, in altari crucis oblatum, et in diversis injuriarum afflictionibus, tamquam divisionibus membratim incisis, afflictum; ut nunc sputis, nunc alapa, nunc arundine, nunc colaphis cæderetur, nunc flagellorum cruciatibus vexaretur. Quum ergo hæc omnia credimus in Christo esse admissa, bo-
ol. 58. vem sacrificamus, et super ligna altaris imponimus, et per membra dividimus. Sed et aliter potest hic sensus intelligi. Diversis nominibus ipse Dominus appellatur : dicitur etiam Verbum ; ergo Verbum Dei per minutias intelligentiæ dividimus, et igne ingenii excoquimus : quodam enim inflammationis ardore ingenium concitatur, ut in se diutius excoquendo, id est, retractando rem obscuram, ad intelligentiæ decoctionem perducat. Si vero superadjecerit et ligna, diversos videlicet sapientiæ exitus, tunc demum holocaustum plenum offert[3] Deo, fitque ut taurus a sacerdotibus immoletur, quoniam prædicatio verbi sacerdotali officio commodatur.

Ex agno autem lactante holocaustum offerre, est innocuam atque infantilem animam martyrio decorare, aut spiritali servitio in tabernaculo deputare; propterea agnus, quod ex gregibus natus sit christianis; et immaculatus per gratiam baptismatis factus, hostia deputatur. Vel certe moraliter, in nobis agnum offerimus holocaustum, quum simplicis professionem offerimus vitæ; et immaculati ad hostiam Domini, prophetis offerentibus, deputamur. Quum enim mortificatæ vitæ assumimus puritatem, et prophetali doctrina ad simplicitatem producimur mansuetam, Samuel in nobis, id est, prophetia offerre dicitur agnum : tunc demum quum Philistæi adversus nos suscipiunt bella, persequutores ac dæmones, impulsores persequutorum, quos sola in simplicitate vincimus mentis, per quam favor divinus acquiritur, qui eorum potest malitiis obviare.

Arietem holocaustum deferre est sacerdotem, velut principem gregis, martyrio consummare. Moraliter autem, carnalem in nobis superbiam amputare, et per charitatis ardorem omnem in nobis vanæ præsumtionis tumorem supplantare, et hoc est holocaustum arietis offerre. Merito et Moyses, quum pontificalem gratiam Aaron filiisque ejus imponeret, arietem occidit, ut evidentius demonstrasset nullum posse altitudinis gratiam in domo Domini possidere, nisi in quo fuerit superbiæ aries non solum immolatus, verum etiam divinis ignibus radicitus sufflammatus.

XIV.

Sed in anima contribulata et spiritu humiliationis accipiamur.

Novit profecto propheta quibus sacrificiis placari poterit Deus tribulatione animæ et humilitate spiritus : « Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit[4]. » Quid sit animam contribulare, prudenter est inquirendum ; ipse nobis David alio melius indicavit in psalmo centesimo primo, ubi oratio est pauperis mœrentis et vehementius condolentis, ait : « Defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt; percussus sum sicut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum manducare panem meum; a voce gemitus mei, adhæserunt ossa mea carni meæ[5]. » Hoc est animæ contritio. Humiliationem vero spiritus sequenter ostendit, quia « ci-

(1) *Bubus* non semel cod. — (2) *Divinæ* ib. — (3) *Offerat* ib. — (4) *Spernit.* Ps. L, 19. — (5) *Meæ.* Ps. CI, 4-6.

nerem sicut panem manducabam, et potum meum cum fletu temperabam. » His enim rebus anima conteritur, et spiritus humiliatur, ut cœlestem indulgentiam consequatur.

Quasi in holocaustis arietum et taurorum et multitudine agnorum pinguium [v. 40]. Corporalium sacrificiorum holocausta tripliciter deferuntur, arietum, taurorum et agnorum, sicut est superius comprobatum. Spiritalium vero similiter tria sunt genera, martyrium, mortificatio mundi, et baptismum. Martyribus, tauri; mortificatis ac renuntiantibus sæculo, arietes, quia exinde sæpe gregis eliguntur doctores; agnis pin-
59. guibus baptizati neophyti coaptantur. In his se sacrificiis sancta delectatur anima spiritaliter immolari; quærit enim se super sanctum altare Jerusalem, patriæ beatorum, offerre : quia non omnium hæc dignitas habetur, ut in altario Domini delibentur; sed alii sunt qui deferunt sacrificia sancta, alii qui in altario deferuntur, cæteri vero circumstant ab his obsequiis longe semoti, sed tamen oblationis sanctæ participes fiunt. Ego quidem arbitror unum Deum illum solum esse pontificem nostrum, qui tria quæ diximus sacrificia et tamquam puras oblationes in conspectu deferet Patris. Quod in his spiritu prospiciens, lacrymabiliter propheta suspirat, sacrificiis talibus desiderans immolari.

Ego vero peccator et in domo Dei abjectior, hoc non audeo postulare; nec enim debeo majora quærere, quia nec in inferioribus dignus sum numerari. Sed tamen, Jesu bone, qui quas velis, oblationes deferes[1] Patri, obsecro ut me quoque in similagine charitatis commassare digneris, et aqua sancti Spiritus fermentare, et igne purificationis excoquere, ut indignam tortulam panis dignam facias altaribus venerandis[2].

Hanc enim tortulam panis posteri Heli, sine dubio Judæi, quoniam offenderant Deum, non in se tenent, sed electo deferunt sacerdoti, ut pro eis offerat, quo possint unam partem sacerdotalem habere, ut buccellam panis comedant, qui cœlestem simul amiserunt panem. Judæi significari[3] monstrantur, a quibus dignitas sacerdotii translata, nostro est Pontifici commodata, qui secundum ordinem Melchisedech immolat Patri. Defecerunt ergo in eis sacerdotia, ita ut unam partem habere sacerdotii vix possunt, quod sola visione carnali præferre sacerdotium videantur. Sacerdotes enim veri duas habent sacerdotii partes, ut tam spiritu quam corpore præferant sanctitatem. Propterea dicit Apostolus : « Presbyteri duplici honore funguntur[4] » quia in verbo laborant, et quæ verbis annuntiant, factis ostendunt. Ipse est duplex presbyteri honor, quem judaica atque hæretica sacerdotia non poterunt obtinere : quia una tantum eligunt, ut sola carnalis specie visionis pontifices demonstrentur. Dicunt enim et non faciunt; propter quod Dominus aiebat : « Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite[5]. » Comedentes buccellam legis, quia vivum panem perdiderunt Evangelium, veniunt tamen etiam ex ipsis, ut noster pro eis electus Sacerdos exoret.

Nec illud vacat, quod nec arietes, nec boves pingues, sed soli agni dicuntur, quia omnis incorruptæ carnis et animæ plenitudo in baptizatis infantibus viget : quos et indulgentia peccatorum et pinguior pulchritudo incorrupti corporis comitantur. Quis enim hujus ætatis excedens simplicem vitam, non actu ac visu, aut cogitatione, aut visione, lascivam aciem delictorum attraxit? quam illi non habentes, agni pingues in holocaustum Dominicum deferuntur.

Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie. Sacrificium Domini non hodie fit in modum [quo] quotidie fit[6]. Hodie fit, quia

(1) *Deferes* ut supra *deferet*. Nihil censeo mutandum.—(2) *Venerandis*. Eleganter respicit Levit. VII, 9-12. Neque inde aliena sunt priscæ ætatis christianæ monumenta non pauca, quibus vel unus panis vel plures dari dicarique videntur. Vide imprimis insignem picturam SS. martyrum Capuanorum, qui, mea quidem opinione, panes, non mappulas tantum prætendunt, in *Act. SS.* octobr. t. VI, p. 8. —(3) *Significare* cod.—(4) *Funguntur*. I Tim. V, 17.— (5) *Nolite*. Matth. XXIII, 3. — (6) *Domini non cottidie fit in modum cottidie fit*. Codicem habes, lector, quem videsis an tu melius emendaveris.

hodie semper est apud Deum. Non enim apud illum dies diei succedit, aut tempus tempore commutatur : sed hodie semper est, quia perpetuus apud illum est dies. Quod autem adjecit : *in conspectuo tuo*, hoc propheta [1] subintelligendum ostendit, quia multa sunt sacrificia quæ offeruntur Deo, sed fortasse non ejus conspectui præsentantur. Non enim omnia sacrificia suscipit Deus, sed secundum quod ille puram ad se viderit conscientiam intueri, sic etiam aut recipit sacrificium, aut repellit. Tria enim in nostris sacrificiis operantur : aut
Fol. cc. enim recipit ea, et statim omnibus monstrat; aut repellit, et similiter manifestat; vel certe accepta seu repulsa non manifestat. Minusne tertium quod est? ostendit quidem placitum, seu non placitum, sed post tempora diuturna. Suscepit sacrificium Abel, Moysi, Manuelis, quod descendit ignis, illico sufflammavit. Repulit sacrificium Cain, Dathan et Abiron et ducentorum quinquaginta levitarum qui eorum fuerant sectatores; quos divinus ignis in sacrificiis oblatione [2] consumsit. Nec non etiam Oziæ, cui lepræ illata est plaga. Sed et illorum, quibus dicebat Dominus : « Si pecus claudum aut cæcum aut abjectum offeratis duci vestro, nonne consputet in faciem vestram, et repellet illud a se? Et ecce vos obtulistis illud mihi [3]. » Aut accepit quidem sacrificia, sed accepta in abdito suo tenet, nec hominibus manifestat, nisi quum ejus voluntas voluerit publicare, aut apud se cognitum tantummodo retinet : sicut accepit sacrificia Salomonis in Gabaon, et Josiæ, [et] regis Ezechiæ quando celebritatem paschæ congregato populo consummavit. Nec tamen indicia quælibet percepti monstrantur sacrificii. Manifeste ergo Scriptura demonstrat quæ repulsa, vel quæ significentur accepta, vel de quibus nihil commemorat tale. Ita enim etiam in spiritalibus evenit sacrificiis, quæ in orationibus deferuntur : ut sicut corporalia sacrificia tribus in partibus differentiæ sunt demonstrata, ita quoque spiritalia sacrificia cognoscantur. Et ideo lacrymose propheta deposcit, ut dignior habeatur in conspectu Domini delibari.

XV.

Et perfice subsequentes te. Quæritur quid sermo talis ostendat? Quod ait *perfice*, quia dictum est : « Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea [4], » unde apparet dixisse *perfice*, stabili, sive confirma. Propterea adjecit : « Ut non moveantur vestigia mea. » Quod enim firmum est atque stabilitum nullis adversitatibus commovetur. Sequentes itaque Deum perficiuntur, sive perfecti sunt, seu stabiliti consistunt. Humilitatem tamen in hoc propheticæ gratiæ demonstrat, in eo quod adjecit *sequentes ;* qui enim subsequuntur. discipuli sunt inhærentes magistro; qui autem præcedunt, inimici sunt resistentes Deo. Idcirco Dominus Petro sibi consilium inutile danti et nolenti se ad passionem perduci, quum ipse annuntiaret futuræ sibi mortis exitum imminere, ait : « Redi retro me Satana [5] ! » Hoc est, noli præcedere tamquam inimicus, sed subsequere tamquam discipulus. Noli consilium dare magistro, sed acquiesce magistri consilio. Et hoc est : « Redi retro me, » ut me subsequaris, non ut præcedas; ut a me docearis, non ut tu me doceas; ut imiteris quod facio, non ut per te mihi excitetur formido. Nam et Diabolo hoc idem dixerat : « Redi retro, Satana [6]. » Sed non adjecit : « Me, » quod Petro ait : « Retro me. » Illum enim retrorsum sic repulit, non ut vel discipulus consequatur, sed ut inimicus confundatur. Petro vero sic retro se revocavit, ut humilietur, et humiliatus sequatur. Has tamen differentias discernere non est parvæ gratiæ, quod alii sequantur, alii præcedant Dominum, alii collaterati jungantur [7]. Sed de eis qui sequuntur, alii longius, alii vicinius appropinquant [8]; nonnulli etiam comprimunt Jesum, et hoc est quod ei Petrus aiebat : « quando Hæmorrusa [9] fimbriam te-

(1) *Prophetiæ* cod.—(2) *In sacrificiis oblationes* ib. — (3) *Mihi.* Malach. I, 8. — (4) *Mea.* Ps. XVI, 5. — (5) *Satana.* Marc. VIII, 33.— (6) *Satana.* Matth. IV, 10. — (7) *Junguntur* cod.—(8) *Appropinquent* cod.— (9) *Amorreusa.* cod. et paulo post *Emerruosam*, alias *Amorruosam*, quæ ad græcam vocem reflecto.

tigit Salvatoris: « Magister, turbæ te comprimunt, et dicis : quis me tetigit[1] ? » Sed agnosce quando prætereant et subsequantur turbæ, quando tantum sequantur. Quum
61. Jesus Jerosolymam introisset, turbæ præcedebant et sequebantur[2]. Quum vero de Jericho exisset, sequebantur eum tantum. Quando ad mortuam Centurionis filiam ambulabat, et Hæmorrusam in itinere sanabat, turbis comprimebatur.

XVI.

Quanta in his putas mysteriorum obtexitur altitudo? Iens Jesus ad Jerusalem, et cœlestem patriam revisere contendens, præmisit turbas sanctorum, qui vel nascendi ordine, vel passionis tempore, præierunt : ipsi ergo sunt qui præcucurrerunt eum ab Abel usque ad Zachariam et Joannem filium ejus. Omnes qui Christi sperabant adventum, et in ejus fidem credentes præventi sunt morte, priusquam nasceretur in carne, hi præcedebant eum. Qui vero nunc fidem in eum habent, subsequuntur illum. Sed tamen omnibus unius vocis resonat cantilena : « Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna filio David[3] ! » Quum vero in Jericho civitate moraretur, sequebatur et eum turba, et longius incedens comitabatur[4] Jesum. Nec dum enim illam vocem poterat decantare, quam in Jerusalem populus decantabat. Jericho est civitas anathematis, divina virtute destructa, civitas quam non gladius, sed tuba sacerdotalis destruxit. Hæc ergo civitas mundum, id est, carnalis multitudinis significat plebem, quæ sic credit in Christum, et eum in hujus vitæ itinere comitatur, ut a longinquo tamen sequatur, quia ei propinquare non possit. In Jericho enim posita est, quæ interpretatur Luna, per quam mortalis vitæ mutatio demonstratur. Quum ergo adhuc mutabilitati subjicimur carnis, et in hujus mundi conversatione tamquam in Jericho tenemur, quæ anathema est populo Dei, a longe sequimur Jesum, appropiare non possumus præcedenti. Discipuli quoque sequuntur eum non longo intervallo, sed interhærentes magistri vestigiis; quia qui adhærent vestigiis ejus, accipiunt de doctrina illius. Ex ipsis ergo eliguntur qui ad sinistra vel ad dextera deputentur, ut medius Jesus inter cæteros honoretur. Moyses quippe quum virgam in manibus, velut crucis teneret signum, Aaron et Ur sustentantes manus a dextris et sinistris consistunt, quia differentiæ sunt meritorum inter eos, qui unius vexilli spiritalis lignum fide tenent, et circa Dominum deputantur. Illi autem qui comprimunt Jesum, Hæmorrusam sanantem (gentilis videlicet plebis fluxum peccatorum per indulgentiam diluentem), et Centurionis filiam suscitare volentem (popularem turbam infidelitate[5] defunctam resuscitare quærentem), comprimit turba. Sed nos adhærere Jesum, non comprimere cupimus; quia comprimunt eum Judæi, qui non tantum morti damnarunt, verum etiam resurgentem credere noluerunt.

XVII.

Et perfice subsequentes te. Id ipsud[6] perfici non æquali modo aut mensura omnes qui perficiuntur, consistunt. Aliud est enim perfici tantum, aliud sicut cervus perfici : dictum est enim : « Qui perfecit pedes meos tanquam cervi, et super excelsa statuet me[7]. » Vide jam quanta sit mystici latitudo sermonis. Hic simpliciter ait : *Perfice subsequentes te.* Aliud est : « Perficere gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea[8]. » Et iterum : « Qui perfecit pedes meos tamquam cervi. » Hic omnibus excellentissime perficitur, quisquis ut cervus perficitur.

Sed et hoc velim inquirere : cur cervi similitudinem et non aliorum animalium bestiarumque ingentium propheta poposcit. Cervi hanc habent firmitatem fortioris naturæ, ut tantum in pedibus valeant, quan- Fol. 62.

(1) *Tetigit.* Marc. v, 30. — (2) *Sequebantur.* Matth. xxi, 9. — (3) *David.* Ib. — (4) *Comitatur* ibidem. — (5) *Infidelitatem* cod. — (6) *Ipsud* codicis lectio rara. (7) — *Me.* Ps. xvii, 34. — (8) *Mea.* Ps. xvi, 15.

tum toto corpore non prævalent : quum enim in montibus fuerint, et in altioribus locis incomprehensibiles cursu dicuntur[1], etiam de abruptis præcipitiis quotiens se deorsum immittunt, ita pedibus excipiuntur illæsis, ut de alto venisse non sentiantur. Multa est virtus in cervis quos venatores in montibus aut in sylvis nullatenus apprehendunt. Horum cornua medicinalia esse dicuntur et diversorum apta usibus medicorum : maxime in dextro efficiens[2] medela præfertur. Ubicumque exinde succenderis, serpentem illico fugas. Quicumque eorum carnibus tempore matutino, quotidie, utitur jejunus, fertur febribus numquam pulsari, si tamen in uno vulnere jugulentur. Quotiens senio prægraventur, habitacula serpentum inquirunt, et incipiunt eos halitu narium provocare; quumque serpentes, stimulati furore, omni veneno repleverint fauces, et velut ultores se voluerint defensare egressi, illico rapiuntur a cervis. Quumque eos comederint, ardenti sufflammati veneno, fontium sibi rivos inquirunt. Ad quos dum venerint, et abundanti saturitate potaverint aquam, ibidem cornibus carent, statimque renovant juventutem[3]. Sic fit ut centum et eo amplius annis vivant, sicut prodidit Alexander Macedo, qui cervorum cervicibus torques[4], cum designatione temporis, obligavit, quos contigit post centum annorum et eo amplius curricula detineri, et adhuc juveniores et vegetes inveniri. Præ omnibus enim feruntur nullis infirmitatibus conquassari. Si quando disponunt maria commeare, gregatim ambulant et se ordine longo disponunt, portantes se invicem cruribus suis, ut prior qui fuerit, caput sequentis in suo crure supportet. Et secundus itidem tertium portat; et sic fit ut se invicem tolerando, maria valeant commeare. Si quando lassus in eis vel imbecillis fuerit unus, post omnes assequitur, ut ab omnibus toleretur. Si quidem contigerit illum qui fuerit omnium prior aliquantulum dilassari, reliquit ordinem primum, et post omnes commeans, in illo qui fuerat novissimus, incumbit; et sic fit ut invicem se, rationali quadam genuini judicii dispensatione, convectent. His ergo sanctus vir se comparari præoptat : ut cornibus suis, videlicet duobus testamentis spiritales angues de domo sui cordis expellat. Quum enim se per charitatis flammam fecerit sufflammari, hic si dilatatam habuerit in dilectione virtutem, discet in perturbatione vitæ hujus, tamquam in mare, aliorum onera supportare; ut illud apostolicum expleat : « Invicem onera vestra portate[5]. » Et alimentum spiritalis cibi vescentibus præbens, ab omni eos facit spiritalium infirmitatum ægritudine liberare. Et idcirco dictum est : « Qui perficit pedes meos tamquam cervi, et super excelsa statuet me. »

XVIII.

Quoniam non est confusio his qui confidunt in te. Aliud est credere in Deum, aliud confidere : multi enim credunt, sed pauci confidunt. Qui vero veniunt ad eum, credunt in eum. Sed non omnes confidunt. Propter quod dictum est : « Nam et dæmones credunt et contremiscunt[6]. » Tam boni quam mali credunt, sed non confidunt. Confidunt illi quibus dictum est : « Confidite in me, quia ego vici mundum[7]. » Apparet ergo et bonos et malos credere posse, confidere autem non nisi solos bonos et fide plenos posse. « Qui enim confidunt in Domino, sicut mons Sion[8]. » Nec non immobili firmitate propheta fundatus ait : « In Domino confido. Quomodo dicetis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer[9]? » Talibus ergo nulla est confusio quia suorum vitiorum non subjiciuntur opprobriis. Fol.
Sic enim puri sunt actibus, puri moribus, puri conversatione, ut nulla sit confusio confidentibus in eum.

(1) *Dicuntur* De cervi natura omnino legendus Plinius in H. N. l. VIII, n. 50. — (2) *Efficiant* cod. — (3) *Juventutem.* Novit certe Verecundus Physiologum nostrum, quem infra diserte meminit, hic vero loci luculenter expilat et παραφραστικῶς redhibet ex cap. XXXII, quod legere est in tomo superiore, p. 358; sed conf. cum p. 68, 389, 401.—(4) *Unde* nescio quo glossemate, huc codici insertum. Sed vide vetustatem apocryphorum libellorum Alexandri *de naturis rerum.* — (5) *Portare* cod. Galat. VI, 2. — (6) *Contremescunt* cod. Jac. II, 19. — (7) *Mundum.* Joan. XVI, 33.—(8) *Sion.* Ps. CXXIV, 1.—(9) *Passer.* Ps. X, 2.

Hujus verbi profunditatem dum mecum perpendo diutius, admiror nimis, et vim verbi sentio tantum, non tamen apprehendo. Confidere, est fiduciam plenam in Deum habere, quæ in omni petitione a Domino non potest contristari [1]. Et propterea non est ei confusio duplici ratione : quia peccatorum conscientia non remordetur, unde potest confundi; aut quia numquam in suo confunditur postulatu, dum aliquid voluerit impetrare. Sed vide quam incomprehensibiliter propheticus temperatus est sermo, in eo quod ait : *Quoniam non est confusio*. Non dicit : Quia non fit confusio; sed quia *non est confusio*. Sæpe enim fit nobis confusio, dum falsis provocamur opprobriis, sed si falsa sunt, tua conscientia non remordetur. Fit quidem confusio, sed non est confusio, quia mens quæ contagione criminis non commovetur objecti, etiam si ei fiat [2] confusio, non est tamen illi confusio.

XIX.

Et nunc exsequimur in toto corde, timemus te, quærimus faciem tuam, ne confundas nos [v. 41].

Huic rei simile est quod dici solet : « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo [3]. » Et : « Confitebor Domino nimis in ore meo. » Et : « Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti verba oris mei [4]. » Aliud est in toto corde sequi, aliud in toto corde confiteri, aliud nimis confiteri in ore meo, aliud tantummodo confiteri, hoc est quod dictum est : « Quæ occulta sunt Domino Deo nostro, quæ autem manifesta sunt tibi et filiis tuis [5]. » Occultæ cordis cogitationes Domino soli cognitæ sunt. Quæ autem visibiliter corporali opere consummantur, tibi et filiis tuis manifesta sunt. Si ergo nullus in nobis amor carnalis, nulla terrenæ vanitatis corruptio, sed plena est in Dei dilectione perfectio, sine dubio in toto corde nostro confitebimur Domino. Quum diversis cogitationum illusionibus non ab eo abducimur, sed ipsum solummodo cogitamus, toto cum corde fatemur. Itidemque si ipsum loquimur verbum, quod verum in ore portamus, et eructarint labia nostra « hymnum, quum docuerit nos justificationes suas [6], » tunc confitebimur ei nimis in ore nostro. Ubi autem simplex est oris confessio, juncta eruditæ mentis intentioni, quæ semper inhæreat Deo, non corde nimis, sed nimis in ore confitemur : quia fidei confessio dirigitur in Deum.

Confessionis quippe tres sunt species : aut enim peccata nostra confitemur, sicut dictum est : « Ne tradas bestiis animas confitentes tibi [7]. » Aut fidem Domini confitemur, ut scriptum est : « Et quicumque confitetur me coram hominibus, confitebor illum et ego coram Patre meo qui est in cœlis [8]. » Aut confitemur Deum, id est glorificamus, quemadmodum Dominus ait : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ [9]. » Non utique peccata quæ non habuit, neque fidem martyrii, sed glorificationis [10] laudem exhibuit Patri.

XX.

Sequimur in toto corde, et timemus te [v. 42], tamquam discipuli magistrum, vel servi dominum sequimur. *Ex toto corde sequimur*, si non ab eo in aliquid aliud nostra mens aliquantulum deflectatur, sed ut in toto corde Deum cogitemus, timoremque ex hoc ejus illico capiamus, ut illud præceptum valeamus implere : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua [11]. » Quid est ex toto corde Deum diligere, nisi ipsum solummodo cogitare? quia de corde cogitationes ascendunt. Ex tota anima, quid est? Ex internæ conscientiæ affectu Dominum delectari, ut ipsa nostra interna in ejus dulcedine conquiescant. Ex tota virtute Deum diligere, est omni constantia pro

(1) *Contristare* cod. — (2) *Si ei fiet* ib. — (3) *Meo*. Ps. IX, 2. Deinde : Ps. CVIII, 30. — (4) *Mei*. Ps. CXVII, 28. — (5) *Tuis*. Deuter. XXIX, 29, parce mutatum. — (6) *Tuas*. Ps. CXVIII, 171. — (7) *Tibi*. Ps. LXXIII, 19. — (8) *Cœlis* Matth. X, 32. — (9) *Terræ*. Matth. XI, 25. — (10) *Glorificationem* cod. — (11) *Tua*. Matth. XXII, 37.

illo adversa suscipere, mortem amplecti, intolerabilia gratulanter amplecti.

Et quærimus faciem tuam, ne confundas nos.

Per faciem præsentiam agnosce, vel majestatem, quam propheta cognoscere volens, quærit se non confundi. Tribus enim modis
Fol. 64. facies Domini quæritur, fide, confessione, conversatione. Hoc alibi propheta dicebat : « Præoccupemus faciem ejus in confessione [1]. »

Sed tamen aliquid interest quærere faciem Domini, et præoccupare eam. Quærit ille qui de die in diem lacrymis gemitibusque ejus adventum exspectat, et absentem desiderat advenire. Præoccupat autem, qui præ cæteris acrioris instituti charitate ferventius proficit, et emergens excellenti profectu, non solus currit, sed et alios secum invitat : sic arbitror Paulum qui licet evocatione fuisset multis posterior, præoccupabat tamen pene [2] cunctis majoribus suis faciem Domini. Inde et velut exhortatorius sermo positus est : « Præoccupemus faciem ejus, » quia in majori dilectione voluntas potius per gratiam, quam necessitas per præceptum in eum [3] ibit; et generale est omnium quærere faciem Dei, præoccupare autem nonnisi paucorum est, atque magnorum. Unde mysterio positus ipse numerus dedicatur : psalmus est enim nonagesimus quartus; in quo illud agnoscitur, quia aliquid habet commune cum cæteris, aliquid excedens : nonagenarius enim numerus in litteris græcis ubi numeri currunt, extra ordinem est; quaternarius autem ordine suo currit. Hoc significante Spiritu prophetiæ, quia hi qui præcurrunt animo, præoccupant faciem Domini, et dum in corpore vivunt, ejus possunt lumen in sua conscieneia contemplare : aliquid habent commune cum his cum quibus proficiunt; aliquid speciale, quod fortasse adhuc alii nequeunt imitari.

XXI.

Quod autem adjecit : *ne confundas nos* [v. 42], scit plurimos quærere faciem Dei et non invenire, et ob hoc non confundi precatur, sicut dictum est : « Quærent me mali, et non invenient [4]. » Volens itaque se ab eis segregari, quæsitum a se Dominum poscit lacrymabiliter non confundi.

Et fac nobiscum secundum majestatem tuam. Quum dicit *secundum majestatem tuam*, omnem humani generis laborem abjecit, sciens nihil esse hominem, nisi cum illo fuerit Deus. Merito non ait : *fac nobiscum* secunda opera nostra, secundum meritam retributionem, sed *secundum majestatem tuam.* Donorum hic spiritalium diversitatem ostendit. Alius quippe dicit : « Fac mecum signum in bono [5]. » Alius : « Fac cum servo tuo secundum magnam misericordiam tuam [6]. » Iste autem ait : *Sed fac nobiscum juxta majestatem* [7] *tuam.* Non ait : Ostende nobis majestatem tuam, quia in orationibus ordo est reservandus. Primum ordinem postulavit; secundum servavit. Hoc est enim primum, ut faciat in nobis secundum majestatem suam; postea, demonstret illam nobis.

Sed altius intueor in eo quod ait : *Fac nobiscum secundum majestatem tuam.* Majestas Domini substantia ejus est. Substantia autem ejus omnium virtutum capax est, id est, omnino virtus est. Si misericordiam volueris, hoc est. Si clementiam, hoc. Si pietas, idem. Si mansuetudo, vel sanctificatio, vel puritas, aut quidquid volueris appellare, hoc majestas Domini est : quia sic simplex et sincera est, ut quidquid virtutis appellari potest, hoc sit. Non enim sic est, sicut homo, ut aliud sit ipse, aliud ejus sapientia, aliud ejus misericordia; sed ipsa sapientia, ipsa est in Deo substantia, ipsa est etiam misericordia. Quidquid enim nominare volueris, hoc illa est simplex et bona substantia. *Fac* ergo *nobiscum*, ait, *secun-*

(1) *Confessione.* Ps. XCIV, 2. — (2) *Præ* malim. — (3) *Præceptum meum* distinctius in cod. — (4) *Invenient.* Joan. VII, 34? — (5) *Bono.* Ps. LXXXV, 17. — (6) *Tuam.* Ps. CXVIII, 124. — (7) *Mansuetudinem* cod.

dum majestatem tuam, quia quidquid in nobis facere volueris, si secundum quod tu es, feceris, nihil amplius indigemus, quia omnium bonorum fons tu solus es, Deus.

XXII.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum.

Multa miseria multam miserationem exposcit; quia quanto fuerit calamitas pressurarum, tanto est necessaria pietas miserationum, quorum numerum apprehendere perdifficile est. Prima miseratio est agnitionem hominibus infundere Deitatis. Secunda miseratio est peccatorum compunctionem inferre. Tertia miseratio est in eo perseverantiam concessam habere. Quarta, a periculis reservari. Quinta, in angustiis non diu derelinqui. Sexta, ut in omnibus actibus veritas nos in se erudiat præcedendo. Sicque fit ut multæ sint miserationes Domini, quarum numerus non potest inveniri.

Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Non unius rei misericordiam largiaris, sed omnium quæ scis nobis utiliter convenire. Multi enim misericordiam a Deo sunt consequuti, dum unius rei gratiam commerentur. Sed aliunde sunt destituti, sicut Israel misericordiam consequutus est, quum Pharaonis dominio caruisset; per maris Rubri profunda, duce Domino, pertransisset; in solitudine manna cibum sumsisset; adversus inimicos victoriam habuisset, et alia multa quæ ingrato sunt populo commodata [1]. In his omnibus misericordiæ contributæ sunt Dei; sed quia contumax ubique populus terram non meruit promissionis intrare, non sunt multitudinis miserationis donum consequuti. Cum ergo singulis incursionibus nostris, singulisque fragilitatibus, in quibus aut nolentes peccamus, aut ignorantes erramus, aut peccato volentes obsistere non valemus, aut dæmonica seductione circumdamur : in his enim rebus omnis delictorum cumulus aggeratur. Nolens peccare fragilitate compellitur : « Video enim aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivantem me in lege peccati per ignorantiam [2]. » Sicut Saul dejectus est, qui dum videretur bona sectare, Deum offendit. Inde etiam David pœnitudinem gerit et dicit : « Delicta juventutis meæ et ignorantiæ meæ ne memineris [3]. » Volens rex Saul Deum offendit, qui priori tempore magos et ariolos submovit, exsecratus eorum nequitiam; quos postea reversus est honorare, quum consuleret Pythonissam ac per somnia responsa quæsiisset. Similiter quoque volens Assa peccavit, qui commonitus ab Anania propheta quod Dominum offendisset, cum exprobratione repulit eum et in nervum conjecit. Et hoc est delinquere voluntate, scire bonum et contra conscientiam pravum aliquid perpetrare. Dæmonicis tentationibus victus est David, quum Satan introisset in domum ejus, et eum ad numerandam populorum [4] multitudinem compulisset. Eodemque tentationis incursu ipse primus circumventus est homo. Si ergo in his rebus quatuor incidentes magnanimos longanimitate divina patientia supportat, præbens singulis incursionibus misericordiæ largitatem, *secundum multitudinem miserationum suarum* faciet nobis. Quum autem peccantes relinquimur, est quidem misericordia, quia non statim punimur, ut recordemur pœnitendo, in quibus nobis quum bene sunt gesta, sed non multitudinis misericordia, quum non dignatur in omnibus misereri. Multitudo ergo miserationum est, quum in omnibus actibus, in omnibus dispositionibus, in omnibus verbis et cogitationibus conservamur.

XXIII.

Nam est alia quæ magna misericordia nuncupatur; aliud est enim multa misericordia, aliud magna : « Quoniam miseri-

(1) *Commodati* cod. — (2) *Ignorantiam*. Rom. VII, 23. — (3) *Memineris*. Ps. XXIV, 7. — (4) *Populum* cod.

cordia tua magna est super me, et eripuisti animam meam ex inferno inferiori [1]. » Magna misericordia est, per quam peccatorum naturalium propriamque indulgentiam in baptismate consequimur; ut emundemur a delicto maximo, cui nos obnoxios hominis fecerat culpa prioris, pro qua etiam Dominus noster dignatus est humiliari, ut nos eriperet a condemnatione inferioris inferni, cui fueramus obnoxii. Multa vero misericordia est, quum totiens non relinquimur, quotiens nostris iniquitatibus captivamur; ut et de nobis dicatur : « Misericordiam autem meam non dissipabo ab eis [2]. »

Fol. 66. (margin note beside "nus noster dignatus")

Sicut ergo est misericordia magna, ita est et delictum maximum, quod admisit populus relinquendo Deum, et petendo Saul hominem regem, sicut Samuel ait populo : « Verumtamen scitote quod delinquitis in Deum delictum maximum [3]. »

Est etiam peccatum minimum de quo dictum est : « Si peccaverit frater tuus peccatum non ad mortem, orabis pro eo [4], et dabis ei veniam peccati non ad mortem. Si autem peccaverit peccatum ad mortem, non dico ut ores pro eo. » Sed quæ sint magna, quæ media, quæve minima non facile potest ab omnibus inveniri; nisi quod Scripturis loquentibus aliqua colliguntur, quæ ab omnibus parva esse videntur, et intolerabilia sunt apud Deum, de quibus disputare huic non convenit loco. Verumtamen quædam dicemus, cujus exemplo alia conjectabis : « Si dixeris fratri tuo Racha (quod dici potest pannosus), reus eris consilio. Si dixeris Fatue, reus eris gehennæ ignis [5]. » Brevis sermo, sed in extremo extimanda damnatio.

XXIV.

Et [6] *da gloriam nomini tuo* [v. 43]. Aliquotiens hominibus dicit sermo divinus : « Date gloriam Deo [7]. » Sæpe vero ipsi Deo dicitur : « Da gloriam nomini tuo, Domine [8]. » Sed et Josue Acham filio Charmi dum suaderet ut confiteretur, sic ait : » Da gloriam Deo, fili mi [9], » hoc est : Confitere Deo quod te noveris occultare. His apparet indiciis tribus modis glorificari Deum. Aut enim ab hominibus glorificatur, quod fit duplici ratione : vel quum ei occultorum secreta tamquam cognitori omnium publicantur; vel quum psalmi ejus gloriæ et laudibus decantantur, pro eo quod dicit : « Jubilate Deo, omnis terra; psalmum dicite nomini ejus. Date gloriam laudi ejus [10] » Hoc est in psalmis et laudibus nomen ejus glorificare. Vel certe semet ipsum glorificat, dum non secundum peccatorum nostrorum retributionem nobis merita collargitur. Sed in honore sui nominis glorificat in peccatoribus semet ipsum, sicut [Israeli] populo fecit, quem pollutum idololatriis Ægypti decem signis et virtutibus defensavit, quibus Pharaonem ejusque populum flagellavit; diffidentemque plebem per aridum mare transivit; murmurantem in solitudine ac sæpius blasphemantem angelico pane et de lapide potu producto in solitudinem saturavit. Sic ergo fit ut quum indignis talia conferuntur, vel spiritalium donorum gratiæ tribuuntur, non homines Deum, sed Deus glorificet semet ipsum. Idcirco ipse psalmus centesimus decimus tertius ægyptiaca miracula refert, et propterea ibidem dictum est : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam [11]. » Hic quoque propheta, quoniam se fatetur in omnibus peccatorem, et pœnitentiæ canticum decantavit, non glorificat Deum, sed Dominum ut se glorificet, exorat [12]. Peccator enim Deum glorificare non potest, quem peccando contemnit; unde dictum est peccatori : « Quare tu enarras justitias meas per os tuum [13]? »

XXV.

Confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala [v. 44].

(1) *Inferiori.* Ps. LXXV, 13.—(2) *Eis* II Reg. VII, 15. — (3) *Maximum.* I Reg. XII, 17.—(4) *Pro eo.* I Joan. V, 16.—(5) *Ignis.* Matth. V, 22. — (6) *Et.* Aut omisit interpres, aut in codice suo non legit illud : *Et secundum mirabilia tua.*—(7) *Deo.* Ps. LXVII, 35.—(8) *Domine.* Dan. III, 43. —(9) *Mi.* Jos. VII, 19.—(10) *Ejus.* Ps. LXV, 2. — (11) *Gloriam.* Ps. CXIII, I Hebr. — (12) *Exoratur* cod. — (13) *Tuum.* Ps. XLIX, 16.

Vel persequutores intellige, vel hæreticos, qui propria mala doctrinarum suarum ostendunt cordibus seductorum. Confunduntur enim duplici ratione : vel quum prævalere non potuerint ut servos sibi subjiciant Dei, vel quum futuro judicio præsentati pro seductione servorum Dei confusionem sequuntur. Est alia confusio melior quæ resipisci[1] facit hominem ab impietatibus suis et pœniteri, pro eo quod Dei famulis ingesserint mala. Quam confusionem patiebatur etiam Paulus, quando post
7. persequutiones Ecclesiis ingestas ingemiscendo[2] fatebatur : « Quoniam non sum dignus vocari apostolus, quia persequutus sum Ecclesiam Dei[3]. » Ecce pro persequutionibus ingemiscit quas intulerat christianis ; et completum est quod dictum est : *Confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala.*

Sed rectius puto hæreticis convenire, pro eo quod dixit : *qui ostendunt servis tuis mala*, et non ait : Qui faciunt. Aliud est enim mala facere servis Dei, aliud mala ostendere : faciunt mala persequutores, qui cruciatibus Dei servos affligunt; ostendunt mala hæretici, qui dum doctrinas asserunt falsas, mala itinera, vel mala dogmata servis Dei demonstrant, circumveniendo inscios et captivando pusillos.

Et confundantur ab omni potentia tua. Diversis rationibus confunduntur hi qui confusionis ignominiam portant : sunt qui simpliciter confunduntur, et sunt qui in sæculum sæculi confunduntur, et iterum sunt qui confunduntur ab omni potentia Dei. Simpliciter confunduntur de quibus jam dictum est : « Confundantur et revereantur omnes inimici Dei[4]. » De quibusdam vero : « Confundantur et revereantur in sæculum sæculi[5]. » De aliis vero dictum est : *Confundantur ab omnipotentia tua.* Major in his differentia paret : aliud est enim confundi simpliciter, aliud confundi in sæculum sæculi, aliud confundi ab omnipotentia Dei. Confunduntur simpliciter, de quibus dicitur : « Est confusio adducens ad gloriam, et est confusio adducens ad mortem[6]. » Si pro peccatis confundimur pœnitentes, confusio est simplex et adducens ad gloriam. Si etiam confusio nobis et opprobrium pro Christo concutitur, licet inter homines confusio videatur, ad gloriam tamen adducit. Nam qui confunduntur in sæculum sæculi, illi sunt de quibus dicitur : « Alii resurgunt in gloriam, alii in opprobrium sempiternum[7]. » Hoc est ergo confundi in sæculum sæculi. Ab omnipotentia vero Dei confunduntur, in quibus virtutem suam Deus ostendit pro defensione servorum suorum, sicut in Pharaone et in Antiocho cæterisque similibus gestum est.

XXVI.

Et virtus eorum conteratur. Malitia confringatur; sicut enim est virtus bona, ita est et virtus mala. Virtus nostra Christus est. Virtus autem malorum, Diabolus; et donec in illo incumbunt qui sibi eum virtutem assumunt, cognoscere vel habere virtutem Dominum non possunt. Si autem conteratur et confringatur ab eis, ut ad nihilum redigatur, agnitio subsequitur Deitatis. Merito enim unam virtutem posuit. Multorum insequenter dicere debuerat : Et virtutes eorum conterantur. Sed ait : *Virtus eorum conteratur.* Hanc virtutem contrivit Dominus, quum Diabolum expulisset de cordibus infidorum, ut qui Deum persequebantur in suis fidelibus, discerent pro eo persequutiones sufferre. Est operæ pretium inquirere quomodo conteratur quidquid est conterendum; aut quomodo confringatur[8] quidquid est confringendum. De quibusdam Dominus dicit, qui offensuri erant in lapidem offensionis : « Omnes qui offenderint in eum, confringentur; super quos autem ceciderit, conterentur[9]. » Hoc de Domino Salvatore dictum est qui lapis

(1) *Resipesci* cod.—(2) *Ingemescendo.* Ib.— (3) *Dei.* I Cor. xv, 9. — (4) *Dei.* Ps. xxxiv, 4. — (5) *Sæculi.* Ps. lxix, 3. — (6) *Mortem.* Eccli. iv, 25. — (7) *Sempiternum.* Dan. xii, 2.—(8) *Confringitur* cod. Nihil muto quin notetur. — (9) *Conterentur.* Matth. xxi, 44.

offensionis factus est multis. Quicumque enim non crediderunt eum præsentem in carne venisse, in lapidem offenderunt, quia in humilem non crediderunt; propterea confracti sunt, tamquam pede mentis offensionis scandalo nescienter illiso, proniores ad ruinam toto sunt corpore consternati. Super quos autem ipse corruerit, id est in secundo adventu, quum in potentia majestatis suæ venerit, manifestus ipse
Fol. 68. corruet super incredulos, quia de alto veniens humiles non comprimet; et propterea, super quos ceciderit, conterentur.

Hoc significanter exprimit lapis ille qui missus est super caput Abimelech per manus mulieris, in murum stantis [1]. Quæ mulier formam Ecclesiæ gestat, super murum legis et prophetiæ consistentis, quæ dum credit, et ejus confessionem adversus principem mundi opponit, ejusque superbiam signo crucis confringit, lapidem dicitur molarem super caput Abimelech dejecisse. Sed ne hoc quidem vacat, quod molarem lapidem dixit, et fragmen molaris, non plenum molarem, quia caro Domini Satanæ virtutem detrivit. Et merito fragmen quod de humana fuerit natura præcisa, vel quod fragilis fuerit et infirma; molaris vero, quod illa caro de nostra sit carne suscepta quæ velut mola circuit, ut tempore [2] ætatum suarum volubiliter deteratur.

XXVII.

Et cognoscant quia tu es Dominus Deus solus[3] *in omni orbe terrarum* [v. 45]. Diversis erroribus genus hominum captivatur, multosque sibi deos diversos fecerunt. Cognoscant ergo te Dominum solum, qui universi orbis [4] Deus es appellandus. Mihi tamen diutius intuenti quod positus significet sermo : *Et cognoscant quoniam tu es Dominus Deus*; invenio aliud esse cognoscere, aliud discere : qui enim cognoscit, non ab homine instituitur, sed a Domino interius eruditur; qui autem docetur extrinsecus, ab alio humana mansuetudine aut videndo, aut audiendo formatur. Jeremias propheta huic testis est rei, qui dum revelationem novi prædicaret testamenti· « Post dies illos, inquit, dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum, et non docebunt ultra vir proximum suum et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Deum. Omnes enim cognoscent me a minore usque ad maximum eorum, ait Dominus [5]. »

Ecce, diligens lector, differentiam quære [6], qui sunt qui Deum agnoscant : utique in quorum cordibus legem suam conscribit, ut alter alterum non egeat edocere, sed ultro intelligat Creatorem a quo interius eruditur. Hoc est ergo quod nunc dicit : *Et cognoscant, quoniam tu es Dominus Deus*. Legem Evangelii conscribe cordibus singulorum, ut cognoscant universi quia totius orbis tu solus es Dominus Deus. Sed cognitio hæc duobus modis fit : aut cognoscunt venientes ad fidem, aut cognoscunt experti ultionem divinæ virtutis; qui enim voluntarie cognoscere nolit, invitus necesse est recognoscat. Hanc rem Salomon postulavit, quum, consummato templo orationem fudisset ad Deum [7], in eo quod duobus partibus suas orationes divisit, et nunc pro populo Israel, nunc pro alienigenis deprecatur : ostendens quod et gentes fuissent ad finem, posteriori tempore, vocandæ, ut universi cognoscerent homines, quod unus est Dominus Deus in omni orbe terrarum, cui est gloria in Christo Jesu Domino nostro. Amen.

EXPLICIT.

(1) *Stantis*. Jud. IX, 53. — (2) *Temporum* cod. — (3) *Solus et gloriosus in* vulg. — (4) *Universis orbis* cod. — (5) *Dominus*. Jerem. XXXI, 33, 34. — (6) *Curre* cod. — (7) *Deum*. III Reg. VIII.

VERECUNDI

LIBER V.

Argumentum. — I. Occasione cantici relata paucis, — II. Præmissaque spiritali interpretatione quæ summa capita tangit, et in primis quindecim annos Ezechiæ concessos, — III. Verba prophetica regis exponuntur, in persona Christi loquentis de suorum dierum altitudine ; — IV. De amittenda cognatione sua ; — V. De citius intercisa vitæ suæ tela ; — VI. De morte ... sed abrupta misere intercipitur oratio, avulsis nescio quot membranæ pellibus.

INCIPIT EXPOSITIO CANTICI[1] EZECHIÆ.

I.

Ego dixi in altitudine dierum meorum : ibo in portas inferni [Isaiæ xxxviii, v. 10].

Ezechias, rex Judæ, filius Achaz, quum fuisset infirmitatem perpessus, et mortem sibi futuram adventare Isaiæ vaticinio cognovisset, convertit faciem suam ad parietem et flevit amare. Illicoque misertus Dominus, non solum præsentis exitium mortis amovit, verum etiam quindecim annos vitæ eidem superjecit. Tunc demum hoc canticum decantavit.

Ezechias, vir sanctus, formam ostendit, qui sic jam regnat in se et universo[2] Israele : sensus videlicet et omnes sibi subditos habet motus animi atque corporis; discretionemque infirmitatis et imbecillitatis suæ sumit, per propheticam lectionem, finem sine
69. dubio suæ vitæ appropinquare cognoscit.

II.

Quantocumque enim longo tempore vivere videamur, mortem nobis futuram sine dubio præsentimus. Quod si ejus metu concussi, faciem nostram vertimus ad parietem, id est, intuitum cordis nostris dirigimus ad Salvatorem (qui paries propterea dicitur quia et murus appellatur, pro eo quod intra se fideles conclusos adversus incursiones plurimas servet : « Urbs, inquit Isaias, fortitudinis nostræ Salvator; ponetur in ea murus et antemurale[3]. » Ecce murus dictus est Salvator) : si ergo murus, et paries, quisquis ergo ad hunc parietem conversus ex animo, metu futuræ mortis territus et compunctus fleverit, illico recipit quindecim adjectionem annorum, resurrectionem videlicet et immortalitatem, quia septenarius numerus ad resurrectionem pertinet carnis, quia septem res sunt quæ nos faciunt in futuram beatorum resurrectionem venire : primum, gratia; secunda, fides; tertia dilectio; quarta, exspectationis spes; quinta, perseverantia; sexta, obedientia divinis[4] mandatis ; septima, correptio morum.

Si itaque de his septem rebus aliquid defuerit, tamquam uno die de septem diebus septimanæ subtracto, quibus nostra vita temporaliter currit, statim intercipitur cursus : non enim possumus, verbi gratia, hodiernum diem omittere et ad crastinum pertransire, quia ordo currens in diebus non potest prætermitti. Alioquin si voluerimus unum diem subtrahere septimanæ, et ad alium transire, non nos diem vivendo subducimus, sed diei subtrahimur moriendo. Sic ergo et in sep-

(1) *Cantici.* Minus frequens est quam præcedentium usus cantici Ezechiæ in veterum liturgiarum monumentis. Eo pluris igitur periti facient Verecundi et testimonium et commentarium, quibus unice rescimur hunc hymnum fuisse ecclesiis saltem africanis solemnem. Satis apte potuit, ut præcedentia, in feriis jejunio et pœnitentiæ sacris frequentari. Ceterum ex alia versione in psalterio sorbonico illum Sabaterius invenit, neque deest psalterio veteri romano B. Thomasii. Adde quod etiam nunc eum retinet Breviar. rom. in laud. fer. iii. — (2) *Universa* cod. — (3) *Antemurale.* Ps. xxvi, 1. — (4) *Divina* cod.

tem illas quas supra enumeravimus virtutes, ordo currit salutis æternæ : inde si aliquid detractum fuerit, omnis simul intercipitur vita.

Octonarius vero numerus ad immortalitatem pertinet, pro eo quod Dominus octavo die immortalitatem assumsit. Et octo beatitudines in Evangelio demonstravit. Et octo in area [1] inclusi diluvium evaserunt. Et Machabæa cum septem filiis martyrio coronata octonarium numerum consummavit.

Ergo septem et octo quindecim faciunt dies, tamquam annos quos Ezechias sibi superadjici meruit, dum ad parietem conversus compunctusque flevisset.

III.

Ego dixi in altitudine [2] dierum meorum ibo in portas inferni.

In his verbis Domini Salvatoris intelligitur esse persona, qui post æternitatis atque altitudinis dies, dignatus est semet ipsum morti humiliter coaptare, ut iret in portas inferni, quum videlicet ad inferos descendisset, et propterea temperavit sermonem, ut diceret : *Ibo in portas inferni*, tamquam voluntarie assumens mortem non necessariam, sicut homines universi.

Differentia tamen dierum multa est. Sunt dies cœli, sicut dictum est : « Et thronus ejus sicut dies cœli [3]. » Sunt dies hominis, unde Jeremias ait : « Et dies hominis non cognovi, tu scis, Domine [4]. » Sunt dies antiqui : « Recordatus sum dies antiquos, et annos æternos in mentem habui [5]. » Et hoc propheta poscebat : « Renova dies nostros sicut antea [6]. » Et sunt dies qui sicut umbra prætereunt. « Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fenum arui [7]. » Hic, vero dies alti dicuntur.

Ego dixi in altitudine dierum meorum.

Dies alti fortasse solius illius justitiæ sunt, qui nec principium cepit, nec fine concluditur, illa videlicet specialis vita quæ sola est vita ; cujus pars, secundum largitatem miserationum suarum, et angelis est et hominibus, pro qualitatis [8] mensura, concessa. Et idcirco dies dicuntur, non quod commutatione temporali transcurrunt, sed consuetudine prophetali, quum sit unus dies, multorum dierum nomine nuncupatus [9], sicut anni æterni, quum utique æternus annus [10] esse non possit, quia ubi æternitas est, mutatio dierum et mensium esse non potest. Ut annus ipsius, ergo dies alti Fol dicuntur, ad quos nec angeli, multo minus nec homines poterunt pervenire, quia illa altitudo vitæ [11] in ipso est Deo, qui se humiliavit usque ad portas inferni non potest comparari. In ipsa ergo altitudine dierum dixit se venire ad portas inferni.

Dies autem cœli dicuntur in quibus angeli vivunt qui principium habent, licet careant [12] fine ; si tamen in proprio permanserint Creatore, qui ipsorum est salus. Nam quidam angeli prævaricati ab eo, dies cœli illico perdiderunt. Dies autem hominis quos Jeremias non cognoscit, temporales isti sunt dies, in quibus velut æternis homines sæculi hujus putant se, absque mortis sollicitudine, feliciter permanere. Et propterea eos detestabatur propheta, quod seductorii sint ac deceptorii. Dies autem antiqui, illi sunt quibus in paradiso constitutus homo vivebat, quos nulla fuit mortis interruptio sequutura ; sed immortalitatis demutatio translatura, si primus homo lege permaneret incorrupta. Dies autem qui sicut umbra transeunt, ipsi sunt pauci et amari ; de quibus Jacob dicebat : « Dies mei pauci sunt et amari [13]. » Sed tunc demum, similes umbræ fiunt, quum nos jam proficiendo, cœperimus lamentationibus occupari [14], istius vitæ amaritudinem discernentes, et exspectationem alterius tenentes ; futura quippe vita dum in anima dulcescit et sapit, ista nobis brevior et infelicior paret. Tunc de-

(1) *Arcam* cod. — (2) *Altitudine*. Ex LXX. ἐν ὕψει τῶν ἡμερῶν μου. Cf. Hieron. ad h. l. — (3) *Cœli*. Ps. LXXXVIII, 30. — (4) *Domine*. Jerem. XVII, 16. — (5) *Habui*. Ps. LXXVI, 6. — (6) *Antea*. Thren. V, 21. — (7) *Arui*. Ps. CI, 12. — (8) *Qualitate* cod. — (9) *Nuncupantur* ib. — (10) *Æternos annos* ib. — (11) *Vitæ quæ* cod. importuna adjectione. — (12) *Carent* cod. — (13) *Amari*. Genes. XLI. — (14) *Occupare* cod.

mum dies nostri, sicut umbra fluendo, volubili transcursu recedunt : historicus intellectus admonet Ezechiam sanctum virum scientem se in altis quidem diebus positūm (hoc est, in excelsitudinem vitæ humanæ, utpote rex tantis populis antelatus), sed tamen scientem se moriturum, dixisse sibi [1] : *In altitudinem dierum meorum, ibo in portas inferni.* Quod ex persona cæterorum quoque potest potentium intelligi, qui licet sint in sublimi vita positi, tamquam in altis diebus, mortis tamen futuræ concutiuntur adventu.

IV.

Nec videbo ultra hominem de cognatione mea [v. 11]. Quisquis mortis occasu finierit vitam, neminem ultra cognationem suam hominem videt. Non enim nos possunt post excessum corporis ultra defuncti videre, nisi eos fuerimus fortasse sequuti. Et propterea sequutus est hic sermo prophetæ, dicendo : *Nec videbo ultra hominem de cognatione mea.* Sed super terram intellige. Superior enim sensus habet : *Jam non videbo salutare Dei super terram.* Ad utrumque pertinet versum, ut sic agnoscatur super terram. *Non videbo salutare Dei super terram; non videbo ultra hominem de cognatione mea.*

Potest tamen spiritaliter etiam Domino convenire, qui, abjectis Judæis de cognatione sua quam abjecit, ultra hominem non videt, hoc est, non illuminat, quia quum nos ille primus viderit, tunc eum nos videmus.

Subsequenter, non inutiliter martyribus ac viris spiritalibus hæc sententia coaptatur, qui propter charitatem Christi suos quoque propinquos omittunt, ut recte dicant, solitudines appetendo : *Non videbo ultra hominem de cognatione mea,* quia cognationi divinæ propinquus fieri concupisco.

V.

Spiritus meus apud me factus est sicut lanifica, proximans demere telam [v. 12].

Accelerans videlicet consummari, sicut accelerat mulier telam velociter resecari. Hoc aliis verbis Job ait : « Succisa est sicut a texente vita mea [3]. » Nescio quid altum hic sermo divinus occultat : quod, quia nostræ pusillitatis non est altiora percurrere, potens est tamen fons sapientiæ inclinari ad Fol. 71.
nos, quæ non est dedignata generaliter ad homines inclinari, ut quod occultum est, manifestet; quod obsignatum est, resigillet [4]; quod clausum est, patefiat.

Spiritus meus apud me factus est sicut lanifica proximans demere telam. Si hoc ad Dominum referimus Salvatorem, sic aptius intelligendum arbitror : Omnes homines, priusquam pertulisset Dominus passionem, telam texebant quamdam operum inutilium et impiæ infidelitatis; exinde dicit Isaias : « Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis [5]. » Hanc telam succidit spiritus Domini, quum in passione [6] positus, inutiles humani generis telas succidit, ut mortem nostram per mortem suam donando, peccata convertisset in vitam. Aliter omnes actus nostri fila sunt quædam : hæc fila dum in unum collegerimus, teximus telam. Et sic singuli diversorum actuum telam inteximus. Et alii quidem telas istas in tabernaculo Domini texunt, alii extra tabernaculum. Unde beatæ sunt mulieres quæ textrinam ad ornamenta præparant templi, et dignum opus Deo manibus agunt, eleemosynas [7] exhibendo.

Telas ergo omnes intexunt, quas Dominus dissipabit, dum universa gesta nostra veniabiliter abolebit; unde spiritaliter agnoscendum est cur esse divisa Salvatoris corporalia vestimenta demonstrat. Et sicut vestimentum illius ablatum ab eo scissum est, ne eo ulterius uteretur, ita quoque ista

(1) *Dixit sibi* cod. — (2) *Telam.* Noli perfunctorie legere. Accedere voluit interpres ad LXX : ὡς ἱστὸς τὸ πνεῦμά μου παρ' ἐμοὶ ἐγένετο ἐρίθου ἐγγιζούσης ἐκτεμεῖν. Thomasii psalterium e latinis solum nostra refert. — (3) *Mea.* Job. VII, 6. — (4) *Resegillet* cod. — (5) *Suis.* Is. LIX, 6. — (6) *Passionem* cod. — (7) *Ælymosinas* cod.

tela operum nostrorum qua interius velata conscientia tegebatur, disrupta est, ut ulterius nullius proficiat vestimento [1].

Ego ipse de hoc non inutiliter intelligendum arbitror : omnes homines fili tenues quodammodo deputamur, et unam omnes facimus telam, natura nos artifice contexente, et dum morimur, singillatim rumpitur filus. Quod si acciderit et plures mori, plura quodammodo fila rumpuntur. Quum vero consummatio mundi fuerit facta, omnis rumpitur tela. Nunc vero, uno mortuo, alius necesse est moriatur. Succedente ergo altero, illius fili ruptura ligata est, et sic fit ut tela ista continuet indisrupta. Hanc telam succidit Dominus spiritu suo, dum carnalem nostræ vitæ textum præcidit, et spiritalem obtexit. Et hoc est quod ait : *Spiritus meus factus est apud me sicut lanifica, proximans demere telam.* Apud me, propterea quia in occulto suo hæc omnia universis ignorantibus operatur.

VI.

In die illa, traditus sum usque ad noctem [2] [v. 13].

Si hoc de Ezechia velimus agnoscere, noctem posuit mortis adventum, quæ in homine contenebrat universa, cui fuerat traditus, quando ad eum Isaias missus est, qui ei futurum vitæ terminum nuntiaret. Si autem referatur ad Christum, quia omnis prophetia in illo concordat, traditus est usque ad noctem, quæ a sexta hora crucifixionis facta est usque ad nonam ; crucifixo enim illo, traditionis est facta consummatio [3]. Ultra enim jam traditus non est, et propterea dixit : *Traditus sum usque ad noctem*, donec, crucifixus, tenebris irruentibus dies in noctem est versa.

Tropologice autem de Ecclesia prudenter sentitur, quod diversis frequenter persequutionibus fatigetur, quia nox adversitatem significat, pro eo quod caliginem fideli mente diffundat amissione consilii. Et ita dicit quod in die tradita sit usque ad noctem, in Christo sine dubio, per quem et in quo et a quo flagellis temporalibus eruditur.

In die illa traditus sum usque ad noctem ; potest quoque hæreticis convenire, qui per errorem...

[*Cætera, non paucis forte foliis avulsis, desiderantur.*]

(1) *Vestimento.* Duriuscula sane esset, sed neque censuram vitaret sententia alicujus abolitum iri dicentis opera immortalis animæ. At per totum diligenter intuere locum, et Nostrum loqui non nisi de caducis « naturalibus gestis, » ne dubites. Vitæ huic pereunti, telaque volatica tenuiori, alteram jubet christiano præponi, dominari atque superindui, vel in hoc ævo, donec futura in cœlis, « ubi caro nec sanguis locum habebunt, » sola supersit illa immortalis vita ac vere spiritalis, ut pote uno spiritu Dei sata, genita et perennis. — (2) *Usque ad mane* cæteri omnes. — (3) *Factio consummata* cod.

Quando quidem invitat spatiolum vacuum, pedem nos referre juvat digitoque attentius notare quæ supra Verecundus noster *de Spiritu* interpretatus est. Illi ergo Spiritus est tum anima, tum divina virtus, tum ipsemet Christus salvator. Quæ ultima, potior sane ac fusior nostri interpretatio est, neque desunt sive patrum, sive monumentorum testimonia, sed e vetustissimis, plane consentanea. Nolim repetere quæ inter sacra Domini nomina in tomum superiorem inserui (p. 427), nec mea facere quæ eruditus vir Boissonadius ad eamdem nomenclaturam illustrandam (*Anecd. gr.* t. IV, p. 460) cumulate congessit. Illi tamen deest Hilarius apud quem solemnis vox eadem *Spiritus*, qua Christi divinitas significatur (*Opp.* ed. Const. præf. p. XVIII sqq. 1075, 803, 62). Quod monumenta spectat, longam seriem et annosam tibi educet e tenebris celeberrimus P. Lupius, in famosa *Dissert. ad Sever. Epitaph.* § XVII. Quæ tamen relegenti mirari subit a doctiss. viro constanter taceri ultimam nostram *de Christo Spiritu* interpretationem. Verum enim vero ut Lupi plura huc spectant, ita nuperrime sententiam nostram luculenter confirmavit titulus fortasse ex omnibus quos Cl. v. Car. Lenormant in lucem protulit præstantior. Lubet, cum pace humanissimi inventoris, lemma illud insigne in coronidem usurpare [cf. *Découv. d'un cimet. mérov.* p. 11, 31] :

CHRISTE SPI[ritus] SUS[cipe] OR[ati]ONE[m].

VERECUNDI

LIBER VI

IN CANTICUM HABACUC.

ARGUMENTUM. — I. Brevius quam cæteri, non jejune tamen, neque inconcinnius Habacuc a Verecundo explanatur; qui pressius fortasse singula, primo ad historiam retulit, deinde ad allegoriam Christi et Ecclesiæ, vel Antichristi, Synagogæ, hæreticorum; postremo moraliter semet aut cæteros redarguere, monere, increpare non piget. Hæc velim præ oculis sint, ut triplici respectu consideres : — I. Quis Domini splendor et quotuplex ; — II, III. Quæ in Christi manibus cornua extendantur; — IV. Et qualis ab iisdem virtus et charitas firmetur; — V, VI. Quid sit verbum per campos ante Deum exire; — VII. Quid, stare Dei pedes, terramque commoveri, fluere gentes, montes dissolvi. — VIII. Sunt etiam colles æternales, sunt æterna Domini itinera. — IX. Sunt Æthiopes quos intelligi gentes oportet; Madian, Synagogam; — X. Flumina, hæreses; mare, mundum. — XI. Sed vide cujusmodi Deus equos ascendat et quanti eos jubeat emi; —XII. Qualem intendat arcum ; — XIII. Quibusve fluminibus terra scindi soleat,—XIV. Et irrigari.

I.

72. ... Dominicæ obsequiosius famulantur [1]. *Splendor ejus sicut lumen erit* [Habac. III, 4]. Quum idem sit splendor quod lumen : quam voluit divinus sermo differentiam demonstrare, in eo quod ait : *Splendor ejus sicut lumen erit?* Consequenter dicere debuisset : splendor ejus lux est, sed nec sic equidem proprie diceretur, quia omnis splendor lux est, voluit tamen cujusdam mysterii reserare secreta : quoniam splendor Domini, licet fuerit sempiternus, non tamen semper nobis præbuit lumen; quia quum infidelitatis tenebris raperemur, necdum nobis Salvator noster sui luminis præbuerat documentum. Ex eo ergo ex quo nos suis illustrationibus illustravit, lumenque suum cæcis cordibus intimavit, splendor ejus nobis factus est lumen. Hoc mihi videtur illud Machabæorum libro monstrari, ubi sacer ignis, postquam babylonia captivitate populus terris abductus est in exterius, quum puteo conderetur, in aquam gelatam conversus delituit, donec sui Deus populi captivitatem vellet auferre. Postquam vero israelitica regressa est plebs, et Jerusalem genuinæ patriæ contigit terram, defosso puteo, aqua quæ fuerat congelata, in ortu solis, sacris est altaribus superfusa; illicoque ignis ille cœlestis propriæ naturæ vigorem accepit, omniaque holocausta consumsit [2]. Ita quoque divinus ille charitatis ignis, qui in patriarchis prioreque populo permanebat, degeneranti postea nimirum disciplina in posteriori populo peccatis captivato, et de intellectuali Jerusalem ad babyloniam carnalis vitæ captivitatem translato, igneus ille fervor, qui in sanctorum conscientiis habebatur, ad rigorem quemdam iniquitatis deductus, in puteo quodammodo factus est congelatus. Unde dictum est : « Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam [3]. » Postquam vero dispersionem sui populi Dominus recollegit, atque ad Jerusalem, Ecclesiæ videlicet, fidem oberrantes collegit, tunc aqua illa prioris malitiæ in ignem reformata est charitatis antiquæ, universas animas quotidianis fervoribus urens, divinis immolat holocaustis.

Splendor ejus sicut lumen erit. — Splen-

(1) *Famulantur.* Vides in tres priores versiculos commentarium excidisse. Cæterum per quam solemne est canticum illud inter sacra. Legebatur enim apud Mozarabes dominica III adventus. Sed neque deest psalterio Thomasino, nec Sangermanensi, neque cæteris quæ Sabaterius naviter recensuit. Partim inseritur in Missalis rom. tractu ad fer. VI in parasceve; integrum exstat in laudib. fer. VI Brev. rom., juxta Vulgatam. — (2) *Consumsit.* II Machab. c. I. Atqui sacerdotalis epistola ad Judæos Ægyptios tota hic fere legitur, ac locupletissimo confirmatur testimonio. Africanæ saltem Ecclesiæ canonem accipiant, qui Romanum et Tridentinum jure immerito respuunt. — (3) *Suam.* Jerem. VI, 7.

dorum plura sunt genera. Et est quidem temporalis splendor, est et æternus. Et splendida veste usus est Herodes, quum apud Tyrum populo concionaretur; et propter vestem splendidam, sanitatem angelo confusus est perimente, statimque caro splendidis vestibus cooperta, in vermium est putredinem resoluta. Tyrus Tenebræ appellantur. Qui ergo in tenebris vitæ carnalis est occupatus, et honorem Deo dare contemnit, dum substantia tamquam veste sustollitur sæculari, æternis est vermibus resolvendus. Tali splendore et evangelicus dives fuerat exornatus : propterea splendor ejus non ei lucem in tenebris, sed ignem attulit ustionis.

Splendor vero Domini Dei nostri lux est, ignorantes illustrans et temporaliter excæcans oberrantes. Hic splendor apparuit Paulo, quo mens illuminatur, et acies oculi caligat. Unus splendor virtutes operatur duas : illuminat mentes, excæcat carnem, ut non terrena, sed cœlestia contemplemur, ut cum propheta dicimus : « Averte oculos meos, ne videant vanitatem [1]. »

II.

Cornua sunt in manibus ejus.

Futuri judicii ventilatio in ejus est arbitrio sita. Vel certe cornua crucis in manibus ejus fuerunt, quando ferratis affixus
Fol. 73. est clavis [2], vel certe potestas et misericordia in operibus ejus, sicut propheta testatur : « Quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia [3]. »

Cornua sunt in manibus ejus. Cornua supereminent carnem, et quadam naturali soliditate firmata sunt : per cornua supereminentiam [4] intellige divinarum virtutum; manus itaque in operibus agnoscuntur. Et hoc de Domino dictum est Salvatore, quod opera ejus virtutes supereminent præcellentes, sicut in benedictionibus Moyses, quibus singulis tribubus benedixit, ostendit. Quum ad nomen Joseph veniret, dictum est : « Quasi primogenita [5] tauri pulchritudo ejus. Cornua rhinocerotis, cornua illius; in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ [6]. » Pulchritudo Domini Salvatoris primogenita tauri comparatur, eo quod in jumentis, seu etiam in bestiis, omnia primogenita feruntur fortiora atque asperiora proferri; unde nunc pulchritudinem virtutem magis et fortitudinem debemus agnoscere. Cujus rei veritatem illa ratio monet : apud Indiam canes feminæ ligantur per noctem arboribus, cum quibus coeunt pardi; et exinde nascuntur canes ferocissimi, quorum primos partus necant, quia importabiles sunt. Deinceps alios nutriunt secundos, vel tertios [7]. Tauro propterea simulatur, quod in exarandis excolendisque gentibus, tamquam agris spiritalibus laboravit. « Cornua rhinocerotis, cornua illius. » Rhinoceros genus est bestiæ indicis finibus notum, quæ non in fronte cornua, non in capite gerit, sicut omnia genera jumentorum, sed in naribus tantum; unde vocabulum sumsit : *Rinos* enim Nares, *Ceros*, Cornu dicitur græce [8]; idcirco rhinoceros appellatur, quasi Naricornus. Propter magnitudinem vero narium et cornu rhinoceroti est assimilatus. « In ipsis ventilabit gentes, usque ad terminos terræ. » Universas gentes quotidie Dominus ventilat, et ventilando triticum segregat a paleis; illud horreo, istud ustioni [9] recondens.

III.

Cornua sunt in manibus ejus. Patibulo crucis affixus, Dominus noster cornua ejus

(1) *Vanitatem.* Ps. CXVIII, 37. — (2) *Clavis.* « Splendor quoque ejus, quasi sol justitiæ, clara luce radiavit, et cornua in manibus ejus, vexilla et tropæa crucis, et in ipsis cornibus abscondita est fortitudo ejus. » Hier. *in Habac.* lib. II, c. 3, Vallars. t. VI, 638. — (3) *Misericordia.* Ps. LXI, 13. — (4) *Supereminentia* cod. — (5) *Primogenita.* Alias in vett. interpret. *Primogenitus.* — (6) *Terræ.* Deuter. XXXIII, 17. Neque omiserat Hieronymus ad Ps. XLIX et XCI, sed tacito Deuteronomio, meminisse rhinocerotis, de quo cf. *Physiologum* nostrum c. XXV, t. III, p. 355. — (7) *Tertios.* Vid. Oppian. lib. — (8) *Græce.* Forte etymon est a notariis depravatum, ut recte noster scripserit ῥὶν, ῥινὸς et κέρας. — (9) *Isti ustionem* cod.

accepit in manus, quoniam usque ad finales ejus extensus est partes, sicque factum est ut crucis cornua in manibus suscepisset. Possunt etiam cornua finales mundi partes agnosci, quas suis manibus, id est operibus, continuit atque definxit.

Cornua sunt in manibus ejus. Cœlum et terra non inutiliter cornua intelliguntur, quæ Domini dispensatione reguntur. Multiplex latitudo sermonis agnitionis : alteram parit virtutem et potentiam, quæ Domini sunt cornua. Et in manibus ejus cognoscuntur, quoniam in ipsis opus omne consummat.

IV.

Illic firmata est virtus gloriæ ejus[1], *et operuit charitatem firmam*[2], ubi pertulit passionem, ibi firmata est virtus gloriæ ejus. Unde etiam ipse ait, dum futuræ passionis prænuntiaret adventum : « Exaruit velut testa virtus mea[3]. » Quæ dum igne passionis fuisset exusta, fortior et invincibilis surrexit, ut infirmitas quæ tegebat virtutem, ultra celari non posset. Differentias testarum inserere licet longum sit, tamen utilem intelligentiæ fructum ostendit; sed alio tempore reservandum[4]. Virtus autem Domini tunc demum firmata est, quum passionem perferret, ut qui, præsens in carne, nec uni est agnitus civitati, post patibulum crucis, toto jam mundo credatur : quia *firmata est virtus gloriæ ejus, et posuit charitatem firmam.* De qua Dominus
74. dicebat : « Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis[5]. » Et tunc ergo firmam posuit Dominus charitatem, quum pastor bonus animam posuit pro ovibus suis. Tamen charitatis gradus multi sunt, quos in dilectione proximi Apostolus numeravit : « Charitas patiens est; benigna est; charitas non æmulatur, non inflatur; non agit perperam; non est ambitiosa; non quærit quæ sua sunt; non irritatur; non cogitat malum; non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia sustinet; omnia sperat; charitas numquam excidet[6]. » Hæc in proximis exercetur charitas, non illatis periculis comprobata, sed exercitiis consuetis educata. Excellentior autem illa est in qua semet ipsum Apostolus cum cæteris jungit : « Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an augustia? an persequutio? an gladius? an fames? an nuditas? sicut scriptum est : Quoniam propter te afficimur tota die[7]. » Sed hæc ab hominibus ingeruntur. Est ergo adhuc altior gradus, ubi probari debeat intellectus et exercitatio charitatis, ut non tantum ad ea firmetur, quæ ab hominibus inferuntur, verum et etiam quæ a principibus et potestatibus ministrantur, firmiorque in conscientia, nullis hæsitationibus mota, perduret, quo fidenter edicat : « Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro[8]. » Hæc est ergo charitas firma quam Dominus posuit in die gloriosæ virtutis.

V.

Ante faciem ejus ibit verbum[9], *et exibit in campos* [v. 5].

Facies Domini præsentia ejus est, quam præcedit verbum evangelicæ veritatis, Quum enim prædicatur hodie fides et adventus ejus, spes firmissima nuntiatur. *Ante faciem ejus ibit verbum :* sed et de prophe-

(1) *Ejus.* Remansit in Hexaplis ἀνεπιγράφου interpretis locus omnino idem : ἐπὶ ἐπεστήρικται ἡ δύναμις τῆς δόξης αὐτοῦ. — (2) *Firmam.* Unum Thomasii psalterium in eo consentit : *Posuit charitatem;* cæteri : *claritatem.* — (3) *Mea.* Ps. XXI, 16. — (4) *Reservandum.* An steterit promisso, incompertum. Ne nomine quidem meminere ejusdem in psalmum XXI commentationem. — (5) *Suis.* Joan. XV, 13. — (6) *Excidet.* I Cor. XIII, 1-8. — (7) *Die.* Rom. VIII, 35. — (8) *Nostro.* Ib. 39. — (9) *Verbum.* Ex LXX et Theodotione, id quod non semel infra notabitur, nec abs re, maxime quod ad Theodotionem pertinet. Vulg. *Mors*, eo quod vox hebræa דבר Hieronymo notante, si legatur *dabar* Verbum significat, si *deber*, Pestem, unde Mortem.

tiæ verbo utiliter cognoscitur, quod ante incarnationem ejus erat in eruditione promissum, *et exivit in campos*, quoniam gentibus dilatatum est ad credendum.

Ante faciem ejus ibit verbum, et exibit in campos. Non solum verbum præcedit faciem Domini Salvatoris; sed et « misericordia et veritas præcedunt ante faciem ejus [1]. » Ignis etiam dicitur anteire conspectum ejus : « Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida [2]. » Ecce ignis quoque conspectum ejus præcedit, et plurima reperies quæ præcedere nostri Domini vultum narrentur. Sed aliud est verbum præcedere, quum utique prænuntiabatur venturus; aliud misericordia et veritas, quando miseriis populum afflictum condolens, aiebat : « Misereor turbæ huic, quia jam triduo mecum est et jejunat [3]. » Et iterum : « Videns autem Jesus turbas, misertus est, quia erant sicut oves non habentes pastorem [4]. » Sic ergo misericordia præcedit ejus aspectum. Veritas vero similiter, quando dicebat : « Quid me vultis occidere, hominem qui veritatem loquutus sum vobis [5] ? » Ergo etiam veritas tunc eum anteivit, utraque Domini faciem præcesserunt. Ignis quoque transiturus est ante eum, quum in revelatione futura venerit manifestus : « Ignis ante eum ambulabit, et inflammabit in circuitu inimicos ejus [6]. » Tunc enim non verbum præcedet Domini vultum, sed ignis qui consumturus est infideles ac perditurus.

VI.

Ante faciem ejus ibit verbum, et exibit in campos [v. 5]. Campus planities est terræ latitudine longiore distenta, in quibus nullus
Fol. 75. collis, nec mons, nec locus altior invenitur : sed distenta tantum æqualitas, ampliori latitudine ultro citroque diffusa. Per campos ergo populos idololatras agnosce, nihil excelsum, nihil altum, nihil de spiritalibus sentientem; sed humili prostratum et terrena cogitatione dejectum : quia « qui de terra est, de terra loquitur [7]. » In hos ergo campos verbum directum est Evangelii, sicut Apostolus ait : « Jacobus et Cephas et Joannes qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem [8]. » Sic ergo factum est ut per campos curreret verbum.

Aliter quoque potest agnosci : *Ante faciem ejus ibit verbum, et exibit in campos.* Potest hoc non inutiliter etiam de verbo Joannis intelligi; cujus prædicatione Christus est demonstratus, quum diceret : « Ecce est agnus Dei, ecce est qui tollit peccata mundi [9]. » Ergo ante manifestationem Domini Salvatoris, annuntiatio Joannis præcessit, *et exivit in campos ;* tunc videlicet quando non in civitatibus, neque in castellis, sed in solitudine, juxta Ennon, in Jordane fluvio, credentibus sibi baptisma pœnitentiæ conferebat : typo monstrante quod prophetiæ verbum non Judæis, sed gentibus profuisset.

VII.

Pedes ejus steterunt [10], *et commota est terra* [v. 6]. Apostoli pedes Domini significantius agnoscuntur, per quos universum circuit mundum, sibique credendo subjecit. Sed hi pedes postquam stando firmati sunt, universa *commota est terra.* Ad finem sine dubio, omnis commota est caro. Hæc motio non corporalis, sed intellectualis est agnoscenda. Quid enim est commoveri, nisi de loco ad locum transferri? commota ergo est caro ejus qui ab infideli ad fidelem translatus est vitam; ut, ubique prædicatoribus confirmatis, terra intellectualiter moveatur.

Aspexit, et fluxerunt gentes, et dissoluti sunt montes vehementer [v. 6]. Aspectus Domini dura dissolvit, et obstricta in liqui-

(1) *Ejus.* Ps. LXXXVIII, 15. — (2) *Valida.* Ps. XLIX, 3. — (3) *Jejunat.* Matth. XV, 32. — (4) *Pastorem,* Marc. VI, 34. — (5) *Vobis.* Joan. VIII, 40. — (6) *Ejus.* Ps. XCVI, 3. — (7) *Loquitur.* Joan. III, 31. — (8) *Circumcisionem.* Galat. II, 9. — (9) *Mundi.* Joan. I, 29. — (10) *Steterunt.* Totius versiculi lectio nostra quasi liturgica est, peculiaris nimirum psalteriis Thomasino, Sorbonico, S. Salaberg., Mozarabico, etc.

dum vertit, ut ex hoc clareat quod Isaias expressit, quoniam Deus ignis est vivax, accedentes non ad mortem consumens, sed ad puritatem eliquans : « Quis habitabit ex vobis cum igne devorante? aut quis ambulabit ex vobis cum ardoribus sempiternis [1]? » Idcirco ergo quoscumque aspexerit, et suo calore strinxerit, illico liquefacit. Posteriori itaque tempore, quum miseratus gentes, aspexisset eas quas per Christum suum redemtione dignissimas judicaret, statim a duritia defluxerunt; hoc et etiam Ezechiel propheta testatur : « Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum [2]. » Sic itaque gentes defluxerunt, quum in erroribus homines sunt molles, ut duritia idololatriæ [3] caruissent.

Montes quoque dissoluti potentes sine dubio sæculi sunt agnoscendi, vel instructissimi sapientes, quos a proprio obstinationis nodo dissolvit, et ad perceptionem fidei eliquavit. Sed et regibus et imperatoribus poterit coaptari, quos velut montes amplissimos videmus calore fidei dissolutos, ut infidelitatis compagine caruissent.

Moraliter quoque, si me meus Redemtor aspicere condignetur, gentes asperas carnalium morum et barbaro motu viventes in solitudine pectoris mei, defluere compellit et ad nihilum revocari, donec impugnatio carnis adversus spiritum conquiescat. Montes quoque altissimos sensus sine dubio extollentes se adversus scientiam Dei et veritati obicem opponentes cœlestis sapientiæ dono dissolvit; ut humana scientia Christo, non Diabolo famuletur.

VIII.

Defluxerunt colles æternales. Colles æter-
76. nales, qui de cœlo lapsi, sunt dæmones; amota gratiæ firmitate, defluxerunt vitiis carnalibus obsequentes. Vel qui inter Deum et homines in ductu [et] cultu erroris, velut se quidam opposuerant colles, transitum mortalibus adimentes ad cœlestia transmeare : quos Dominus virtutis suæ quodam igne flammavit, et ad defluxionis inertiam coarctavit, ut viantibus spiritaliter nequeant obviare, sicut Isaias ait, ex persona Domini colloquentis : « Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei [4] ; » ut videlicet transeuntes ad Deum, nullis impeditionibus capiantur.

Itinera æterna ejus præ laboribus vidi [5]. Laborandum est ad æterna itinera prævenire; non quiete, nec otiose, sed afflictione opus est et labore, in quibus Paulus exercitio fruebatur : « Sed exhibeamus nosmet ipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis [6], » et cætera quæ narravit. Ista sunt itinera sempiterna : quoniam inde æternitas invenitur.

Ipse tamen versiculus ad utramque potest referri personam, secundum distinctionis differentiam. Dici enim potest : *Itinera æterna ejus præ laboribus vidi*, vel præ laboribus ejus, id est passionibus Christi, itinera æterna vidi. Ab ipso enim revelata sunt, dum se crucis ignominiæ subdidisset; aut certe ejus itinera æterna præ laboribus vidi, quibus oportet spiritales viros per gratiam erudiri, ut in laboribus plurimis arctam et angustam transeant viam.

IX.

Tabernacula Æthiopum expavescunt [7], *tabernacula terræ Madian* [v. 7] [8].

Æthiopissam Moyses accepit uxorem, simulque Madianitam, filiam Jetro, sacerdotis Madian : non utique duas, quod nulla lectio demonstravit, sed unam uxorem accepit. Madian quippe æthiopicis solitudinibus at-

(1) *Sempiternis.* Is. XXXIII, 14. — (2) *Carneum.* Ezech. XI, 19; XXXVI, 26. — (3) *Idolatrix* cod. — (4) *Mei.* Is. LVII, 14. — (5) *Vidi.* Nota στίχων distinctionem aut novam, aut Africanis peculiarem; eadem enim utitur Augustinus *De Civit. Dei*, l. XVIII, 32, col. 513 F. Codex tamen Alexandrinus eadem forte ligat, ut continuo legere videatur : ἐς πορείας αἰωνίους αὐτοῦ ἀντὶ κόπων εἶδον. — (6) *Plagis.* II Cor. VI, 5. — (7) *Expavescunt.* Per me non stet quin, duce Verecundo, LXX aliter ac fit interpungantur hic : ἀντὶ κόπων εἶδον · σκηνώματα Αἰθιόπων πτοηθήσονται, καὶ αἱ σκηναὶ γῆς Μαδιάμ. Viden' cuncta fluere meliori quam solet alveo? Inde eodem pede pergunt interpretes magno consensu. — (8) *Mazian* cod. uti alias *Zoziacum*.

que ægyptiacis confinis est. Lege Moysen fugientem ex Ægypto et Madianæ finibus devolutum, et cognoscis provincias esse confines. Æthiopum tabernacula corda sunt gentium, Æthiopibus coaptata, quod infidelitatis nigredine caligarant; vel quia illic dæmones, sine dubio Æthiopes, morabantur. Tabernacula vero terræ Madian æstimo melius significare pectora Judæorum, quia Madian Abrahæ fuerat semine procreatus, et Cethuræ concubinæ partu profusus. Ob hoc isti tali significatione prolati, quia, etsi patriarchæ posteritas sunt, degeneraverunt tamen in matrem. Completa videntur obtutibus nostris, quod pavore concussa sint utriusque populi corda, dum adventus Dominici præsentia terrerentur.

Secundum latitudinem vero sapientiæ spiritalis, hæreses Æthiopum tabernacula non inutiliter cognoscuntur; in quibus dæmones sine dubio commorantur. Tabernacula vero terræ Madian synagogæ sunt Judæorum, propter stirpem Moysi Madianite matre prolatam : quæ terrore sunt Dominicæ præsentiæ conturbatæ, virtutis propriæ medicinam solo jussu quum daret infirmis.

X.

Numquid in fluminibus ira tua est, Domine, aut in mari est impetus tuus [v. 8]?

Interrogative propheta fabulatur cum Deo, propter ejus cognitam bonitatem : Numquid in hæresibus ira tua est, Domine? quæ flumina nomine[1] demonstrantur, pro eo quod aliis transeuntibus, succedendo, aliæ oriuntur. Non aliter quam fluminum aquæ discurrunt, in quibus undæ priores undis sequentibus expelluntur; sic
Fol. 77. quoque in se nequeunt hæreses permanere, sed antiquis decedentibus novæ succedunt. *Aut in mare*, id est in infidelibus, *impetus tuus?* Nimirum ira Dei hæreticis supervenit; pro eo quod excæcatis mentibus fallaciam æstimant veritatem. Summa est enim indignatio Dei cæcitas mentis. Nam si tu quempiam velis crudelius cruciare, ereptis oculis cæcitati condemnas : quæ summa est crudelitas tormentorum. Simile quoque ac deterius est, erepto lumine mentis, animam subdere cæcitati. Certe, illud temporale male, istud est sempiternum. Et propterea iram Domini in fluminibus dixit esse, et impetum in mari, quia omnis cæcitas infidelibus cumulatur. Hæreses enim, etsi parum quid vident, tamen quia imaginem, non veritatem luminis habent, non aliter quam si, clausis oculis, ignis lumine quispiam radietur. Splendorem quidem non videt, imaginem tamen quamdam sibi præludentem agnoscit. Infideles vero lumine sunt universo privati. Joannes quoque in Apocalypsi testatur phialam iræ Dei super flumina et mare fuisse diffusam, et omnem animam vivam illic fuisse defunctam[2]. In eo enim phialæ iræ Dei dicitur, pro eo quod ejus indignatione damnati potari dicuntur, ita Jeremiæ testante : « Sume calicem vini furoris hujus de manu mea, et potabis ex eo gentes ad quas ego mittam te[3]. » Hæc itaque phiala furoris Domini « in fluminibus et in mari, » in hæresibus et infidelibus effusa, omnem animam vivam occidit, morte videlicet spiritali, percussit omnes ibidem commorantes. Nam quod ait : animam vivam in fluminibus et in mari fuisse defunctam, et licet nihil sit vivum in hæresi atque infidelitatibus constitutum, tamen vivunt quibus est vitalis spiritus per errorem ablatus.

XI.

Quoniam ascendis super equos tuos, et equitatus tuus sanitas. Et quid, nisi intellectuales sunt homines, qui per obedientiam cervicem mentis inflectunt, ut Dominica valeant præcepta sufferre? Apostoli ergo equi sunt, qui Domino norunt dorsa supportando præbere; tales isti sunt equi quorum cursu mundum circuit universum. Et omnis equitatus Domini, populus videlicet beatorum, *sanitas* sunt, vel quod a Domino æternam capiunt sanitatem, vel quia cæteris credentibus salutem impendunt. « Visitabit

(1) *Nominum* cod. — (2) *Defunctam*. Apocal. XVI, 4. — (3) *Te*. Jerem. XXV, 15.

enim Dominus domum Juda et constituet eam quasi equum gloriæ in prœlio [1]. »

Ii sunt equi quos Salomon, rex Jerusalem, de Choa et de Ægypto pretio certo mercatur, ut epulum cibariæ spiritalis in Jerusalem cœlestem accipiant, et regalibus famulentur officiis. Prædicatores enim verbi cœlestis de Choa insula, qua significatur gens Judæa, pro eo quod infidis, velut mari, fuisset gentibus circumdata. Et de Ægypto idololatriæ comparantur equi, non minus quam centum quinquaginta siclis. Quadrigæ vero sexcentis, sicut Regnorum historia refert [2]. Quid ergo est equum centum quinquaginta siclorum [3] pretio comparari? quadrigam vero sexcentis? Reverterc, lector, et abdita mysteriorum secreta rimare, et invenies quod debeas admirari. Omnis homo equus est, et ascensorem proprium habet: si fidelis et bonus est, Christum habet ascensorem; si malus et infidelis, diabolum. Equus ergo Salomonis centum quinquaginta siclos comparatur, qui Christum credit in carne venisse, quæ quinque sensibus constat, et annorum triginta baptismi
'8. gratiam percepisse. Quinquies enim triginta centum quinquaginta faciunt; hoc pretio coemitur, quo pretio equus Ægypto comparatur.

Si vero quadriga fuerit, sexcentis emitur siclis: quum enim singuli catechizandi offeruntur, singuli equi sunt; ubi vero purificandi deponuntur in fonte, jam quadrigæ ligantur. Quatuor quippe sunt professiones ad quas fideles proficiunt universi: aut enim ad spiritalem conversationem accedunt, aut virginitati servandæ deputantur, aut continentiæ viduali segregantur, aut conjugali societate nectuntur. Hæc quadriga emitur sexcentis siclis: nomen videlicet Jesu ascriptum accipiunt in cordibus suis, quum facti fuerint filii Dei, et dicatur illis: « Et ascribam nomen Dei mei super eum. » Jesum vero quum dicis, secundum litterarum numeros latinarum, sexcentos numeros habet. Quod nomen quum quisque renatus ascriptum super se perceperit, sexcentis comparabitur siclis. Negotiatores enim verissimi Salomonis, ministri videlicet spiritales, accepta pecunia, unus enim quinque talenta, sequens duo suscepit; sed ad eorum similitudinem, plurimi servi alia plurima talenta perceperunt, et non desinunt equos et quadrigas quotidie regi proprio comparare. Et quamvis diversitas sit equorum, quia unus quisque proprium habet donum a Deo, uno tamen pretio omnes pariliter comparantur; quia una fides est, et unus est Christus. Hoc autem pretio de Ægypto infidelitatis, de Choa gentis judaicæ, de Syria schismatis, et de Cethim hæresis, equi vel quadrigæ pretio comparantur: « Non corruptilibus auro et argento, sed sanguine unici quasi filii Dei [4]. »

XII.

Extendens extendis arcum tuum super sceptra, dicit Dominus [v. 9].

Arcus extensio Dominici corporis est in ligno crucis distensio, quod super aereas potestates et sceptra spiritalia distentum est: « Transduxit enim omnem principatum et potestatem, palam triumphans, et affigens eos in ligno crucis suæ [5], » ut ibi Diabolus frangeretur, ubi Dominus necaretur [6].

Nec vacat quod ait: *Extendens extendis arcum tuum.* Quum enim Dominus meus Jesus Pilati verberibus aptaretur, extensus est semel; et quum patibuli figeretur in ligno, extensus secundo, ut impleretur quod dictum est: *Extendens extendis arcum tuum.*

Alio quoque sensu potest intellectus haberi: dilatans dilatasti Evangelium tuum super omnia regna mundi; de quo sagittæ prodeunt, corda durissima jaculantes, ut convenientius edicatur: « Sagittæ tuæ acutæ, potentissime, populi sub te cadent [7], » ut vulnerati doleant et elisi mala pristina

(1) *Prœlio.* Zachar. x, 3. — (2) *Refert.* III Reg. x, 29. — (3) *Siglorum* et mox *siglos* cod. — (4) *Dei.* I Petr. I, 18. — (5) *Suæ.* Coloss. II, 15. — (6) *Negaretur* cod. — (7) *Cadent.* Ps. XLIV, 6.

recognoscant. Extensum est autem quum primum prædicaretur Hebræis; deinceps extendi non cessat, quum gentibus nuntiatur, ut « extendens, ait, extendas arcum tuum. »

Nec illud abhorret curioso lectori, ut arcum extentum judicium futurum agnoscat; quod manifestabitur regnis tam spiritalibus quam etiam carnalibus; quia sicut homines, ita potestates quoque aeriæ judicabuntur : ut extensus arcus Domini demonstretur. Quem arcum extendens nunc in præsenti sæculo prædicando, extendet in futuro severius exsequendo.

XIII.

Fluminibus scindetur terra.

Illis utique, quorum adventu lætificatur civitas Dei, et de fonte paradisi orti sunt ut irrigent superficiem universæ telluris. Dona ergo Spiritus sancti flumina sunt, terram cordium humanorum scindentia vehementer. Prædicatoribus quoque con-
Fol. 79. venienter aptantur, qui terram scindunt, dum animas ab infidelitatis radice divellunt, ut eas cultu repleant spiritali. Alio quoque sensu, hæc intelligentia dilatatur [1]: sacrorum volumina librorum flumina sunt fluentis dulcioribus cumulata, quibus christiana plebs scinditur, velut terra compunctionibus saturanda : quod si diversitates fluminum quæras, intelligis quantis diversitatibus mysteria præcellentur.

XIV.

Est fluvius rapidus igneusque de Domini sede currens, sicut Danielis liber ostendit : « Aspiciebam, donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit : vestimentum ejus quasi nix candidum. » Et sequenter : « Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus [2]. » Inundatio Sancti spiritus demonstratur.

Et est fluvius Chobar, juxta quem Ezechiel populo prophetabat. Chobar interpretatur Gravitudo, sive Onus. Legis præcepta sunt gravia et onusta, de quibus Petrus ait : « Quid vultis imponere gentibus jugum grave, quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt [3]? » Et Jordanis fluvius est, in quo venientes baptismi gratiam ad fontis similitudinem consequuntur. Sunt quoque flumina Babylonis, ubi Dei populus deflet : « Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion [4]. » Sæcularium cupiditatum violentissimi sunt tractus, super quos sancti flentes et gementes insidunt, quia se eis non commiscunt. Nec non flumina Ægypti in quibus musca ægyptia commoratur : « In die illa sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti [5]. » Volubilitas est eloquentiæ sæcularis, in cujus extremo musca insidet falsitatis : novissima [6] enim ejus mendacium; quam eloquentiam fallacem occidit Dominus, quia veritas ejus aquæ dulcedinem potantibus præbet, et qui potaverit aquarum inundantias, abundabit : « Qui autem biberit ex aqua quam dedero ei, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ [6]. » Dona sancti Spiritus demonstravit.

Quid etiam de fluminibus Damasci dicemus, Abana et Pharphar, quæ leprosum Naaman non potuerunt mundare? et si non sibi auxilium de israelitico fonte quæsisset, nimirum in lepra mansisset. Abana Lapides ejus, sive Fortitudo ejus interpretatur; Farfar, Fodientes, sive Dissipantes. Hæresibus sunt hæc vel schismatibus coaptanda. Nam hæc vera sunt flumina Damasci. Damascus interpretatur Sanguinem potantes, non corporum, sed animarum quas occidunt, dum a Christo seducunt, in quibus lepra peccati mundari non possit. Abana, Lapides ejus sive Fortitudo ejus; non Dei lapides, nec fortitudo, sed ejus; sine dubio hæresis confidentis in se, non in Deo. Far-

(1) *Intelligentiæ* cod. — (2) *Ejus.* Daniel VII, 10. — (3) *Potuerunt.* Act. XV, 10. — (4) *Sion.* Ps. CXXXVI, 1. — (5) *Ægypti.* Is. VIII, 18. — (6) (7) *Aquæ vivæ.* Joan. VII, 38.

far vero Fodientes sive Dissipantes, qui sunt intelligendi, nisi qui se de populo dissipaverunt christiano? et fodientes sunt, ut sepulcra faciant[1] mortuorum? « Sepulcrum patens est guttur eorum[2] : » quem effodiendo aperiunt, ut veraciter absumant dissipatas hæreses, nisi ad fontem baptismatis veniatur.

Argumentum. — XV. In ultima cantici parte, præeunte propheta, interpres enarrat præcipua quæ, quum orbem Deus judicaturus est, eventura sunt : formidines gentium; —XVI. Abyssi clamores; —XVII. Signa in sole et in luna; — XVIII. Itura de super iræ Dei jacula; —XIX. Fatiscentis terræ deliquium; — XX-XXIII. Contrita inimicorum Dei capita, sospite plebe ejus et incolumi;—XXIV, XXV. Tum fame ora, ossa tremore vexatum iri. — XXVI-XXX. Dumque cum suis Christus ascensurus est in requiem, addit fore ut terra areat, terrenaque dissipentur. — Sed plura, ne dicam omnia, æque primum Christi adventum aut perpetuum ejus in animas transitum respicere non negat.

XV.

Videbunt te, et dolebunt populi[3] [v. 10].

Per fidem Domino revelato, peccatorum dolor universos pœnitentes affligit; miserationem credunt gestorum reddere propriorum a Deo. Videbunt eum populi et dolebunt se in præteritum deliquisse. Nec illud est moraliter omittendum, quod interiores sensus, tamquam populi, quum te viderint per fidem compunctione repleri, dolebunt gemendo et lugendo, si quo modo Domino quem viderint, valeant sociari. Hic
0. sensus futuræ quoque revelationi concurrit, sicut Zacharias in visione vidit prophetali : « Quod quum Dominus in majestate claruerit manifestus, tunc tribus et tribus, familiæ et familiæ, luctuosis lamentationibus ululabunt[4]. »

Aspergens aquas in itineribus suis. Ubique Dominus miraculorum aquas aspersit, et ubi bonum præsentiæ propriæ deferebat, sanitatum gratiam conferebat[5]. Hoc itaque intelligendum agnosce : *Aspergens aquas in itineribus suis;* ostendens miracula in transitibus suis. Aquas quoque baptismatis spargit in locis et cordibus, ubi se voluerit invisibiliter declarari. Multum iste me sermo commovit, quod ait : *Aspergens aquas,* et non fundens. Hoc etiam David adjecit : « Asperges me hyssopo, et mundabor[6]. » Et in Levitico : « Tinguens digitum in sanguine, et asperge septies contra altare[7]. » Quod enim spargitur, non uno impetu funditur, nec uno in loco plenitudo tenetur, sed variatim quod aspersum fuerit funditur. Non ignarus David se in totum mundari non posse, dum vivit in carne mortali, aspergi se potius hyssopo et in posterum mundari poscebat, ut, etsi plenissimam munditiem obtinere non posset, tamen apprehenderet quantum vitæ sufficeret sanctiori. Aspergit aquas in itineribus suis, quia non in uno impetu baptismatis aqua vel torrens super faciem terræ contingit, verum in locis diversis, per Ecclesiam et templa divina, aspergine diffusa et variata. Et ubicumque Dominicæ transitus præsentiæ declaratur, vel ubi nomen ejus in laudibus invocatur, ibidem aquæ istæ salubriter asperguntur.

XVI.

Dedit abyssus vocem suam ab altitudine phantasiæ suæ[8].

Post passionem te occulta penetrante inferni, abyssus universa vocem altitudine immensitatis expressit, quum Christi se libertate videret rapi. Nec non auctor abyssi Diabolus non incongruenter est abyssus agnoscendus, sicut etiam mors dicitur;

(1) *Faciunt* cod. —(2) *Eorum.* Ps. v, 11. — (3) *Populi.* Ex LXX. *Montes* Vulg. et hebr. Nonne LXX placuit, littera posthabita, se conferre ad sensum allegoricum? Sane notanda varietas. — (4) *Ululabunt.* Zachar. XII? Sed cum nullis editis consentit.—(5) *Deferebant, gratia conferebant* cod. — (6) *Mundabor.* Ps. L, 9. — (7) *Altare.* Levit. XIV, 27. — (8) *Suæ.* Præeuntibus LXX : ὕψος φαντασίας αὐτῆς. Et Augustino sequente l. l. col. 514 B; sed et Gregorio M. *Moral.* XXVI, p. 550 A; XXXVIII, p. 929 c. ed. BB.

quia mortis est caput : « Ubi est, mors, aculeus tuus[1] ? » Hæc mors sive abyssus dedit vocem suam gemitus et doloris, quum tantam sibi populorum prædam, quam ab initio possederat, vidisset auferri. Sed fortasse minus credas sermonibus meis : Isaiam testem in medium producamus : « Numquid tolletur a forte præda, aut quod captum fuerit, a robusto salvabitur? Quia hæc dicit Dominus : Equidem captivitas a forte tolletur, et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur[2]. »

Nam quia ululaverunt fortitudines contrariæ, et doluerunt propria spolia perdidisse, quod nemo negat, nisi qui minoris malitiæ diabolum arbitretur, aut omnino quod pertulerit, non sensisse. Sed talia ludibria sunt et inepta. Magistros potius veritatis adverte, quorum tibi tantum notitiam introducam, ut tuum sit, lector, curiosius interna rimari. Jeremias vastationem Moab et ululatum describens, sub figura principum mundi : « Per omnia, inquit, tecta Moab, et in plateis ejus omnis planctus, quia contrivi Moab, sicut vas inutile, ait Dominus[3]. » Isaias quoque testis est devocandus : « Super hoc expediti Moab ululabunt. Anima ejus ululabit sibi[4]. » Et iterum : « Super tecta ejus et in plateis ejus omnis ululatus. » Doluerunt itaque se fuisse populi spoliatos, et dolent quotidie deprædari ; unde nos etiam non desinunt impugnare, si forte de suis rebellibus aliquos valeant captivare.

Alia dicantur, quibus aut favet gratissimus lector, aut quod obscurum est, ingratus advertet. Abyssum Judæam plebem æstimo demonstratam, quæ vocem dedit ab altitudine phantasiæ cordis, quando crucifigendum Dominum animum animosis
Fol. 81. vocibus extorquebat, et quod impetum cogitationum cordibus conceptum per phantasiam, perpetrarant[5], hoc in opere fieri vocibus flagitabant.

XVII.

Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo[6] [v. 11]. In altitudine crucis justitiæ sol elevatus est, occasurus injuria passionum ; *et luna stetit in ordine suo*, et Ecclesia clarificata est in ordine distributo. Clare mihi videtur hic locus ex Actibus apostolorum exponi, ubi nubes candida Jesum sublevavit in cœlum[7], ut sol appareret elevatus ; et luna carnis assumtæ, immortalitatis plenitudinem consequuta, staret ad dexteram majestatis, ubi eam summus ordo decrevit ; sicut Stephano martyri paruit revelata, quum Jesum vidisset stantem ad dexteram majestatis.

Idem sol in typo stetit in Gabaon, et luna in valle Agilon[8], quum Josue jussionibus obediret, et super mensuram unius diei tempus longissimum prælongaret. Hæc, in quo fuisset fine conclusus, lectio memoravit. Gaba Colles interpretantur excelsi ; Achilon, Ab initio. Sol ergo noster intellectualis stat super colles excelsos et super altitudinem spiritalium sublimitatum ; et non exstinguetur, nec defectum splendoris perferet naturalis ; luna vero in vallem Achilot, quæ interpretatur Ab initio. Ergo ab initio luna est ; a constitutione quippe mundi Ecclesia congregatur, sed tamen donec mortaliter vivit, in valle, non in colle subsistit. Vel certe ille ab initio, vel a principio intelligendus est, qui primus est et novissimus, et qui ait : « Ego sum principium, quod et loquor vobis[9]. » Sed hoc principium factus est in convalle, dum infirmam carnis substantiam assumsisset, vel tamquam in convalle, hoc est commoratus in mundo ; super eo Ecclesia stetit ut luna, nec mota est, quoniam fundamentum ejus est Christus.

XVIII.

In lumine jacula tua ibunt, in splendore coruscationis arma tua.

(1) *Tuus.* I Cor. xv, 55. — (2) *Salvabitur.* Is. XLIX, 24. (3) *Dominus.* Jerem. XLVIII, 38. — (4) *Sibi.* Is. xv, 3, 4. — (5) *Perpetrarant.* Nescio an recte, perperamve codicem sollicitaverim, in quo legebam : *Et quod impletum cogitationum conceptum per fantasiam cordibus perpetrarant. Hoc in opere.* — (6) *Suo.* Ex LXX. — (7) *Cœlum.* Act. I, 9. — (8) *Agilon.* Jos. x, 12. Infra *Achilon, Achilot.* Vulg. *Aialon.* — (9) *Vobis.* Jo. VIII, 25.

Isaias ait : « Dominus sicut vir fortis egredietur, et sicut vir prœliator suscitavit zelum [1]. » Si vir prœliator est, necesse est eum jaculis uti, quæ in lumine, non in tenebris, vadunt. Jacula itaque ejus verba sunt Evangelii, lumen conferentia cordibus percussorum. Istis enim jaculis transfixi, capiunt luminis claritatem, non vulneris fœditatem. Arma quoque Scripturarum sanctarum in splendore coruscationis incedunt, quia fulgorem revelant sempiternum cordibus cæcatorum.

Hoc et apostolis, cæterisque in verbo divino sapientius expeditis, recte concurrit, quod et ipsi arma sint vel jacula Salvatoris; per eos enim intellectualiter inimicos expugnat, subditos salvat.

XIX.

In comminatione tua minorabis terram, et in furore tuo deduces gentes [v. 12] [2].

Expletum nostris oculis contemplamur quod prædictum prophetali vaticinio recordamur. Comminationibus humanam naturam velut terram Dominus minoravit, quum cognita veritate, cognoscit vanæ mentis non debere præsumtionibus confidere, quæ cognoscit humili debere colla subdere Salvatori. Nimis humana præsumtio minoratur, et in divinis comminationibus humiliatur, quum didicerit : « Maledictus homo qui confidit in homine [3]; sed qui gloriatur, in Domino glorietur. » Lege Jonam, lege et Ninivitarum principem, postposito potentatu, Dominica comminatione prosterni, et efficacius perspicis terram comminationibus minorari.

In furore tuo deduces gentes, quo percussus est dæmonum principatus, et idololatriæ populus oblitus. Ad hoc dictum est : « *Et in furore tuo deduces gentes.* » Deduces etiam per gratiam ad finem, dæmonibus amputatis. Alioquin diceret : Et in furore tuo percuties gentes. Sed nunc : *deduces gentes* adjecit, sicut alio dictum est loco : « Qui deducis velut ovem Joseph. » Comitatu enim proprio Dominus spiritualiter suum populum antecedit, ut deduci possit ad gratiam veritatis, cujus commendatio in Israeliticis est manifesta, quos quadraginta Dominus annis non deseruit in deserto. Fol. 82.

XX.

Existi in salutem plebis tuæ, ut salvos facias electos tuos [6] [v. 13].

Ad salutem humani generis exivit Jesus, vel de occulto suo, ubi latebat absconditus, priusquam se mentibus mortalium intimasset; vel de utero Mariæ, unde Deus absconditus egressus est in salutem. Si enim absconditus non fuisset, nec Isaias dixisset : « Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator [7]. » Si ergo Deus absconditus fuit, exivit ad nos ut fieret manifestus, suaque manifestatione salvaret electos.

XXI.

Misisti in capita inimicorum mortem [8]. Historice, persequutorum principibus ac regibus mortem Deus intulit, quibus propositum fuit nomen christianum auferre. Aliter, in principibus [9] dæmonum mortem tuo adventu misisti, vel certe in principibus gentium, idolis sine dubio, quorum principatui subjecta gentilitas deseruit Creatorem. Sed et de hæreticis non inutiliter agnoscitur, quorum principibus, utique sacerdotibus, mortem veritatis agnitor ministravit. Moraliter quoque congruentius coaptatur. Capita inimicorum cogitationes sunt vitiorum, quas dum percutit Dominus omne corpus inimicorum prosternit.

(1) *Zelum.* Is. XLII, 13. — (2) *Gentes.* Tertullianus et Augustinus vix a Verecundi versione recedunt. — (3) *Homine.* Jerem. XVII, 15. — (4) *Glorietur.* I Cor. I, 31. — (5) *Joseph.* Ps. LXXIX, 2. — (6) *Tuos.* Alii omnes *Christos suos*, uno excepto hexaplari anonymo, quem putem esse Theodotionem : Ῥύσασθαι τοὺς ἐκλεκτούς σου. — (7) *Salvator.* Is. XLV, 15. — (8) *Mortem.* Ut LXX hic et infra. — (9) *A principibus* cod.

XXII.

Resuscitasti vincula usque ad collum.

Ex humanis spiritalia vincula recognosce: omnis enim qui dignus est alligari, siquidem culpa brevis est, una manu vel uno pede vincitur. At si gravior, duobus pedibus, fortasse etiam utraque manu supervincta tenetur. Quod si nefarii sceleris crimine prægravatur, toto simul corpore, ipso quoque collo catenis durioribus alligatur. Ex visibilibus invisibilia recognosce. Et intelligis semen Adam, cui ferreum transgressionis superjectum est jugum a nativitate sua, repletum esse vinculis usque ad collum; sed hoc nesciebat priusquam fuissent, Christo manifestante, monstrata. Quum enim culpam prioris hominis nesciremus, et in illius lapsu nostra quoque necdum damnatio claruisset, vincula minime nobis inhærentia fuere declarata. Sed nunc revelata sunt per agnitionem fidei usque ad collum. Ut nihil ultra sit quod deterius debeat superaddi, nisi quod tantum pro solatio ærumnarum habemus liberum caput, qui Christus est; cujus gratia subsequens quoque corpus credimus liberari, quia vinculis humani delicti non fuit subjugatum. Idcirco usque ad collum vincula pervenerunt.

XXIII.

Præcidisti [1] *in pavore mentis capita potentium* [v. 14].

Historicus sequitur intellectus : capita potentium imperatores, regesque cognosce, quos Dominus præcidit, quum jugo fidei subjugavit. Itidem alio intellectu : *In pavore mentis capita potentium præcidisti*, in excessu revelationum superbiam dæmonum destruxisti. Neque enim corporaliter scimus dæmones esse destructos; sed per excessum mentis spiritaliter credimus interemtos. Hoc quidem potest etiam ad principes schismatum revocari quorum capita utique eorum audaciam Dominus est præcisurus. In timore quoque ac terrore denuntiati judicii capita potentium, philosophos utique gentium, humiliasti; ut qui nobis falsitatum doctrinis populum capere consuerunt, ipsi magis novæ fidei subderentur doctrinis. Moraliter, capita potentium cogitationes sunt vitiorum, quas [2] præcidit Dominus, quum timore mentem fidelem compungit, ut, præcisis capitibus, omne corpus languescat carnalium vitiorum. Fo

Movebuntur in ea gentes : in præcisione utique capitum [3] gentes movebuntur ad fidem. Impedimento enim dæmones fuerunt, ne gentes Dominum cognovissent. Non solum ipsi, verum etiam satellites, philosophi utique atque hæretici, præcisi sunt, tamquam abjicient obsistentes, ut plebes moveantur ad fidem. Spiritali utique, non corporali motu movebuntur, dum ab infidelitate transferuntur ad fidem, quæ se alterna exaltatione compellunt, Isaia dicente : « Et fluent ad eum omnes gentes; et ibunt populi multi, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. » Gentes quoque spiritales dæmonum movebuntur ad lapsum, ut relinquant quos tenebant captivos. Nec moralis displicet intellectus : internæ gentes cogitationum movebuntur ad fidem. Vel certe quum fueris in spiritu commutatus, gentes vitiorum movebuntur, dum a virtutibus expelluntur.

XXIV.

Adaperiant ora sua [5], *sicut pauper edens in occulto.* Mos est inopum ex angustia victum abdito edere et avide quod illatum

(1) Διέκοψας ἐν ἐκστάσει κεφαλὰς δυναστῶν LXX. — (2) *Quos* cod. — (3) *Capitum.* Hieronymus melius refert *in ea*, ἐν αὐτῇ, ad pavorem mentis de quo supra, ἐν ἐκστάσει. Græca est, ut sæpe, interpretis latini constructio. — (4) *Ejus.* Is. II, 3. — (5) Διανοίξουσι χαλινοὺς αὐτῶν LXX, quod fortasse aliquis verterit *aperient lora sua*, ut reapse habet Thomasinum psalterium; unde avulsa littera una, alii abiere in aliud : *aperient ora sua.* Attamen Augustinus diserte dictavit : *adaperient morsus suos.* Sed nihil omnino in græco favet, licet suadeat sensus generalis vel in hebraico fonte.

fuerit devorare. Et certe quotiens [1] fames in Scripturis aliqua designatur, non nisi pauperes alimoniam invenis exoptare. Divites autem quorum ex corde « prodiet sicut adeps iniquitas [2], » nullam inopiam sentiunt gratiæ spiritalis; propterea nec saturari possunt, quod desiderio non inquirunt : « Divites enim eguerunt et esurierunt [3]. » Divites carnis spiritalibus eguerunt alimentis. Prudentissime lector, mysteria recognosce : *Adaperiant ora sua, sicut pauper edens in occulto.* Gentes æstimo, quæ convertuntur ad fidem; non aliter aperiunt ora mentis ad comedendum panem cœlestem Scripturarum sanctarum, [quem] in occulto spiritu [sicut] pauperes edunt.

Non immerito ait : *in occulto,* quia in cogitationibus ista invisibiliter, non operibus visibiliter consummantur.

Alium quoque sensum congruenter intueor coaptandum : *Adaperient ora sua sicut pauper edens in occulto.* Gentes conversæ ad gratiam adaperient ora, alios convertendo comedere, sicut pauper in occulto. Comedit Petrus, cui dictum est : « Macta et manduca [4]. » Non ut cibum corporaliter, sed ut populum comedendo intellectualiter convertisset. Et ad hoc *in occulto,* quia ista sensibiliter consummantur. Moraliter, adaperiant ora sua gentes vitiorum internæ, volentes suis desideriis saturari, sed non percipiunt cibum, quia peccandi eis licentia submovetur, quamvis in occulto, sicut pauper Diabolus, aperiant ora, quibus peccato saturari conquirant [5].

XXV.

Introivit [6] *timor in ossa mea, et infra me turbata est virtus mea* [v. 16]. Magnitudine timoris propheta percussus, ipsa quoque ossa sua dicit terebrata fuisse, et virtutem infra se conturbatam, siquidem assolet timoris aculeus [7] totam fortitudinem conturbare, et ipsa quodammodo quibus caro firmatur, ossa debilia penetrare. Melius hoc ad Ecclesiæ conferimus sacramentum : cujus ossa, spiritales videlicet, in persequutionibus conturbantur, et omnis virtus constantiæ quæ in illis est, infra eos turbatur. Non supra eos, sed infra eos. Si enim subditi timori cesserint, supra eos turbata est virtus eorum. Si autem concussi quidem fuerint, sed tamen non victi, infra eos turbata est virtus eorum.

Introivit timor in ossa mea, et infra me turbata est virtus mea. Mira mihi distributio sapientiæ demonstratur : aliud est enim ossa timorem intrare; aliud timorem super
unumquemque venire : « Timor et tremor Fol. 84.
venerunt super me, et contexerunt me tenebræ [8]; » aliud propter timorem in utero concipere : « Propter timorem tuum, inquit, Domine, in utero concepimus et parturivimus spiritum salutis tuæ, quem fecisti super terram [9]. » Si ergo decet inquiri quando timor intrat in ossa, quando veniat super hominem cum tremore, quando propter timorem utero concipiatur, lector eruditus agnoscit. Tunc demum timor intrat in ossa, quum aliquantulum mentis constantia, fortitudo et longanimitas timore terrentur : istæ sunt enim virtutes quæ mentis ossa significanter ostendit, in quibus timor dicitur penetrare, quum aliquantulum a propria firmitate moventur. Quando vero simul timoris violentia ipsam mentis rationem perturbat, ut desperatione super nos veniat timor. Quod etiam, si tantum inhæserit cordi, ut omnino develli non possit, non solus timor venit, sed comitem secum tremorem adducit. At vero, quum ille delectabilis timor, ex compunctionis dulcedine suscitandus, venit in nobis, ut ejus desiderio

(1) *Et certe si quotiens* cod. nec omnino perversa sententia.—(2) *Iniquitas.* Ps. LXXII, 7.—(3) *Esurierunt.* Ps. XXVII, 11.—(4) *Manduca.* Act. X, 13.—(5) *Conquirant.* Aliquanta putem deesse : v. 15 et 16 expositione ex 15. *Misisti in mari equos tuos, turbantes aquas multas.* 16. *Custodivi et expavit venter meus a voce deprecationis labiorum meorum.* Ita psalt. Mozarab. cui satis constanter Verecundus adhæsit. Sed ipse eadem tetigit supra p. 3, 4. — (6) *Introivit.* LXX et Breviarium Mozarabicum, inde in finem Noster sequitur; præter unum verbum aut alterum.—(7) *Aculeum* cod. — (8) *Tenebræ.* Ps. LIV, 6.—(9) *Terram.* Is. XXVI, 18.

provocati, mentis utero concipiantur ea quæ pertinent ad salutem, propter timorem concepimus. Has differentias sapiens lector agnoscat, et plura sunt semina quæ relinquere malui studiosis, quibus ipsi, paulatim, serendo ac metendo, uberiores intelligentiæ congregent fructus.

XXVI.

Requiescam in die tribulationis meæ, ut ascendam ad populum transmigrationis meæ.

Tribulationi requies non concordat. Quies enim inquietatur, contribulatur affectus nec requiem sumit; nisi fortasse tribulationem mortem intelligas passionis. Et hoc adjecit : « *Requiescam in die* mortis *meæ, ut ascendam ad populum transmigrationis meæ*, qui moriendo jam de terris transmigravit ad cœlum. Non tamen immerito congruit Salvatori qui in die passionis et tribulationis requievit in cruce, ut transmigrando de terris, ascendat ad populum angelorum, aut ad eum quem fecerat ab inferis transmeare. Vel ad gentiles intellige quos ab infidelitatis terra ad cœlestem commorationem transmisit, dum ad eos a Judæis ineffabiliter transmigrasset.

XXVII.

Quoniam arbor ficus non affert fructus, et non erit generatio in vineis. Simplicis historiæ sequimur intellectum; ostenditur tunc demum sterilitas prævalere, quum iratus a suo populo Dominus transmigravit. Quæ res [1] intelligentiam isto non capit loco, quia non ait : Ascendam ad populum transmigrationis meæ, ut arbor ficus et vinea non ferant fructus; sed dictum est : « Quoniam ficus et vinea non ferunt fructus, ascendam ad populum meum. » Quiescente litteræ sensu, evangelica sacramenta cognosce : arborem, intraturus Jerusalem, Dominus maledixit; statimque arefacta, nullos ultra reddidit fructus [2]; Synagogæ figuram ostendens, quæ semel arefacta, ultra fidei non detulit fructus. Hæc ergo est arbor quæ Deo non afferet fructus; habens quidem folia doctrinarum, carens operum fructus. Sunt etiam arbores, verisimiles afferentes fructus, quos [3] specie tenus vides, in veritate non tenes. Si quidem auditorem inveniam cupidum, in profectu pergat mecum incessu communi ad studium Salomonis, ut ab eodem inquiramus quid in libro loquutus est quem Sapientiam appellavit [4] : « Descendente, inquit, igne in Pentapoli, cujus in testimonio nequitiæ fumigabunda constat deserta terra et incerto tempore fructus habentes arbores [5]. » Sic enim accipimus a magistris [6] : quod Sodomitica terra cineribus ubique fuit [7] plena, arbores gignens fructibus plenas et diversorum varietate pomorum, malogranata, ficus, persica, et Fol
quæcumque sunt alia. Ipso quidem visu vera jucundaque cernuntur; manibus attrectata, illico in cineribus fumeis resolvuntur, ut pulverem favillatim cum digitis conspicias glutinari. Quod confessor quoque nobis sanctus presbyter Mustatius [8] retulit, quod visu proprio respexisset, quum tempestate hæretica Orientis fuisset partibus ex Africa devolutus. Testatus est hujusmodi poma frequentius contrectasse, quæ levissimo ipso tactu sic fuisse in aere cinericio resoluta, ut ipsum mutatione sua prævenissent palpatum. Quod non [9] isti sensui concurrere non videtur : arbor autem non afferens fructus, sed folia, Synagoga est, verbis legis ornata, fructus non habens operis sancti. Verisimiles vero fructus habere, sed attrectatos in cineres commutare hæresum est deceptrix fallacia, quæ vera promittit, sed falsa submittit. Sicut ergo in vineis sterilibus non erit generatio, ita nec in vinea Israel erit ultra generatio spi-

(1) *Quæres* cod. — (2) *Fructus.* Matth. xxi, 19. — (3) *Quod* cod. — (4) *Appellavit.* Nota iterum scripturalem Afrorum canonem Tridentino similem. — (5) *Arbores.* Sapient. x, 6. — (6) *Magistris.* Cf. Joseph. De bello Jud. lib. iv, c. 8, n. 4. Did. — (7) *Sunt* cod. — (8) *Mustatius.* Vide quæ ad hunc locum in Proleg. disquiruntur, ut inde forte elucescant pauciora quæ exstant apud Bollandum de S. Martyre Mustatio ad diem xvi febr., t. ii, p. 864. — (9) *Quod nunc* cod. depravate.

ritalis. Vinea enim Domini Sabaoth domus Israel est; quam nunc videmus sterilitate percussam et nullam posse sobolem reparare. Hoc quoque consonanter hæresi coaptatur, quæ ficus propter austeritatem lactis, vinea propter fragilitatem nuncupatur sarmenti : quia et lac tribuit[1] Scripturarum, sed nimis acerbum; et fragilitatem distortorum sequitur vitiorum.

XXVIII.

Unde magis major quæstio suboritur : cur evangelicam ficum unius maledicto verbi Dominus arefecit, quum deferendorum fructuum tempus quæreretur incongruum? Si enim tempus occurreret, et natæ non fuissent in arbore ficus, recte sterilitatis susciperet maledictum. At si congrui non fuerant dies, cur maledicto damnatur, quæ inconvenienter non generando culpatur? Paululum omittamus discussionem singulorum sermonum, unde ratio plenius exhibetur : illud principaliter respondemus quod Jesus divinæ pietatis in se voluit manifestare virtutem. Hominibus quidem temporum ordo servatur; Deo vero, non sicut currit, sed sicut voluerit, tempus observat. Secundum se ergo fructus in arbore conquisivit, cui sicut voluerit obtemperant elementa, non sicuti nos quibus statutis metis tempora obsequuntur. Quando enim voluit, venit; et quando venit, fructus quæsivit, qui sibi propria potestate voluit obediri; ut tali comparatione Israelitas argueret duriores, in quibus pro tempore descensionis suæ fructum fidei conquisivit, sed nullum invenit. Idcirco gravi maledicto damnavit. Et certe quum quærebat quod tempora prohibebant, si Dominicæ voluntatis ratio conquiratur, inutiliter humana vanitas elevatur; sufficit enim ad factum rei Dominica voluntas, quæ non humanis rationibus discuti, sed ininvestigandis debet dispensationibus contremisci. Plenam tamen ejus sermonis sententiam percurramus; quia secundum litteram hæc sententia non potest inveniri, nisi quod tropologico sensu judaicæ plebi poterit conveniri. Cui quidem tempus fuerat ut crederet in Salvatoris adventu, sed secundum duritiam ejus non erat tempus; idcirco est maledicto mulctata.

Quoniam arbor ficus non affert fructus, et non erit generatio in vineis [v. 17]. Moraliter ficus et vinea in agro tui cordis habentur; fides est et charitas, quæ si proximo non prosunt, steriles in te dicuntur haberi. Adeo ficus una dicitur, quod una sit fides; vites vero multæ sunt, quia multa sunt officia charitatis.

XXIX.

Mentietur opus olivæ, et campi non præstabunt fructum[2]. Fol. 86.

Hoc quidem quotidiana experientia comprobamus, quod fructus jam pene in arboribus maturatos videamus auferri; et hoc esse mendacium, quia quod promiserat deferendo, fefellerat amittendo. Hæc quoque de frugibus inferuntur. Sed nos altiora paululum inquiramus, et magistrum nobis Jeremiam invocando quæramus. « Olivam, inquit, uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum[3].» Hæc oliva est quæ superius quoque vocabulo ficus est demonstrata, utique Synagoga; cujus opus, circumcisio videlicet et neomenia atque azyma mentiuntur; quippe quia Christo non credunt, verbo veritatis, sed neque eorum campi, haud dubium populi, fructum Deo deferunt competentem. Lege Isaiam nostris sermocinationibus attestantem : « Laxati sunt, inquit, funiculi tui, sed non prævalebunt; sic erit malus tuus, ut dilatare signum non queas.[4]. » In plebe judaica videmus expletum : quod ubique funiculi ejus, nimirum populi, toto mundo diffusi, nihil prævalent ultra; neque cultus ejus, id est malus circumcisionis, prævalet dilatari[5]. Malus quippe arbor

(1) *Tribuet*, in cod. forte, ut sæpe alias, ob peculiarem syntaxin. — (2) Βρῶσιν LXX, ut infra ἀπὸ βρώσεως, ubi noster *ab esca*. — (3) *Tuum*. Jerem. XI, 16. — (4) *Queas*. Is. XXXIII, 23. — (5) *Dilatare* cod.

dicitur navis propter eminentiam, judaicæ plebis cultum ostendens universis gentibus eminentem; quippe cui fuerat soli divina notitia contributa.

Hæresibus non inutiliter[1] ista quoque concurrunt, quæ olivæ quidem, sed infructuosæ dicuntur; quorum opus mendax est, et populi tamquam campi steriles Creatori, quia etsi fructificant, non Deo, sed sub nomine Dei deferunt Diabolo fructum.

Mentietur opus olivæ, et campi non præstabunt fructum. Quære moraliter, lector, intra te arborem olivæ, quæ semper est viridis, et suo tempore afferet fructus. Et vide si non recte sæculari sapientiæ coaptatur, cujus mendax est opus; quæ si in te opus habuerit, habes quidem olivam, sed suo in opere mentietur. Ostendunt patientiam in contemnendis adversis; mortificationem [in] cupiditatibus respuendis; contemtum in nihil habendo; scientiam in multa discendo; magnanimitatem, mortem non metuendo. Sed hæc omnia non veraciter assumuntur, quia non pro Christo tenentur, sed vanæ laudis cupiditate sectantur. Adeo in suis operibus mentiuntur, quia veritatem relinquendo falluntur.

XXX.

Deficiunt ab esca oves, et non erunt ad præsepia boves. Ininvestigabilis[2] sermo et curiosis sensibus inquirendus. Non ait : Deficiet ab ovibus esca, quod sterilitatis solet tempore suffragari; sed e contrario, ipsæ oves deficient ab esca, ut oves non sint et esca supersit, ut sensus superior confirmetur. Est quidem esca Scripturarum et cibus annonæ cœlestis. Oves hæreticæ seu judaicæ ab eodem defecerunt; non quia non sunt oves, neque quia non sit quod comederent[3], sed quia contraria de salubribus quærunt, ut comedendo defectionem sibi, non refectionem acquirant. Nullus enim est cibus, qui non aliquid habeat unde debeat expurgari : insalubribus ergo salubria commiscentur, quæ si nesciens comederit, sequetur ab esca defectus. Sed et boves prædicatorum non erunt ad præsepia prophetarum, quorum doctrinæ audire nequeunt veritatem.

Moraliter, oves et boves, quos intra te habes, sensus et virtutes interius commorantes. Deficiunt ab esca oves, non habentes intelligentiam veritatis, nec interioris consolationis capientes annonam, de qua Paulus dicebat : « Saturatus sum, repletus sum consolatione vestra[4]. » Boves vero interiores virtutes ad præsepia spiritalium non erunt gratiarum.

XXXI.

Ego autem in Domino gloriabor, gaudebo in Domino salutari meo [v. 18].

Vox cujuslibet sancti totiusque populi Fol
christiani rectius agnoscitur, cujus gloria solus est Deus, nec in alio se quam in Salvatore suo gaudere confidit : cujus adventu spiritalis est exsultationis gloriam consequutus.

Dominus Deus, virtus mea, et constituet pedes meos in consummationem. Ipsum sibi virtutem agnoscit, a quo mentis sanitatem percepit; et a Deo perseverantiæ donum exspectans, usque in consummationem pedes proprios solidari deposcit. Quid sit pedes constituere tantum? quid, ponere sicut cervi? quod ait David : « Qui posuit pedes meos sicut cervi, et super excelsa statuit me[5]. » Constituet ejus animi pedes in finem, qui sibi soli sufficit ad salutem. Qui vero multis per cœlestem gratiam prodest, ejus pedes statuuntur ut cervi, quorum firmitas omnis et fortitudo pedibus maxime connititur. Quotiens se de præcipitiis altioribus mittunt, non nisi in pedibus vel in cornibus statuuntur : ad hoc prædicatoribus comparati, quoniam firmis affectibus tamquam pedibus circumeunt universos.

(1) *Non utiliter.* Ib. — (2) *Investigabilis,* si sensum attenderis, malueris fortasse. — (3) *Comedere* cod. Quid, si esset pro *aliquod comedere?* — (4) *Vestra.* II Cor. VII, 4. — (5) *Me.* Ps. XVII, 34.

XXXII.

Super excelsa ponet me, ut vincam in charitate ipsius[1].

Si quidem eminenti dono mens fuerit sublimata, ut non humilia et inferiora, sed altiora sapiat et excelsa, tunc super excelsa imponitur, ut in Dominica charitate superet universa; non suo studio, quod impossibile est fragilitati nostræ, sed Domini gratia, a quo sumus quidquid esse possumus. Merito ait : Imponet me; et non : Impono; utique Deus, et non ego. Daniel quum corruisset, visione angelica consternatus, non super excelsa elevatus est stare; sed super pedes suos stetit[2], ut in prophetiæ gratia differentiæ demonstrentur; quoniam aliud est super excelsa statui, aliud super pedes levari, et aliud Dominum super thronum excelsum videre, sicut Isaias aiebat : « Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum[3]. » Quanto melius foret, si se quoque super excelsa vidisset Dominum propinquare, potius quam eum excelsum de humilibus contemplari? Et hanc differentiam sequere, lector, et plurimam in prophetis discretionem collati muneris recognoscis.

EXPLICIT CANTICUM HABACUC.

VERECUNDI

LIBER VII.

PROOEMIUM. « Manasses, quum maxime ob ipsius iniquitatum immanitatem urbs fuisset direpta, collapsa Davidica sedes, plebs in captivitatem abducta, ac demum ipse in carcere jaceret, pœnitentia motus, humilem ad Dominum direxisse fertur orationem, quam sedulo scribendam Holai ac rerum judaicarum scriptores acceperant. Sed ætatem non tulit hoc pœnitentiæ monumentum. In cujus loco inventum est aliud nec Hebræis agnitum, nec in canonem insertum, vetustissimum tamen. Quippe quod integrum reperies in *Constit. apostolic.* l. II, c. 22 (Cotelier, 1700, t. I, p. 232) et in multis codd. gr. et lat. quorum Alexandrinus omnium instar erit. Exstat præterea in Eucologiis Ecclesiæ græcæ ad offic. *Magni completorii.* Memoratur et citatur apud Chrysost. *Serm. in publican.* (t. VIII, p. 118); in Antonii Mon. *Melissa*, lib. II, serm. 94; a Theodoro Stud. *Catechet.* 93; Theophane Ceram., *Hom.* II; Jo. Damasc. *Parall.* l. II, c. 15. » Hæc fere Cellerius noster, post Cotelerium, Fabricium et alios. Editio omnium accuratior ab alio e nostris Sabaterio procurata est ex trium codicum collatione, sed latine tantum : quem et miror non respexisse ad alteram editionem vulgata sinceriorem, ad calcem t. II Polyglott. Biblior. Paris. 1629, ubi tamen oscitanter dicitur orationem neque in hebræo neque in *græco* haberi. Hæc paulo fusiora præfari operæ pretium erat, ne apocrypho stramine irretiretur lector incuriosus, aut vel diligentior quisque minus illud consideraret, Verecundum scilicet esse e latinis primum et hactenus, nisi fallor, unicum interpretem piissimæ paginæ, tantum non sacræ, quam, ipso teste uno, novimus fuisse in Africanis officiis lectam.

INCIPIT MANASSE[4].

I.

Desperationis malo non rapiatur peccator, quum Manasse, malorum sentinam, videat pœniteri, qui postea palam facinoris numerosi agere tantam pœnitentiam resipivit; si quidem Ezechiæ, regis Judæ, filius Manasse, impietatis amator, multorum fudit sanguinem prophetarum, sicut Jeremiæ vaticinio demonstratur : « Et dabo eis in fervorem universis regnis terræ, propter Manassen filium Ezechiæ, super omnibus quæ fecit in Jerusalem[5]. » Hic quum quinquaginta et sex annis regale fastigium tenuisset, oblitus est Deum, sectatusque idola gentium, Babyloniæ captivitati subjectus

(1) *In claritate ejus* brev. moz. *In cantico ejus* LXX. — (2) *Stetit.* Dan. X, 11. — (3) *Elevatum.* Is. VI, 1. — (4) *Manasse*, i. e. *Oratio.* De usu liturgico vide procem. et cf. p. 96, n. 4. — (5) *Jerusalem.* Jerem. XV, 4.

est, et in manibus Chaldæorum abductus, mansit in carcere relegatus. Quumque dejectum se, nullamque sibi opem ferre gentilia simulacra vidisset, lacrymosis pœnitentiæ confessionibus Dominum pœnitendo placavit. Quem reductum ab ergastulo Chaldæorum, proprio collocavit in regno. Hujus autem cantici conscriptio in libris canonicis non habetur, nisi quod ejus mentionem Paralipomenon meminit scriptura, quod Ozihel[1] propheta ejus gesta conscripsit. In cujus libro hoc quoque canticum memoratur. Esdras vero propheta, post tempora perditæ legis, quum eam cuperet restaurare,
Fol. 88. ex corporibus multorum prophetarum qui suorum temporum regna conscripserant, Samuel, Nathan, Jehu[2], Hozdiel, et alii nonnulli, duo corpora Regnorum et Paralipomenon concinnavit, cujus testimonio canticum hoc auctoritatem accepit : alioquin nullo potest alio teste firmari.

II.

Domine omnipotens, Deus patrum nostrorum.

Omnipotentem Dominum in miseria confitetur, qui mansuram sibi felicitatem stolide fatebatur, Deumque sibi melius credidit invocandum (quem ejus quoque coluerant patres), quam alterum quemlibet novo figmento transfictum[3]. Ab Omnipotente sumit principium deprecandi, qui suam angustiam, post regalem prosperitatem quam immutabilem existimaverat, senserat experiri; nec novum sibi quem finxerat, sed patrum suorum invocat Deum, quem Dominum omnipotentem suis ærumnis expertus; quem quia negaverat prius, nunc humiliter confitetur.

III.

Abraham, Isaac, et Jacob, et semini eorum justo[4].

Nec alter est Deus omnipotens, quam *Abraham, Isaac, et Jacob, et semini eorum justo.* Justorum ergo omnipotens Deus est; non impiorum qui sibi nova figmenta componunt. Cur istorum trium Deus est, et non etiam aliorum? quia in istis christiani mysterii significata est plenitudo; per Abraham, Christi nativitas; per Isaac, congregatio credulæ plebis; per Jacob, resurrectio intimata est Salvatoris.

IV.

Qui fecisti cœlum et terram cum omni ornamento[5] *eorum.*

Universam quippe visibilem atque invisibilem creaturam Dominus fecit variis ornatibus pictam, quod ad ejus laudem voluit nominare. Sed melius cœlum intelligimus sanctos; terram vero, carnem, quæ omnia in suam Deus gloriam fecit, habentia proprium ornamentum.

V.

Qui signasti[6] *mare verbo præcepti tui.*

Impetus quidem marinos suo Dominus præcepto confixit, ne, limitibus motis, evagari ulterius valuissent. Mirandamque divinæ refrænationis in eo virtutem agnosce, quod tanta moles, quum supereminere terris omnibus videatur, transgredi tamen nequeat terminos definitos. Aptius ista tropologice cognoscuntur. Mare populum intellige, subditum idololatris, qui salsis infidelitatis fluctibus vagabatur. Hunc Dominus suo verbo signavit, quum videlicet crux Christi qui Verbum est Patris, eorum cordibus et frontibus insignitur. Et hoc est mare signari Verbo divino. Moysaico quoque tempore concordat, quando mare signatum est verbo divino, commutatum in arida, sicut propheta testatur : « Congregans sicut in utre aquas maris[7]. » Et hoc fuit marinis motibus signum imponere, ut mobilitas aquaticæ

(1) *Ozihel.* Idem qui alias *Hozai* audit, et infra *Hozdiel.* Cf. II Paral. XXXIII, 19. — (2) *Jheu* cod. de quo III Reg. XVI, II Paralip. XIX, 20. — (3) *Transfinctum* cod. — (4) *Seminis eorum justi* edit. Sabaterii codd. cum nostro consentiunt. — (5) *Ornamentu* cod. *Ornatu* Vulg. — (6) *Ligasti* edit. Nobiscum faciunt codd. Sabat. et polyglotta, sed et græce in Const. Apost. l. I. ὁ πεδήσας. — (7) *Maris.* Ps. XXXII, 7.

levitatis in duritiam verteretur globosæ telluris, obsignatione quadam obstructa, ut se cœlesti præcepto ostenderet obsignatum.

VI.

Qui clusisti[1] *abyssum et signasti.*

Matrix universarum aquarum clausa est divino præcepto, nec sinitur vim amplitudinis suæ liberius fundere; alioquin mundus fusus inundationibus premeretur. Sed ineffabilis aquarum illa profunditas nutu clausa est Creatoris, et hoc est quod ait clausam abyssum et signatam.

Mirabiliora dicamus quæ nostris potius oculis contemplemur. Abyssum clausam et signatam multitudinem judaicam contuere, quæ clausa circumdataque est limitibus duritiæ suæ, ne, patefactis aditibus animorum, habitatorem recipiant Salvatorem. Verum ex parte hæc abyssus clausa est, ex parte signata, in illis quippe qui fidem Christi crucemque susceperunt Redemtoris.

VII.

Terribili et laudabili nomini tuo.

Sensus in hoc versiculo non apparet absolutus, nisi subaudias : « ista creasti, » ut talis pareat intellectus : « Laudabili nomini tuo et terribili ista creasti; » ad laudem videlicet nominis tui talia statuisti. Movet me sententiæ tamen hujus profunditas inquirendæ, cur terribile nomen Dei narratur, cujus agnitio non potest inveniri. Sed si fideliter recenseas Scripturas, nomen Domini Salvatoris terribile cognoscis, quum
89. in ejus invocatione dæmones effugarentur, valitudines pellerentur, oculorum caligines tollerentur, leprosorum corpora mundarentur, mortuorum cadavera vocarentur : talibus demonstratis, terribili Dominico nomini glorificatio est cumulata.

VIII.

Quod omnes pavent et trement[2] *a vultu virtutis tuæ.*

Trement angeli, præsentiam contemplantes; pavent homines, judicium exspectantes; formidant dæmones, virtutem ingentissimam sentientes; quia vultus Domini circumspicit universa. Dictum est enim *quod omnes pavent et trement;* universa quippe rationabilis creatura, etsi non omnis respicit Creatorem, virtutem tamen ejus omnis agnoscit. Danielis confere visionem, qui, quum angelum Euphrate fluvium super videret consistentem, illico dissolutæ sunt manus ejus, et universa compago membrorum, nodis naturaliter dissoluta, defecit. Cujus tactu sublevatus a terra : « In visione, inquit, tua, Domine mi, renes mei resoluti sunt mihi, et universa compago membrorum dissoluta est mihi[3]. » Tali exemplo vim hujus sententiæ recognosce, *quod omnes pavent et trement a vultu virtutis tuæ.* Si enim angeli non potuit præsentia tolerari, quanto magis magnificentia Creatoris!

IX.

Quia intolerabilis[4] *magnificentia gloriæ tuæ.*

Israeliticæ plebi apparens magnificentia Creatoris non potuit tolerari, quum se Dominus vellet suo populo demonstrari (quando mons Sina igne repletus est), incapaci nimirum, *quia intolerabilis magnificentia gloriæ* Creatoris sufferri nequivit. Neque enim potest vas figuli artificis sapientiam continere : quanto magis opificis majestatem universa factura non capit contueri!

Cur in igne Dominus paruit Moysi in rubo, [et] populo Sina montis verticem replens? in quo etiam Spiritus sanctus paruit, quum Apostolorum capitibus insedisset. Communis apparitio unius substantiæ veritatem assignat, maximeque decuit (iniquitatem humani generis decocturus, et illuminationem cæcis mentibus illaturus) ignis apparitione monstrari. Sed et tubæ

(1) *Conclusisti* edit. — (2) *Trement.* Græce ὃν πάντα φρίσσει. *Quem omnia pavent ac tremunt* edit. *Quem omnes* Polygl. *Trement* a *tremeo* non semel in cod. Sed immorari, multa licet id genus occurrant, pigebat. — (3) *Mihi.* Dan. v, 6. — (4) *Importabilis* edit. Versiculus deest in Polygl. et codd. Sabat. Græce ἄστεκτος.

clangor, annuntiatio utique prædicantis. In medio claruit nebulæ sæcularis.

X.

Et insustentabilis ira super peccatores comminationis tuæ.

Deum propitium tolerare imbecillitas non capit creaturæ; quanto magis minitantem audire? *Insustentabilis* est itaque comminatio divini furoris, sicut ille David, rex sapientissimus, intimabat : « Quis novit potestatem iræ tuæ, aut præ timore iram tuam dinumerare[1]? » Quam ne cogeretur sufferre, ejulatibus inclamabat : « Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me[2]. » Ob hoc quod insustentabilem cognosceret iram Dominicæ comminationis, lacrymis liberari deposcit. Duplex est enim comminatio Dei : alia subjectis, alia fit mentibus obstinatis, sicut dictum est de subjectis : « Visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum; misericordiam autem meam non dissipabo ab eis, neque decipiam in veritate mea[3]. » *Super peccatores* vero insustentabilis est ira comminationis, sicut Isaias testatur : « Non vocabitur in æternum semen pessimorum : præparate filios ejus occisioni, in iniquitate patrum suorum; non consurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis semine. Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum, et perdam Babylonis nomen, et germen, et progeniem, ait Dominus[4]. » Et iterum Jeremias : « Ecce, inquit, turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquiescet. Non revertetur furor Domini, donec faciat et compleat cogitationem cordis sui[5]. »

Nec illud vacat quod *super peccatores* ait insustentabilem iram Domini, et non adversus peccatores. Hoc est quod et Dominus in Evangelio aiebat : « Sed ira Dei manet super eos[6], » originalis damnationis vel cœlestis judicii; quia non de inferioribus peccatores, sed de superioribus judicantur : e cœlo enim judicium jaculatum est.

XI.

Immensa vero et investigabilis[7] misericordia promissionis tuæ. Fo

In his tribus versibus tres res diversas in laudem Domini prædicavit : intolerabilem magnificentiam gloriæ, insustentabilem iram, et investigabilem misericordiam. Supereminet imbecillitatem nostram divina promissio, nec possunt sermonibus explicari quæ nequeunt oculis contemplari. Infirmi enim infirma cogitamus. Apostolus ait : « Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit[8] : » oculus mortalis non vidit quod immortaliter reservatur; auricula non audivit quod sermo mortalis prædicare nequivit; nec in cor hominis ascendit quod cogitari non possit : quia quæ nobis subjecta sunt, in corde conscendunt; quæ autem supereminent magnificentia præcellenti, cor nostrum potius illuc ascendet, quam illa in corde nostro conscendunt. « Major est enim Deus corde nostro. » Immensa sunt ergo quæ mensurari non possunt. « Non enim ad mensuram Deus spiritum dat[9]. » Et hoc est immensum quod caret mensura. Pro qualitate miserentis, debet misericordia æstimari; quia sicut immensus est, immensa est misericordia æstimanda.

Sed illud mihi videtur sensibiliter tangi : immensa misericordia Domini propterea dicta est, quoniam evangelica promissa nullam habent mensuram; legalia vero mensurata fuerant et inclusa, ut pace referat audientis[10] : « Replebo cellaria vestra tritico, vino et oleo, et cisternæ vestræ aquis replebuntur; jumenta quoque fetu replentur. » Hæc est mensura promissionis antiquæ; propterea talis misericordia promissionis

(1) *Dinumerare.* Ps. LXXXIX, 11. — (2) *Me.* Ps. VI, 2. — (3) *Mea.* Ps. LXXXVIII, 34. — (4) *Dominus.* Is. XIV, 22. — (5) *Sui.* Jerem. XXX, 23. — (6) *Eos.* Joan. III, 36. — (7) *Investigabilis*, quæ vestigari non potest, ita edd. et codd. et aliquando Noster. — (8) *Ascendit.* I Cor. II, 9.—(9) *Dat.* Joan. III, 34.—(10) *Audientis.* Et mihi quidem est locus intricatus, et fons subsequentium incompertus, nisi mixtim excitentur Prov. III, 10 et Jerem. XXXI, 12, ac legi placeat : *pace referam audientis*, respectu ad Judæos audientes.

immensa dici non potest. Nunc vero immensa est misericordia promissionum, quoniam non clauditur in mensura.

Insurgunt tamen adversum nos in hoc loco dialectici, et aiunt : Ininvestigabilem non esse misericordiam Dei, quod investigari potuit esse ininvestigabilis. Quibus nos leviter respondemus : magis est ininvestigabilis, quia investigari potuit quod esset [in]investigabilis, alioquin ininvestigabilis non fuisset : quod utrum fuisset [in]investigabile[1] vestigabileque, nesciretur omnino.

XII.

Quoniam tu es Dominus altissimus super omnem terram[2], *longanimis et multum misericors, et pœnitens super malitias hominum.*

Profectus mentis in pœnitentia subrogatur, ut altissimum Deum noverit imprecari, qui simulacris [objectionibus[3]] consueverat famulari. Secundum enim mentis ascensum Dominus demonstratur ut excelsus atque sublimis, sicut Isaias ait : « Hæc dicit Dominus excelsus et sublimis, habitans æternitatem[4]. » Aut in majestate, sicut Moyses ait : « Et majestas Domini paruit in nube[5]. » Aut altissimus, ut David ait : « Quoniam tu es Dominus altissimus in omnem terram[6]. » Aut in lumine, sicut Apostolus ait : « Qui lumen habet inaccessibile[7]. » Aut in humano aspectu, Daniele testante : « Antiquus dierum sedit, vestimentum ejus quasi nix candidum, et capilli capitis ejus velut lana munda[8]. » Sed et Dominus transfiguratus in monte, in solis apparuit claritatem : « Facta est, inquit, facies ejus sicut sol, fulgens in virtute sua[9]. » Sed has omnes discutere visiones non est humanum : ille enim solus mentium intelligit visionem, et cui se qualem præbeat, ipse discernit.

Nihil ergo mirum est in laudibus Dei quod dictum est : « *Tu es Dominus altissimus super omnem terram*, quasi cœlum vel angelus non sit altissimus super terram. Quid ergo voluit in excellenti gloria dicere quod commune sit creaturis? nisi illud mirabiliter intendimus mysterio Christi prædictum, quod quum fuisset caro, quia « Verbum factum est et habitavit in nobis[10], » altissimus factus est super omnem carnem, quæ terræ nomine nuncupatur.

Sed quia dupliciter et tripliciter ista sunt in cordis tabula prænotanda, aliter atque aliter intelligens lector attendat illam terram hoc loco præscriptam de quo dictum est : « Tu es[11] portio mea in terra viventium. » Vivorum vere terra ipsa est vera terra dicenda, super quam Deus *altissimus* memoratur.

Longanimis et multum misericors. Longanimis, peccatorem ad pœnitentiam differendo, nec delicti tempore puniendo. Fol. 91.
Multum misericors, totiens quotiens peccaveris, veniam pollicendo; siquidem si semel indulgentiam tribuisset, misericors; nunc autem quum frequenter delinquentibus misericordiam frequenter impendit, multum misericors appellatur. *Et pœnitens super malitias hominum.* Hujus rei testis est Jeremias[12], ostendens Deum bona promittere bonis et mala malis; sed tamen posse ultro citroque converti, si commutatio fuerit in omnibus insequuta; ne de bona sollicitatione securior videaris, quum facias mala; nec de mala comminatione diffidas, si conversus facies meliora.

XIII.

Tu autem, Domine, secundum bonitatem tuam[13] *promisisti pœnitentiam remissionis peccatorum*[14].

(1) *Investigabilis vestigabilisque* codex, nec male si legas *utrimque*.—(2) *Super omnem terram*, hoc lemma deest edit. — (3) *Objectionibus* expunge glossema, nescio unde assutum.—(4) *Æternitatem*. Is. LVII, 15. — (5) *Nube*. Exod. XL, 83. — (6) *Terram*. Ps. XCVI, 9. —(7) *Inaccessibilem* codex, qui forte scribit *habet* pro *habitat*. I Tim. VI, 16. — (8) *Munda*. Dan. VII, 9. — (9) *Sua*. Matth. XVII, 2, vide varietatem.—(10) *Nobis*. Joan. I, 14. — (11) *Es*. Ps. CXLI, 7. — (12) *Jeremias*. XVIII, 8. Potius forte excitandus erat Ezech. XVIII aut XXXIII.— (13) *Secundum multitudinem bonitatis tuæ* ed. Noster ut codd. Sabat. — (14) *Peccatorum*. Editi græce et latine παραφραστικῶς : *promisit pœnitentiam et remissionem iis qui peccaverunt tibi, et multitudine miserationum tuarum decrevisti pœnitentiam peccatoribus, in salutem. Tu igitur, Domine Deus justorum...* Sola Polyglotta cum nostris codicibus l. l. hæc resecant.

Audiant pœnitentes, intelligant contemtores : promissa est pœnitentia peccatorum, si deseratur perversitas improborum. Consona vox prophetalis est hortamenti, quod secundum bonitatem suam Deus pœnitentiam repromittat; nec enim aliud remedium humanis incursionibus adhibetur, quam si pœnitentia tribuatur.

Et tu, Deus justorum, non posuisti pœnitentiam justis Abraham, Isaac et Jacob, his qui tibi non peccaverunt [1]. Remedium peccatorum pœnitentia est; justis vero non est pœnitentia constituta, quibus gratis [2] donata est culpa. Peccaverunt utique, et in delicto nati sunt genitali, hæredes nimirum Adæ; sed gratia gratis præventi, sine peccato sunt. Constituti erant peccatorum semine propagati. Sed hoc Manasses de sanctis loquutus est viris. At si viventes adhuc inquirerentur a nobis utrum et ipsi deliquerint, nimirum Joanni voce consona respondissent : « Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est [3]. » Non ergo peccaverunt, quibus, indulto munere, culpæ sunt peccatorum amotæ, ut non sit naturæ jam vitiatæ, sed gratiæ.

XIV.

Quoniam peccavi; super numerum arenæ maris multiplicatæ sunt iniquitates meæ [4].

Omnis sermo divinus [5] rationi conquadrat : scriptum est enim de sanctissimis viris : « Erudientes ad justitiam plures, quod sicut stellæ sint in perpetuas æternitates [6]. » Si ergo illi pro justis actibus comparentur stellis, isti quoque qui peccatorum cumulantur, arenæ maris æquantur : quia instabilia, salsa, amariora, numerosaque sunt, omnique impulsione ventorum pellenda. Solent delicta capillis capitis aliquotiens iterum coaptari, sicut congruenter huic sententiæ similem deferimus. Propheta egregius : « Comprehenderunt me iniquitates meæ, inquit, et non potui ut viderem; multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me [7]. » Arenæ maris ille, capillis iste multitudinem comparat peccatorum. Sed illud interest, quod arenæ maris illius qui vitiorum ponderibus ita violentissime prægravatur, ut sub eorum sarcina nequeat respirare; is autem qui carnalibus quidem vincitur incentivis, facile tamen medicinali ferro potest putredinem resecare : capillis capitis ejus comparantur offensa, pro eo quod levi tactu capilli facile desecentur. In omnibus ergo in quibus levis impulsus est vitiorum, et culparum non ponderata congeries, capillis capitis comparantur peccata. Quibus vero impulsatrix consuetudo malorum proprio lapsu etiam nolentes ad ruinam compellit, ut quidam videantur sarcina prægravari, sub cujus falce depressi nequeant respirare, super arenæ maris numerum peccata dicuntur habere : cujus nec multitudo comprehendi, nec pondus sinitur tolerari.

XV.

Incurvatus sum multo vinculo ferri [8], *et non est respiratio mihi.*

Malorum comparatio diversitate secernitur numerosa, siquidem alius ait : « Incurvatus sum et humiliatus nimis [9]. » Et cur incurvatus fuerit, adjecit : « Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me. » Fatetur siquidem miseriarum mole depressum, nec tamen ferri vinculis incurvatum. Claret ergo Manassen sangui-

(1) *Peccaverunt.* Rursus ibidem additur : *Sed posuisti pœnitentiam propter me peccatorem.* Sincerior lectio nostra codd. Sabat. confirmatur et Polyglotta. — (2) *Gratia donata* cod. Sed male, ex sequentibus. — (3) *Est.* I Joan. I, 8. — (4) *Meæ.* Ab illo versiculo incipit Resp. VII Dom. III post Pentec. Iterum in editis glossemata sunt hæc : *Iniquitates meæ, Domine, multiplicatæ sunt iniquitates meæ, et non sum dignus intueri et aspicere altitudinem cœli præ multitudine iniquitatum mearum.* Incurvatus, etc. Et illa Polyglottis ignorantur. — (5) *Divinus.* Vide quantam det Noster, vel post præcedentes exceptiones, huic precatiunculæ auctoritatem. — (6) *Æternitates.* Dan. XII, 3. — (7) *Me.* Ps. XXXIX, 13. — (8) *Febri* cod. *Ferreo* editi vulgares, qui addunt soli : *ut non possum attollere caput meum,* — (9) *Nimis.* Ps. XXXVII, 7.

narium, vastatoremque sanctorum non tantum infandis oneribus delictorum propriorum oppressum, verum etiam spiritalis ferri vinculo colligatum : nimirum intelligens iisdem se vinculis spiritaliter obligatum quibus ipse justos corporaliter vinciebat. Melius ergo persequutoribus deputatur. Unde mihi nunc videtur quædam elucescere ratio veritatis, ut pro delicti modo, persequutorum quispiam puniatur, quo pœnam cruciatus sanctis ingessit. Asa siquidem exarguentem se prophetam vinculo pedibus alligavit, statimque se, quia vir fuerat cætera justus, sed in hoc uno peccato delapsus, temporali meruit afflictione purgari, illaque in eo pars est percussa membrorum, quam alligaverat in propheta, ut pedibus ipse dolore podagrico torqueretur, qui virum justum pedibus alligarat. Incurvatus est Manasses itaque non uno nec duobus, sed multo vinculo ferri [1]; tot enim sibi vincula spiritalis ferri, quibus ligaretur, impressit, quot ipse sanctorum membris injecit.

XVI.

Quia excitavi iracundiam tuam, et malum coram te feci [2], *statuens abominationes et multiplicans offensiones.*

Excitavi iracundiam, me quiescente [3], inquietis eam actibus provocando; ira ergo Domini quiescit, et, nisi fuerit provocata, minus insurgit. Audi Jeremiam talia prosequentem : « Egressus est furor Domini, super caput impiorum conquiescit : non revertetur, donec faciat voluntatem ejus [4]. » Excitat ergo iracundiam Dei, qui mala coram eo committit.

Sed videndum quod singulariter malum se commisisse testatur; hæc unius mali commissio indignationem Domini provocavit, quum multi multa fecerint mala, nec illico est ultio consequuta. Et ut de pluribus unum in medio proferamus, Simeon filii Jacob gesta percurre : pactum circumcisionis cum Sycimitis infregit; unde fœderis Dei prævaricationem et patris tristitiam provocavit; jusjurandum perjurio maculavit; cædibus civitatem nobilem devastavit; fratrem Joseph interimere cogitavit, quando communis fratrum impietas in communione sceleris conspiravit; quod, resistente Ruben, quia consummari nequivisset, sequens fratricidium gessit, ut libertatem auferret, cui salutem nequiret. In his omnibus malis non est dictum quod ira Domini fuerat provocata : nunc ergo quid, putamus, est malum hoc unum, cujus immanitas tanta est ut indignationem Domini continuo provocaret? Inde quoque David dicebat : « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci [5]. » Origo peccati ex uno transgressionis malo descendit, quo indignatio commota est Creatoris : ad cujus similitudinem peccant qui maculantur inobedientiæ fœditate : isto se malo noverat implicari, qui furorem Domini senserat provocari.

XVII.

Exposuit tamen cujus fuisset generis malum : *statuens abominationes et multiplicans offensiones*. In sacris voluminibus abominatio sive offensio simulacra dicuntur [6] : quæ qui fuerit veneratus, prævaricationis crimine polluetur. Jeremias quum de tali crimine populum objurgaret : « Posuerunt,

(1) *Ferri*. Eodem sensu auctor commentarii imperfecti in Matth. ad cap. I v. 10 : « Et comprehenderunt Manassen in vinculis, et ligaverunt eum in compedibus, et perduxerunt eum in Babyloniam. Et erat ligatus et catenatus in domo carceris, et dabatur ei panis hordeaceus ad mensuram modicus et aqua cum aceto modica ad mensuram, ut viveret tantum, et erat constrictus in doloribus valde. » Item in oratione memorata *de Public.* : « Et facta est circa eum flamma ignis et liquefacta sunt omnia vincula ejus. » Chrysost. t. VI, p. 751 Gaum. Africano ascribitur in codd. Vindob. fragmentum cum hac narratiuncula consentaneum. Lambec. *Comment.* lib. III, cod. 25, theol. græc. — (2) *Feci, non feci voluntatem, et mandata tua non custodivi, statui,* quæ editorum interpretatio tam in Polygl. quam in cod. nostro vacat. — (3) *Iracundiam, quia me quiescentem, inquietis* cod. insulse. — (4) *Ejus*. Jerem. XXIII, 20. — (5) *Feci*. Ps. L, 6. — (6) *Dicuntur*. Dicitur quippe impius Manasses τετραπρόσωπα εἴδωλα, sive statuas vel suam vel Jovis vel τοῦ ἀκολάστου δαίμονος, h. e. Veneris, erexisse, eaque simulacra immania, quatuor aut quinque facies turpiter habentia, in templo Dei posuisse. Basil. homil. *de Pœnitent.* t. II, p. 603 BB.

inquit, offendicula sua in domo in qua invocatum est nomen meum [1]. » Et iterum : « Ut initiarent filios suos et filias suas Moloch, quod non præcepi, nec cogitavi in corde meo, ut facerent abominationes suas, et in peccatum deduxerunt Judam [2]. » Possunt tamen et ista intellectualiter recognosci : omne peccatum offendiculum est, in quo utique offenditur ad ruinam ; similiterque abominatio, quia Deus abominatur omne delictum, quod in prævaricatoris corde defixum efficitur simulacrum. Congruit etiam non inutiliter doctrinis dæmoniorum aptari; quæ veræ sunt abominationes et offensiones
Fol. 9 . gravissimæ fœditatis : quas qui instituerit, iram sibi Dominicam nimirum provocabit.

XVIII.

Et nunc flecto genua cordis mei, precans a te bonitatem, Domine. — Novit humilis subjectio placabilem sibi præbere Domini voluntatem, dum cordis genua flectit, ut supplici postulatione deleat quod proterva præsumtione peregerat. In similitudinem exterioris hominis interiorem describit. Quum enim plenam velimus humilitatis subjectionem monstrare, genibus fixe [3] poscimus quod violentis extorquemus; ita quoque cordis genua demonstravit subjectiores contriti peccatoris sensus, quorum mœrore facilius impetramus a Deo quod obtinere concupimus.

XIX.

Peccavi, Domine, peccavi, et iniquitatem meam ego agnosco [4].

Iteratio confitendi vera est humilitas supplicantis; sic enim et Publicanus, stans contra Pharisæum, iterata confessione justificari promeruit a delicto. Sed et tu, quisquis pœnitentiam delectaris, non in multo eloquio veniam poscas, sed isto tantum sermone frequentius iterato, totiens confitens allevaris, quotiens supplicans humiliaris. Et certe quum ait : « Peccavi, Domine, peccavi, » duplici se lapsu peccasse fatetur. Peccavi spiritu, peccavi etiam corpore ; peccavi cogitationibus, peccavi factis ; peccavi forinsecus, peccavi intrinsecus ; peccavi in Deum, peccavi in proximum. Sic ergo fit ut iteratio sermonis hujus proprium capiat intellectum.

Quod vero adjecit : *Iniquitatem meam ego agnosco*, profectus est major, siquidem plurimi peccant, sed non omnes proprias iniquitates agnoscunt. Qui enim de malo non remordetur, nec se corrigit ut componat [5], iniquitatem utique suam non recognoscit, simulque dicere non audebit : *Iniquitatem meam ego agnosco.* Sed neque audivit a Deo : « Arguam te, et statuam illa contra faciem tuam [6]. » Non est in his rebus levis discretio conquirenda; aliter enim, dum in corpore commoramur, peccata nostra nostris oculis proponuntur ut pœnitentia diluantur. Et hoc est enim quod Jeremias aiebat, eloquens ex persona Domini comminantis : « Unde et ego nudabo femora tua contra faciem tuam, et apparebit ignominia tua, hinnitus tuus et scelus fornicationis tuæ [7]. » Sub nomine itaque femorum adulterii delubra demonstravit ; quæ, dum fuerint [8] conscientiæ revelata, illico pœnitudo sequetur. Ignominiam vero dicimus agnoscendam in his vitiis quæ ad occultas [9] pertinent fraudes, in quibus reprehensus negandi subterfugia quærit, ut furti falsi invidiæ criminibus involutus. Hinnitus autem turpes animi concupiscentias [10] et impudicos affectus ostendit. Fornicationum scelus, idololatriæ malum appellat; aliter enim, ut dictum est, dum vivimus, nostris oculis opponuntur peccata, aliter post exitum corporalem; siquidem dum vivimus, arguuntur a nobis ut pereant; si vero post mortem, eorum accusationibus confutamur, quia locus non datur corrigendi.

(1) *Meum.* Jerem. VII, 30. — (2) *Judam.* Jerem. XXXII, 35. — (3) *Genibus flexis* fortasse. — (4) *Iniquitates meas cognosco* ed. — (5) *Componatur* forte. — (6) *Tuam.* Ps. XLIX, 21. — (7) *Tuæ.* Jerem. XIII, 27. — (8) *Fuerit* cod. — (9) *Occulta* ib. — (10) *Concupiscentiæ* ib.

XX.

Peto[1] *rogans te, Domine. Remitte mihi*[2], *remitte mihi! Ne simul*[3] *perdas me cum iniquitatibus meis.*

Non levi pronuntiatione doloris verba sunt relegenda, sed cum eadem gravitate qua dicta sunt a precante. Non semel petit, sed iterata petitione deposcit. Graves sermones et paucissimos pœnitentia[4] delectatur. Quod si frequenter iteret veniam, ipsis iterationibus commeretur[5] : « *Peto*, inquit, *rogans : remitte mihi, remitte mihi!* Non leviter ista percurrat animus acer : sed cum dolore gravi et patientia tristi in paucis verbis vim magnæ rei sapiat coarctari. Pœnitens quippe, aut tacitus labiis, fletibus indulgentiam silentio deprecetur; aut etiam, si loquendum aliquid ex dolore contriti pectoris suadetur, paucis loquatur, quia mentis contritio, non oris loquutio, Dominicam pietatem inflectit : « Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit[6]. » Nec dictum est : Os loquens et linguam clamosam exaudit; quamvis ore fiat confessio ad salutem[7]. Nec de confessionis verbo, sed pœnitentis morbo tractatur : qui non multiloquio, sed majori dolore medicatur.

Video tamen aliquid quod non leviter moveat inquirentem, cur ait : *Remitte mihi, remitte mihi!* et non potius : Dona mihi, dona mihi! Tamquam aliquid teneretur ab eo, aiebat : *Remitte mihi!* Tenetur plane, tenetur : peccamus enim in terris, sed vincula colligantur in nobis, quæ nisi a Deo remissa sint, erunt in alligatione peccati, ut recte dicatur : « Resuscitasti vincula usque ad collum[8]. »

Respice Sedechiam regem, pœnitentiam non agentem, compedibus vinctum a principe Babylonis. Et illico recognosce vastatorem populi peccatoris, compedum nexibus animos alligantem, ne fugiendi, ejusque sævitiam devitandi occasio subrogetur. Sed adest vinculorum disruptor, cui dicitur : « Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis[9], » ut quæcumque vincula præparet inimicus, auferat Virginis natus.

Considera quoque Petrum catenis ab Herode ligatum, et ab angelo liberatum, et mysteria latentiora percurris. Sedechias compedibus, Petrus catenis est vinctus. Illi pedes, ne fugere valuisset; isti manus in vinculis conjectantur, ut quandoque vinculo rupto, strictim aufugere valuisset.

XXI.

Ne itaque perdas me cum iniquitatibus meis. Solæ pereant, quæ me secum perdere laborarunt; iniquitatibus damnatis, absolvar. Vide, diligens inquisitor, quomodo subtiliter demonstratur iniquitates nullam habere substantiam : omne quippe peccatum febris est animæ, quæ dum aufertur, in nihilum revocatur; et hoc dictum est : *Ne perdas me cum iniquitatibus meis.* Et non ait : Ne damnes me; quod enim damnatur, in substantia sua torquetur; quod vero perditur, et æterne perditur. Id agitur ut quod habeatur, in nihilum redigatur, non alicubi perditum habeatur.

XXII.

Neque in æternum[10] *reserves mala mihi*[11], *æternus Deus.*

Æternæ memoriæ thesaurum naturaliter habet perpetuæ veniæ misericorditer[12] donans, sempiterne peccata judicialiter damnans, ut quibus indulget, veniam clementer impendat; quos autem punire disponit, justis rationibus non ignoscat[13]. Illo itaque cursus extenditur pœnitentium, ut quæ peccaverint, oblivioni tradantur, nec æternæ memoriæ Domini recondantur.

XXIII.

Quia indignum salvabis me secundum

(1) *Quare peto* ed. — (2) *Remitte mihi, Domine* ib. — (3) *Et ne simul* ib. — (4) *Pœnitentiæ* cod. — (5) *Commerentur* ib. — (6) *Spernit.* Ps. L, 19. — (7) *Salutem.* Rom. x, 10. — (8) *Collum.* Habac. III, 13. Cf. supra p. 86. — (9) *Laudis.* Ps. cxv, 17. Quæ sequuntur, veterem liturgiam referre e clausula facile crediderim. — (10) *Æternum.* « Iratus » ed. addunt. (11) *Mihi.* Inde in alia editi : *Neque damnes me in infima terræ loca, quia tu es Deus, Deus, inquam, pœnitentium. Et in me ostendes omnem bonitatem tuam, quia*, etc. — (12) *Misericordiam* ut legas, suadere nolim. — (13) *Ignoscit* cod.

magnam misericordiam tuam. Audite, peccatores, et contemplamini, pœnitentes : indignos Dominus salvat; non pro merito delictorum retributionem impendens, sed propter misericordiæ bonum veniam superfundens. Dignus enim est qui salvat indignum, et ex dignitate sua faciebat dignum, quem culpabilis vitæ tractus faciebat indignum. Qui secundum magnam misericordiam se quærit salvari, non temporalis, sed æternæ vitæ salutem inquirit. Multum enim interest utrum [1] quis secundum [misericordiam, aut secundum] magnam misericordiam liberetur. Equidem pertinere misericordiam ad hanc vitam æstimo temporalem; magnam autem misericordiam remuneratione concurrere sempiternæ. Sed ut tibi ratio verior comprobetur, doctrinam inquire pastoris electi : « Quoniam misericordia tua magna super me, et eripuisti animam meam ex inferno inferiori [2]. » Magna ergo misericordia intemporaliter non relinquitur [3].

XXIV.

Et laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ; quoniam te laudat omnis virtus cœlorum, et tibi est gloria in sæcula sæculorum.

Prudens exspectator æternæ salutis, non pauco tempore, sed omni tempore vitæ suæ Deum laudat : *Laudabo,* inquit, *te semper;* non uno die, nec pauco tempore, sed *omnibus diebus.* « Qui enim perseveraverit usque
Fol. 95. in finem, hic salvus erit [4]. » Alioquin incipiens et non consummans comparabitur illi evangelico stulto, domum absque præparatione sumtuum construenti [5], quam dum nequiverit consummare, patet illico subsannationibus transeuntium. Miror tamen excellentiam divini sermonis in eo quod dictum est : *omnibus diebus vitæ meæ.* Deus in diebus vitæ laudatur, in diebus autem mortis laudari non possit. Si itaque, qui delictorum morti [6] subditus, jacet in iniquitatibus involutus, Deum laudare non possit : « Non est enim pulchra laus in ore peccantis [7]; » conversus vero quum fuerit, tamquam de morte translatus ad vitam, illico laudis officio dignior invenitur, consorsque supernis virtutibus judicatur, dum illum laudat in terris, quem illæ quoque glorificant [8] in supernis.

Velim tamen investigare de secretis cœlestium arcanorum, indicio Scripturarum hominibus demonstrato, quæ sint istæ Virtutes divinis laudibus famulantes : Cherubim, Seraphim, Throni, Dominationes, Archangeli, Sedes, Virtutes, Angeli, Ministri [9]? Hæ sunt diversitates hominibus cœlestium, aliaque multa sunt officia, quæ fortasse aut nos in libris posita sacris non possumus invenire, aut humanis relata sensibus, inquirere non valemus, quanta sint officia glorificantia Creatorem.

Nec illud est reticendum, quod ait : *Tibi est gloria in sæcula sæculorum.* Est gloria temporalis : « Ne timueris quum dives factus fuerit homo, et quum multiplicata fuerit gloria domus ejus [10]. » Et est alia gloria sempiterna : « Sit gloria Domini in sæculum sæculi [11]; » cui et humana creatura et angelica famulatur. Amen.

EXPLICIT CANTICUM MANASSE.

(1) *Utrum.* Medelam duxi adhibendam esse codici : *Utrum qui secundum magnam misericordiam.* — (2) *Inferiori.* Ps. LXXXV, 12. — (3) *Relinqui* codex, nec locus liquet. — (4) *Erit.* Matth. X, 22. — (5) *Construens* cod. Luc. XIV, 28. — (6) *Sic qui itaque delictorum mortis* cod. — (7) *Peccantis.* Eccli. XV, 9. — (8) *Glorificatur* cod. — (9) *Ministri.* Id quod nolim perfunctorie legas : novem quippe habes choros angelorum, et vix alia ac Gregoriana σύνταξις, sed vetustior. Vix mihi temperem quin fusius illam cum Areopagitica conferam. Nolim non te monere hic primum apud veteres Ecclesiæ theologos *Archangelos* in secunda poni hierarchia, primumque allegari *Ministros,* et eos ultimi post Angelos ordinis. Sed notulæ tanta non ferunt. Cui plura placent, ad cumulum erunt apud Petav. *Th. Dogm. de Angel.* lib. II, c. 3, t. II, p. 60. — (10) *Ejus.* Ps. XLVIII, 17. — (11) *Sæculi.* Ps. CIII, 31.

VERECUNDI

LIBER VIII

IN CANTICUM JONÆ PROPHETÆ.

Argumentum. — I. Prologum dedit historia Jonæ ad redivivum Christum relata. — II. Tum commentarii initium est oratio deprecantis ex angustiis, — III. Inque Christi persona a Judæis oppressi, — IV. Quorum tumultus mari et fluminibus assimilantur. — V, VI. At nemini in ærumnis desperandum, — VII, VIII. Neque in tentationibus, quarum varietates cum aquis interpres comparat. — IX. Jam redit ad Christum, eumque sequitur ad inferos, — X. Seras ferreas penetrantem; — XI. Inde e pulvere redivivum; — XII. Ut mortuos excitet suos, — XIII. Suisque vivens templum fiat et altare sublime, — XIV, XV. Præter quem omnia vanitas sunt vanitatum. XVI. Cui igitur litetur laudum hostia pinguis, — XVII. Et vota integra nuncupentur.

INCIPIT EXPOSITIO CANTICI JONÆ, CUM PACE. AMEN [1].

I.

Paucioribus verbis Jona nobis canticum decantavit, numerosis mysteriorum thesauris coopertum. Missus est enim a Domino Ninivitis pœnitentiam prædicare : fuga maluit excusari quam præcepto Dominico famulari, quasi vero latere Dominum posset, et ubicumque decerneret occultari, aut talis propheta potuit ignorare quod latere nihil Dominum posset. Non ergo fugiendo latere, sed injunctum voluit officium declinare; quasi et in hoc obedientiæ crimen effugere prævaleret. Elegit tamen solus, quam [2] totam gentem perire. Præviderat enim in spiritu gratiam a Judæis in gentibus transferendam ; et suo ministerio fieri refugiebat, ne per ipsum gens sua videretur donis spiritalibus enudari. Quod per hominem non poterat, sed per Salvatorem nostrum ostenditur consummari; qui gentem ingratam [3] fidei munere spoliavit, et se populis nescientibus larga pietate concessit, quum post diem tertium a mortuis resurrexisset, in cujus figuram Jona tribus diebus in ventre ceti permansit.

II.

Clamavi in tribulatione mea ad Dominum Deum meum; et exaudivit, de ventre inferni, clamorem meum [4], *exaudisti vocem meam* [Jon. II, 3].

In ventre ceti conclusus, nec tamen bestiali dente vexatus, hoc canticum [in] adorationis similitudinem fudit, in tribulatione se confidens audiendum : non est in tribulatione silendum, sed vocibus inclamandum, ut si merito fulciri non possis, clamoris auxilio subleveris. Simile quid et propheta regius faciebat : « Ad Dominum, quum tribularer, clamavi, et exaudivit me [5]. » Discutiendi tamen sunt evangelici prophelicique sermones, siquidem Dominus ait : « Quum oras, intra in cubiculum tuum, et ora Patrem tuum qui est in occulto [6]. » Quomodo ergo concurrit quod iste se clamando fatetur auditum, ille præcepit silen-

(1) *Amen.* Quid venerandæ antiquitatis in hoc epigrammate spiret, edoceam satis, dum protulero titulos meos africanos quos in hoc ipso volumine exponendos suscepit præclarissimus amicus meus, eques J. B. de Rossi. Certe nullus ego dubito quin is titulus primæ sit manus et Verecundi. Ea maxima mihi causa erat cur hos libros inscriberem *Commentarios* sive *Expositiones in cantica ecclesiastica*. Sed quæ fuerit liturgica orationis Jonæ fortuna ne omittam, ecce paucis. Erat in psalterio luxoviensi sæc. VI, teste Sabaterio; edidit B. Thomasius e psalterio ambrosiano, p. 730. Quot vero exemplaria vetusta, tot fere versiones, diversæ satis, quarum nostram in primis peritus quisque habebit. — (2) *Elegit tamen solus, quam.* Ejusdem dictionis proba sunt exempla. — (3) *In gratiam* cod. — (4) *Meum.* Alia cæterorum distinctio : nostram retinent psalt. ambrosian. et Hilar. in psalmis. Nostra igitur legerunt ecclesiæ mediolanensis et pictaviensis, id non semel notandum. — (5) *Me.* Ps. CXIX, 1. — (6) *Occulto.* Matth. VI, 6.

tio semotim in cubiculo deprecandum? Diversi sermones, sed unus sensus incurrit; quia secretus in cubiculo conscientiæ clamor, non publicus sermonis est agnoscendus: *Exaudisti vocem meam* in occulto ceti ventre.

Fol. 96. Propheta latet abstrusus, profundioribus abyssis circumseptus, et se sentit in excelsis auditum. Brevi testimonio comprobatur, nec abyssi voracitate, nec pelagi profunditate animam posse a divino intuitu separari: *Exaudisti vocem meam*. Mirus est intellectus, unde se intelligit exauditum, qui se circumspicit intestinis belluæ circumseptum: nimirum, licet fuisset undis obrutus, ventre ferino sepultus, se tamen confidit auditum: habent enim sancti conscientiæ signum, quo se sentiunt postulantes audiri, nullis impeditionibus excludendum. Tali se iste quoque intellexerat exauditum.

III.

Projecisti me in altitudine cordis maris [1], *et flumina me circumdederunt* [v. 4].

Historico intellectu propheta testatur se non solum in corde maris, sed in altitudine marini cordis abjectum; quo vel profunditas [2] pelagi datur intelligi, vel ferini ventris abstrusa secessio: quæ altitudo cordis maris est nuncupata, ut ipsum cor maris bestia, locis semotioribus constituta, utiliter cognoscatur. Incognitæ perquam hujusmodi bestiæ, raroque visibus humanis compertæ, occultas ibi profunditates inquirunt. Altitudo vero cordis, hujus interiora sunt piscis, in quo projectum lugubriter fatebatur; mobilitas vero venientium transeuntiumque aquarum fluminibus comparantur [3], quibus se circumdari cernebat.

Secretorum nobis potius agnitio conquirenda, voxque mei Domini Salvatoris est agnoscenda. *Projecisti me in altitudine cordis maris, et flumina me circumdederunt.* Projecisti me, inquam, in conscientiis Hebræorum, projecisti in cordis altitudine maris, in consilio utique Judæorum, quos maris vocabulo demonstravit. Semper infidi, tumultuosi, mobiles; nec enim possent manibus eum perimere cruentatis, nisi prius cordibus [4] abjecissent infestis. Projectus est enim in cordibus eorum, qui eum, in se credendo, statuere noluerunt, ut cææ [5] plebis multitudines, tamquam flumina, in una maris salsedine corruissent, quum, in medio sui Jesu posito, conclamassent: « Crucifige, crucifige [6]! » Tum se nimirum vidit fluminibus circumdatum, et marinis fluctibus coopertum; ut Isaiæ vaticinium compleretur: « Et sonavit super eum, in die illa, sicut sonitus maris [7], » quando contra illum vox tumultuantis populi movebatur. Quis enim nesciat ob hoc popularem concursum fluminibus comparari, quia [ut] jugitatem aquæ currentis undam facit unda succedens, ita popularis concursus, dum unus alterum sequitur et invicem præcedentium sequentiumque turbæ succedunt, quamdam similitudinem fluminum exprimere demonstrantur.

IV.

Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt. Amplissima tentamenta et fluctus, ait propheta, ingruentium adversitatum super me transierunt, tunc quum utique pelagi profundo lateret, et quando fuerat ferino ventre voratus. Fluctus nos potius spiritales et excelsa concussionum tentamenta cernamus. Quibus impulsi quum fuerimus, per gratiam sublevati, Domino fatemur quod excelsa et fluctus ejus, super nos quidem transeundo, mentium cervices inflexerint oneratas, non tamen simul traxerint absorbendas; si tamen tentatus corrueris victus, sed illico recurreris ad pœnitentiam renovandus, fluctus quidem

(1) *Maris*. In his et sequentibus κατὰ πόδα adhæret LXX. — (2) *Quod vel profunditatem* cod. Emendare eum sequentia suadent. — (3) *Comparantur* cod. ibi non mutandus; construitur κατὰ τὸ νοούμενον. — (4) *Cordis* cod. — (5) *Cæteræ* ib. — (6) *Crucifige*. Luc. XXIII, 21. — (7) *Maris*. Is. V, 30.

super te transierunt, magnitudine supereminentes majori, non tamen abstulerint, ut simul raptum traherent in profundum : alioquique [1] non vales dicere : *Fluctus tui super me transierunt;* sed : Fluctus tui me pariter abstulerunt.

Quod si tentati, non fuerimus saltim in momento convicti, non dicimus quod fluctus tui per me transierunt, vel fluctus tui me tetigerunt. Quatuor enim sunt gradus tenta-
7. tionis, quibus differenter animæ propulsantur; non aliter quam si fluctus aquarum veniat inundantium. Si quidem leviter venerint, tetigit nos tentatio mortis. Si autem et violentius coarctarint, fluctus nos impulit tentamenti. Quod si et momento victi cedamus, pœnitudinis fletibus compungendi, fluctus Domini super nos transierunt. At si et in tentationibus superati, omnino ad correptionem non respiramus, non solum super nos fluctus excelsissimi transierunt, verum etiam miserabiliter rapuerunt.

V.

Ego dixi : Abjectus sum ab oculis tuis.

Malis, inquit propheta, conseptus, et ab ipsa, ut ita dicam, morte voratus, non mihi posse talia æstimaveram provenire, nisi fuissem ab oculis tuis abjectus. Assolet in pressuris desperatio adesse, et, quasi nulla Deo cura sit nostri, tamen desolata fatiscit [2]. Peccator, ruinoso lapsu conseptus, et graviori dejectione prostratus, potest hoc dicere, quum pœnitentiæ propinquarit, quum expulsus fuerit ab oculis ejus, cui nocte dieque famulans serviebat; quando propulsum se vitiis impellentibus, ab oculis noverit Creatoris.

VI.

Forsitan non adjiciam ut respiciam ad templum sanctum tuum.

Bestiale ventre ceti conseptus, desperavit se Jona [3] templum Domini posse ulterius contemplari, quum sepulcro se duplici circumspiceret consepiri, pelagi [4] utique intestinoque ferali. Et ob hoc ait non se ad templum respicere Creatoris.

Altius aliquid perscrutemur, et occultioris arcani secreta rimemur, ut evangelica propheticaque sermocinatio cum eodem sensu concordet. Templum Domini ille nimirum est, in quo Deus veniens habitavit in nobis. Quod templum oculis videre propheta nequivit, quia tempus necdum nascituræ carnis Domini se propinquaret. « Quanti enim, inquit Jesus, prophetæ et justi voluerunt videre quæ vos videtis, et non potuerunt [5]. » Et hoc est quod aiebat forsitan : *Non adjiciam ut respiciam ad templum sanctum tuum.* Qui enim respicit illud, adhuc adjiciet intueri, quia visu frequenti illuminari amplius prævalebit : non enim oculis demetiri quispiam hoc sufficit templum. Sed si per fidem agnoverit, agnoscendo adjiciet ut agnitione diligenti dilatet visionem. Multa quippe sunt templa, sed unum est Dei; apud plerosque ergo plura sunt templa, et numerosis in civitatibus constitùta : sicut Damascus habet delubrum simulacri Remmon [6]; Ninive quoque Nesrahe [7] dei sui templum adorat; Sidonii etiam aliquid sceleratius adjecerunt, ut non deum, sed deam Astarten coluissent. Si prudenter agnoscis, discerne hæreticas vanitates. Et eos inspicis deos deasque colentes, templa sibi simulacrorum plurima statuentes; evidentique probatione cognoscis in veritate suppleri quod in ministerio legeris prophetari.

Damascus interpretatur Sanguinem bibens [8]; Remmon, Excelsus. Quæ civitas est sanguinem bibens? Nimirum hæresis Arriorum, cujus potestas est in potentatibus

(1) *Alioquique* sic cod. — (2) *Fatescit* cod. Hic rursus mendum fortasse cubat. Quidni : *tandem desolata fatiscit?* — (3) *Jonam* ib. — (4) *Circumspiceret et consepiri pelagi* ib. — (5) *Potuerunt.* Matt. XIII, 17. — (6) *Remmon.* IV Reg. v, 18. — (7) *Nesrahe.* IV Reg. XIX, 37; Is. XXXVII, 38. Vulg. *Nesroth.* hebraice נִסְרֹךְ, quod Gesenio sonaret *Aquila*, a quo etymo Verecundus infra longe avolat. Sed vox est babylonicæ linguæ, quæ cum assyria scriptura adhuc altissime latet. — (8) *Bibens.* Ita lexicon Hier. Alia Origenianum, aliaque Gesenianum ex arabico profert : quæ quidem, ut cætera hujusmodi a Verecundo exposita, trutina expendere nemo me jubebit. Quin Verecundo satis erat ut quæ edisserit, vulgo reciperentur.

mundi, animarum quas occiderit sanguinem bibens, non verum Deum, sed excelsum adorans. Qui enim verum adorant, ex nulla parte quod Deus est, vexant; qui verum tantum credunt excelsum, plurima nimirum ex ejus veritate subducunt. Quis enim est tam vecordis amentiæ deputandus, qui non excelsum existimet Deum, etiam hæretica pravitate dejectus? Ipsi ergo sunt qui Remmon in Damasco colunt, procul dubio in hæresi Excelsum adorant.

Mysterium aliud recognosce. Ninive[1] Germen pulchritudinis in latina interpretatione transfertur, quæ colit Nesrac, id est, Fugiens tener. Venustianæ[2] convenit pravitati ejusque similibus, quæ castitatem amant, et continentiam delectantur : ipsa quippe dicitur pulchritudinis germen, quoniam castitas carnis pulchritudo est mentis. Talis hæresis Ninive figuraliter appellatur Nesrac colens, cujus est interpretatio Fugiens tener. Quis alter est, nisi Diabolus agnoscendus, qui callide humanos subterfugit sensus, ut nequeat apprehendi?

Sidonii Venatores in hebræo dicti, Priscil-
Fol. 98. lianistæ manichæique sunt, quoniam fraus investigari non posset; occultis insidiis fallunt quos capiunt, et ut se celent, omni dolo conantur. Astarten, quæ Minerva est[3], colunt; ipsam sine dubio virginem luminis fingunt ignorantes, pagano errore delusi. Sicque fit ut multa sint templa prophetali contemtu despecta, quia solius Domini templum respicere concupiscit.

VII.

Perfusa est aqua mihi usque ad animam. Quis enim ignoret marinas aquas usque ad prophetalem animam pervenire? quum fuisset Jona pelago coopertus, tali casu nimirum moriturus, nisi patesceret cœlesti dispensatione servatus. Quamvis licet perimant visibiliter aquæ, usque ad carnem possunt, non usque ad animam, pervenire; libera quippe corruptibili tactu et incontaminabilis perseverat. Nunc vero ait : *Usque ad animam perfusa est aqua mihi.* Aliæ sunt istæ aquæ spiritalis naturæ, quæ mentem ipsam torrente quodam spiritaliter trahunt, carnem simul et animam circumdantes. Vox peccatoris est ista, qui delictorum multitudine circumseptus, aquam sibi peccati dicit ad animam pervenire. Solæ utique agnoscendæ sunt aquæ ad ipsam ut interimant animam properantes : unde quidam fletibus inclamabant : « Quoniam introierunt aquæ usque ad animam meam[4]. »

Esse quidem aliquid existimo, inter hoc quod nunc dicitur : *Perfusa est aqua mihi usque ad animam*, et quod David aiebat : « Quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam; » quod enim perfundimur, etiam nolentes de superioribus humidamur. Genuina ergo peccata de supernis generationibus quodammodo venientia, et nobis inhærentia demonstravit in eo quod ait : *Perfusa est aqua mihi usque ad animam.* Quod vero dictum est : « Introierunt aquæ usque ad animam meam, » non genuina, sed accidentia nobis delicta, monstrantur, ut ea[5], nisi gratia subveniret, vel traherent in profundo, vel submergerent in inferno.

VIII.

Vellem tamen agnoscere cum peritissimo quæsitore[6] cujus qualitatis istæ sint aquæ; utrumne calidæ, frigidæ, salsæ dulcisve sint virtutis, seu etiam turbidæ magisque naturæ, ac certe clamosæ, silentioque vadentes. Calidæ nimirum aquæ sunt, quæ de peccatoris interiore[7] prorumpunt, quum fervore furoris rapi videris animam in peccato, statimque tamen voluntatis infirmæ malitia consummata pœnitudinis dolore

(1) *Nineve* cod. et mox semel iterumque *Nesrac.*— (2) *Venustianæ.* Cf. quæ supra p. 20 et Prolegom.— (3) *Astarthenque in herba est* cod. Quid hac latet in herba? adhuc hæreo. Quod tamen Astarte Minerva dici potest, testis domesticus est Philosophus, adductus a Nicephoro in t. I, p. 310, quem Porphyrium esse suspicor. Cf. III Reg. XI, 5, 33. Selden *de Syror. Diis*, c. 3. — (4) *Meam.* Ps. LXVIII, 2.—(5) *Eam* cod. — (6) *Quæsitore.* An alicui forte interpreti alluserit, dubitabam. At enim non Hieronymo tamen.— (7) *Interiora* ib.

morderi, aquæ quidem introierunt animam illam, sed calidæ, quas Onan in Genesi primum dicitur invenisse [1], qui paternarum pastor fuerat asinarum. Irrationabilium pastor pecorum nihil aliud nisi calidas aquas invenit, non quibus refrigerium, sed quibus incendium faceret contingenti.

Sunt quoque frigidioris fluenta naturæ ; unde scriptum est : « Sicut frigidam fecit cisternam aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam [2]. » Omnis itaque perversitas mentis, quæ frigido [3] quodam rigore miserabiliter congelescit, nulliusque compuncti ferroris ad correctionem flamma succenditur, horum malitia aquis frigidis comparatur, non utique puteorum, neque fluminum, sed, quod est vehementius, cisternarum. Cisternæ enim ad vocem clamantis similitudinem reddunt; sic quem ergo repereris pro suo cujusquam et irrationabili auditu credibiliter inclinari, et ad malitiam semel provocatum irrevocabiliter concitari, admissoque scelere nulla pœnitudine remorderi : dic quod ex his malitia frigidissima facta est, sicut aquæ cisternæ.

Agnoscendæ sunt et amaræ aquæ, nec non etiam salsæ, quas in homine primo gustu discernis. Si quidem videris eum qui nullius patientiæ firmitate tenetur, cito tristia recipere, cæteras amaritudines exhibere, obstinatæ mentis inutili dolore velociter concitari, conceptumque animo vulnus repellere non valere, inordinatisque detractionum, susurrationum, maliloquiorum aculeis fraterna pectora cruciare : nimirum talis salsarum aquarum inundatione repletur, et amariorum fluctibus inundatur [4]. Ad hoc invenies frequenter in libro Josue quosdam filiorum Israel possessionis suæ terminos usque ad mare novissimum extendisse, ut in eorum hæreditatem [5] salsedo atque amaritudo non cederet vitiorum, quia sorte quadam [6] vicina est possessionis humanæ, donec infirmo corpore commoramur, sed tamen per dispensationem Josue israeliticæ sorti non cedit.

Quid itaque illius aquæ significantia monstrat, Isaiæ vaticinio demonstrante [7], cum silentio vadentis, nullius commotionis indicia suo transitu denuntiantis [8]? pro eo quod abjecit populus hic aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio. Tales ergo aquas Siloe convenit esse qui, postposito tumultu, cum silentio vadens, quisquis ille est, cujus morum gravitas, et patientiæ longanimitas alto silentio universa supportat, immobilis, verbo ipsoque habitu ponderatus, aquas intra se gerit Siloe quæ cum silentio currunt.

Quid etiam de illis fluminibus indicamus, de quibus Jeremias animam prohibet potari : « Quid tibi via Ægypti, ut bibas aquam turbidam [9]? » Si quos itaque homines videris turbido motu, clamosos litigiorum provocationibus, omnia perturbare, inquietudines circumstantibus procurare, gestu corporis impulsuque sermonis cunctorum irritationibus evagari, cernes illico hujusmodi aquas Ægypti turbidas interius continere, quia quum se non perferunt tacite præterire, violenta inquietatione docentur Fol. 99. errare.

IX.

Abyssus circumdedit me ultima, mersum est caput meum, in scissuris montium [v. 7.]

Si quidem est abyssus ultima [10], superest ut sit quoque abyssus prima; non aliter quam infernus superior appellatur, ut inferius esse aliquid agnoscatur. Suffecerat enim profunditas maris; adjecta est et voracitas piscis, ut non prima sit abyssus, sed ultima circumdatus.

Quid vero sit *in scissuris montium* mergi caput ejus, non aliter comprobatur, nisi etiam sicut in æquali montes esse videmus, quos veritas ipsa demonstrat, ita quoque in

(1) *Invenisse*. Genes. XXXVI, 24 « Iste est Ana qui invenit aquas calidas in solitudine. » — (2) *Suam*. Jerem. VI, 7.—(3) *Rigido* cod. — (4) *Inundatus* ib.— (5) *Hæreditate* ib.—(6) *Sorti quidem* ib.—(7) *Demonstrante*. Is. VIII, 6. — (8) *Transitudine monstrantis* cod.—(9) *Turbidam*. Jerem. II, 18.—(10) *Ultimus* cod.

mari terrarum inæqualitas demonstretur. Inde manifestum est marinis fluctibus montes excelsissimos operiri, propheta testante: « Propterea non timebimus, dum conturbabitur terra, et [montes] transferuntur in cor maris [1]. » Non absurde scissuras montium immanioris ceti membra datur sentiri : cujus tanta fuerat magnitudo, ut hominem posset integrum in solo aquali collo reservare. Quod si naturalis belluæ hujus magnitudinem velis audire, lege physicorum historias peritorum, Plinii Secundi, Solini aliorumque multorum, in nostris autem Joannem Constantinopolitanum in libro quem *de Natura bestiarum* scripsit [2]. Et invenies balænam tantæ latitudinis longitudinisque corpus habere, ut mensuram trium habeant [3] et amplius jugerorum; ita ut quum fallendis nautis enatant super aquas, insulæ ab ignorantibus existimentur. Quando ergo [4] fuerat homo visceribus tantæ bestiæ clausus, numquidnam non in scissuris montium se videbat abstrusum?

Sit etiam vox ista cujuslibet angustia temporum pressi, qui periculis vehementibus coarctatur, nullam spirandi per miserias inveniat facultatem, et ob hoc dicat : « Profunditas ultimæ abyssus circumdedit me » : inter montes calumniarum et in scissuris consiliorum adversum me coactorum depressum est caput meum; quod afflictus nequeo sublevare. Potest etiam confessoris [5] persequutorum in medio constituti talis sententia convenire. Quæ non inutiliter convenit Domino Salvatori, quem abyssus ultima israeliticæ turbæ consepsit; caputque ejus in scissuris montium, in consiliis videlicet principum, mersum est, quum mortis judicio condemnassent, seditione popularium concitata.

X.

Descendi [6] *in terram, cujus serræ sunt continentes æternæ* [7].

Vacat hic historicus intellectus, nec enim in serra æterna [8] profunditatem aquarum, aut viscera piscis [9] advertere poterimus, quibus fuerat propheta conseptus : nisi forte alius sensus animo subrogetur : quod ibidem moriturus serris clauderetur æternis, quia inde huc regredi minime valuisset.

Congruentius, quum universa sint transitura, vox hæc aliter nostro conveniet Salvatori, qui terram penetravit inferni, cujus serræ sunt sempiternæ ad continendum eos quos valuerint devorare. Serræ enim dicuntur vectes quibus portæ clauduntur; unde propheta dicebat : «Portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam [10].» In hac ergo terra descendit, quum ad sanctorum suorum descenderet libertatem.

XI.

Ascendat de corruptione vita mea ad te, Domine, Deus meus.

Tertio quippe die, anima ejus de corruptione mortis ascendit, ut assumta carne qua fuerat spoliatus, mortalitate calcata, remearet in cœlum. Equidem vox hæc unicuique sanctorum potest congruentius coaptari, nec non omni Ecclesiæ, quæ vitam suam a corruptione carnali fletibus petit quotidie suscitari.

XII.

In eo quod deficit anima mea, Domini Dei memoratus sum [v. 8].

Defectus [11] mortis tristi mortem suscitat cordi; unde Salomon ait : « Memento novissima, et non peccabis [12]. » Si morituros

(1) *Maris.* Ps. XLV, 3. — (2) *Scripsit.* Mirum hoc vere, inexspectatum notatuque dignissimum Verecundi testimonium de magno Chrysostomo *Physiologi* auctore, ideoque locum totum retuli in nostri t. III *Prolegom.* p. LXIV. — (3) *Habeant.* Sic codex ex more Verecundi solemni, sed paulo insolentiori quam ut hanc scripturam omnino sequerer, quum obiter locum excitarem in *Prolegomenis* meis, ubi rem explicari non vacabat. — (4) *Quantus ergo* cod. — (5) *Confessorum* cod. — (6) *Descendit in terra* cod. — (7) *Æternæ* cod. Sed correxi e psalterio ambrosiano apud Thomas. Ambrosius ipse *in Psalm.* col. 922 E, prope solus legit ut Verecundus : *cujus serræ* (sic) *sunt continentes æternales.* Græce apud LXX : Ἧς οἱ μοχλοὶ αὐτῆς κάτοχοι αἰώνιοι. — (8) *In terras æterna profunditas a. v.* cod.—(9) *Passis* ib.—(10) *Confringam.* Is. XLV, 2. — (11) *Defectus* cod. — (12) *Peccabis.* Eccli. VII, 40.

nos cogitemus et de hoc sæculo transituros, refrænari cogimur a peccato; ideo *Domini Dei memoratus sum*, quia defecit in me anima mea, et ex defectu ejus recordatio Domini subrogatur. Utiliter martyribus ista concurrunt, quorum anima, dum ingesto deficit cruciatu, Domini Dei sui memoria crementatur [1].

XIII.

Et veniet oratio mea ad templum sanctum tuum. In quo videlicet quum dedicaretur, poposcerat Salomon : « Omnis qui venerit et oraverit in loco isto, et audias, et facias, Domine [2]. » Vel certe ad illud cœleste templum in quo preces sanctorum coram Domino deferuntur. Melius ille solus intelligendus est Domini fuisse veridicum templum, quem divina sibi plenitudo in uterum virginalem conjunxit, et humano generi redimendo succurrit; ad quem omnes precum postulationes nostrarum ascendere peroptamus, ut ille sit intercessor apud genitissimum genitorem [3] qui mediator factus est ad salutem.

XIV.

Observantes vana et falsa misericordiam tuam [4] dereliquerunt.

Humani generis est malum commune, temporalium quærere commoda vanitatum, et rerum transibilium diligere falsitatem. Quidquid enim est in sæculo, vanum est, Salomone dicente : « Et omnia quæ sub sole sunt, vanitas vanitatum [5]. » Suffecerat una vanitas : cur adjectæ sunt plurimæ vanitates. Excita, lector, auditum ; rimare secreta, prudentissimi regis thesaurum contemplare, et ultro reperies quod debeas admirari. Homo factus est propter Deum; cætera vero sunt propter hominem constituta, quæ continentur in mundo. Homo itaque ipse vanitas est, quia « vanitas omnis homo vivens [6]. » Si ergo is qui futurus est immortalis, propter volubilitatem transibilis vitæ vanitas appellatur, quanto magis ea quæ propter vanitatem facta, ita sunt temporaliter transitura, ut transacta nihili deputentur? Vanitates ergo sunt homines, vanitas omnis conditio sæcularis, ut luceat quid sit vanitas vanitatum.

XV.

Intellectus latior aliud objicit agnoscendum, quod universis potest humanis actibus convenire, et quibus quamdam [7] velut regulam proponimus, unde cætera cognoscantur. Medicina nobilius artes omnes excellit, Fol. 100.
ut prope mortalibus salutis infirmitatem impendens [8], neutrum tamen permanet semper : mortuo enim medico [9], ejus consummata est medicina; ægroto quoque, cui aliquando salus est contributa, naturaliter consummato, producta sospitas submovetur. Vanitas ergo est medicina; multo amplius vanitas vanitatis est sanitas remediis medicinalibus attributa. Eloquentia quæritur pro defensione causarum in asserendæ gratia veritatis, litigiorum commotionibus auferendis, neutrum tamen est permansurum. Vanitas, eloquentia; vanitas vanitatis, defensio per eloquentiam commodata : sicque fit ut omnia sint vanitas vanitatum. Istæ etiam vanitates appellari consueverunt falsitates : quod enim transit et non erit, falsum est, non verum. Verum autem quod est, incommutabile semper et perseverans est sine fine. Vanum ergo est, quod certum non est; quia « vanitas omnis homo vivens. » Si tempus intuens quæras, vanum est, quia sentis eum volubiliter transvolutum, et sui volubilitate mutatum. Primæ horæ secunda successit; secundæ, tertia;

(1) *Crementantur*. Ib. — (2) *Domine*. III Reg. VIII, 42. — (3) *Genitissimum genitorem*. Evidenti et supino sphalmate ex ὁμοιοφώνοις intruso. Sed quisque alia pro nutu meliora leget. — (4) *Suam* LXX et plerique, quod ægre ferendum. Psalterii nostra vetera mallem cum Verecundo. — (5) *Vanitatum*. Eccle. I, 2. — (6) *Vivens*. Ps. XXXVIII, 6. — (7) *Quædam* cod. — (8) *Infirmitatem impendens*, i. e. adimens, quæ Verecundi loquela peculiaris plane est. Vide paulo infra art. 17 in fine. — (9) *Modico*. Ib.

matutina in vespere commutatur, et dies spatio nocturno secedit : infantiam, pueritia ; juventus, adolescentiam transfert, et nativitas morte finitur. Sic ergo fit ut vana et falsa, temporalia videlicet et caduca quærentes, Domini misericordiam derelinquant.

XVI.

Ego autem cum voce laudis et confessionis sacrificabo tibi. Vera sunt holocausta quibus Deus spiritaliter deprecatur, verba laudis et confessionis quibus debemus Deo veraciter decantare; ut quum sæculares mundanis vanitatibus occupantur, nos in voce laudis et confessionis Domino famulemur. Plura sunt sacrificia multarumque specierum Domino deferenda : primum, spiritale sacrificium Deo confessionis laudis est sermo. Quum enim cum sermonibus confiteris, sacrificium laudis immolas Deo, Osee propheta dicente : « Reddemus vitulos labiorum nostrorum [1]. » Sermones quippe boni et recti vituli sunt sacris altaribus deputati. Est et aliud interius sacrificium Deo placabiliter immolandum ; de quo David propheta testatur : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus [2]. » Ista sunt ergo holocaustomata quibus voluntas Domini mitigatur. Est tamen aliquid altius intuendum, quia non dixerit : Ego autem in vocem [3] laudis et confessionis sacrificabo tibi; sed alio quodam ordine, nuper ostenso [4] : « *Ego autem in voce laudis et confessionis sacrificabo tibi*, ut aliud ostenderet sacrificium quod, comitante voce laudis et confessionis, deberet offerri : sine dubio sacrificium quod nunc et corpore Dominico et sanguine delibamus, cum hymnis et canticis offerendum [5].

XVII.

Quæ vovi, reddam tibi salutari [6] *meo, Domino.* Deputata Domino vota non debent immorari, pro eo quod dictum est in Deuteronomio : « Noli esse velox vovere Domino : alioquin postquam voveris, redde [7]. » Dominus enim exigit vota sua : occulte gratiam impetratur [8] propheta : « Ego quidem vovi tibi, reddam vota mea, si me juveris devotantem. » Possibilitatis est quidem nostræ vovere votum : sed divinæ virtutis supplere promissum. Quærendum equidem cui votum sit devovendum, *salutari* utique *Domino*, qui mortalibus sua morte salutem impendit.

EXPLICIT CANTICUM JONÆ.

(1) *Nostrorum.* Osee XIV, 3. — (2) *Contribulatus.* Ps. L, 19. — (3) *In voce* cod., perverso sensu. — (4) *Ostenso.* Intuetur *Expositionum* lib. II, c. 3 supra, p. 11, quæ proinde paulo ante dictaverat. — (5) *Offerendum.* Vide missarum solemnia, et hoc adde cæteris bene multis ejusdem argumenti apud unum Verecundum. — (6) *Salutare* LXX et editi plures. Σωτηρίου LXX. Iterum planius legunt, ut Noster, psalter. ambros. et luxoviens. — (7) *Redde.* Deuter. XXIII, 21, cum egregia lectionis varietate.—(8) *Increpatur* cod.

VERECUNDI

LIBER IX

IN CANTICUM DEBBORÆ.

Argumentum. — Auro contra mihi charus is liber totus est et quanti vis pretii, sed maxime ob illud splendidum veteris Italicæ fragmentum, quod hactenus fere integrum desideratur, si unam alteramve exceperis laciniam ex Augustino corrasam. Tum veterum neminem novi Verecundo in hanc provinciam præeuntem, sed neminem subsequutum, præter recentem spurii cujusdam libelli auctorem pseudo-Hieronymum. At gestit animus lectori prima deducere repagula, qui ut levi instructus filo mittatur ad Verecundum, meminerit ab illo tria, ut solet, considerari : primum litteram sacram, deinde allegoriam ad Christum et Ecclesiam, tum et frequentius ethicam animæ institutionem. En e singulis præcipua ad duas quasdam cantici partes referam, priorem numeris i-xxx, posteriorem cæteris contentam.

I.

Ad Historiam pertinent quæ ab initio enarrantur [i]; — quæ sparsim congeruntur de quarumdam vocum etymo [ii, vii, viii, xix, xxi, xxiv, xxv]; — tum egregia bellatricis feminæ et propheticæ ἔκφρασις (ii, iii, xxii). — Adde censuram morum africanorum [iv], — et rerum notitiam, quæ in deserto et mari Rubro mire gestæ sunt (vii), — deinde non indiligentem græci latinique sermonis collationem [xv], — sed neque inelegantem ad quædam ἀντικείμενα ἐπίλυσιν [xix]. — Immo vero et præcipue merito cum honore scriptam S. Hieronymi ejusque translationis commendationem [xxiii, xxv].

Multo plura spectant ad nobiliorem theologiæ symbolicæ partem quæ de Christo est et de Ecclesia. Habes enim Christum in Barac miraculis coruscantem [xvi, xvii], — ejusque virgineam carnem in api prophetissa, castissime inter favos legis ac prophetarum natam [xv, xxii, xxv] — suave et uno ore canentem cum Splendore Patris [ii]. — Ipse filius est Abinoe, summi Patris perfecta quies [ii], — qui peccatores, lucerna accensa, quærit [xx], — a quo libertatis nostræ trophæa in agro Aceldama eriguntur [vi, vii], — cujus dona tam necessaria quam abunde largita omnibus [xxiv]. — Ipse præterea, bellator et judex, Satanam ab angelica dignitate dejecit [viii], — Synagogam, quæ primus erat ascensus ad Deum [viii], — missam fecit ac dissipavit [vi, xxii]. — Jam schismaticos qui deos sibi novos novaque verba fingunt excludit [ix], — ut nihil eorum preces, nihil benedictiones sint, nisi ventilata vanitas [iv]; — hæreticos æque spernit, positos inter divisiones terminorum, confessionum, speculationum [xxiii, xxv], — quin adulterio fœdatos animarum [xxvi].

Nunc prodeat Ecclesia et tamquam mater surgat in Israel [viii], — agmen agens angelorum [xiii], — apostolorum [xiii, xix, xxii], — martyrum [xi, xiii, xxi], — prædicatorum [xx], — virginum [xxi] — variosque suorum ordines, quorum alii equis, alii carruca, alii mulo, pro meritorum laude vehuntur [xxi, xxii] : — instructaque tot turmarum acie, prœlia exerceat [x], — solemnesque ducat triumphos [xviii].

At quod in orbe Ecclesia, quod in mundo Christus, ambo item sunt eademque agunt in christiana singulorum anima, quæ et Debbora est, apis conjuncta Verbo Dei [ii, iii], — quæ regina et satrapa est, suis dominando vitiis [v], — cantat labiis, psallit operibus [vi], — virtutibus martyris, virginis, monachi, sacerdotis vehitur ovans [xi], — humilitate armatur [xxii], — in littore maris commoratur [xxviii], — agrum excolit suum verbi divini aratro [xxx], — donec exsurgat ut Barac, ex inferis in ævum rediviva [xvi].

II.

Ultima cantici pars, quum in Sisaræ ruina tota est enarranda, pauca de Christo habet διαῤῥήδην, sed huc oblique spectant quæcumque de Antichristo vel Diabolo sub Sisaræ typo congeruntur. Ecce igitur iste, quum filius noluit esse Creatoris, factus pravitatis [xlviii], — stulta obcæcatus sapientia [l], — astutias bellicasque frustra excogitat insidias [xxxi], — frustra varias ostentat et coloratas doctrinas [liv], — currusque suos et equitatus agit [xlix], — spolia suis pollicitus [li]; — miser ille et pauper et omni destitutus prudentia [xxxi, xlvii], — æterno perculsus anathemate [xl], — judicio perimendus [xlvi, xlviii], — præceps in ruinam datur, capite malleis clavisque transverberato, palo scilicet crucis affixus [xlv, xlvi]; — quin singula ejus membra per infidelium et delinquentium conversionem quotidie præciduntur [xlv]; — qui vero cum illo manent, nervis succisis [xxxvii], — mobiles et igne ac peccato liquefacti, quasi in torrente ad ruinam volvuntur perpetuam.

De quo triumphum agit Ecclesia, quæ semper de cœlo vincit hostes [xxxviii], — crucis vexillo perculsos [lv], — quæ sanctos habet pro se cum Angelis e suis ordinibus dimicantes [xxxiv], — martyresque in primis tyrannos pedibus conterentes [xxxvi], — cujus inimici solent in aqua præfocari [xxxii], — dum ex eadem baptismatis vel evangelicæ plenitudinis unda filii sui nascuntur [*ib.*], — quos lacte, butyro, aqua reficit [xliii, xliv], — sanctorumque libris et evangeliorum pelve recreat [*ib.*].

Identidem animæ describuntur certamina [xxxi], — vitia in aquis immersa [xxxviii], — luctus, utpote flentis, quasi conjugis consortio privatæ [xlii], — solatia quærentis et auxilia comitum cum illa inhabitantium [*ib.*], — quæ tum demum charitatis splendore coronanda est [lvi].

INCIPIT EXPOSITIO VERECUNDI IN CANTICUM DEBBORÆ [1].

I.

Temporibus judicum [2] tales sancti viri nequiverunt reperiri, quorum merito populus regeretur : Debbora, uxor Laphidot, electa est gubernaculo populi præponenda. Nimirum autem virorum ignominiæ ascribendum est ut mulier omnibus præferretur; aut certe illud est agnoscendum, quod cœlestis gratia viris ac feminis pariter conferatur. Hoc quippe contigerat Osiæ temporibus regis, quando Oldad prophetissa prophetiæ spiritum fuerat assequuta, viris omnibus destitutis.

Quum Jabin, rex Asor, israeliticam gentem captivitati subderet, eamque violentius oppressisset, suscitavit Deus spiritum Barac, filii Abinoe, adjutrice Debbora, ut Sisaram, magistrum militiæ Asor, bello vincerent, eoque interemto, victoria potirentur, calcatoque captivitatis jugo, libertati pristinæ redderentur. Typum Ecclesiæ gerens Debbora populum Dei alienigenarum servituti exemit, Deique fecit in libertate servire.

II.

Tunc cantavit[3] *Debbora et Barac, filius Abinoe, in illo die, et dixerunt : In inchoatione principum* [4] *in Israel* [5] [Judic. v. 1].

Debbora interpretatur Apis [6]; Barac, Coruscatio [7]; Abinoe [8], Patris mei requies. Debbora mulier sola Deo cantare nequivit; adjuncto vero Barac, parabolam tunc cecinerunt Creatori. Ecclesiæ figuram gessisse Debboram diximus; Barac vero, Domini Salvatoris : cui sociata, illico prorupit in laudibus Dei. Sed et tu, si jam possis dulcedinem confessionis ore proferre, apis es conjuncta Barac, illi videlicet de quo dictum est : « Sicut exiet coruscatio ab oriente usque ad occidentem, sic erit adventus Filii hominis [9]. » Ipse est ergo Barac qui interpretatur Coruscatio, filii Abinoe, Patris requies [10]. Omnis quippe Dei Patris requies in unico Filio conquiescit.

Cantent ergo *in die*, non in nocte, neque in tenebris, sed in luce; quoniam filii Dei Domino decantant in die. Tunc quum « principes legerentur [11], » quum apostoli sine dubio vocarentur : *in inchoatione* ipsa vel primordio [12] laus decantata est Deo.

III.

Tunc cantavit Debbora et Barac, filius Abinoe, in illo die, et dixerunt.

Israelita mulier ex populo Dei universum Israelem sibi subditum regit : inimicos autem et hostes Hebræorum impugnans non Fol.
sola, sed sociato Barac, Domino cantat : alium habens virum in societate carnalis

(1) *Debboræ.* Præter pauca in procemio de liturgica in africanis ecclesiis cantici consuetudine, quæ illius fuerit in templo Dei fortuna, nos pene fugit. Nova nempe omnia et ignoti nova forma viri. Eadem manu majoribusque litteris scribitur in capite commentarii : *Incipit canticum Deborræ. Expositio Verecundi.* Quoad nomina, Sabaterii scripturam sequimur, quum codex tumultuose scribat: *Deborra, Debora, Debbora,* etc. — (2) *Judicum.* Cf. n. iv, v hujus libri. — (3) *Cantavit,* ut in Hexaplis græcus interpres anonymus : καὶ ᾖσε, syrusque et arabicus. Neminem tædeat dum morose nostram cum priscis versionibus conferimus; vetustiorem enim latinarum translationem tenemus, quæ utrum pressius lxx, an Theodotionem, Symmachumve aut alios referat, non ineptum est inquirere. — (4) *Principium* codex, qui se mox emendat. — (5) *Israel.* Tam a Vulgata recedit quam a lxx, sed Theodotioni in eo quod ex illo superest, satis convenit : ἐν τῷ ἄρξασθαι ἀρχηγούς. Noster vero paulo infra : *Quum principes legerentur.* — (6) *Apes* cod. mox *Apies.* — (7) *Coruscatio.* Tutum et probum etymon utrumque. — (8) *Abionoe* cod. — (9) *Hominis.* Matth. xxvii, 27. — (10) *Requiem* cod. Dolet enim vero huic Verecundi mei κειμηλίῳ adeo infidam esse et ingratam codicis membranam. Meum esse duxi omnes vel minimas relegere in notis varietates, textum vero tergere, ne morosa lectioni remora pariatur. — (11) *Legerentur*, id est *in inchoatione principum.* — (12) *Primordia* cod.

conjunctionis, qui Laphidot[1] appellatur; alium habens ad societatem victoriæ, Barac, cujus præsidio alienigenas insectatur [2]. Laudabile quidem est quod in prœliis tam vehementibus femina bellatrix ubique discurrat, circuminspiciat sibi populoque subjecto, alienigenas insectetur; quibus interemtis, victrix Domino præsentetur.

Morale quoque sequamur arcanum. Mens tua, si jam fidelis est[3], et ex populo Dei, cuncto quoque Israeli interius imperat constituto, bonis etiam cogitationibus præsidet moderatrix, et alienigenas vitiorum populos insectatur, societati Barac, verbo utique divino conjuncta, mitigatis omnibus cuneis[4] inimici, Deo liberaliter cantant[5], tunc demum quum in ea principes Israel inchoationem obtinuerint habitandi. Accedens ergo ad eruditionem propheticam, evangelicam, apostolicam, facit ipsa[6] inchoationem principum Israel; ut non cum abjectis, apocryphis videlicet libris, neque cum alienigenis, potentibus et ornatis philosophis, sapientibusque mundanis, sed cum principibus Israel, Deum veneranter adorent.

IV.

In voluntate Domini[7] *benedicite Dominum* [v. 2].

Plurimos benedicere cernimus Deum, ejusque nomen crebris canticis collaudare. Nec tamen hoc ex voluntate faciunt Dei; quum videlicet in conviviis vinolentia dissolutis, ad ebrietatis augmentum psalmos et divina cantica psallant[8]; sed hoc in voluntate hominis, non in Domini faciunt voluntate. Illi quoque[9], qui, charitatis unitate præcisa, semoti[10] stant a populo spiritali, benedicunt Dominum quidem, sed ejus minime conveniunt voluntati, scindentes fidei unitatem, verborum suorum ventilant vanitatem. In voluntate itaque Dominum benedicit, qui consequi propriæ benedictionis paratus est fructum.

Dic[11] itaque, diligens inquisitor, quæ ista est voluntas Domini, in qua debeant benedicere Creatorem. Rem quidem excellentem et tantam inquiris, ut me tecum potius deceat audire, quam tibi dicere quæ requiris. Magistrum itaque cœlestem pulsemus, et ad sapientissimi regis januam vigilemus, ut pes noster ejus limina frequenti transitu terat, et exquisitum mysterium in veritate demonstret: « Hæc enim est, inquit in Evangelio, voluntas Dei, ut credant te verum Deum et quem misisti Jesum[12]. » Talia indubitanter credens, voluntatem Domini didicisti. In hanc ergo voluntatem benedic Creatorem, ut in voluntate Domini Patris Dominum Filium benedicas; alioquin semel Dominum et non secundo dixisset.

V.

Audite, reges; intuemini, satrapæ. Ego Domino cantabo, psalmum dicam Domino Israel[13] [v. 3]. Imperitum vulgus et inutilis multitudo, salutis negligens quæstum, inconveniens talia judicatur audire. Audiant potius reges, spiritali regno, populis in se spiritalibus dominantes. Carnales autem multitudines et gentes vitiorum externas gravi comprimant dominatu.

Non solum reges hujusmodi, sed et satrapæ audiant Israeliticam feminam decantantem. Satrapæ quidem subreguli nuncupantur, siquidem necdum universæ potestatis in te, cæteris consuetudinibus imperando, regnum obtines, quia perfectæ quidem virtutis necdum es, sed meliorum ordini dignus es propinquare. Quorum imitator es, et ex parte jam, interioris regni tui quibusdam vitiis dominando, aliquam ob-

(1) *Labiloth* cod. — (2) *Insectantur* ib. — (3) *Es* non displiceret. — (4) *Cum eis* codex, disertissime quidem, sed necessaria emendatio, neque audacior. — (5) *Cantant.* Respectu ad Debboram et Barac et ex more Verecundi. — (6) *Ipse* cod. — (7) *Domini.* Nota alterum Nostri cum Theodotione consensum: ἐν προαιρέσει λαοῦ, nisi quod, cum hebræo, pro λαοῦ videatur Θεοῦ legisse. — (8) *Psallant.* Agnosce africanum virum, comessationesque ab Augustino profligatas. — (9) *Illud quoque* cod. — (10) *A se moti stant* ib. — (11) *Dicat* cod. *Discat* vix maluerim. — (12) *Jesum.* Joan. XVII, 21. — (13) *Israel.* Ad verbum cum LXX.

tines potestatem et fidelis administrationis censuram imitaris; dignus es etiam ipse cantica sanctæ mulieris audire. Proferam tibi unum de regibus audire : « Auditum Domini eruditum, inquit Isaias, aure[1] audiam; mane erigit mihi aurem [ut audiam] quasi magistrum; ego autem non contradico, retrorsum non abii[2]. »

VI.

Ego Domino cantabo, psalmum dicam Domino Deo Israel. Surgant ergo Philistæi, qui lumen evulserant Samson, figuram, ut æstimo, hæreseos proferentes; cantent cantica sua, chorosque ludentes ducant. Cantet etiam populus ille subversus, qui pontificis Aaron consensu conflatilem vitulum ex auro formavit. Cantet et in canticis suis deos invocet alienos. *Ego* vero *Domino cantabo, psalmum dicam Domino Deo Israel*; quum enim alienigenæ cantant, non Deo cantant, sed numinibus[3] alienis, licet videantur Domino decantare.

Est aliquid inter cantare, psalmumque dicere : cantamus labiis, confessionem facientes ad salutem; psallimus vero, operibus obsequentes, quia psallere dicitur artifici manu psalterium contrectare[4] : quidquid ergo manibus operamur, in Deo psallere nuncupatur.

VII.

Domine, in exitu tuo ex Sehir, dum proficiscereris de agris Edom, terra mota est; etenim cœlum turbatum est, et nubes stillaverunt aquam, montes commoti sunt a facie Domini Dei Israel, ex Sina[5] [v. 4, 5].

Veterum historias texit, excellentias divinæ majestatis ostendit; in quibus bene gestis populi sui favorem metatur Dominus, gentibus intimabat. Quum enim Moyses Seon Amorrhæorum principem peremisset[5], ac per terram Esau transitum habuisset, prohibitum est admonitione cœlesti ne fraternam sui generis gentem et consanguineum populum contigisset; ibique in transitu Hebræorum, terræ motus, commotionesque cœlorum, mixtis imbribus, claruerunt. Seir quippe mons est Esau filiorum; terra vero Edom ipsa est quam fuerat hæreditate sortitus. Et ob hoc Esau nomine nuncupata, qui Edom sive Seir alio nomine fuerat vocitatus.

Relinquentes historicam lectionem, altiora nobis sunt sacramenti oculo contuenda, in quibus Moyses et Elias in monte cum Domino loquebantur, et Evangelio, legi ac prophetiæ ostenditur convenire. Passionis itaque Dominicæ congruentia demonstratur, ita breviter coarctata, ut in paucis versibus illa nobilia nostræ libertatis revelentur arcana.

Exitus Domini ex Seir, quod interpretatur Pilosus, mors Dominici corporis intimatur, per quam anima de terreno domicilio manifestatur exire. Et tunc demum, quando in agris Edom, qui interpretatur Sanguinei, utique Acheldema, argenti pretio comparati, quod Juda restituerat templo : unde ager figuli comparatus, ager est sanguinis appellatus, qui dictus est Acheldema, sine dubio Redemtoris nostri cruore signatus. Animarum ergo figulus in agro figuli sepelitur, ut novas vasorum species confecturus, terram quoque congruam inventurus, quo figulo spiritali terra quoque figuli concordaret. Profectus est de agris Edom utique, quum ad inferos descendisset; tunc tenebrarum cœlorumque turbatio motis facta est elementis. Apostolicæ nubes evangelici verbi pluviam roraverunt; unde sublimissimi montes, reges videlicet potentesque mundani, ad fidem commoti, Dominicam præsentiam timuerunt.

(1) *Aurem* cod. — (2) *Abii*. Is. L, 4, 5. — (3) *Nominibus* cod. — (4) *Contractare* cod. — (5) *Sina*. LXX legunt ἐξ ἀγροῦ...ὁ οὐρανὸς ἔσταξε δρόσους....τοῦτο Σινά. Notatur in Hexaplis unus interpres : ἄλλος. Καὶ ὁ οὐρανὸς ἐταράχθη, omnino ut Noster. Cæterum alii bene multi, opinor, digito monstrarunt multa hic esse communia cum psalmo LXVIII, neque ultro citroque conferre omiserunt. — (5) *Peremissent, habuissent* cod. in promtu non emendavero, quin Verecundi syntaxim in sensu collectivo saltem meminerim.

VIII.

In diebus Simegar, filii Enac[1], *in diebus Jahel defecerunt reges; defecerunt viæ; abierunt vias perversas; defecerunt potentes in Israel; defecerunt, quoadusque exsurgeret mater Debbora in Israel*[2] [v. 6, 7].

Multa est magnitudo mysterii quæ paucis nominibus occultatur, quibus revelatis, illico fient omnia manifesta : Simgar[3] interpretatur Nomen adveniens; Enac, Humilitas inanis; Jahel, Ascensio. Quis ergo est Simgar, id est Nomen adveniens, nisi is qui se Deum falso nomine volebat hominibus imitari? de quo dictum est : « Non vocabitur ultra is qui insipiens est princeps, neque fraudulentus appellabitur major[4]? » Diabolus utique, Christi sapientia insipiens revelatus, et in simplicitate fraudulentus ostensus. Propterea filius Enac appellatus est, quod interpretatur Humilitas inanis : quod videlicet humiliatus fuerit, ab angelica dignitate[5] dejectus; non ad hoc ut illa humilitate propriam ruinam restitueret, sed ut inde magis obduratione propria præparetur ad pœnam; idcirco humilitas inanis, nihil ei utique profutura. Jahel vero, quæ interpretatur Ascensio, Synagogæ typum poterit figurare, per quam prius conscendebatur ad Deum. Omnis enim idololatriarum conversio per Synagogam fiebat ad Deum; ideo ascensio nuncupata. Quo tempore, spiritales reges et intellectuales principes defecerunt, quum pars humani generis dæmonibus deservisset; pars vero in Christi exitio conspiraret; pars discipulorum territa defugisset. Unde Dominus ait : « Ut quid mecum vultis judicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus[6]. » Non tamen defecerunt in totum : sed *quoadusque exsurgeret mater Debbora in Israel;* quoadusque videlicet mater Ecclesia claruisset. Hoc ergo videtur breviter intimare, quod inter idololatriam et humanæ inventionis Synagogæ mandata, quibus obsequebantur Judæi, et apostolorum fugam, cuncti viri deciderant spiritales.

IX.

Elegerunt sibi deos novos, quomodo panem hordeaceum[7] [v. 8].

Duobus panis generibus pascitur homo : primum quidem triticeo, quod solis est hominibus rationalibus contributum; secundo, hordeaceo, quod commune fruimur cum jumentis, unde animalia pene omnia depascuntur. Quod ergo ait : *Elegerunt sibi deos novos, quomodo panem hordeaceum*, simulacra sibi tamquam jumenta irrationabilia statuerunt, quibus considerationis sensus obrutus[8], novos sibi deos, non sicut prudentes, sed sicut pecora nihil discernentia, figurarunt. Quod schismatibus potest convenienter aptari, qui sibi novis doctrinis nomina nova componunt ad morem sapientiæ sæcularis, pani hordeaceo comparatæ, non ad nutum Evangelii, quod tritico convenienter aptatur.

X.

Tegumen juvencularum jaculantium;

(1) *Enac*. Infra idem *Enach*. Sed lege *Enath*, juxta syrum et LXX. — (2) *Israel*. Ultimam pericopes particulam Augustinus et ex alia versione dedit [t. III, 603 BB]; nec plura veterum interpretum latinorum, ut dixi, aliunde suppetunt ex integro cantico. LXX habent : ἐν ἡμέραις Σαμεγὰρ υἱοῦ Ἀνὰθ, ἐν ἡμέραις Ἰαὴλ, ἐξέλιπον ὁδοὺς, cætera ad verbum consonant. — (3) *Simgar*. Latet quidem etymon hoc nuperrimos interpretes, vel peritissimos, iisdem ignotum quod sequitur *Enach;* alia vero longe a nostris diversa ad vocem Jahel derivabant. Sed grammaticum non agebat Verecundus. — (4) *Major*. Is. XXXII, 5. — (5) *Divinitate* cod. — (6) *Dominus*. Jerem. II, 29. — (7) *Hordeaceum*. Vulgata vacat. Hebræus : *quum eligeret Israel deos novos, habuit hostem in portis.* LXX : ἐξελέξαντο θεοὺς καινοὺς, τότε ἐπολέμησαν πόλεις ἀρχόντων. Unus iterum ἀνεπίγραφος interpres Hexaplorum nobiscum facit : ἄλλος· ὡς ἄρτον κρίθινον. Sed idem legebat syrus : ܘܗܝܕܝܢ ܠܚܡܐ ܕܣܥܪܐ *ac tunc panem hordeaceum.* Idemque arabs : *tum exsurget panis hordeaceus.* Africano vides non deesse comites. Quid, quod præibat Augustinus : *Elegerunt ut panem hordeaceum, deos novos?* Vid. l. l. Ex hac certe lectione fluxerunt quæ Alex.. Oxon. codd. et ed. Ald. retinent : ᾑρέτισαν θεοὺς κενοὺς, ὡς ἄρτον κρίθινον. — (8) *Obrutus* absolute dictum : id enim tulit ætatis et loci elegantia.

accensus est, et jaculavit quadraginta millia cor meum a præcepto Israel[1].

Ecclesiæ sunt spiritaliter emergentes, quarum tegumen, nimirum fides Spiritus sancti flammis accensa, jaculari posset sagittas verborum et infigere cordibus audientium, ignemque succendere charitatis. Quæ vero sint ipsæ sagittæ monstravit: *jaculavit*, inquit, *quadraginta millia cor meum a præcepto Israel.* Numerus ipse secreta docet latentis arcani. Quaternarius numerus usque ad denarium gradibus provocatus ascendit : unum ad duos, tres faciunt; tres ad tres, sex; quatuor vero ad sex, decem; id est, unum, duo, tres, quatuor super se addita[2] decem consummant. Ipsi iterum decem quater duplicati quadraginta claudunt; in quibus quatuor mundi partium fideles populos intimavit; quos jaculis præceptorum quotidie divinorum cor Ecclesiæ, sapientia videlicet, non destituet jaculari.

XI.

Potentes, benedicite Dominum, ascendentes super subjunctoria et super sedentes in lecticis, emittite vocem resonantium in organis[3] [v. 9, 10].

Fide constantes et animo potentes, benedicite Dominum, qui super subjunctoria carnis vestræ jam residetis, ut vos corpori, et non vobis corpora dominentur. *Et super sedentes in lecticis, emittite vocem resonantium in organis.* Quæ sint namque istæ lecticæ, in quibus supersedentes in organis confessionum vocem debent emittere laudis, dicat hoc Isaias, quum de futuris fidelibus
Fol.103. loqueretur : « Annuntiabunt, inquit, gloriam meam gentibus, et adducet omnes fratres vestros de cunctis gentibus, donum Domino, in equis et in quadrigis et in lecticis et in mulis et in carrucis, ad montem sanctum Jerusalem, ait Dominus[4]. » Omnes quippe ex gentibus convertendi donum Domino deferuntur, quia sicut gratia attrahuntur ad fidem, ita gratis sacerdotum officio deferuntur[5]. Has vero differentias agnoscere non est spernendi laboris : aliud est enim in equo deferri, aliud in quadriga, aliud in lectica, aliud in carruca. Curiose lector, intende, et vide hæc spiritaliter consummari.

Si quis itaque unam professionem vel duas aut amplius obtulerit Deo pro qualitate meritorum, sic hujusmodi animalibus dicuntur afferri. In equis martyres et virgines, qui velociori cursu, fervore utique desiderii sancti, et ad continentiæ levitatem et ad bellum passionis stricte concurrunt, deferuntur in equis. Ii vero in quadrigis deferuntur qui quatuor in se virtutum professiones sectantur, martyrium, virginitatem, sacerdotium et propositum monachi; quum ergo talem videris Deo deferri, quia quatuor professionibus obsequatur, recte dicis cum quadriga deferri. Unde non immerito Elias quadrigis igneis ad cœlum evectus ascendit, sine dubio primum quod virgo; secundo, quod sacerdos; tertium, quod solitudinis appetitor, institutum monachorum ostendit; quarto, quod etiam confessor, quum frequenter propter Deum quæreretur occidi. Nec illud vacat quod non simpliciter quadrigis, sed igneis quadrigis Elias subvehi demonstratur; utique quia fervore Spiritus sancti et igne charitatis interius ardens, in omnibus semper professionibus ad meliora tendebat. Idcirco

(1) *Israel.* Hebr. LXX, Vulg. *Clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel.* Vulg. *cor meum diligit principes Israel.* LXX : Ἡ καρδία μου εἰς τὰ διατεταγμένα τῷ Ἰσραήλ. Sed versiculus incipit in Hexaplis : ἄλλος· σκέπη σανίδων σειρομάτων, ubi Noster utique legebat σκέπη νεανίδων, et in fine cum Symmacho : εἰς τὰ προστάγματα. Noster vero remanet καθόλως novus et singularis. Scripseram hæc, quum incidi in codicis alexandrini varietatem peropportunam. Habet enim quod conjiciebam : σκέπη νεανίδων σειρομάτων. — (2) *Additæ* cod. — (3) *Organis.* Ab hebræo et Vulgata minus quam nostra versio LXX discedunt : Οἱ ἐξουσιαζόμενοι ἐν λαῷ, εὐλογεῖτε Κύριον. Ἐπιβεβηκότες ἐπὶ ὄνου θηλείας μεσημβρίας, καθήμενοι ἐπὶ κριτηρίου καὶ πορευόμενοι ἐπὶ ὁδοὺς συνέδρων ἐφ' ὁδῷ, διηγεῖσθε ἀπὸ φωνῆς ἀνακρουομένων ἀναμέσον ὑδρευομένων. Ad Hexapla nos Africanus noster iterum reducit : ἄλλος· οἱ δυνατοὶ τοῦ λαοῦ. Theodotion : ὑποζυγίων *subjugalium*, ubi Noster ponit *subjunctoria.* Ultima alibi ægre invenio. — (4) *Dominus.* Is. LXVI, 20. — (5) *Defertur* cod.

sicut internis desideriis ardentior per profectum currebat, ita etiam visibiliter equis est ardentibus sublevatus.

In lectica vero sola monachorum professione contenti cognoscuntur afferri. Lectica, aliis portantibus, quietum hominem suffert, et quo voluerit, perducitur loco; vide si non uno vel duobus supportantibus onera monasterii, cæteri sub regimine viventes, et quietam peragentes professionis instantiam, in lectica portantur: per quam sine dubio ad Jerusalem pervenient civitatem.

In mulo deferuntur qui ex hæreticis convertuntur; muli enim animalium vario genere procreantur, ex equo videlicet et asella, aut ex asello et equa. Si quis ergo de Christo renatus est, sed ad hæresim [1] conversus hæreticus factus, si postea reatum corrigat, ex equo et asella dicitur generatus. Qui vero prius hæreticus et postea factus est christianus, ex asello et equa noscitur natus, unum enim parentem generosum, alterum degenerem conquisivit. Sic ergo hujusmodi in mulo deferuntur patriæ beatorum. Unde filii David, exeuntes de Jerusalem, convivati sunt cum Absalon fratricida, qui humano sanguine convivio defœdavit, et, relictis Israelitis, regem patrem fugiens mitem et bonum, delegit cum alienigenis commorari. Postquam viderunt hoc malum filii David, qui de convivio fugerunt scelerato, in mulis ascenderunt, ut ad Jerusalem remearent et ad David patris sui, quem dudum reliquerant, faciem conspexissent [2]. Sed et Salomon extra civitatem sanctam unctus unguento regali, utique chrismatis, mulam sedit, sicque reversus est Jerusalem et civitati sanctorum [3] associatus. Numquam amplius in mulo dicitur sedisse.

In carrucis vero illi sine dubio deferuntur, qui super potentias sæculares et temporales insident facultates. Quæ volubilitate quadam tamquam rotæ decurrunt, et quæ videbantur in superioribus, revolvun- Fol.104.
tur; et iterum inferiores ad superiora ducuntur. Hoc enim est natura rotarum. Qui ergo potentias possident sæculares, sed timorate vivunt, Deique [4] mandatis insistunt, hi carrucis deferuntur ad patriam sempiternam.

XII.

In medio epulantium, illic dabunt justitias Domino [v. 11]. Vel certe sicut alibi reperimus, *in medio psallentium* [5].

Nihil ergo est spiritaliter epulari, quam in verbo Dei Deum honorare. Et ipsæ sunt justitiæ quas ei dare possumus, ut in ejus laudibus famulemur, et omnia opera justa veraque laudemus, sicut Azarias in cantico dixit: « Omnia opera justa, et rectæ viæ tuæ, et judicia veritatis fecisti [6]. » Sed illud intelligi potest: *In medio epulantium, illic dabunt justitias Domino,* quod etiam inter ipsas epulas comedentiumque convivia glorificari debent justitiæ Creatoris, Apostolo dicente: « Sive comeditis, seu bibitis, seu aliquid aliud facitis, in gloria Domini facite [7]. »

XIII.

Justi invaluimus in Israel [8].

Martyrum apostolorumque potest esse persona, qui in medio populi Dei validiori gratia cæteris præferuntur [9]. An certe aliter videtur agnosci, ne ipsi se justos notabiliter nuncupent. Melius apostolorum voce patriarchis dicitur ac prophetis: Laborastis, justi, in populo Israel prædicando et annuntiando salutem; sed minus valuistis

(1) *Hæresem* cod. — (2) *Conspexissent* ex solita Verecundi syntaxi. - Cf. II Reg. XIII, 29. — (3) *Civitate sanctorum* cod. III Reg. I, 33. — (4) *Ejusque* ib. Aut mutandum aliquid, aut supplendum. — (5) *Psallentium.* Macte! ad varia nempe interpretum dicta sedulo corradenda, monitum Verecundi est et nobile exemplum. Duos ecce libros præ oculis habet, unum forte Symmachum, aut translatum ab Hexaplari Symmacho, qui legit: συμπινόντων; tum alterum qui me fugit. Paulo enim diversa LXX: ἀπὸ φωνῆς ἀνακρουομένων [cod. Alex. εὐφραινομένων], ἀναμέσον ὑδρευομένων, ἐκεῖ δώσουσι δικαιοσύνας. — (6) *Fecisti.* Dan. III, 27. — (7) *Facite.* I Cor. X, 31. — (8) *Israel.* Syrus non omnino recedit a nostris: *Justitiam multiplicavit erga Israel;* fortasse et LXX: Κύριε, δικαιοσύνας αὔξησον ἐν Ἰσραήλ. Alii alio eunt. — (9) *Proferuntur* cod.

in illis. Nos autem invaluimus in eis, quum videlicet quinque millia cognoscerent fidem, et in Actibus apostolorum ad baptismi gratiam properant. Sed et hoc non inutiliter convenit angelorum sermoni, qui missi sunt ad custodiam eorum qui hæreditatem capiunt, salutem æternam [1], qui eorum ministerio dum convertuntur, aiunt quia « nos justi invaluimus in Israel, » idolis [2] proxime servienti, magis quam [in]justi spiritus, quorum seducti obsequebantur errori.

XIV.

Tunc descendit in civitates suas [3] *populus Domini.*

Quæ istæ sunt historicæ civitates ad quas descendit populus Domini, postquam multitudo inimicorum expulsa est ministerio Debboræ? Tunc et populus in silvis et montibus latens, ad civitates proprias remeavit. Et fortasse tropologice congruenter ecclesiæ cognoscuntur, quæ locis in singulis constitutæ, descendentibus populis [4] de superbiæ montibus et contumaciæ silvis quotidie farciuntur, dum per humilitatem confessionis a vanissimo tumore descendunt. Moraliter quoque sequendus est intellectus : civitates nostræ corda sunt nostra in quibus habitamus, et aut descendimus in eis per pœnitudinis subjugationem, ut ascendimus per superbiæ pravitatem. Sed tunc demum populus Domini sumus, si descendimus in cordibus nostris, et mandatis cœlestibus obedientiam exhibemus.

XV.

Exsurge, Debbora [5]*; excita dena millia millium cum populo. Exsurge, exsurge cum cantico* [v. 12].

Tropologicam intelligentiam consequentes, carni Dominicæ invenimus coaptari, cui dicit : Exsurge de sepulcro, quæ Debbora nuncuparis, id est apis, quæ sine coitu generata et sine dolore filios paris, inter favos legis ac prophetarum et evangelica mella. Exsurge de sepulcro. *Excita dena millia millium*, quæ te possunt excitante, de sepulcris levari cum populo. Exsurge in inferno resurrectionis adventu [6]. Nec tacita exsurgas, sed cum cantico glorificantium te, angelorum utique atque sanctorum. Nam quis diffidat, quia sicut Dominus, nasciturus in carne, glorificatus venit laudibus angelorum clamantium : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax [7] ! » ita quoque resurgens ab inferis, ad Patrem glorificatus ascendit? Utiliter convenit alterius expositionis incursus, ut ex voce Christi Ecclesia stimuletur : Exsurge, Debbora, quæ sedes in pulvere, ita jaces, et contrita jaces in terra, Isaia dicente : Exsurge, et dormientium multitudines excita populorum ad fidem cum populo christiano : exsurge de somno peccati, exsurge cum cantico confitentium. Illa quoque moralis animæ potest intelligentia coaptari, ut animam intelligas Debboram, sine pacto renatam, quæ debet, infidelitatis jugo deposito, exsurgere et secum dena millia millium excitare virtutum. Exsurgatque cum populo cogitationum sanctorum; exsurgat cum cantico Fol laudum. Unde mihi vacuum videtur, quod secundo sic iteravit : exsurge? Manifestius claret : exsurge corpore, exsurge spiritu; ut nulla in te pars gravetur in somno. *Dena* vero *millia millium* significare pu-

(1) *Hæreditatem capiunt salutem æternam.* Hebr. XXIV, 13. Nolui promtius legere cum Vulgata : *Hæreditatem capiunt salutis.* Interpres enim forte respexit κληρονομεῖν in hisce *hæreditatem capiunt,* et consequenter in cæteris σωτηρίαν, *salutem æternam.* — (2) *Idolis.* Codicem rescribo, quum vulnus videam, medelam vero non item. — (3) *Suas.* Nunc primum conveniunt cum Nostro LXX et Vulgata, quæ tamen ubi LXX εἰς τὰς πόλεις, potius εἰς τὰς πύλας legebat, suffragantibus syro et arabico. — (4) *Populos.* cod. — (5) *Exsurge, Debbora.* Quæ sequuntur, hactenus nemo ullus in hoc inseruit canticum, neque mihi deest suspicio quin huc, consultone an temere? invecta fuerint plura e psalmo LXVII, 18. Huc enim spectant : τὸ ἅρμα τοῦ Θεοῦ μυριοπλάσιον, χιλιάδες εὐθηνούντων. Superius quidem cum nostris ultro se conferenda dedere 8, 9 ; tum inferius noli oblivisci 27, 28 ad nostrorum 14, 17, 18. Sunt enim qui psalmum cantico longe antiquiorem faciunt. Sed hæc hactenus. — (6) *Adventum* cod. — (7) *Pax.* Luc. II, 14.

tatur, quia græcitas et singulariter decem millia dicit [1], et pluraliter dena millia [2], quod latinus, propter sui angustiam, non valet explicare : adeo *dena millia millium*, ac sic dictum esset : plura dena millia.

XVI.

Invalescens, exsurge, Barac! et conforta, Debbora [3] !

Barac dicitur Coruscatio, qui alio nomine Fulgur appellatur. Quis ergo est fulgur, sive coruscatio, nisi qui de semet ipso dicit : « Exiet fulgur ab oriente, pertingit usque ad occidentem [4] : sic erit adventus filii hominis, » invalescens post debilitatem passionis et impressionem crucis? Exsurge a mortuis, et confirma, Debbora; carnem utique immortalitatis mutatione firmatam. Sed ad Ecclesiam convenienter aptatur, quam confortavit a mortuis surgens Dominus meus, qui confregit aculeum mortis, et omnes gentes ejus fortitudini subjugavit. Sed et ad spiritum concurrit humanum, qui quolibet peccato dejectus, ad pœnitentiam resipiscit. Quem sermo propheticus exhortatur : *invalescens* post ruinam *exsurge*, ut Boanerges, id est Filius tonitrui nuncuperis. Barac enim qui coruscatio propter luminis [occulti splendorem [5]] dicitur, de tonitruis promovetur : ergo et tu, si jam coruscatio propter luminis occulti splendorem diceris, Ecclesia, coruscas in verbis, coruscas in factis. Ex tonitruis legis et Evangelii procrearis. Si talis es, conforta Debboram, tuam carnem sine dubio, quo tuis jussionibus, et non vitiosis fragilitatibus obsequatur.

XVII.

Barac, cape captivitatem tuam, fili Abinoen.

Quis alter est captivitatis captivator, nisi de quo sermo Davidicus insonavit : « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus [6]? » Iste itaque Barac, resurgens a mortuis, captivitatem cepit, quia filius est Abinoen, qui interpretatur Patris mei requies : ipse est quippe requies Patris, in quo paternæ substantiæ plenitudo quiescit. Cepit captivitatem suam, sine dubio mortem, quæ totum captivaverat mundum. Ipse eam captivando, captivitatem cepit; et recte ait captivitatem suam, quia non extra se, sed in sua accepit quam assumserat natura mortali, ut impleretur : *Barac, cape captivitatem tuam, filii Abinoen*. Paulo quippe apostolo sensus iste concurrit, qui captivus fuerat peccatorum, priusquam reciperet Christum, cui dicitur : *Captivitatem cape*, id est, infidelitatem comprime, quæ captivavit in circuitu nationes, ut, captivitate capta, captivatos subjicias [7] Redemtori, quia factus es filius Abinoen, eo quod in te Dominus requievit. Unicuique homini potest iterum moraliter convenire, qui tamen jam per profectum sanctæ scientiæ virtutisque insigne, potest nuncupari Barac, si capit iniquitatem suam et captivitatem ejus confringat, ut Abinoe filius et Patris Christi requiem consequatur. Tunc magnificata est virtus ejus, quum a mortuis Dominus resurrexisset; tunc magnificata est virtus ejus et potentia populis declarata.

XVIII.

Domine, humilia mihi fortiores me [8] [v. 13].

Vox hominis assumti de principibus et sacerdotibus Israel, qui forti potentia eum in passione gravabant; de quibus ait alibi : « Confortati sunt super me, qui me persequuntur injuste [9]. » Postea vero fidei subjugati vexillo, humiliati sunt ei. Ecclesia

(1) *Dicit*. Μυριάς. — (2) *Millia*. Μύριοι. — (3) *Debbora*. Neque hic desunt varietates inopinatæ. Nemo legit : *invalescens;* nemo clausulam audiit. — (4) *Occidentem*. Matth. xxiv, 27. — (5) *Splendorem*. Lege sequentia, ut supplenda probes. — (6) *Hominibus*. Ephes. iv, 8. — (7) *Subjiciat* cod. — (8) *Me*. Ab omnibus omnino recedit, uno tantum excepto, interprete Hexaplorum innominato, eodem nimirum ac supra sæpius : ταπείνωσόν μοι τοὺς ἰσχυροτέρους μου. — (9) *Injuste*. Ps. lxviii, 5.

quoque persequutoribus imperatoribus et principibus agitata, sibi eos postulat humiliari; quod nostris nunc oculis videmus consummatum, ut potentia fortiores humiliati sunt ei : *Domine, humilia mihi fortiores me.* De vitiis carnalibus ac dæmoniis anima fidelis obsecrat ut fortiores eidem humilientur et humiliati necentur, dum nostris non sinuntur vivificari peccatis.

XIX.

Populus Ephrem castigavit eum in valle fratris sui Benjamin [1] [v. 14].

Historice nobis ratio redditur quæstionis quod Ephrem frater Benjamin in hoc loco narretur, quum veritas habet Benjamin et Joseph [ex] Jacob et Israel editos esse germanos : de Joseph vero nascitur Ephrem, qui nepos Benjamin in ipsa ratione vocatur. Et quomodo frater hic nuncupatur, quum constat esse nepotem? Quod duobus solvitur modis : primo, quoniam Ephrem et Manasses filios Joseph Jacob avus eorum in numero duodecim filiorum ascivit, quum per adoptionem non eos nepotes, sed filios nuncupavit, in eo quod ait : « Ephraim et Manasses mihi reputabuntur in filiis, sicut Ruben et Simeon [2]. Alii autem tibi nascuntur. » Idcirco et sortem in divisionibus perceperunt et tribuum Israel nominantur auctores. « Et Ephraim et Manasse tribus dicantur [3]. » An certe quia nunc liber Judicum non ipsos auctores tribuum Benjamin et Ephrem, sed tribus ipsas appellat; idcirco fratres dicit, tamquam unius consanguinitatis et una natione propinquos [4].

Sed nos altius conscendamus, et spiritales sensus latius indagemus, quibus mens possit erudiri lectoris: *Populus Ephrem castigavit eum in valle fratris sui Benjamin.* Ephrem Fructifer nuncupatur. Apostolicus ergo sanctorumque priorum populus est, qui fidei germine fructifer factus, universis gentibus Evangelium prædicavit. Benjamin Filius dexteræ nostra lingua transfertur : in eo ergo credentium noscitur multitudo, quia dexteræ deputantur qui Christo redimente salvantur. Populus itaque Ephrem, apostolicus sine dubio chorus, in conversione gentium diabolum castigavit, et in valle humilis pœnitentiæ nequitiam ejus contrivit. Adeo non ait : necavit [5] eum, sed *Castigavit eum.* Castigatus est enim, non necatus, dum undique de cordibus credentium reprobatur, quia necdum tempus est ut æterna flamma necetur.

Etiam in eo moralis non inutiliter accipitur intellectus. *Populus Ephrem castigavit eum in valle fratris sui Benjamin.* Interiores sensus boni et suaves Deo fructificantes per fidem Ephrem populus fiunt : cui dum subjicitur Benjamin frater, corpus sine dubio sociatum, in ejus valle, id est humilitatis subjectione contritionisque quassatione. Si enim jejuniis, frigore, nuditate, continentia, vigiliis atteritur, in convalle humillima deponetur : in qua convalle contrarius ille quassatur, ut tali castigatione castigatus pellatur.

XX.

In populis tuis ex me Machir descenderunt scrutantes [6].

Machir interpretatur Restitutio, sive Venumdatio [7], vel De infirmitate peccati. Qui sunt restitutio, nisi qui quondam perierant et restituti sunt? Ipsi etiam venumdati fuerant de infirmitate peccati. Prædicatores sunt Evangelii qui descenderunt ad nos e sublimitate spiritali, et scrutati sunt, ut invenirent errantes. Vide mulierem evangeli-

(1) *Benjamin.* Incipit ἁπλῶς cum uno Theodotione : ὁ λαὸς Ἐφραῒμ ἐτιμωρήσατο αὐτοὺς ἐν κοιλάδι, iterum confirmante alexandrino codice et Verecundi commentario. Sed quod in codice nostro male : *Patris sui*, id corrigendum esse mox sequentia clamant. Paulo supra *Vivificare* cod., sed id genus quisquilias omitto sæpe. — (2) *Simeon.* Genes. XLVIII, 5,6. — (3) *Dicantur.* Josue, XIV, 4. — (4) *Propinquos.* Atqui uno hoc loco saltem utar, quo primum moneam quam diligenter litteram excutiat eximius Noster, qui spiritualia tam feliciter elicere solet. — (5) *Negavit* cod. — (6) *Scrutantes.* Αὐτολεξεὶ οἱ Ο'. Ἐν τοῖς λαοῖς σου, ἐν ἐμοὶ Μαχὶρ κατέβησαν ἐξερευνῶντες. — (7) *Venumdatio* rectius quam in lexico Origeniano apud Hieronymum.

cam perdentem dragmam, cum accensione lucernæ quærentem, et agnosce similitudinem rei; ut prophetas sibi videas et Evangelium convenire. Mulier caro est Christi, quæ, accensa Verbi lucerna, quæsivit scrutans. Sed et Ecclesiæ sensus iste moderate concurrit; quæ, fidei lumine sublevato, dragmam velut plebem perditam requisivit. Scrutantes ergo post nos et requirentes, ex Machir, descenderunt, ex restitutione venerunt.

XXI.

37. *Et ex Zabulon Dominus expugnavit pro me in potentatibus* [1].

Zabulon Habitaculum fortitudinis transmutatur [2]. Et quod est habitaculum fortitudinis, nisi corpusculum Salvatoris, in quo divina fortitudo permansit? Inde Dominus in potentatibus, apostolis et prædicatoribus expugnavit inimicum pro populo suo. Itidemque alio cognoscitur sensu. Zabulon, quod est Habitaculum fortitudinis, quid aliud nisi cœlum debet agnosci? ubi spiritales virtutes et sanctæ fortitudines commorantur, quæ dum pro nostra liberatione mittuntur, recte dicimus: *Dominus ex Zabulon expugnavit pro me in potentatibus.* Quem expugnavit, nisi sinistram virtutem, quæ parare nobis impedimenta contendit? Martyri quoque vox ista concurrit: qui, si Zabulon intra semet ipsum habuerit, et in habitaculo cordis sui fortitudinem tenuerit, Dominus ex habitaculo fortitudinis persequutorem expugnat, in potentibus membris quæ non succumbunt ulla ratione tormentis. In Dei virga potentis [3], arbitror crucem Christi, quæ Dei potentis est virga, quam manibus assumsit, et mosaico more, amarum profundum idololatriæ mare siccavit, et Pharaonem in profundo demersit, ut liberaret populum quem absolvit.

XXII.

Principales tui, Issachar [4] [v. 15].

Interpretatur Issachar Est merces [5]. Qui sunt ergo in quibus est merces, qui *principales*, et non principes nuncupantur? Æstimo illos significari qui propter mercedem emerunt et distraxerunt Christum: Judas utique, et scribæ et pharisæi, qui pretium mercedis dederunt traditori, sed postea scribæ [6] revocatum susceperunt. Ipsi ergo quia Christi nullus eis est principatus, propter administrationem tamen pontificatus vel sacerdotii, principales, non principes appellantur. Hæc ad Synagogam sententia revocatur, qui non principes, sed principales habet mercede conductos, vel quia sacerdotii servitium, non propter cœleste regnum, sed propter temporale præmium deputatur.

Tunc Debbora misit pedestres suos in valle [7].

Caro Christi est quæ vera est Debbora, utique apis sine coitu nata, et sine corruptione carnis filios gignens. *Misit pedestres suos,* apostolos suos, *in vallem* fidelium nationum, ut induantur arietes ovium, ut convertantur philosophi gentium, et convalles abundent frumento, et peccatores gratia repleantur. Ne hoc quidem vacat quod pedestres apostolos demonstravit, sine dubio qui pedibus terram calcarent, et adjutorio non egerent jumentorum. Vide Paulum talia demonstrantem: « Laboravi manibus die ac nocte, ne quem vestrum gravarem [8]. » Et quum Christi apostolus esset, gratis Evangelium prædicavit, et ii pedestres ad omnia sibimet sufficientes, et opem nullius egentes, et fortasse idcirco pedestres sunt, et pedibus ambulant terram, ut serpentes et scorpiones spiritales calcando trivissent.

(1) *Potentatibus.* Mira interpretum varietas, quarum vix una nobiscum facit in Hexaplis: Ο' ἄλλως· ἐνισχύοντες ἐν σκήπτρῳ, addente Montefalconio: « Postrema lectio, est fortassis Aquilæ, » qui שֵׁבֶט vertit *sceptrum,* quod Noster *in potentatibus.* — (2) *Transmutatur,* et cum recentiorum translatorum consensu. — (3) *Potentis.* Vide respicientem manifeste quæ modo notabam. — (4) *Issachar.* Id vocandi modus nullius est interpretis. — (5) *Merces.* Ex Origenis Etymologico. — (6) *Scribæ.* In implexa cod. scriptura facile legeretur *sibi.* — (7) *Valle.* Toto iterum cœlo id ab omnibus differt. — (8) *Gravarem.* Thessal. II, 9.

Tunc Debbora misit pedestres suos in valle. Ecclesia prædicatores suos ad infideles emittit; sed quia res in bello geritur, non est inconveniens mittere pedestres in valle; martyres in certamine destinare, adeo in convalle, quoniam persequutores in montibus, quasi et collibus, circumstabant; qui temporali potentiæ et carnali superbia Christi pauperes comprimebant.

Tunc Debbora misit pedestres suos in valle. Moraliter Debbora potest anima demonstrari quæ interiores pedestres, humiles itaque cogitationes, si tamen non superbæ, neque inflatæ sunt contentione, plorationis initæ in valle, quo pœnitentiæ subdantur, non vanitate jactentur.

XXIII.

Ut quid tu inhabitas in medio labiorum? [v. 16].

Vel sicut habet Presbyteri sancti translatio [1], *in medio terminorum.* Mihi videtur quod sermo divinus ad hæresim dirigatur, quæ inter divisiones terminorum commoratur. Non enim in termino quolibet, sed inter terminos manet, ut nec illam de qua exivit possideat partem, nec istam quam secum abstulit teneat portionem. Ut quid
Fol.108. ergo tibi necesse est inter divisiones terminorum permanere; ut illo deducaris, ubi numquam valeas permanere? Adeo convenienter adjecit : *in medio labiorum,* quæ divisit Dominus propter superbiæ turrem. Habitat ergo in medio labiorum, quia superioris labii, id est bonæ confessionis, obtinet partem, itidemque inferioris labii habet iterum portionem, ut et cœlestem terrenamque confessionem admiscens, nec in cœlo maneat, nec in mundo. Cœlestis enim confessionis est pars, quum verum aliquid hæretici confitentur; terrenæ vero, quum falsum admiscent, quia utrumque sibi confundunt. Et hoc est habitare in medio labiorum.

Potest iterum tropologice dici, quod anima talis verbis arguatur, quæ divinam accipit lectionem, sed philosophicam non deserit vanitatem, quia sibi nequeunt ex æquo venire Christi philosophique doctrinæ. Quod si scientia sæcularis ad obsequium subdita est scientiæ Salvatoris, non inter terminos, sed in uno termino permanet : jam enim non adversum se, sed secum nituntur [2].

XXIV.

Expandit suis divisiones majoris præscrutationis [3].

Prudens hæc mulier subditis sibi novit divisiones donorum spiritalium dispertire, ut, secundum David, suppleta prophetia monstretur : « Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus [4]. » Caro Christi est, quæ post resurrectionem ab inferis ascendit in cœlis. Mortem quoque, quæ captivaverat universas et captivatrix fuerat humani generis facta, captivavit in se, quam vivificatus occidit. « Dedit et dona hominibus, » quæ Paulus apo-

(1) *Translatio.* Viden' ut de bono thesauro suo nova novis addere pergit? Ecce Hieronymum (illum enim hic allegari ne dubita) et verecunde salutatum inducit, et merito jure choro interpretum suorum inserit, et ducem instituit suum libenter. Ipsa siquidem est et Vulgata et Hieronymi versio : *Quare habitas inter duos terminos?* Idem quoque quum ex hebraico fonte similia in psalmi LXVII (Hebr. LXVIII), 14, בֵּין שְׁפַתָּיִם relegeret, similiter transtulit : *si dormieritis « inter medios terminos.»* Interea, variantibus licet interpretibus non sine tumultu, neminem invenio cum Verecundo hic habitantem et legentem : *in medio labiorum.* — (2) *Nituntur.* Et quæro an bonæ frugi vir, an sanæ mentis ullus et probæ doctrinæ, jam potiori jure sit, ac Verecundus meus. — (3) *Præscrutationis.* Adeo suus hic Noster remanet, ut, cæteris missis, ne rerum quidem sequitur ordinem qui ab omnibus tenetur, utpote illic ad v. 15 regressus : at eo nomine excusandus quod bis incidit in quamdam reciprocam clausulam repetitam in v. 15 et 16, nec adeo certæ sedi assignatam. Canitur hebraice : לִפְלַגּוֹת רְאוּבֵן גְּדֹלִים חִקְמֵי־לֵב i. e. *in divisionibus Ruben magna cordium secreta,* Houbigant interprete; Nostro vero, primum : *majoris præscrutationis;* deinde : *magnæ præscrutationis cordis, Ruben.* Sed hæc eadem non satis distinxerunt cæteri interpretes aut retinuerunt. — (4) *Hominibus.* Ephes. IV, 8.

stolus numeravit : « Aliis quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, aliis sermo scientiæ secundum eumdem spiritum; alii gratia sanitatum [1], » et cætera quæ sequuntur. Istas ergo divisiones suis expandit Debbora, dux israeliticæ plebis.

Sed *majoris præscrutationis* sunt *divisiones* istæ, id est, investigationes alto consilio discernuntur : nec facile patent nisi mentibus eruditis et quas divina pietas ad agnitionem plenissimam informavit. Quis enim discernet cur uni datum est hoc donum, vel cur alteri aliud ; et quod unus habet, alius non accipit; cur sic accepit, ut et sibi prosit et aliis, sicut Paulus accepit; vel certe nec sibi, nec aliis, sicut sunt sapientes [2] sæculares; aut tantum sibi, sicut Job, qui justus fuit temporibus suis, nec tamen alios ad justitiam informavit; aut certe sic accepit, ut aliis prosit, non sibi, sicut scribæ et pharisæi qui dicentes bona, faciunt mala? Quis hæc [3] præscrutabitur? Majoris institutionis est inquisitio talis.

Nec tamen vacuum videtur quod non ait : dedit suis divisiones, sed *expandit divisiones*. Quum utique omnis divisio non expanditur, sed scinditur, id autem expanditur quod non scinditur, adeo mihi videtur hoc verbum esse positum ut ostendatur omnia spiritalia dona ab uno Spiritu procedere, qui semet ipsum diffundit et diversis diversa concedit, nec tamen expansione sua dividitur, sed quibus voluerit, de sua integritate diversa largitur.

XXV.

Ut quid sedes in medio Masphat [4]?

Sacerdotalis anima stimulatur hæretica pravitate decepta. Masphat interpretatur Contemplatio, seu Speculatio. Speculatio vero in tribus dividitur partibus, eo quod speculatores aut catholici sunt, aut pagani, aut hæretici. Medii enim sunt quidem inter catholicos et paganos hæretici sacerdotes, habentes partes fidelium, infidelium partem; inter quos medii quidam resident divisiores, quibus dicitur : *Ut quid sedes*, doctor et pontifex hæresis, *in medio Masphat*, quod est inter duas speculationes? Arguitur ergo prophetico verbo, pro eo quod sedeat in medio speculationis catholicæ seu etiam paganæ, ut hæreticus sacerdos et doctor, et non magis ex una diligit statui super petram.

Ut audiat sibilationes excitantium [5], vel sicut alia translatio [6] refert : *ut exaudiat sibilationes gregum*. Unum idemque est, sive *gregum* dicas, sive *excitantium ;* sed in hoc illud agnoscit, quod greges pecorum totam Fol.109.
pene clamoribus inquietent noctem, ut etiam invitos excitent quiescentes. Exaudi ergo voces intellectualium gregum et fidelium, quos cantantes et psallentes advertis in ovilibus Christi, et noli sibilantes audire. Quid enim tibi proderit, quod eos audis sibilare, potius quam confiteri?

XXVI.

Vel cur sedes in specula eorum [7], *ut transeas in ea quæ sunt Ruben? Magnæ præscrutationis cordis, Ruben* [8].

Quid fecerit, qualisve fuerit, inquiramus. Patrem vehementius contristavit, ejusque concubinam nomine Balam stupro fœdavit; germanum Joseph in cisternam veterem misit. Si quis ergo sedes in Masphat, et non verum sacerdotium, sed hereticum tenes, hoc agis *ut transeas in ea quæ sunt Ruben*.

(1) *Sanitatum*. I Cor. XII, 8. — (2) *Sapienti* cod. — (3) *Qui hæc*, sine interrog. ib.—(4) *Masphat*. Ecce iterum Theodotion, neque ullus inesse potest : εἰς τί ἐκάθισαν (Noster legebat καθίζεις) ἀναμέσον τῶν Μωσφεθαΐμ; hebraice nimirum בֵּין הַמִּשְׁפְּתַיִם, quod satis anxie ab Eusebio exponitur : Μοσφετὰμ Ἀκύλας τῶν κλήρων. Σύμμαχος· τῶν μετεχομένων. De locis SS. apud Hieronymum. Nil mirum aquam et Verecundo hæsisse, adeo ut non solum retro iterum cederet ad v. 15, immo jam exposita regestaque redhiberet. — (5) *Excitantium*. Alius quoque Hexaplaris, fortasse Theodotion : τοῦ εἰσακούειν συρισμοῦ ἐξεγειρόντων. — (6) *Translatio*. Hieronymi videlicet. Vide iterum inter magni nominis interpretes suspensum. — (7) *Eorum*. Ceu dicat *in Masphat*, opinor. —(8) *Ruben*. Ad LXX accedit in multis, in cæteris ad Theodotionem, quem, nisi fallor, integrum referret, si græce superesset integer : τοῦ διελθεῖν (sic) εἰς τὰ Ῥουβήν, nec plura in Hexaplis.

Ejus videlicet imitationem assequens, et sicut ille carnalem patrem, ita tu spiritalem contristes; eamque quam sibi junxit, ancillam Rachel uxoris, hoc est fidelem animam, Ecclesiæ servulam, hæresis adulterio turpes. Et ex hoc, quum benedicentur alii benedictione paterna, audias: « Ruben principium doloris mei, prior in donis, major in munere, effusus es sicut aqua; non crescas[1]. » Sed hoc agnoscere, cordis est magnæ præscrutationis[2], id est intelligentiæ plenioris ac sapientiæ potioris.

XXVII.

Galaad trans Jordanem inhabitavit[3]. *Et Dan, ut quid commoraris navibus* [v. 17]?

Ante Jordanem duæ tribus semis perceperunt sortem, Ruben, Gad, et dimidia tribus Manasse; post Jordanem vero novem tribus semis hæreditatis possessiunculam perceperunt. Nec tamen vacat, quod antequam Jordanes transiretur, Moyses duabus tribus semis distribuit mansiones; post Jordanem vero, Josue novem tribus semis: ut nec illi pertingerent ad perfectum ternarium, qui per legem hæreditatem perceperunt; nec isti plenum denarium implevissent, qui perceperunt plenitudinem Trinitatis; quæ in se triplicata, novenarium reddit, sed denarium plenum necdum accepit. Partem quidem ipsius denarii jam retinet, adhuc tamen perfectionem exspectat. Arbitror vitam æternam significari, cujus quidem hodie per fidem partem aliquam retinemus, in veritate nondum plenitudine fruimur: « Videmus, inquit Apostolus, nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem[4]. »

Et Dan navibus commoratur. Cujus in sorte maritima tributa sunt loca, et qui semper navium periculis delectatur[5]. Nos autem spiritu incedentes, ad spiritalia prætendamus. Galaad interpretatur Acervus testimonii. Jordanes vero ex duobus compositum est Jor et Danes[6], qui sunt duo flumina ab origine propria venientia, sed in unum commixta, nomen utrumque confundunt, ut Jordanes dicatur ex eo loco ubi fluvius efficitur unus. Ille nimirum est Galaad, quod interpretatur Acervus testimonii, qui quidem in lege instructus est, et acervum in se testimoniorum habet, sed ad duo flumina duorum testamentorum numquam attingit: adeo et acervus est, non domus vel habitandi locus, sed ruderibus et squaloribus plenus. *Galaad* enim *trans Jordanem habitat*, quia ad Jordanem non potuit pervenire.

Dan quoque ille est qui sibi sapiens æstimatur, et judicium quodammodo justum de discernendis et judicandis omnibus se putat habere; sed tamen in salsilagine peccatorum et in navibus mobilium insidet vitiorum. Dan quippe Judicium interpretatur. Verum *quid tibi necesse est ut in mari moreris?* dicit sermo divinus. Appete potius portum quietis, ut post amaras et undosas vitæ mortalis aquas, requiem perfruaris.

XXVIII.

Aser inhabitavit secus ripas maris in exitus suos.

Marini littoris sortem percepit Aser, et juxta fluenta pelagi commoratur. Nec tamen aquarum mobilitatibus, sicut Dan in navibus commorans, admiscetur. Interiora quæramus, et effossas[7] venas auri sincerissimi perscrutemur, ubi pretiosissima metalla Fo colligere valeamus. Aser Beatitudo transfertur, quæ sortem percipit in littore, nec fluctibus marinis admiscetur[8], nec mobilitatibus carnalium vitiorum patitur interesse, ubi salsedo malitiæ et amaritudo invidiæ fluctuatur. Attamen, etsi eis non commiscetur, non tamen, donec in carne vivit, exinde plurimum elongatur, quia, quamvis beatitudinis amator peccatis carnalibus minime

(1) *Crescas*. Genes. XLIX, 3. — (2) *Præscrutatione* cod. — (3) *Inhabitavit*. Ex LXX, ut in sequenti pericope. — (4) *Faciem*. I Cor. XIII, 12. — (5) *Delectetur* cod. uti sæpe. — (6) *Danes*. Ita in Hieronymi Quæstion. in Gen. c. XIV: vide Vallarsii notas ad ep. LXXVIII, mans. 41, et cf. Hier. comment. in Ezech. XLVIII. — (7) *Effossa* cod. An *e fossa*? non puto. — (8) *Admiscet* cod., forte absolute.

misceatur, carnis tamen infirmitatibus stimulatur : quas quidem nollet habere, si posset, sed tamen eas ad liquidum carere non posset.

XXIX.

Zabulon, populus improperans[1] *animam suam ad mortem* [v. 18]. Inconveniens sensus secundum litteram obscuritatem parit, nisi subaudias « tradit » ; ut sic intelligas : improperans in mortem Zabulon populus, animam suam tradit ; ut videatur Zabulon animam suam tradendo, ita mortem contemnere, quam etiam non dubitet exprobrare. Sed non historiam relinquamus, et absconditos thesauros in mysterio[2] inquiramus. Zabulon interpretatur Habitaculum fortitudinis : habitaculum, in quo puto sanctos martyres demonstrari ; qui vere fortitudinis habitaculum facti insuperabiles, persequentium periculis opponantur : improperant enim in mortem, quam magnanimiter appetunt ; etiam victores superare contendunt, animam suam perdentes, quam repositam invenient in vitam æternam.

XXX.

Et Neptalim super excelsa agri.

Neptalim interpretatur Dilatatio mea. Illas existima spiritales animas demonstrari, in quibus latitudo diffusa est charitatis per gratiam Spiritus sancti, interioris agri possidentes excelsa, quæ verbi[3] cœlestis aratro colentes, quotidie summarum virtutum deferunt frugem, in horreis recondendam æternis. Vel certe *super excelsa;* per excelsa agri, interiora mysteria Scripturarum agnosce. Illi enim qui cor suum a cogitationibus et curis sæcularibus mundant, dilatantur in agnitione Scripturarum sanctarum. Nam qui Dominicum semen præfocant in conscientiis suis, per spinas et tribulos curarum carnalium innascentes, hi nullum capiunt fructum, quia talis « ager maledicto proximus est, cujus finis erit incendium[4]. »

XXXI.

Venerunt reges[5] *et præparaverunt se ad pugnam* [v. 19].

Omittamus Sisaram, principem militiæ Jabin, cum cæteris ducibus se certamini præparasse. Illa potius bella quæramus quæ contra Dei populum spiritaliter assumuntur. Neque enim dixisset : *præparaverunt se in pugnam,* nisi sciret quemdam adversus nos apparatum inimicorum esse dispositum, inter quos et ordo pugnandi servatur, et tempus certamini deputatur, et ordo quidam bellantium custoditur; noverunt, aliis victis, alios iterum subrogare ; et fortasse, uno victo, plurimos ministrare, quo de nobis unum saltim quemlibet valeant captivare. Nobis autem dicendum est : *Dominus adjutor noster ; Dominus in bellatoribus potens* [v. 23].

Respice tamen omnem librum Judicum bellis et certaminibus esse farcitum. Et in eo cognoscis, si jam spiritaliter universa discernis, quanta tibi[6] et qualia prælia disponantur, quomodo ad hoc fortissimus ambidexter et apostolicus vir « per arma justitiæ a dextris et a sinistris » inimicos expugnat ; « per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam[7]. »

Sed et tu, si jam tantum in Domino profecisti, ut nec prosperis eleveris, nec adversis frangaris, a dextris et sinistris inimicos impugnans, sciens et abundare in paupertate et paupertatem inopem non sentire, saturitatem habere et esuriem tolerare, nuditatem sufferre et solo tegumento gaudere, nihil amplius diurno victu et vestimento conquirere, et in his omnibus pro Christo ma- Fol 111.
gnanimiter omnia tolerare; et tunc demum et ipse pugnator ambidexter effectus, discis hostes invincibiliter superare.

(1) *Improperans*, ὠνείδισας Theodotion. *Improperasti* minus bene a Montefalconio. Diligenter exponit Noster de eo qui animam suam morti, cum hostium improperio, devovet. — (2) *Ministerio* cod. — (3) *Quem verbis* ib. — (4) *Incendium*. Hebr. VI, 8. — (5) *Reges*. Ad propria interpres redit et cognoscis suam spiritaliter hactenus vel apud nostrum Sabaterium inaudita. — (6) *Ibi* cod. — (7) *Famam*. II Cor. VI, 7, 8.

XXXII.

Tunc pugnaverunt reges Chanaan in Tehnac [1], *super aquas Machedon* [v. 19].

Ad aquas Israelitæ concurrunt, et recordantur, quotiens se vallis adversariorum surripere possint [2], per undas maris in typo baptismatis fuisse servatos et inimicos vehementer oppressos. Sed et ipsum Moysen fluvius custodivit, « cujus impetus lætificat civitatem Dei [3]. » Et per aquas commendatus est filiæ Pharaonis. Gedeon quoque, quum in bello viros fortissimos delegisset, properavit ad aquas, et ibi dimicatores aptissimos segregavit. Sed quid illud est quod etiam ad ipsas aquas inimici nobiscum non desinunt dimicare? Vides enim ad aquas Machedon inimicos exercitus præparari. *Pugnaverunt reges Chanaan in Tehnac*. Chanaan, Mobilis sive Liquidus in latino transfertur; Macedon, Tentans; Tehnac, Respondens tibi. Consideras quos reges ostendit, mobiles et liquidos, qui firmitatem in cœlestibus non habentes, dejecti sunt ad terrena [4]. Pugnant autem in Tehnac, quia Respondens tibi dicitur. Ex hoc enim animas capiunt imbecillas, quum desideriis respondent seductorum ac deceptorum : hoc autem tentantes faciunt : idcirco Machedon committunt [5], quæ dicitur Tentans.

XXXIII.

Abundantiam argenti [6] *non acceperunt, de cœlo expugnati sunt* [7], *incedentes ad bellum* [v. 20].

Propter accidens periculum rei, nihil secum deferunt pretiosum ; et ad hoc dictum est, *abundantiam argenti non acceperunt*, utpote qui sub incerto exitu dimicarent. Victoria tamen vincentibus nonnisi de cœlo confertur. Adeo dictum est : *De cœlo sunt expugnati*. Nos autem tropologicam potius intelligentiam assequamur. Abundantiam argenti non acceperunt spiritales nequitiæ : prudentem secum non afferent sensum, quia multitudine scientiæ spoliati, stolidi resederunt; et ob hoc non humanis viribus, sed donis cœlestibus expugnantur. Intellectus iste potest itidem hæreticis coaptari, quibus argenti copia non confertur; eloquiorum videlicet divinorum peritia non donantur [8]; et ob hoc imperiti facti ab Ecclesia repelluntur.

XXXIV.

Stellæ ex ordinibus suis pugnaverunt adversus Sisaram.

Hominibus stellæ nequeunt expugnare ; omittamus ergo quod historico sensu non currit, mysterium potius inquiramus. Alienigenarum principem, angelicæ pro nobis potestates impugnant, quæ stellarum nomine nuncupantur. Quod vero ait : *Ex ordinibus suis*, quis nesciat divinos ordines in angelis dispensatos, unumquemque locum suum retinere? nec quod non accepit, expetit; nec iterum quod habet, omittit; propter eum, qui quærendo non habuit, et quod habuit simul amisit. Possumus item [9] stellarum nomine sanctos agnoscere, qui in firmamento Ecclesiæ positi, carnalibus scientiæ lumen infundant. Et impugnant adversus aerium principem, ut vincendo peccata, nequitias destruant spiritales. Et hoc in suis ordinibus faciant : unusquique enim sanctorum in ea professione et ordine quem retinet in Christo, repugnat spiritalibus malis, Apostolum sequens, cui fuerat certamen indictum « adversus carnem et sanguinem, adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum, adversus spiritalia nequitiæ in cœlestibus [10]. » Ii sunt quos stellæ spirituales superare contendunt.

(1) *Tehnac*. Sic paulo infra et melius quam ibi *Tegnan*, et alias *Tænan*. Nam Hebr. בְּתַעְנָךְ *in Thaanach*, ita Vulg. et LXX, cætera cum nostris eadem. — (2) *Vellet adversariorum surripere possit* cod. : male se habet locus omnis. — (3) *Dei*. Ps. XLV, 5. — (4) *Terrenam* cod. — (5) *Non mittunt*, absona codicis scriptura. Absolute aliquando *committere* sumitur, eodem sensu ac *prœlium committere*, cf. Eutrop. V, 6. — (6) *Argenti*. Forte ex ἀργυρίου πλεονεξίᾳ, quod lego in Hexaplis. LXX : δῶρον ἀργυρίου οὐκ ἔλαβον. — (7) *Sunt*. Hæc ultima apud cæteros non reperiebam. — (8) *Donatur* cod. — (9) *Idem* ib. — (10) *Cœlestibus*. Ephes. VI, 12.

XXXV.

Torrens Cison[1] *expulit eum, torrens Cedron in torrentem Cison* [v. 21].

Interpretatur Cison[2] Impegerunt sibi, duritia eorum[5]; vel etiam in cordibus suis duritiam impingentes. Aeriæ potestates quodam torrente trahuntur, et lætantur oppugnationibus nostris; tam grandi malo depressi, ut ne[3] quidem a sua possint obstinatione reverti; ipse torrens expulit eos, intelliges ad ruinam; et non solum, sed etiam deducit eos ad torrentem Cedron qui Tristis mœror, sive Dolor transfertur[4] : ad tristitiam ergo mœroris, sive dolorem ducuntur per duritiam suam, et iidem ad torrentem Cison miserabiliter revolvuntur; ut ubicumque vadant, et quocumque se vertant, sui cordis obstinatione trahuntur. Potest etiam in pœnitentibus hic versus ascribi qui cordis duritia prægravati, Cison torrente rapiuntur, et quasi quibusdam offensionibus implicantur : ita ut suos expedire non valeant gressus, quos itidem torrens Cedron, id est mœror tristitiæ, dolorque exagitat non levi propulsu, sed violenti[5] torrente, ut inter utrosque torrentes vexentur.

XXXVI.

Qui Sisaræ voluerint sociari? *Conculcavit eum anima mea in virtute*[6] *?*

Sancti viri potest ista vox esse, Diabolum conculcantis, et ejus nequitiis magnanimiter obsistentis. Sed et martyri de persequutore confuso rectius iste versiculus coaptatur; quum persequendo nihil poterit prævalere, quod conculcatus fuerit in virtute. Spiritus quoque, corpus suæ subjiciens potestati, recte dicere cognosceretur quod in virtute conculcavit eum anima ejus.

XXXVII.

Tunc præcisa sunt[7] *calcanea*[8] *equorum* [v. 22].

Spiritales equi sunt aeriæ potestates, quorum animæ raptu tolluntur, et in altum elati ruinose jactantur. Horum calcanei si fuerint intercisi, nec habiles habentur ad cursum, nec sessorem rapiunt ad incursum. Volumus enim spiritalium equorum et alienigenarum pedes succidi, ut nec adversum nos calcitrandi, nec de nostris aliquos rapiendi locum attingant. Josue quidem, victis hostibus, equos abstulit, quos subnervavit et amputatis pedibus inutiles fecit, nec dignum eos duxit suis usibus reservari. Sed et moraliter, quum in te vitia carnis exstinguis, equorum calcanea ferro succidis, ut equitatus te non rapiet peccatorum. Verumtamen est mihi quiddam mystice requirendum, quod inimicorum equi aquis aliquotiens immerguntur, sicut Pharaon[9] et Ægyptii, quorum pertinax duritia mox Israeliticos recedentes ab Ægypto desiderat absorbere. Originalia sunt actualiaque delicta[10], quæ, tamquam mari[11], baptismate præfocantur. Chananæorum subnervantur equi[12], consuetudinibus superatis; Moabitarum calcanei[13] præciduntur, dum orientia novaque vitia resecantur. Nec in his vacua sunt mysteria, quod non uno remedio quadrupedes alienigenæ debellantur.

(1) *Cison.* Novus iterum Noster, qui torrentem *cedron* (cæteris *cadumin,* hebr. Vulg.; *cademin,* anon.; *cadelim,* Theodot.; *carmin,* syr. arab.; *torrens orientalis* Houbig.) solus Noster huc invexit. Obstat nihilominus quod quum Cisson bipartitus hinc in mare magnum, inde in lacum Genesareth dilabitur, in torrentem Cedron nullo potuit alveo defluere. — (2) *Cisson,* tortuosus Gesenio. In lexico Origeniano : κὶς, σκληρὸς, περὶ κεφαλὴν φερούμενος. A quo tamen ægerrime veniet Nostri μετάφρασις.—(3) *Et ne quidem* cod. — (4) *Transfertur.* In lexic. recent. *turbidus.* — (5) *Violenter* cod.—(6) *Virtute.* Vix paucula in fine apud LXX : καταπατήσει αὐτὸν ψυχή μου δυνατή, ubi Vulgata : « Conculcas, anima mea, robustos. » Suspicio erat ad ipsum canticum pertinere quæstionem de Sisara. hic enim interrogandum esse visum est. — (7) *Sunt.* Optime nobiscum Theodotion : ἀνεκόπησαν. — (8) *Calcanea.* Semel et iterum, una cum *calcanei ;* ultimum Forcellino inter inaudita. — (9) *Pharaonis* cod. — (10) *Delicta.* Sunt scholastica plane verba, quæ si forte in auctore ἀνεπιγράφῳ, aut in sermone dubio occursarent, caducam male darent ansam inurendi νοθείας et novitatis notam. — (11) *Mare* cod. — (12) *Antiquis* cod. forte *autem equi.* — (13) *Calcaneis* ib.

XXXVIII.

Festinatione festinaverunt [1].

Animum impugnatorum expressit, qui, dum sibi victoriam ex utraque parte promittunt, accelerare contendunt; et ob hoc unam necesse est ab alia superari.

Qui dicitur [2] : *Festinatione festinaverunt?* Quod si tropologicam intelligentiam assequamur, convenit illis qui sancti studii spiritale propositum assumentes, per impatientiam decidunt ad ruinas; et dum festinant et non patienter exspectant, dicitur : *festinatione festinaverunt*, non alias [quam] ad lapsum, non audiendo : « In patientia vestra possidebitis animas vestras [3]. »

XXXIX.

Potentes ipsius, maledicite manzor [4] [v. 23].

Nomen est civitatis Manzor, cujus habitatores in adjutorium Debboræ non venerunt. Adeo maledictioni subduntur. Aliter vero Manzor sive Mazorhot duodecim signa sunt [5]: quæ mathematici zodiacum [6] circulum appellant, unde seducti seducunt, quasi quædam futura prædicentes; quod sine dubio sectantur et isti qui civitatis ejus esse dicuntur, utpote idololatriæ [7]. Et hoc ait sermo divinus : *Potentes ipsius* civitatis, et subreguli (quibus istius facilius inhæret error, ut sideribus vel astrorum cursibus seducantur) *Maledicite*, inquit, *Mazor*, zodiaco circulo, cujus estis seductione decepti. Vel certe *ipsius*, subaudis : Dei. *Maledicite* a Manzer [8] (zodiaco circulo), per quem astrologiæ sunt artes inventæ.

XL.

Hoc angelis vel apostolis dictum agnoscite : *Dixit Angelus Domini : Maledicto maledicite inhabitantes in ea.*

Ordo nascitur quæstionis, quum scriptum sit, maledicentes non remaledicendos [9]; et Apostolus dicit : « Maledicimus et benedicimus [10], » Domini præcepta sunt ista, quibus videtur angelus obviare, dicendo : *Maledicto maledicite.* Et consideranda est F verborum gravitas divinorum : non enim dictum est : Benedicite maledictis, et maledictos nolite maledicere; sed dictum est : « Benedicite, et nolite maledicere. » Et iterum : « Maledicimur, et benedicimus » et non adjecit : Et maledictos benedicimus. Unde datur intelligentia quædam sensus occulti, quod sunt quidam maledicti qui benedici non possunt; sunt autem quidam qui non debeant maledici. Nimirum illi sunt maledicti qui benedici non possunt, quos propter suam malitiam Dominus præcipitavit e cœlo; nequitiæ sunt utique spiritales, quos nobis benedicere non oporteat. Hos dicit Angelus Domini maledictos a Deo, maledictos ab omnibus, vel angelis [11] esse; proximos autem, id est homines, maledicere non admitti. Quod si objicias ingratum Nabal a David maledictum, alterius quæstionis est ordo : quod et ipse per malitiam factus filius maledicti, maledictum accepit.

Quod vero sequitur : *Maledicite inhabitantes in ea*, sine dubio in civitate Mazor [12], quam superius diximus zodiacum circulum interpretari, in quo signa sunt

(1) *Festinationes* bis cod. Sic LXX, qui continuo addunt *fortes ejus.*—(2) *Cui dicitur* cod. ac si ad præmissa referendum. Nec displicet, etsi malim interrogative distinguere. —(3) *Vestras.* Luc. XXI, 19. — (4) *Meroz* Vulg. LXX ex hebræo מֵרוֹז Ad commentarium Verecundi paulo insolentiorem illustrandum, abs re non erit quod apud Drusium R. David ait, *Meroz* esse nomen urbis vicinæ loco ubi pugnatum fuit, quæ hic maledici jubetur, quia populo Dei suppetias non tulit. Sic etiam R. Levi : Sunt qui sideris nomen esse putant. Alii virum insignem ita nominatum appellant; quos refellit quod proxime sequitur : *habitatores ejus*, etc. *Critic. sacr.* ad h. l. — (5) *Sunt.* Inter ἅπαξ λεγόμενα adducitur e Job. XXXVIII, 32 : מַזָּרוֹת *signa zodiaci.* ר ut fit, emollito, idem nomen est מַזָּלוֹת, eademque signa quæ Judæi sunt superstitioso cultu prosequuti, IV Reg. XXIII, 5. Exinde derivari dictiones barbaras interpretis, facile concedetur. — (6) *Zoziacum* cod. constanter, ut supra, peculiari quadam scriptura, de qua satis erat te moneri. — (7) *Ut pulei idolatriæ*, codex primum. — (8) *Manzer.* Indistincte scribitur in codice, ut legimus cum punctis et uncis : *Vel certe ipsius subaudis Dei maledicite amanzer zoziaco circulo per quem.* — (9) *Remaledicendos.* Ἅπαξ hactenus λεγόμενον apud Forcellinum. Gen. XXVII, 29; Luc. VI, 28.—(10) *Benedicimus.* I Cor. IV, 12.— (11) *Angelis* cod. — (12) *Mazor*, idem quod supra *Manzor* et *Mazer*.

duodecim stellarum, per quem Diabolus humanas animas illudebat, in quo cum suis satellitibus significatur etiam commorari, quos maledicendos Angelus Domini suadebat, in eo quod non venerint in adjutorium; vitantes periculum suscipere præliorum, auxilia Debboræ præbere noluerunt, et ob hoc exsecrabiles judicantur.

Sed nos ad altiora volantes, historiam omittamus, spiritalia conquiramus. Et illos rectius agnoscamus ad adjutorium non venisse, qui nocere student humanæ[1] saluti; et non solum nesciunt adjuvare, verum etiam parati sunt demolire, sanctis operibus irascentes, pravis actibus adgaudentes[2].

XLI.

Dominus adjutor noster, Dominus in bellatoribus potens[3]. Gratia Domini commendatur, et fortitudo victoris eidem deputatur, et non solum in carnali bello, verum etiam in certamine spiritali, ut fortibus inimicis quotidie repugnamus; quibus et fortitudo virium et circumventio consiliorum suppeditat callidorum. Dominus tamen in suis est militibus fortis, et spiritalium fit pugnatorum adjutor.

XLII.

Benedicta in mulieribus, Jahel uxor Abel[4] *Chinei* [v. 24].

Jahel Exspectavit Dominum interpretatur. Abel Chineus transfertur Luctus vel Committens. Cernis occulta mysteria, fidelis anima! Jahel figuram importat animæ quæ Dominum exspectat. Et uxor est Abel Chinei, id est luctus: flet enim et luget, si quomodo[5] defraudetur ejus aspectu, cujus est conjugio sociata. Ipsa quoque se committit spei quam credit, ut rite luctus nominari valeat et committens.

Ex mulieribus, in tabernaculis benedicta; in ecclesiis Dominicis et in tabernaculis sanctis. Talis est mulier benedicta, quæ Jahel dicitur, id est exspectans Dominum anima, spiritali studio vivens, et contemptis omnibus Domino demonstratur, quæ benedicta est inter cæteras confideles[6].

Nec illud debemus omittere quod benedicta sit in mulieribus Jahel uxor Abel Chinei: *Ex mulieribus, in tabernaculis.* Intra te enim et in tabernaculo cordis tui, moraliter sunt plurimæ mulieres, sapientia, pietas, dilectio, gravitas, contemplatio, compassio, clementia; multæque sunt aliæ quas nunc longum est numerare, inter quas contemplativa laudatur quæ vere Deum exspectat, luctui sociata diurno[7], committens se fidei, quem retentat; ut uxor videatur Abel Cinei, quæ inter medias[8] mulieres tabernaculi mentis tuæ benedicta putetur.

XLIII.

Aquam petit, et illa lac dedit ei [v. 25].

Novit hæc mulier benedicta non aquam alienigenis petentibus, sed lac tamquam parvulis sitientibus ministrare; quo nutrit mentes eorum, ut perfectiori cibo parentur. Verum etiam oportet agnoscere qualis ista sit aqua, quam bibere fugienti mulier israelita intra tabernaculum nolit offerre. Non est illa qua Elias in solitudine fugiens potabatur, quum sustentaretur torrente: erat enim aqua cœlestis, ut mihi videtur, evangelica plenitudo, qua potatur quisquis in solitudine sui cordis, vitiorum carnalium incentivis longe repulsis, solitarius commoratur. Nec illa quam apud Mirram populus Israel potare nequivit, quæ moysaico dulcorata est ligno: sine dubio carnalis est intelligentia legis, quæ, virga crucis in spiritum transformata, spiritalis intelligentiæ dulcedinem subministravit. Quem alieni- Fol.114.

(1) *Humani* cod. — (2) *Irascentes, adgaudentes,* raræ quidem dictiones aut penitus inauditæ, ut aliæ non paucæ quas in *Onomastico* ad calcem reperies.— (3) *Potens.* Cf. supra n. XXXI, cujus lectionis semina vix retinuere Hexapla ad h. l. Ἄλλος· Βοηθὸς Κύριος ἐν μαχηταῖς. Succedit Theodotion: ἐν δυνάσταις. Alexandrinus codex: ἐν μαχηταῖς δυνατοῖς. — (4) Χαβέρ LXX, *Haber* Vulg.—(5) *Quomodo non* cod.—(6) *Confideles.* Vide quanti lexicographis Verecundus habendus. — (7) *Diuturno* forte. — (8) *Intermedia* cod.

genæ fugacis intentio non capit ad potandum; sed capit cibum lactis, alimenta præbentur, doctrinæ nutricis uberibus eliquata.

Aliter iterum potest intelligi, ut Sisara populi gerat figuram gentilis. [Aquam] petit [1], et lac ei verbi conceditur spiritalis, ut non tantum lac, sed aquam et lac pariter consequatur, quod ex[teri] [2] illo tempore, postquam baptizati [sunt], simul aqua vel lacte potantur.

XLIV.

In pelve potentium obtulit butyrum. Vel sicut alia translatio [3] refert : In *phiola potentium dedit butyrum* [v. 25].

Quod utrumque potest ad ministerium revocari. Pelves potentium est primo [4] [noscendum] libros esse sanctorum, in quibus discipulorum pedes Dominus lavit, ut a sordibus abluantur. In hac pelve butyrum obtulit; quia utrumque utique cibum Ecclesia gentili populo præbet, ut cibatus fortior fiat. Sed melius illud esse conjicio pelvem potentium Evangelium evangelistarum; quod quamvis pariter fecerunt plures, unum tamen Evangelium appellatur, in quo non lac parvulorum sed cibantibus solidus butyri cibus offertur.

XLV.

Manum suam sinistram ad palum extendit, et dexteram suam ad malleum, ut in finem exterminaretur [5] [v. 26].

Occidit Sisaram per palum et malleum; Sisara jugulatur.

Non alias palum quam Dominicam crucem agnosce; malleum vero, ipsum Dominicum corpus, quod adductum est super palum, hoc est affixum est, cruci. Et illico Sisaram alienigenam principem interemit, *ut exterminaretur in fine* Christo, qui finis est fidei; vel *in finem*, in consummatione sine dubio mundi, quum tradetur igni comburendus æterno.

XLVI.

Perforavit tempus ejus, perforavit caput ejus [6].

Perforat tempus et caput, id est alienigenæ potestatis, quando contrita est, ejus Domino videlicet crucifixo, ut perforaretur in illo quod exaltavit in ligno. Vel certe caput est inimici idololatria, cui duo tempora cohærent, id est cultus et sacerdotium, quæ per palum crucis perforata sunt et peremta.

XLVII.

In medio pedum ejus palpitavit, cecidit et dormivit sub pedes ejus [v. 27].

Prudens mulier et ad perimendum hostem fortissima, in medio pedum suorum palpitantem occidit, ut occisum calcaret, et superbum principem contrivisset. Duos mulieris hujus pedes, duos esse populos Ecclesiæ recognosco, circumcisum et præputium, in quorum medio conteritur aerius princeps, dum ejus membra, per infidelitatem inhærentia capiti malo, quotidie præciduntur, ut convertantur ad fidem. Sicque fit ut paulatim palpitet exspirando, ac deinde cadens et prostratus, somno mortis obdormit : dum videlicet conversi sæculo moriuntur, et dormiunt mundo; vel certe quod, finito tempore, Diabolus pedibus erit Ecclesiæ perimendus, et dormiturus, mortis æternæ gravedine [7] præfocatus.

Miser factus est [8], *et exspiravit, et cecidit :*

(1) *Gerat figura gentis mutis petit,* sic!—(2) *Extur,* aperte. Loco non deest morosa scripturæ obscuritas, sed sensus ad ritum neophytos lacte et melle post baptismum reficiendi non obscure spectat.—(3) *Translatio.* Hieronymi, sed leviter mutata, si hæc conferantur cum Vulgata : *Et in phiala principum obtulit butyrum.* Ἐν λεκάνῃ ὑπερεχόντων LXX. Ἰσχυρῶν Theodot., δυναστῶν aliis. Sed non omitte a Nostro versiculum aliter distingui et intelligi ac plerumque solet; ubi enim cæteri comma ponunt, post ἐν λεκάνῃ, ut sequentia continuentur : ὑπερεχόντων προσήνεγκε βούτυρον, nihil Noster interpungit; et jungit in *pelve potentium, potentium* vero *butyrum* ignorat.—(4) *Primo.* Aliquid desideratur. — (5) *Exterminaretur.* Clausulæ respondet Hexaplorum lacinia : ἄλλος· τοῦ εἰς τέλος ἀχρειῶσαι. Cætera quasi per epitomen. — (6) *Ejus.* Fere juxta LXX. — (7) *Gravidine* cod. — (8) *Est.* Ταλαίπωροι similiter legit, Theodotion, cujus minima sedulo colligimus; Nostri enim cum illo consensus et quum maxime in minimis, probat aut Theodotionem græcum aut latinam ejusdem versionem in Verecundi fuisse manibus.

Tunc suam Diabolus miseriam recognoscit, quum in morte ceciderit, non exspirando, non vitam amittendo, ut amplius non sit; sed pœnam portando, ut semper in tormento sit cruciandus.

XLVIII.

Per fenestram retiatam[1] *prospexit mater ejus, respiciens ad redeuntes cum Sisara* [v. 28].

Quæ mater intelligenda est Sisaræ? Superbiam æstimo, de qua natus est Diabolus, ut qui filius esse noluit Creatoris, fieret pravitatis. Multiformis est superbia, nec uno tenore semet ipsam explicat. Sed pro qualitate personæ simul et causæ, sic convenientius transformatur, ut nunc in altum elata, nunc humilius prostrata, nunc furore tumida, nunc subjectione blanda, nunc seductione simulata, sic se demonstret per figuras plurimas, optans ut fenestram efficiat retiatam, per quam respicit quibus artibus decipiat unumquemque, quærens comites Sisaræ videre, quos ei sua nequitia faciat sociari.

XLIX.

15. *Quare tardabat currus ejus advenire? et quare morantur vestigia currus ejus?*

Arguit tarditatem qui velox festinat ad malum: « Pedes enim eorum veloces sunt ad effundendum sanguinem[2]. » Nam habet currus Sisara spiritalis; in quibus insidens per præcipitia delictorum, tamquam per impetus bellorum, quos valuerit, trahit. Si enim unus inveniatur iniquus, equus est Sisaræ. Quod si duo, biga deputabitur ejus. At si tres vel quatuor in uno malo conspirant, triga vel quadriga est. Ejusque moram videtur perferre, nisi celeriter iniquitatem consummet[3]. Hoc mihi videtur Salomon dixisse: « Propterea repletum est cor filiorum hominum maligno, eo quod festinant ad malum[4]. » Sed vestigia currus, signa sunt quædam iniquorum qui suis operibus fidunt, ut ex hoc quales sint vel quales fuerint, actuum suorum impressione monstrentur.

L.

Sapientes mulieres, principes sensus virtutis suæ, responderunt ad eam, et ipsa respondit ad eas sermonibus suis [v. 29].

Respicis Sisaræ matrem, quam superbiam esse monstravimus, mulieres habere virtutis principes. Apud talem virum et qui sapiente consilio viriliter sapiunt, non gerunt principatum; mulieres autem et effeminati peccato obtinent summitatem: cum his[5] et loquendi facultatem assumit, et inserendi fabulæ societatem invenit. Nec illud omittendum est, quod etiam ipse mulieres quasdam habeat[6] sapientes, sicut Jeremias ait: « Filii insipientes sunt et vecordes; sapientes enim sunt ut faciant mala, bona autem facere nesciunt[7]. » Omnis enim diabolica sapientia stulta est in bono, sed circumspecta prorsus in malo; adeo mulieres, non viros efficit sapientes.

LI.

Nonne invenient eum spolia dividentem [v. 30]?

Quem Dominus supplantare disponit, in sui cordis manu relinquit. Tumida præsumtione seductus, putat se facilius posse perficere, quod non sinitur consummare. Ab hostibus devincendus, sibi victoriam pollicetur. Et hoc est quod uxor Sisaræ spolia viro suo plurima repromittit: mihi videtur figuram elationis habere quæ spiritui falsa plurima pollicetur, ac suis eum promissionibus vanæ præsumtionis inducit, donec implicet in ruinam.

Interiora pulsemus, et quæ sunt arcana prodantur.

(1) *Retiatam*. Διὰ τοῦ δικτυωτῆς idem, cum LXX et Hebr. Et latinis lexicis novam mitto dictionem, æquo jure cum gemella *reticulatus* processuram. — (2) *Sanguinem*. Ps. XIII, 3. — (3) *Consumat* cod. — (4) *Malum*. Eccle. IX, 3. — (5) *Quum is* fortasse aliquis legeret. — (6) *Habeant* cod. — (7) *Nesciunt*. Jerem. IV, 22.

LII.

Nonne invenient eum spolia dividentem?

Spiritalis Sisara dividet suis spolia. Sicut enim Christus cœlestia suis spolia dispartitur, dicente David : « Rex virtutum dilecti, et speciei domus dividere spolia[1] ; » ita quoque Sisara spiritalis spolia distribuet vitiorum, et sibi subditis quædam suæ pravitatis mala dispertit. Ut hoc plenius agnoscatur, ejus in medium opera producantur : animos Ammon germanæ Thamar turpi sufflammavit amore; Absalon constituit fratricidam; in concubitu eum paternarum armavit uxorum; David ad numerandos populos excitavit; in urbe conjugem alienam appetere flagitiose succendit; de Christo invidiam provocavit; Judæ Ischariotis[2] amorem pecuniæ ministravit; Barraban seditionum fecit auctorem. Hæc sunt spolia quæ suis Sisara dispertivit.

LIII.

Amicantes[3] *amici, in caput viri spolia.*

Pauci sunt qui fideliter amicitias proximis præbent. *Amicantes amici;* quam plurimi videntur quidem amici, sed non amicantur, quia labiis amicitias, non simplici retinent charitate; talibus ergo per capita virorum spolia dividet Sisara. Quod etiam tropologice sic agnoscetur. Nequitiæ spiritualis spolia, id est carnis vitia, singulis dispertit, quos ad suam amicitiam captivaret. Et re vera : Non enim singulis hominibus aspergit omnia genera vitiorum; sed singula singulis subministrat. Hæc spolia Domino promittebat, quando dicebat : « Omnia regna mundi tibi dabo, si cadens, inquiens, adorabis me[4]. » Quod si quæratur quomodo spolia dicendum est abstulisse, quæ de victis hostibus auferuntur, quum neminem superando vitia sustulerit carnis : quis ignoret ipsum fuisse sibimet inimicum, et se mortaliter vulnerando angelum superasse, ac de se sibi vitia sustulisse, quæ diversis aspergit, quos sibi fecerit amicales?

LIV.

Tinctura Sisaræ spolia, tinctura varietatis, tinctura varia circa cervices ejus spolia[5].

Non vilissimæ vestes, sed diverso tinctæ colore in sortem Sisaræ dividuntur, etiam aliæ quæ vario colore circa cervices ornatæ sunt, tolluntur ab eo, et hoc quidem secundum historiam propheticus sermo narravit. Nos autem more nostro scrutemur occulta, et in ulteriora tendentes, ad spiritum conscendamus. Sisaram principem diximus aerium agnoscendum, qui variis semper et coloratis falsitate doctrinis utitur, tamquam vestibus variatis; quæ velut spolia, sic in illis sibi vindicat animabus, quas suæ subdiderit potestati. Nec unum genus est falsitatis, sed per varietates diversas, tamquam picturis, decipit ac seducit, ut tincturis quodammodo diversis vestes falsarum conficiat doctrinarum. Quas circa cervices habet in sacerdotibus et pontificibus collocatas, quos cervices asserit fortitudinis esse sinistræ. Nec alias potest caput hoc habere cervices, quam sui corporis caput est : utique appropinquantes sibi, et suo servitio deputatos, per quos omnes falsitates invenit, tamquam vestes dicitur habere circa cervices.

LV.

Ita peribunt inimici tui, Domine [v. 31].

Mulieris sanctæ triumpho devictos, et potentiam[6] bellatoris præsumti manu feminea captivatam omnis fidelis agnoscit, qui hostilem feritatem transfixi [virtute] discernet[7]. Ecclesia quippe crucis vexillo percutit et interficit inimicos, quibus dicetur : « Ite cum Diabolo patre vestro in ignem æternum[8]. » Necesse est ut simili cum eo pereant morte; sic itaque cum eodem perituri, sicut ipse periturus est inimicus.

(1) *Spolia.* Ps. LXVIII, 13. — (2) *Schariotis* cod. — (3) *Amicantes.* Delicatula vox, quæ hactenus censebatur inter ἅπαξ λεγόμενα, uno si quidem Statii versiculo nota. — (4) *Me.* Matth. IV, 19. — (5) *Spolia.* LXX idem dividunt. — (6) *Potentia... manus captivata* cod. — (7) *Hostili feritate* cod. cui deesse videtur aliquid. *Transfixi*, id est *crucis Christi virtute.* — (8) *Æternum.* Matth. XXV, 41.

LVI.

Qui autem diligunt, sicut sol in ortu suo splendens, ita rutilant.

Virtus ostenditur eminentissima charitatis; quod Domini dilectores splendoribus replebuntur, ut solis pleniorem habeant claritatem. Scriptum est : « Qui timet Dominum, magnus erit apud illum per omnia [1]. » Non tamen solis claritatem habebit. Et qui « immaculati sunt in via, beati sunt [2]. » Sed non solis dicuntur obtinere fulgorem, vel certe solem Christum agnoscere : qui quum claruerit in ortu adventus sui, similes ei dilectores ejus parebunt, quia de suo splendore irradiat universos, ut illud quod dictum est impleatur : « Quum enim apparuerit, similes ei erimus, » quia ejus lumine fulgebimus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EXPLICIT EXPOSITIO CANTICI DEBBORÆ FELICITER.

(1) *Omnia*. Eccli. x, 27.—(2) *Sunt*. Ps. cxviii, 1.

DE VERECUNDI LIBELLIS

TESTIMONIUM

S. ISIDORI HISPALENSIS.

[DE VIRIS ILLUSTR. C. VII.]

Verecundus, Africanus episcopus, studiis liberalium litterarum disertus, edidit carmine dactylico duos modicos brevesque libellos, quorum primum *de Resurrectione et Judicio* scripsit, alterum vero *de Pœnitentia*, in quo lamentabili carmine propria delicta deplorat [1].

(1) *Deplorat*. Vidi porro hujus Verecundi ipsum libellum *de Pœnitentia*, hexametris scriptum, cujus hoc est initium :

Quis mihi mœsta dabit lacrymosis imbribus ora?

Is liber gothicis litteris descriptus fuit, olim ecclesiæ Ovetensis, postea apud Michaelem Ruyzium Azagrium, amicum meum, Rodolphi imperatoris secretarium. PEREZ. — Codex de quo Perezius, hodiedum asservatur in bibliotheca sanctæ ecclesiæ Toletanæ, et ejus fit mentio in editione operum sancti Eugenii. AREVALUS. S. Isid. *Opp.* t. VII, col. 143.

VERECUNDI

OPERA RHYTHMICA.

I.

INCIPIT EXHORTATIO POENITENDI

CUM CONSOLATIONE MISERICORDIÆ DEI [1] AD ANIMAM FUTURA JUDICIA FORMIDANTEM.

ARGUMENTUM. — I. Quum inania sint lamenta de rebus caducis, — II. Quæ si minus bene cesserint, redire monent ad cor in trutina pensandum, — III. Potius lugeat peccator, ratus omne peccatum posse pœnitentia deleri, — IV. Sed vere resipiscentis, — V. Ac rite confitentis delicta et probe emendanda proponentis. — VI. Iterum de efficacia sinceræ pœnitentiæ, — VII. Exemplis Pauli, Publicani, Cypriani, Augustini, Manasses, Davidis, Petri confirmata; — VIII. Et quanti in ea perseverare, — IX. Quum Deus peccatores æque ac justos diligat. — X. Tum recitanda suggerit quæ proxime sequentur.

I.

CUR fluctuas, anima, mœrorum quassata procellis?
Usque quo multimoda cogitatione turbaris,
Mens confusa tædiis? itineris [2] devia carpens,
Tramites [3] caliginis subducta luce percurris?
Non ablatas reculas mundi [4] fascesque suspires;
Nec casus honoris, sed ruinas animæ plora.
Non hæc defunctoria doleas exitia carnis [5],
Sed perseverantia tartari tormenta formida.
Nec ærumnas carceris ambigas [6] quæ fine carebunt,
Sed juges [7] averni miserias prospectans evita.
Quæ hic quidem redimi [8] facili compendio possunt,
Si mundi affectus in amorem Christi convertas,
Et tete [9] non negligas ab iniquitate privari,
Cuncta peccatoria corde divulsa propellas [10].
Quæ penitus respue [11], saltimque percussus abhorre,
Et sinceritate [12] rudi vel sero nitescas.
Abjecit te mundus, percussit [13], proscripsit, derisit.

Ex codd. Duac. 240, Paris. S. Mart. 82, Montepess. 137, collatis cum cod. S. Mauri Fossat. penes Breulium; singulis assignata sigla sunt A, B, C, D.

(1) *Et misericordia* C. Nicol. Antonius suspicabatur *ex misericordia*. — (2) *Itinera* A, D. Diceres incipienti Verecundo præ oculis fuisse prooemium ad Sibyllinos versus, quod Theophilus Antiochensis asservavit. Galland. I, 335-336. — (3) *Tramitem percurrit, c. s. l* A. — (4) *Non ablatas res, cellulas mundi, facesque suspires* C. Versum usque adeo incomtum ab Arevalo nihil tactum video ego et miror. — (5) *Et ista non carnis* B, D. — (6) *Abigas* C. *Quas fine carebunt* A. *Quibus fine carebis* B. — (7) *Sed lugens inferni* A, supra lineam *vel Averni*. — (8) *Quæ hic redimi* C. — (9) *Et te non* C. *Et æterna n. n. ab æquitate* B, D. — (10) *Peccatoria corda* C. *Propelles* A. — (11) *Res iniquas penitus* C. *Quæ spernatus renue* B, D. — (12) *Sinceritate eruditus vel serenus eas* B, D. *Renitecas* C. forte melius: *ut sinceritate*. — (13) *Percussitque, proscripsit* B. *Percussitque rescripsi* C.

II.

Quare non consideras quid a te Christus exquirit?
Non humana manu talia te perpeti putes,
Sed hæc pervenisse [1] divino judicio crede.
Irritasti contra te Dominum offensa delicti,
Qui te flagris arguens corripit, coercet, affligit,
Flagelli impendio monet ut errata cognoscas [2],
Et agnita pœnitens corrigas, distringas [3], emendes.
Hoc sentire debes quod instans [4] verbere pulsat
Benivolus, ut malo segregata exsistas,
Et perniciosa respuens, innoxia quæras.
Vult contritionis nunc te [5] examinare camino,
Quo conflata, sentinas vitiorum sordesque amittas [6].
Cur ergo perquaquam diffusa mente vagaris [7]?
Ad callem examinis [8] sensus tui collige gressus,
Discute cor tuum cautius; mens, interroga [9] malum :
Quid ludibrium retinet, vel gessit, exponat.
Quid sævum, quid noxium concipit vel operit, pandat,
Et dum est licentia, totum prædamnare festina.

III.

Ecce perpetrata cuncta coram oculis astant [10],
Et secreto murmure mens universa proponit.
Quid admissa crimina, nisi lamenta requirunt?
Quid vult facti vulnus, nisi malagmata fletus?
Nullum scelus aliter, nisi pœnitendo, piatur [11].
Immo puniendo, ne sit jam ultra, deletur.
Ergo si ruisse [12]; nequiter vivendo, displicet,
Surge decenter, melius agendo; præcurre [13]
Judicem futurum, time [14] perdentem iniquos.
Nunc illum, post crimina [15], opere justitiæ placa.
Atros ignes inferi [16], quod est mors secunda, pavesce [17].
Sed admissa pœnitens puni peccata [18], et vives.
In hac vita lacrymis exstingue tartari flammas [19].
Et necando crimina, vires evacua mortis.

(1) *Provenisse* B, C. — (2) *Movet ut errata agnoscas* B. — (3) *Distinguas* A. — (4) *Instanti verbere* B, C. *Verb. plagæ* A-C. *Pulsa* B. *Verbere pulsatus* C. *A malo* C. *Segregatus* A-C. — (5) *Te* deest in A, B. *Exæstuare* B, D. — (6) *Quo conflatus* A-C. Placuit omnia feminino genere ad animam referri. *Pristinas vitiorum sordes amittas* A, C. — (7) *Ergo pio quaque* A. *Diffusus* A, C. *Vacua curris* B. *Curras* C. — (8) *Ad calcem examinis* C. *Ad collem* B, D. *Sensum tuum* D. — (9) *Interroga, mens, quid* B, D. Aliquid deest in A, C. Legesis : *Mens interroget.* — (10) *Constant* C. — (11) *Expiatur* B, D ; vocem Arevalus in sequentem versum rejicit : inde tres alii turbantur. — (12) *Servisse nequiter* B. *Se ruisse* D. — (13) *Percurre* A, B. — (14) *Times* A, B. *Timens* C. — (15) *Hunc illum post sæculi crimina* C. — (16) *Ad odores ignis inferi* B, D. — (17) *Pavesces* B, C. *Pavescis* A. — (18) *Peccatum et* A, D. — (19) *Extrema tartari* A.

Mors illic non repetit [1] quos hic viventes amittit.
Nam qui se peccato dirimit, justitiæ jungit [2];
Et spiritus vitæ obsequens, mandata custodit [3];
Peccata repudians, morti servire [4] contemsit.
Ultra non moritur [5], nec mors dominabitur illi,
Neque eum tartarum [6] excipiet in morte, sed cœlum.
Nullatenus dubites in hoc, nec umquam diffidas :
Nam sic protestantia [7] divina dicta decernunt.
Ad regnum profecto transient [8] cum Christo victuri,
Qui mala perpetrata pœnituisse probantur [9].
Nulla te res dubium [10] de misericordia reddat.
Nam parcere Deus promtus est clementer indignis,
Atque pœnitentibus veniam libenter donare.

IV.

Tantum si pœniteas [11], ne jam pœnitenda committas,
Et ob hoc irrisor atque subsannator vocatus [12],
Vertas pœnitentiam in punitione [13] pericli.
Labor sine fructu est, et spes vanissima valde,
Sic peccata plangere, ut non desinatur peccare.
Quod si quis [14] instructa destruat, directa deformet,
Et quod lavat hodie, polluat et sordidet item [15],
Sic enim non lotus habetur, sed semper immundus.
Non capit [16] hujusmodi veniam, sed provocat iram;
Quoniam non diluit, sed dilatat criminum gesta.
Tu denique cautius talium exempla declina [17];
Et peccasse [18] pœnitet, jam peccare desiste.
Dissipa præteritas lacrymarum opere culpas,
Data eleemosyna [19], si habes, redime probra.
Et sequi vanissima respue, contemne, recusa [20].
Sit jam abdicabile, sit abominabile [21] semper
Peccatum, quod cœlo distrahit, inferno deponit [22].
Melius sit regni gloriam nitore capere [23],
Quam regni jacturam sordium horrore præferre [24].

(1) *Mors non illic non repetit* A. — (2) *Justitiæ vincit* B, D. — (3) *Mandata qui custodit* ib. — (4) *Mortis opera contemnit* ib. *Contendit* C. — (5) *Ultra jam non* A. *Ille jam ultra* B, D. *Illi* deest in A. — (6) *Tartarus exc. in mortem* B, D. — *Dubites recipi et in hoc* ib. — (7) *Protestanda* C, D. — (8) *Transierunt* C. — (9) *Qui pœnituisse m. p. p.* A, C. *Qui perpetrata mala* B. — (10) *Dubiam* B. — (11) *Sic pœnitens* A. *Sic pœniteas* B, D. — (12) *Vocatur* A. — (13) *In punitionem* B, C. — (14) *Quasi quis i. reformet* B, C. — (15) *Si quod* C. *Sordidet cras* B, C. — (16) *Nec capit* B, C. — (17) *Declinans* A, C. — (18) *Et jam peccasse* C. *Sed peccasse* B, D. *Peccasse pœnitere, et jam* C. — (19) *Da eleemosynam* C. — (20) *Contemnere, cura* C. — (21) *Sit jam abominabile* A. — (22) *Inferno disponit* B. *In infernum* C. — (23) *Carpere* C. — (24) *Perferre* C.

V.

Conversus ad Dominum post tenebras arripe lumen [1],
Amplectensque vitam, mortalia facta relinque.
Confitere [2] illi, compungere, plangito, roga;
Dic : « Peccavi nimium ! — Parce, miserere, » proclama.
Curva cordis genua, prostratus corpore terræ [3],
Obsecrans assidue [4], perfusis lacrymis ora.
Lenias ut humilis quem exacerbasti [5] superbus;
Nam Dei clementiam humiles et flentes acquirunt.
Non ridentes impetrant [6], neque contumaces exorant.
Certo te pœniteant [7], perpere quæcumque gessisti,
Ut odiens horreas quidquid indecenter amabas,
Quod pudore congruo rubor [8] verecundus aspernit.
Rite [9] demum veniam lacrymarum prece requiras.
His namque fomentis animæ peccata medentur [10],
Et omnia vulnera priscam sanitatem receptant.
Sic namque divinum sedabis cito [11] furorem;
Sic profecto capies, quidquid lacrymando deposcis;
Sic denique poteris evadere quidquid exoptas,
Quidquid claudit, obligat, officit, affligit, obumbrat,
Et ad Dei gratiam hoc modo redire gaudebis.

VI.

Quamvis sis peccator impius, malignus, iniquus,
Criminis omnigeni contagio [12] dudum pollutus,
Pete Deo [13] veniam, hæsitans nequaquam in fide,
Qui omni peccamine cunctos pœnitentes expurgat [14].
Omne demit [15] facinus vera pœnitudo delicti,
Nec est crimen ullum quod nequaquam lacrymæ tergant.
Quamvis de justitia terreat judicii dies [16],
Nunc misericordiam [17] certa pœnitudo potitur.
Nullum [18] delinquentem Deus de præterito damnat,
Si bonus ex malo fuerit extremo repertus;
Ut dicitur impio [19], si impietates relinquens,
Opera justitiæ [20] faciat extremo conversus,
Impietas illius omnis oblita dematur [21],

(1) *Lucem arripe* C, D. — (2) *Illi confitere* A, B. — (3) *Corpore terram* B. *In terram* C, D. — (4) *Obsecra assidue profusis* C. — (5) *Exasperasti* B. — (6) *Non ridentes, non impetrant* A. — (7) *Certo pœniteant* A. *Perpere* legendum cum crasi *perpre*. *Perperam* C minus bene. — (8) *Rubor* deest in B. *Aspernetis* A, B. *Aspernens* D. — (9) *Rite Deum* B. — (10) *Medetur* C. — (11) *Sedas cito* B, C. — (12) *Omni genere contagioque* C. — (13) *Pete a Deo* C. — (14) *Purgat* B. — (15) *Omne dimittit* B, C. *Vere pœnitendo* A. *Certa pœnitendo* A. (16) — *Judicii diem* A, B, C. — (17) *Misericordia* B, C. — (18) *Nullum* deest in C. — (19) *Impio*. Respicit Ezech. III, XVIII, XXXIII. — (20) *Operatus justitiam* A. — (21) *Demitur* A, C.

Mortique sublatus æterna per sæcula vivat.

VII.

Sic denique Paulus fidelis ex infido factus,
Cuncta caret crimina [1] quæ impie gesserat olim.
Sic ex publicano fit evangelista [2] Matthæus.
Sicque Cyprianus [3], ex mago sacerdos et martyr.
Sic et Augustinus, ardentior carnis amator,
Fit ex manichæo mundi probatus magister.
Sic [4] Ninivitæ impia, obscena, nefanda deflentes
Flagitia, vitam [omnes [5]] pœnitendo merentur.
Manasses [6] qui idolis templum repleverat Dei,
Et de cœlo pridem datam profanaverat legem,
Post, amisso regno, captivus et ferreis multis [7]
Vinculis ligatus, Deum pœnitentia [8] placans,
Regno restituitur [9], nexibus culpisque solutus.
Sic David stupri culpam homicidiique redemit.
Et Achab [10] similiter cœlitus pendentem evasit
Iram, de quo cominus dixerat ulciscere Deus [11].
Petrus fide lapsus rursus pœnitendo resurgit.
Sic et Evangelii meretrix ac publicanus,
Parvis fusis lacrymis, multo se piaculo mundant.
Et plurimi [12] porro, quos dein Scripturæ declarant
Post crimina cœlitas [13] factos pœnitudine viros.

VIII.

Sic e contra polo labentes [14] tartara cadunt,
Qui bona priora malum appetendo relinquunt.
Et dicitur justo [15] : Si ab æquitate digressus, iniquus
Exstiterit justus, justitia ejus oblita [16],
Omnis depereat et ipse morte damnetur.
Sic et Judas [17] olim, subito malignus effectus,
Omne bonum perdidit, quod dudum beate peregit.

(1) *Cunctis c. criminibus* C. Accusativus præplacet Africanis. — (2) *Venit evangelista* B, C. — (3) *Surius Cyprian.* C. *Cyprian. et mago* A, B. Arevalus solertissime detexit lepidum Breulianæ mendum editionis, in qua legitur : *Sicque Surius Cyprianus.* Missa enim Hernandezii conjectura *sicque Syrus :* «Sed ego, ait aptissime, censeo legendum *sicque Cyprianus ex mago*, rejecto nomine *Surius* ad marginem, ubi hæc nota nunc legitur : *de eo tomo V de Sanctis, die* 20 *septembris*, sine nomine auctoris qui de Cypriano agit *eo tomo V*. Breulius igitur ad marginem scripsit : *Surius de eo,* etc., et ex margine litterarum compositor nomen *Surius* imprudenter in textum intrusit.» Reapse Surius in suo *de probatis SS. Historiis* tomo v mirum in modum Arevalo respondet, ad diem 26 sept. *Isidoriana*, c. LXXXI, 23.—(4) *Sic et* A, B, C. *Obscœna, impia* B, D. — (5) *Omnes.* Deerat syllaba una aut altera.—(6) *Manasses.* Consule Verecundum *in Orat. Manasse.* — (7) *Ferreis vinculis multis* C.—(8) *Dominum pœnitentia* C. — (9) *Regno restitutus est* A, B, C. Mutavi, ob rhythmum.—(10) *Et Ahab* A, B. *Achaz* C.—(11) *Ulcisci se Deus* B. *Ulcisci Deus* C.—(12) *Et plurimi alii* C. *Quos olim* B, C.—(13) *Cœlitus* A.—(14) *Polum habentes* C. *Tartaro cadunt* B.—(15) *Ut dicitur justo* B. *Ab iniquitate egressus* C. *Iniquis* A.—(16) *Omnis justitia ejus depereat* C. Suum in locum *omnis* aliunde adduxi ex edito. Merito Arevalus querebatur aliquid deesse.—(17) *Sicut Judas* B, D. *Sic Judas* C.

Sic et Salomoni [1] nihil imputatur ex bono,
Quod antea [2] gessit, sed extremo malo damnatur.
Ex qua voluntate quispiam postremo [3] vel actu
Fuerit inventus, in hac judicandus et erit [4].
Sicut de hoc ipso Dominus loquutus est, dicens :
In quo te invenero, in hoc te judicabo.

IX.

Ut si credis amplius hos ipsos diligit Deus,
Qui post pravitates esse rectiores [5] student,
Ac sic sese [6] post vitia virtutibus magnis exercent,
Quam qui mala gravia numquam perpetrasse noscuntur,
Et bona præcipua [7] torpentes agere pigent :
Sicut quispiam dominus [8] illum magis servum
Amplectit [9], qui post damna, potiora lucra reportat,
Quam nihil [10] qui perdidit et nihil augmenti fecit :
Sicut imperator [11] magis illum militem amat,
Qui post fugam remeans, hostem persequendo prosternit,
Quam qui numquam fugit, et nihil umquam fortiter fecit :
Sic et agricola [12] illam terram amplius amat,
Quæ uberes illi post spinas afferet fructus [13],
Quam illam quæ tribulos vel spinas numquam nutrivit,
Et fertilem messem numquam aliquando perduxit [14].
Non desperes veniam, sed potius spera salutem.
Si facturus optima, pessima damnare decernis,
Corrige delictum, muta mores, renova vitam,
Et multa te plecti dolebis postea pœna.
Non erit in crimine, quem pœnitet ante fuisse.
Nec dicetur impius qui fuerit [15] denuo pius.

X.

Sequentia [16] vero carmina constructa lamentis
Suspirando lectita, nonnumquam plorando decanta.
Nam potens est [17] Dominus transferre in gaudio luctum,
Et adversa omnia in prosperitate [18] mutare :
Quem æternis laudibus glorificant incolæ cœli [19],
Et summis honoribus cultores efferunt mundi.
Amen.

(1) *Sicut et Salomoni* B, D. — (2) *Antea quod* forte melius. *Male damnatur* B. — (3) *Postremo quispiam* C. — (4) *Judicandus erit* C. — (5) *Rectores* A. — (6) *Ac sese* A, D. — (7) *Præcipue* C. — (8) *Quispiam Deo minus* A. — (9) *Amplectitur* C. — (10) *Quam qui nihil* C. *Quam qui nihilum p. et nihilum fortiter fecit* A, cui tres versus sequentes desunt. — (11) *Sic imperator* C. — (12) *Sicut agricola* B. *Sic agricola i. t. plus amat* C. — (13) *Afferet fruges* D. *Affert fruges* B, C. Sed *afferet* omnino sapit Verecundi indolem et Africanorum. — (14) *Produxit* C. — (15) *Quia fuerit* D. — (16) *Sequentia.* Quo quidem indicio feliciter præfulgente, et sequentem elegiam Verecundi esse, mirum in modum confirmatur. — (17) *Nam potest D. t. i. gaudium* C. — (18) *In prosperitatem* B, C. — (19) *In cœlo cœli* C. Miror et Arevalo mendum hoc immane probatum.

II.

DE SATISFACTIONE POENITENTIÆ.

ARGUMENTUM. — Eadem flebiliter repetita dolori placent: paucis igitur licet cohibere prolixas ejulantis peccatoris querelas. — I. Vult enim vitam fletibus totam devoveri; — II. Quando quidem pœnitendi Deus illi dat inducias. — III. Sed quæ par erit peccatis pœnitentia? — IV. Unum superest, pium esse Deum. — V. « Misero da, quæ te decet, Deus, misericordiam! » — VI. « Da ægro medelam! » — VII. « Qui Job audisti dira deprecantem. » — VIII. Ne nos demum ira tanti judicis arguat, — IX. Quando mundus erit sibi rogus et cadaver, — X. Atque coram Deo sistet homo reus.

I.

Quis mihi mœsta dabit lacrymosis imbribus ora [1]
Flendo cruentare, et jugiter lugubre fluentum
Contritis sufferre genis, oculisque madentibus [ora [2]],
Pectore compuncto, rugata fronte, rigare?
Sint epulum optanti [3] mihi desiderabile planctus,
Palpebrisque cadat dulcis manantibus haustus.
Totum luctificis pergam miser actibus ævum;
Perdita sic forsan compensem tempora vitæ.
O utinam rivos meruissem flere cruoris,
Alternisque tabens [4] vicibus stillaret ocellus,
Talibus ut possem lacrymis solamen habere!
Fervidus obriguit tepidis affectibus ardor,
Verbaque [5] compuncto nequeo formare mœrore.
Deformem tenebris gravioribus arguo mentem,
Tristius afflicto gemitu suspiria fundo,
Horrificas tremulo contemplans corde gehennas.

II.

Cur, anima infelix, sontes te evolvere curas
Anxius instigat dolor? Insanabile vulnus
Fletibus assiduis, luctu comitante, solare [6],
Submis[sis]que Dei precibus deflecte [7] furorem.
Funde pio coram Domino tua viscera fletu.

Ex eod. codice Duaceno, proxime ante præcedentia. Isidoro titulus erat *de Pœnitentia*, in quo libello ait Verecundum lamentabili carmine propria delicta deplorasse. Longe aliud est Dracontii carmen inscriptum : *Satisfactio ad Guntarium*.

(1) *Ora*. Vides vetustius esse quam dicere solent, rhythmi *leonini* artificium. — (2) *Ora*. Hæsit ob similia scriptor, omisitque vocem repetitam, manco versu. Sed ὁμοιοτέλευτα amant rhythmicæ camenæ. — (3) *Optati* cod. — (4) *Alternosque tabes* cod. Infra v. 162, *tabescunt*, meliore musa, nisi forte africana noverit adjectivum illud *tabes*, ut *hebes*, etc. Aut potior lectio sit *tumens*, e qua non uno lapsu forte derivarunt *tabens*, *tabes*. — (5) *Nec mea compuncto valeo* codex absonus, sensu perincommode suspenso. — (6) *Solari* cod. Sed placuit quæstionem superius abrumpere, disjicere paulisper versus, ut intercisis περικοπαῖς querulosa vox sit sincerior, quæ non se longo involvere circuitu verborum solet. — (7) *Summisque Dei precibus deflectere* cod.

Utere, dum patiens lugendi tempora [1] confert,
Obductoque nefas gemitu vulgare [2] dolendum.
Sed si paulisper virtus rediviva precandi
Sumitur, inclusus mentem dolor urat anhelam.
Non te singultus convulsaque membra fatigent,
Nec pupilla suas humoris temperet undas;
Sed gremium deflens guttis irroret obortis [3],
Deflexoque genu contractus verticem [4] poples
Conterat, et genibus connectant brachia frontem.
Quid juvat a lacrymis vacuum te perdere tempus?
Stratus humi, valido gemitu præcordia rumpe,
Immodicoque nisu suspiria dura trahantur.
Sit tibi detritus prostrato corpore vultus,
Nec cœlum aspicias, publicani exempla sequutus.
Forsan plangentis cernit pius ille dolorem,
Et dabit ulla tuis solatia fletibus umquam.

III.

Quid loquar? Aut ubi sum? Quibus obsecrantia linguis
Verba queam supplex flagrantis fundere voti [5]?
Conscia tu sola es, quali quantoque reatu,
Mens, oppressa jaces, stimulis confecta mœroris,
Quæ proclive caput peccati pondere pressas [6],
Ut nequeam relevare oculos. Te judice, pœnis
Torqueor immodicis, nec me sinis ulla quietis
Tempora perfrui [7], vacuumque resumere somnum,
Dum me verberibus frequens [8] male conscia punis.
Væ plangendo mihi lacrymarum fonte diurno!
Arida cui nequeunt diffundere flumina fletus,
Optantique [9] mihi lugubrius ora fluentis
Fingere substratus [10] pereuntium more ploratus,
Nec datur unda oculis animæ restinguere flammas.
Uritur ignitis facibus mihi pectus adustum,
Confixusque premor peccati vepribus. Amens,
Quo fugiam? quibus infelix abscondar in antris,
Quum arbiter in nostro venerit manifestior orbe?
Multiplicata meis capitis delicta capillis
Crescunt, et superest numerus maris auctus arenis,
Oceani magni cumulo [11] superavere fluctus.

(1) *Tempore* ib. — (2) *Vulgandi* sensus requirit, sed rhythmus audacior. — (3) *Abortis* cod. — (4) *Vertice* cod. — (5) *Voto* cod. — (6) *Pressa* ib. — (7) *Perfrui*. Tam Verecundo quam Commodiano solemnis hujusmodi verborum syntaxis. — (8) *Frĕqŭēns*, ita enimvero notandum. Cf. *Carm. apol.* v. 757, etc. — (9) *Optatique* cod. Is et sequens versus male luxantur. — (10) *Subtractu* cod. — (11) *Magis cumulos* ib.

IV.

Ecce breves anni vitæ pereuntis abibunt,
Ingrediorque viam numquam rediturus per illam.
Spiritus in vacuas meus attenuabitur auras,
Nec mihi jam superest, præter ferale sepulcrum.
Hoc mihi plangendo superest solaminis unum,
Quod pius es clemensque, Deus, nec despicis umquam
Qui tibi contrito diffundunt pectore fletus.
Inde ego continuis plangens ululatibus, oro,
Ut tibi complaceat nostros abolere mœrores;
Excipiat [1], erroris pietatis dextera culpas,
Ut me pollutum maculoso crimine mundet,
Neve malum in nostro mortali corpore regnet;
Lex incentivos virtutis temperet æstus [2].
Ut nostra in nullo recidant corpuscula morbo,
Prospicis! In malo petulantis carcere carnis
Mens oppressa jacet, membrorum mole gravata.
Pro me jam misero, Domine, propitius esto,
Cui pupilla mei delicta fatentur ocelli.
Te cupit internis deflens affectibus ardor,
Flagrantisque [3] animi secreta silentia cernunt.

V.

Da misero æthereum flammæ cœlestis amorem
Ossibus implicitum. Tua me, tua semper inurant
Vota, tuoque meæ conflagrent igne medullæ.
Sentiat interior vividos homo cordis amores,
Inflammerque pio caræ dulcedinis æstu.
Auribus acclinis, miserans, assiste precanti.
Evolet ante tuos inopis vox fervida vultus,
Effusasque preces aditis penetralibus audi,
Suppetat admissis miseratio multa diurnis.
Te decet [4]! oppresso clementer ferto medelam.
At næ, si nostros vultu prospexeris actus,
Nullo pœna mei meriti [5] concluditur ævo.
Verte piam, quæso, faciem, mea vulnera tergens,
Ut tua non pereant gravibus figmenta ruinis.
Neve tuis faciant famulis opprobria gentes,
Pro quibus, Omnipotens [6] mortem tulit, unica Proles.

(1) *Excipiet* cod. — (2) *Actus* ib. — (3) *Flagrantes* ib. — (4) *Tædet* ib. — (5) *Nulla pœna mei merito* ib. — (6) *Omnipotens.* Commata delebit, cui præplacet legere et ligare : *Omnipotens unica Proles.* « Omnipotens sermo tuus de cœlo.... prosilivit, etc. » Sap. XVIII, 15.

VI.

In quacumque die tribulor [1], divina potestas,
Supplicis adventu mentem confirmet aperto.
Ne tua me, quæso, facies post terga repellat,
Destituatque infaustum virtutis dextera sacræ.
Corporeis cito mentem infirmitatibus ægram
Eripe, mortalique sitam medicare grabato [2].
Æger opem posco, lacrymis miserere precantis.
Cerne lamentantis corde humiliato mœrorem.
Si miser et mœstus, luctu planctuque dolendus,
Tristia deformet macies palloribus ora,
Criminibusque meis faciem reverentia texit.
Extensis cœlo manibus tua limina pulso,
Supplicibusque pias sermonibus imprecor aures.
Abdita qui, nullo te clam cernente, tueris,
Cujus in occultum nihil est aspectibus umquam.
Omnis inolitus mihi sit veniabilis error.
Eripe corda feri metuentia dæmonis artes.
Bellantum insidias, manifesto lumine, monstra;
Nulla gradus animæ tendicula fusa coarctent,
Quæ mihi defossis venantes specubus aptent,
Ut non opposita tentandi mole malignus
Dejiciat; nullis inopem adjutoribus ultum,
Cerne, precor, mitis, manibusque attolle jacentem.
Extenuata meis gemitu cutis ossibus hæsit,
Arida luctifico frixerunt ossa dolore [3],
Et tremor arenti contraxit viscera nervo,
Languit inclusis siccato lingua palato,
Faucibus et fletu vox interclusa recessit.

VII.

Sæva dies pereat [4], ea quæ me protulit orbi
Materna effusum muliebris viscera ventris [5],
Contenebrata suo societur noctibus ortu!
Lumine subtracto, radios abscondat anhelos [6],
Ut matutinæ jungatur vespera luci!
Turbidus implicitis tenebretur nubibus aer,
Condensusque diem pluat imber flammens illum!
Mensibus ablatum pereat sine nomine tempus!

(1) *Tribulor*. Ps. ci, 3. Alia id genus excitare singulis versibus, quis jubebit? Mox *destituet* cod. — (2) *Mortali qsitum medicare gravatis* cod. Quidam suggerebat : *mortali quæstu medicare gravatam*. — (3) *Luctifica... dolores* cod.—(4) *Pereat in qua* ib. — (5) *Materno effusus muliebri viscera ventri* ib. Vereor ne correctio probetur. Quis vero probabit dici : *materno viscere?* sensu tamen non excidente.—(6) *Anhelus* ib.

Nullis factorum titulis memoretur in ævum!
Deleat annales oblivio longa diurnos!
Cur abortivo non sum depressus in ortu?
Principium finemque meum dolor unus haberet,
Aut mihi jam nato cur non [primus] ademtus
Spiritus, extremosque halitus angustia sepsit?
O utinam prima nascendi sorte perissem,
Et mortis vitæque simul par exitus esset!
Quid misero lucis post partum profuit usus?
Felix qui meruit numquam miserabilis ævi
Carpere curriculum, nec tædia ferre dolorum!

VIII.

Ecce venit Dominus in sanctis millibus, iram,
Judicium minitans contra omnes ferre superbos.
Arguet illato mundi terrore potentes,
Perpetuaque reis caligine suscitat ignes,
Horrida terrifici reserans ergastula claustri,
In quibus æterni consumunt viscera vermes.
Illic fletus erit, stridorque in dentibus ingens,
Terror et egestas, metus, indignatio, plagæ,
Tædia, tormentum, mœror, et formido dolorum;
Innumerisque animæ pereunt cruciatibus actæ.
Ne tua me, precor, impietatibus arguat [1] ira,
Quum tempestivus Dominum præcesserit ignis [2];
Telluremque simul tenebrosus consumit ardor,
Altaque silvarum rutilante cacumina vento
Intereunt, totum tenebrant incendia mundum.
Oceani pereunt, siccante vaporibus æstu,
Littora, gurgitibusque augetur flamma profundis.
Tunc elementa facis præbebunt æquora vivis:
Sulphureos rapidis agitare vaporibus omnes
Fervidus impulsu valido non desinit aer [3];
Æquora, terra, polus fiunt simul omnia fornax.
Tabescunt montes, immensisque [4] ardua prunis
Fax juga comburit, pecudes, hominesque, volucres,
Et quæcumque simul labentia sæcula gestant.
Flammea convolvit subito vertigo polorum;

(1) *Urgeat*. Prima manu. — (2) *Ignis*. Vides utrumque africanum, hunc videlicet et Commodianum nostrum (supra t. I, p. 48) eadem chorda eodemque rhythmo cecinisse. Sed ecce novum Commodiani fragmentum infra accedet, ejusdem argumenti. — (3) *Non deficit aer*, forte. Sed cf. Commodianum in *Apologet. carm.* v. 1015 :

Aer ipse mundi qui placebat [præerat?] ante crematur.

Et Sibyllina, II, 198 :

Καὶ τότε δὴ ποταμός τε μέγας πυρὸς αἰθομένοιο
Ῥεύσει ἀπ' οὐρανόθεν, καὶ πάντα τόπον δαπήσει, κτλ.

— (4) *Immensasque* cod.

Torridus, increpitans calidis carbonibus ardor
Concremat incensas distentis sedibus urbes,
Regalesque domos; sublimibus alta metallis
Culmina conflantur; rigidos cinis urit acervos.
Fulgora[1] fulgoribus crebro miscentur amictu,
Immanesque cadunt flagranti[2] vertice rupes,
Lampadibus cœli facies rubicunda coruscat,
Omniaque ignito candescunt aera flatu.
Dura resolutis liquescit mobilis Ætna;
Quæ propriis tanto[3] non cessit tempore flammis,
Adventante novo primis fragoribus æstu,
Solvitur, et ceræ similis madefacta liquescit.
Omnia tunc unum faciunt elementa caminum.
Mundus erit rogus ipse sibi, mundusque cadaver.
Sed quamvis valida et torrentia viscera flammæ
Semper terrores populis minitentur acerbos,
Non tamen a pravis desistimus actibus umquam.
Sicut ab Eoo prorumpit climate fulgor,
Occiduosque ictu facili pertransit ad axes :
Sic erit adventus Domini venientis in orbem.
Imbribus interea sodomenis compluit[4] aer,
Atque gomorrhæo profundent nubila fumo.

IX.

Ecce ego compositus[5] sublimi culmine, sedes
Sensibus intueor me haud consistere longe,
Dura catenatis portantem vincla sub uncis.
Anxius interea, scelerum captante reatu,
Pertrahor, exanimisque premor mea scelera curis[6]!
Regia terribiles circumstant septa ministri,
Ocius exhibitis decernere jussa parati.
Cernere supplicium est tantas talesque catervas.
Cognitor[7] Antiquus[8] certa majestate dierum
Sedet, ab immeritis dirimens examine justos.
Mox ibi fletus erit, stridorque in dentibus ingens.
Heu! tenebræ quales quantisque incursibus urgent!
Tres mihi panduntur diverso ex ordine libri :
Cunctum opus eloquiumque meum curæque vagantes,
Ante oculos veniunt, ipso me teste probanda.
Arguor occultis proprio me dante reatu :
Facta gravant curæque homines et verba caducos.

(1) *Fulgora.* Retinui dictionem ter assidue repetitam, cf. v. 184. —(2) *Cadent fragranti* cod.—(3) *Proprii tanto* cod. — (4) *Compluat* cod. — (5) *Compositas* ib.— (6) *Curans*, an melius? lego in codice : *exanimis quis premor mea scelere curis.* — (7) *Cognitor*, judex in cod. Theodos. IX, 27, 5. Sed et Prudentius : Te *cognitore*, dignus ire in carcerem. Περὶ στεφ. X, 205. — (8) *Antiquis* cod. Respicit Dan. VII, 22.

CRISIAS.

LIBER I.

ARGUMENTUM. Quos Verecundi esse Arevalus[1] conjiciebat, alii vero fortasse vix sæculi XV esse concedent, alii longe vetustiores, huc accedere jussi tres libros illos *Crisiados*, certe non infelici minerva cusos, interdum etiam elegantiore vena quam solent, si Corippum excipias, plerique Africani. Is, qualiscumque demum sit, — I. More veterum poetarum exorsus, — II. Bella primum dicit, quæ, excita ab inferis Alecto, exercebuntur; — III. Deinde Famem, hyperboreis plagis advectam, furiali æstu per terras grassantem, — IV. Nempe qualem in actis retro sæculis pati non acciderit; — V. Tunc pestem a Tisiphone missam, quæ una cum fame et bello orbem depopulabitur. — VI-VII. Postremo signa judicii præambula sic describit, ut in hoc toto libro auctor Sibyllini vatis versus quosdam videatur præ oculis habuisse e libro *Carmin.* II, 155, 156.

Incipit liber primus Crisiados, de signis præcedentibus Judicium.

I.

Huc age, Calliope, cœtu comitata sororum,
Huc propera, plectrumque tene citharamque sonantem.
Nunc opus ingenio, nunc summis viribus usus,
Altius estque tuba flandum, graviusque tonandum;
Non dulces elegos, non grata poemata canto.
Grande opus aggredior, divino motus ab œstro,
Quod vatum mentes agitat cogitque calentes
Edere sæpe sonos, atque alta silentia rumpit.
Judicium horrendum refero finemque futurum,
Quod genus humanum, quod terra fretumque tremiscent[2].
Ante hoc signa tamen quæ sit missurus ab alto
Omnipotens referam, mirandaque carmina pandam.

II.

Principio venient, venient sævissima bella;
Fluminaque excurrent, spumantia sanguine multo.
Inter se reges mundi dominique potentes
Miscebunt iras, et prælia dura ciebunt:
Nullaque causa dabit vel bellum justa movebit.
Ast ex infernis ascendens sedibus imis,
Perque urbes populosque ruet spargetque venenum
Alecto, et virides spumas diffundet echidne.
Hinc ad bella viros animosque accendet inertes,
Irarum tantum atque odiorum mentibus addet.

Ex codice Vaticano Urbinate sub num. 352, sæc. XV, p. 172, de quo vide *Proleg.*

(1) *Arevalus.* In proleg. ad Dracont. n. 73, p. 54. Quid ego demum libentius opinarer, alias dixi, sed plane opinantis more. Tu vero sede arbiter et lege. —(2) *Tremiscunt.* Equidem apud Afros verba id genus frequentantur. Commod. *Carm. apol.* v. 873, 891, 858, 836, etc. Verecund. *Exhortat.* v. 16, 46, etc. Sed ab africanis nostris quot alia toto cœlo distant! Quæ forte lectoribus erunt præcedentium solatia.

O miserum nimium et nimium lacrymabile tempus!
Tunc, foribus fractis, Furor horridus, ore cruento,
Per terras fremet; usque vagus pastusque cruore,
Sanguineos ructus exesosque evomet artus.
In cives cives surgent; civilia rursus
Bella movebuntur, graviora prioribus illis
Quæ socer atque gener gesserunt omine diro.
Regia tecta ruet victor, castella, domosque,
Ac tandem spoliis et sanguine plenus abibit.
Multa virum strages, et passim corpora cæsa,
Horrendum visu monstrum! per strata jacebunt.
Non aderit cæso mœstas qui reddet amico
Exsequias, et lecta manu tegat ossa sepulcro.
Atque alios volucris rostro laniabit adunco;
Hei mihi! quam crudo componet membra sepulcro!
Et multi rapido demersi flumine, pascent
Immanes pisces, et guttura longa replebunt.
Crudelis tantum non hausit Sylla cruoris,
Non Marius, quantum fundetur tempus in illud.
Impius irrumpens armato pectore miles
Infantes gladio divellet ab ubere matrum:
Turba nocens et qui jam nil meruere, peribunt.
Hic castos thalamos violabit virginis, alter
Captivamque trahet, dimissa matre, puellam.
Et miseræ matres, tundentes pectora pugnis,
Exactæ sævis furiis acrique dolore,
Clamorem super astra ferent, divosque vocabunt
Crudeles, totumque implebunt æthera planctu.
Illa suum natum, crudeli vulnere cæsum,
Deplorans, solvi crescentis fata queretur;
Dumque fovet gremio defunctum, semina luctus
Nutriet æterni, gemitus nimiique doloris.
Altera, quæ dotem egregiam et sponsalia dona
Conjugio natæ dederat jamjamque pararat,
Milite correptam diro tractamque catenis
Inquiret, laniata genas, laniata capillos;
Et, Cereris ritu per compita curva recursans [1],
Clamabit natam, non dantem verba vicissim.
Adde quod est gravius, fraternas surgere cernes
Hinc atque hinc acies gladiosque movere minaces,
Quales Thebani fratres movere cruenti.
In medium exsilient matres, et pectora nuda
Ostendent, nec jam poterunt revocare furentes.
Nil poterunt multi gemitus lacrymæque profusæ
Uxorum et matrum, non planctus et ipse sororum.
Sed miseri inter se, districto cominus ense,
Certantes, proprio violabunt sanguine dextras.
Inde alii horrendasque dapes cœnamque Thyestæ
Apponent: quales sol torvo lumine vidit.
Filius impatiens tam longam ferre senectam,

(1) *Cura recusans* codex, quem ex fide Romani mei scriptoris notaque diligentia excitabo juxta exemplar quod præ manibus est. Interim hic recoli Eleusina sacra notare non vacat.

Patris in exitium veniet crudelis, et illi
Miscebit virus, vel guttura falce secabit,
Ut possit sceptrum pro libertate tenere.
Sæva ob adulterium conjux, de morte mariti
Consultans, sancti violabit fœdera nexus,
Vel despecta viro, veluti Medea, gemellos
Ubere pendentes irata in tartara mittet.
Hinc fugiens, primoque relicto conjuge, læta
Externum inveniet ducetque scelesta secundum.

III.

Hic ubi sic gestis sese exsaturavit Alecto[1],
Læta demum Famis[2] adveniet, quam maxima vallis
Et lapidosa tenet Scythiæ glacialibus oris.
Hic propius[3] locus est sterilis, sine munere Bacchi
Et Cereris, raras qui tantum germinat herbas.
Pascitur his obscena Fames et flebile monstrum
Pallor in ore jacet : sunt concava lumina, visu
Horribilis torvo, tenuissima corpore toto;
Hirtus crinis inest; plenæ rubigine fauces;
Articuli longi; macie trepidantia labra;
Ventris habet pro ventre locum, possuntque videri
Viscera et ossa simul, quæ pendent arida lumbis.
Hanc ubi contigerit, furialibus obsita pannis,
Allecto, tales emittet pectore voces :
« Salve, chara soror, menti gratissima nostræ,
« Pone animos mœstos, et mecum gaudia sume.
« Jam nos fata volunt omnes gaudere sorores
« Tartareas, facimus dum quod sua cuique cupido est.
« En ego cui semper sunt tristia prœlia cordi,
« Cui sanguis cædesque placent rerumque ruinæ,
« Commovi cunctos ad bella horrenda tyrannos;
« Commovi fratres et ad arma cruenta coegi.
« Omne nefas novi[4], furiato plena veneno,
« Et jam jam multo saturata cruore, recessi.
« Tu modo perge, precor, terrasque invade patentes.
« Pascere et enuda fœcundos messibus agros,
« Horrea quæ multo sudore replevit avarus,
« Clausa seris centum, manibus violenta refringe.
« Hic et agris teneras segetes evelle, supersint
« Ne lætæ fruges, nec sit spes ulla futuris. »
Post hæc, tartareas descendet læta sub umbras.
Ast horrenda Famis, precibus commota sororis,
Consurget subito terrasque invadet apertas.
Omnia consumens, rabido feret omnia morsu.

IV.

O miseros illo quos tempore terra tenebit!

(1) *Alecto.* Primam præter morem corripit, sibique ut ipse constet, aliquando scribit cum duplici liquida *Allecto.* Quod semel monuisse satis est. — (2) *Famis* cod., rarum quidem in recto casu, sed non inauditum, servandum idcirco, nisi aliter metrum jubeat; melius fortasse, quum per prosopopœiam Fames in scenam producitur. Eamdem vocem supra notavimus ad Verecundum. — (3) *Proprius* cod. — (4) *Novo* ib.

Antiquam vitam repetent herbasque virentes,
Aut comedent patula delapsas arbore glandes.
Radices alii cogentur vellere longas
Unguibus, et miseris epulis assuescere dentes.
Occident alii tauros fortesque juvencos,
Quos quondam socios comitesque habuere laborum.
Alter equum sternet, quo debellaverat hostes
Sæpius, et belli tulerat decus atque triumphum.
Mercibus abjectis, mercator cædet asellum,
Quum sibi jam nihil abcernet [1] superesse ciborum.
Præcipue infelix aderit fecunda virorum
Paupertas et damna feret Famis impia multa.
Aspicient miseri morientia pignora patres.
Proh dolor! auxilium poterunt nec ferre, sed una
Occumbent, pariterque animam sine vulnere fundent.
Arida pressabunt [2] infantes ubera matrum,
Evictique fame pariter cum matre peribunt.
Non tam crudelis quam somnia visa dedere
Ægypto, fuit illa fames : nam maximus ille
Interpres potuit fatis obstare malignis.
Non quæ Samariam depasta est tempore multo,
Aut talis vel tanta fuit, quo tempore aselli
Vendebant multo pretio caput atque columbæ
Stercora, quum Syriæ Benadab rex verteret Urbem.
Illa minor quæ Achabi subvertit regna potentis,
Quum nullas daret æther aquas, nec nubila cœlum,
Eliæ precibus quem rex sibi fecerat hostem.
Illa etiam inferior Solymos quæ afflixit, et Urbem
Eruit, infelix quo tempore mater adacta
Visceribus propriis immergere viscera nati.
Verte libet graias Romanorumque togatas
Historias, gentis peregrinæ gesta revolve :
Non tantum sævit, capitolia grandia Gallis
Quæ dare Romanos pepulit, quum signa Camillus
Rettulit exsilio, patriam revocatus in urbem.
Non tam terribilis sub qua Casilinus [3] adactus
Detraxit pelles clypeis et molliit undis,
Hasque edit, mures quum consumsisset olentes,
Ut socias leges romanaque jura teneret.
Quid Prænestinos referam, quos barbarus ille
Hannibal oppressit tantum, tantumque refregit,
Ut nummis videas murem venire trecentis?
Quid Cretas, longa qui ex obsidione Metelli
Urinam propriam miseri pecudumque bibere?
Quidque Numantinos quos mandere dentibus atris
Humanas carnes artusque vorare cruentos
Scipio crudelis, consumtis omnibus, egit?

(1) *Abcernet.* Nisi legendum sit *obscreet*, inauditum vocabulum erit, quod certe non commisissent delicatuli instauratæ latinitatis scriptores sæculi xv. — (2) *Pressabunt.* Africanæ certe familiæ sunt plurima hujusmodi verba. In versu sequenti poëta, metri plerumque observantissimus, licentia cæsuræ utitur, vetustis quidem poetis solemni, sed christianis multo frequentiore quam profanis. Id quod sibi recentiores ægre permittunt. Ecce Verecundus habet disertissime, *de Satisf.* v. 42 : *Pondere pressus.* — (3) *Casilinus.* Hæc et similia quæ auctori nonnihil antiquitatis conciliant, regessi in *Proleg.*

Quid tandem memorem crudos sævosque parentes
Callaguritanios [1], quos dum [2] convincere Magnus
Obsidione parat, duros belloque feroces,
Omnibus absumtis, ad dulcia pignora versos
Uxoresque ferunt, quo se quoque longius ipsos
Servarent, carnes sale conspersisse [3] prophanos?
His majora aderunt, magis his crudelia cernent,
Tentabuntque viri stimulis famis usque coacti.

V.

Hinc quoque Tisiphone furiarum maxima surget,
Et veniens cœlum sparget terrasque venenis [4],
Inficiet vitio fontes pariterque lacusque.
Et primo fiet pestis volucrum pecudumque.
Agricola infelix fortes cecidisse juvencos
Conspiciet, mœstusque humeris attollet aratrum.
Lanigeræ occumbent pecudes balatibus ægris,
Et miseris diro tabescent corpora morbo.
Acer equus, multas tulerat qui in pulvere palmas,
Immemor et palmæ, veterumque oblitus honorum,
Ad præsepe gemens leto morietur inerti.
Nesciet irasci vel aper, vel fidere cursu
Audebunt cervæ; non magni armenta leones
Invadent, non ursus erit qui terreat agnos.
Mors erit in cunctis, et plurima mortis imago.
Mortibus implebunt terram volucresque, feræque;
Corporibus fœdis nitidus vitiabitur aer;
Perque viros tandem labetur tabida pestis
Inficientque alios alii; dum [nato?] serviet ægro
[Æger et?] ipse pater, natusque paterque peribunt [5].
Et frater busto dum corpora reddere curat,
Tertius occumbet pariter, pariterque peribit,
Infelix genitrix morientia pignora cernet,
Seque parans ad opem quocumque tremendo [6] ferendam,
In partem leti veniet partemque ruinæ.
Dumque suo assistens quicumque fidelius ægro
Serviet, hic citius vicina peste peribit.
Non aderunt qui tunc demandent corpora bustis:
Per silvas passim, per tecta et strata jacebunt.
Quocumque invertes oculos, quocumque subibis,
Prostratum vulgus cernes, miserabile visu!
Ut concussa solent ex arbore mitia poma
Corruere, aut veteri maturæ [7] ex illice glandes:
Sic ruet infelix vulgus, passimque jacebit.

VI.

Et cœli quoque signa dabunt horrenda: cometas
Prospicies diras cœlo fulgere sereno;

(1) *Calaguritanos* alii dixissent, neque prima producta, nec quinta correpta. — (2) *Quos dii* cod. — (3) *Conspexisse* cod. — (4) *Venenis*. Legesis non absimilem in Corippo διήγησιν, ad Joan. III, 345 sqq. — (5) *Peribunt*. Uterque versus in codice pede uno claudicat — (6) *Tremente* cod. — (7) *Naturæ* ib.

Sæpius et fratri nitido contraria Phœbe
Ibit, et obscuros hunc coget tollere vultus.
Sæpius in varios vertetur luna colores,
Et modo sanguineis maculis, modo turbida nigris.
Et sol non semper claram dabit æthere lucem :
Cæruleus pluvias modo mittet, et igneus euros.
Obscurum insolito splendorem sidera reddent,
Ignibus et crebris cœlum terræque micabunt.
Plurima de cœlo demittet fulmina dextra
Omnipotens. Quantus mortales terror habebit!
Flammarum tractus videas volitare per auras,
Ardentesque polos cernes, cœlumque tonare,
Armorumque sonos, quales Germania cœlo
Audiit, atque ingens, exstincto Cæsare, Roma [1].
Et tellus tanti non inscia vasta furoris,
Mugitus dabit horrendos motusque frequentes.
Plurima tecta ruent, ædes et templa deorum.
Evomet Ætna [2] globos flammarum, et plurima circum
Parturient montes variarum monstra ferarum.
Horrendas silvis importunasque volucres
Cernes, obscœnasque canes longosque colubros.
Cristati excurrent et picti colla dracones,
Et medios tauros amplexi, fortia rumpent
Tergora, et expansis [3] alis tollentur in auras.
Dipsades exibunt terra dirique cerastæ,
Infesti armentis, teneris et ovilibus ægri.

VII.

Æolus emittet vasto de carcere ventos,
Qui mare perturbent, totumque a sedibus imis
Commoveant, vastos tollant ad littora fluctus.
Jamque eurusque notusque ruent creberque procellis
Africus, et primo turbabunt aera purum.
Inde mari incumbent, vastosque a sedibus imis
Attollent fluctus, cœlum terramque revolvent.
Gaditen [4], Libyen mercator quisquis et Indos
Ibit, tunc miserum pariter cum merce peribit.
Aspiciet pelagi faciem excandescere et ira
Eruere. Ante oculos patris volitabit imago
Huic, alii mater natique et amabilis uxor.
« Ardua, clamabit, dimittite [5] cornua, rector,
« Liberaque antennis volitantia mittite vela. »
Impediet ventus jussis parere volentes,
Nec sinet audiri vocem maris ampla procella.
Intendet pars una suos subducere remos,
Altera nitetur vento data vela negare
Candida, dumque illud nulla ratione geretur,
Ingenio sibi quisque suo studioque nocebit.
Aspera surget hiems, horrendaque bella ciebunt
Inter se venti, fretaque indignata movebunt.

(1) *Roma*. Virgil. *Georg.*, lib. I, 465. — (2) *Æterna* cod. Confer Verecund., *de Satisf. Pœnit.* v. 175-178. — (3) *Expassis* cod. — (4) *Additen* ib. — (5) *Dimitte* cod. sed mutilo metro: id ergo supplendum omnino erat, quod et sensus requirit. Nonnihil hic expilatum e celebri Lucani tempestate.

Ipse ratis rector [1] nescire fatebitur omnem
Hanc pelagi faciem, nullamque huc afferet artem,
Ignarusque artisque, viæ, plenusque timoris,
Nesciet infelix quidnam jubeatque velitque.
Tanta mali moles, tantus fragor ipse rudentum,
Tantus et ipse virum clamor planctusque sonabit!
Impetus undarum sese super æthera tollet,
Quas magnos tetigisse polos aspergine credas.
Et variis vicibus navis modo ad alta trahetur,
Despectans Acheronta imum [2] vallesque jacentes;
Et modo submissa vastaque voragine pressa,
Prospiciet cœlum, veluti ex Acheronte profundo;
Nunc dabit ingentem fluctu percussa fragorem:
Concussi exsilient cunei, spoliataque cera
Tegmine, rima aditus dabit exitialibus undis.
Fundentur largi resolutis nubibus imbres,
Inque fretum totum credas descendere cœlum;
Inque polos pelagus tumefactum ascendere dicas.
Vela procellosi scindent eurusque notusque,
Nocte vagabuntur cæca, cæcisque tenebris,
Lumina nulla poli, nisi fulgura missa, videntes.
Desuper imber erit, rimis maris unda meabit,
Ut pereat jam navis, erit, mergatque profundo
Seque suosque duces, quos non benefida tulisset.
Mortis erit prior ipse metus, major quoque morte.
Utque solent cives, muros fodientibus extra
Hostibus, intremere, ut trepidantia mœnia cernunt,
Jam lachrymans quisquis quæ sit tormenta daturus
Cogitat, et mortem quam sit passurus ab hoste,
Jamque prior mortis metus est major quoque morte:
Sic infelices nautæ, vicina videntes
Fata, trement precibusque deos votisque vocabunt.
Ars omnisque animique cadent, credentque tumentes
In se se fluctus vastos prorumpere montes.
Ille dabit lachrymas, porrectaque brachia cœlo
Extendet, nullas jam segnis fundere vota.
Huic erit ante oculos matrisque patrisque senectus,
Huic dulces nati et conjux viduanda marito.
Talia convolvent animis miseranda caterva,
Clamoremque ferent super astra, deosque vocabunt;
Quos Pater omnipotens, tandem miseratus ab alto,
Fracta puppe omni, demerget in æquora cunctos.
   Signa hæc præcedent venturum horrenda furorem,
Quæ dudum vates, dudum cecinere Sibyllæ.
Sed jam te recrea, viresque resume, Camœna.
Sunt tibi præmissis multo majora canenda,
Qualiter Antitheos, qui se Omnipotente creatum
Efferat, adveniet, Christoque inimica potenti
Bella ciens, plebem evertat populumque fidelem.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

(1) *Rector.* Cf. *Sibyllin.* lib. VIII, 345 sqq. — (2) *Unum* lego in apographo meo.

LIBER II.

ARGUMENTUM. — I. Describitur Antitheos, unde ortus, cujas et a quibus tum primum exceptus. — II. Ejus assectarum perfidia, nempe Judæorum, revincitur, — III. Tam ex oraculis Prophetarum, — IV Quam e vaticiniis Sibyllarum et Apollinis. — V Dira quæque illis omina congeruntur. — VI Tum innocentissimi Christi imagine pereleganter proposita, — VII Qua truculentius horrent contraria Antithei monstra, — VIII Fuse illius describuntur flagitia, — IX Opes artesque nefariæ; — X Et impuri sermones, — XI In primis impia de lucri gurgite verba; — XII Variæ demum magicæ fraudes ac portenta in insipientium ruinam a Deo permissa.

Incipit liber secundus, de adventu Antichristi.

I.

Post hæc ΑΝΤΙΘΕΟΣ veniet, cacodæmone magno,
Ut referunt, ortus, fotusque et adultus ad omnem
Perniciem. Babylon patria est, testante Propheta,
Danque tribus. Solymis sua qui tentoria primum
Figet, et has sedes primumque loca illa tenebit.
Quare barbaricis stipabitur undique turbis,
Et circumcisus veterum de more parentum,
Promissum verum se fabitur affore Christum.
O Judæa cohors [1], o gens stultissima, damnis
Læta tuis, natum cacodæmone numen adoras,
Exspectas, precibusque vocas, nimiumque morantem
Compellis, votis truculentaque monstra precaris.
O novisse virum quam te plebs stulta pigebit,
Quum simul æternis flammis ignique voraci
Dederis, serisque deum venerabere votis!
O gens crudelis, propriæque inimica saluti,
Quid nocitura colis? quid vota effundis in hostem?

II.

Romulidæ quondam, genus insuperabile bello,
Dicuntur pluresque deos coluisse deasque.
Ast alios ob virtutes præclaraque gesta :
Unde et Saturnum, curva cum falce, Jovemque
Sacrarunt, Cereremque almam, magnamque Minervam;
Fortunamque dedere deam, cœloque locarunt;
Et puerum Alcidem, crudelia monstra domantem,
Atque Neoptolemum monstrantem munera matris
Humano generi, et Bacchum nova vina prementem.
Tu quoque, Rubigo, factum de marmore templum
Servasti, et multo placata es sanguine sæpe,
Ne teneras lædas segetes fruticosaque vastes.
Tunc quoque sacrata est Febris, meruitque sacellum,
Ne furiata ruens mortales pasceret artus.

(1) *Cohors*. Ita in Judæos Commodianus invehitur, tum ultima mundi fata describere pergit, in nostro t. I, p. 32 sqq. quibus adde quæ infra restituere ausi utcumque sumus.

Inde etiam Pharii dirum cocodrillon adorant,
Ne noceat virusque effundat in aera purum.
Isti ob virtutes alios, aliosque deorum
Sacrarunt, cui ne fera turba noceret; et unum
Jam non cernentes cœli terræque potentem
Esse deum, qui cuncta suis moderatur habenis,
Quique dat adversi quicquid venit atque secundi.
Quare jam venia digni sunt, si qua malignis
Est permissa tamen, veniamque hanc quisque meretur.
Perfide, sed quid tu tantum, Judæe, procaci
Obsistens animo, quem jam venisse fatentur
Pontificum sacri libri [1] certique prophetæ,
Ipse negas, hominemque Deum facis esse profanum?
Exspectas votisque vocas cacodæmone natum?
Quæ virtus hominis tete, o stultissime, ducit
Ad cultum, quæve utilitas? hanc fare, precamur,
Utile quid tribuat, qui totus inutilis exstat.

III.

Perfide, quid dubitas oriundum e Virgine Christum,
Credere quidve times? jam sacris vatibus aures
Accommoda, et cordis scopulos adamantaque rumpe.
Ecce canit vatum princeps et clamat ab alto
Esaias : « Pariet Virgo, mirabile dictu!
« Emmanuelque puer dicetur; roscida mella
« Quique edat et pingui butyro [qui?] sæpe fruatur [2],
« Quo reprobare malum noscat, justumque fovere. »
Et Daniel sanctus : « Quum venerit ille, fatetur,
« Maximus e cœlo, cessabunt chrismata vestra [3]. »
Jam venit, jam vos posuistis chrismata vestra.
O miseri, quid jam dubitatis, perfida turba?
Consurgent alii testes, queis credere multa
Cogeris : ecce canit Jeremias inclytus ore :
« Maximus ille Deum cœli terræque marisque
« Omnipotens, quem cuncta tremunt, cui sidera parent,
« Inter mortales miseros noctisque tenebras
« Constitit, indutus carnis mortalia vincla [4]. »
Sic [5] Abachuc, gravis ille senex, testatur ab alto,
Pectore dum totus stupefactus inhæret :
« Grande opus extimui, divum pater atque hominis rex!
« Dum tu qui cœli et terræ moderatus habenas,
« In cumulo feni parvus nudusque jaceres;
« Bosque tibi modo, asellus iners præstaret alumni [6]
« Officium, atque Deum colerent hominemque foverent [7]. »

(1) *Pontificum libros* ex vulgari metaphora memorari, classica tempora redolet, vel ubi de sacris nostris dicitur. — (2) *Fruatur.* Is. VII, 14, deficit et male versus fluit. — (3) *Vestra.* Dan. IX, 27. — (4) *Vincla.* Sane more veterum ad Jeremiam refert insigne Baruch vaticinium, III, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Vide enimvero Commodianum in altero Judicii *Carmine apologetico* eadem rhythmis exornantem t. I, p. 31, v. 367.—(5) *Hic* cod. — (6) *Alumni.* Aptissime Isidorus, *Etymol.* X, 1. «Et qui alit, et qui alitur, *alumnus* dici potest. Unde et iterum apud africanum auctorem : Cycnus, impatiens oneris atque etiam subvolandi, *alumna* stagna petierat, » i. e. ipsum nutrientia. Marcian. Capell. lib. I. — (7) *Foverent.* Vulgatam quasi ignorat auctor ut sequatur Italam : *Domine, consideravi opera tua, et obstupui : in medio duorum animalium cognosceris.* Sed utraque versio simul circumferebatur. Immo ve-

Tu quoque, magne David, citharæ modulamina tange :
« Lux, inquit, terris oritur, despectat Olympo
« Astrea, ut mundum relevet tollatque cadentem [1]. »

IV.

Vos quoque, fatidicæ vates, date carmina Christi.
Tuque prior venias, Cumæi carminis auctor :
« Ecce parit Virgo, redeunt saturnia regna.
« Ecce novus fœtus summo descendit Olympo [2]. »
Tu quæ magnanimum Æneam per regia Ditis,
Perque lacus stygios traxisti patris ad umbram,
Dic quæ de Christo cecinisti oracula quondam :
« Omnipotens humiles despexit ab æthere summo,
« Et puerum extremis hebræa puella diebus
« Intemerata dabit, stabuloque fovebit alumnum [3]. »
Persia [4], tuque refer carmen, testisque fidelis
Egredere, et Judæ [5] populum confunde profanum.
« Cerbere, consurget tua qui edomet horrida colla,
« Nascceturque Deus cœli terræque marisque,
« Quem natum gremio gestabit virgo puella,
« Auxilium humani generis, medicina salusque [6]. »
Quarta [7] quoque, egrediens Libye, dat carmen ab alto :
« Exspectata dies veniet, qua Claviger ille
« Ætherius cœli summo descendet ab axe,
« Obscuras tenebras [8] abolitaque cuncta resolvens.
« Obstruet ora viris, cunctisque silentia ponet.
« Hinc synagogææ dissolvet noda [9] catervæ,
« Cerneturque hominum vivens rex atque deorum,
« Intemerata suo gremio quem virgo fovebit [10]. »
Hæc eadem reliquæ cecinere oracula vates,
Delphica, Thessaliæ, quæ Tiburtina fuere.
Quod si nascenti credis nihil, improbe, saltem
Crede cruci et morti quæ sic spirata Sibylla
Præcinuit, carmenque dedit virgo ore pelasgo [11] :
« Εἰς ἀνόμους [12] χεῖρας καὶ ἀπίστων ὕστερον [13] ἥξει·
« Δώσουσιν δὲ [14] θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις,
« Δώσουσιν στόμασι μιαροῖσιν πτύσματα πάντες [15],

tusta, ob usum liturgicum, fortasse communior. — (1) *Cadentem.* Vide utrum respiciat Ps. XCVI, 11, an CXI, 4? — (2) *Olympo.* Nullus profecto a renatis, ut aiunt, litteris id sibi præsumsisset ut Virgiliani vaticinii τὸ σεμνὸν cum tali audacia tangeret. At versu sequenti, apographon mendose : « *Inque* magnanimum. — (3) *Alumnum.* Aut hi versus Sibyllini græce non exstant, aut poetica licentia noster transtulerit lib. VIII, v. 277. Αὐτὸς γὰρ κόσμῳ παραδώσει παρθένον ἁγνήν, nisi forte breviori compendio alia perstrinxit, qualia in v. 472-480. — (4) An *Persica* potius? — (5) *Vide* codex apertissime. — (6) *Salusque.* Et hujus quoque vaticinii fons me fugit. — (7) *Quarta.* Apud Lactantium, Isidorum et Suidam *secunda*. *Prima* vero Persica. *Inst.* I, 6. — (8) *Atque ab.* cod. — (9) *Unda* ib. quis feret? Sed *noda*, nonne aliud monstrum? Necessarium tamen videtur. — (10) *Fovebit.* Hæc per me licet in accessionem χρησμῶν habeantur, quum vix ulli editorum loco apte conveniant. — (11) *Pelasgo.* In *Sibyll.* VIII, sunt v. 301-302 iidem ac 105 et 106; duo vero sequentes 107 et 108 paulo supra leguntur ad 275, 276, cum nonnulla varietate : quatuor hos primus una collegit Lactantius, *Div. Inst.* l. IV, c. 18; eosdem Sedulius Scotus latine fecit in suis excerptis, Galland. I, p. 404. — (12) Ἀνόμους. Ita vett. edd. tam Lactantii quam Sibyllinorum. Sed jam ex aliis codd. placuit legere ἀνόμων. — (13) Ὕστατον. *Sibyllin.* nemine varietatem notante. — (14) Δώσουσι δὲ, vel καὶ δώσουσι, omnes, præter unum codicem Lactantii quem Heusinger ait sic consuluisse metro. Sed tanti non erat. — (15) Καὶ στόμασι μιαροῖσι τὰ πτύσματα [al. ἐμπτύσματα vel ἐκπτύσματα] φαρμα-

« Καὶ εἰς μάστιγας[1] ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον.
« Concidet in tetricas manus turbamque nefastam,
« Hique Deum cædent colaphis palmisque nefandis,
« In faciemque spuent polluto atque ore scelesto,
« Et scapulas cædent, quæ nil meruere, flagellis. »
Sic stultus, sed in hoc sapiens, testatur Apollo[2]:
« Θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα σοφὸς τερατώδεσιν[3] ἔργοις,
« Ἀλλ' ὑπὸ Χαλδαίων[4] κριτῶν ὅπλοις συναλωθεὶς,
« Γόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέπλησε[5] τελευτήν.
« Mortalis sub carne fui, sapiensque stupendis
« Prodigiis; sed me populus Chaldæus in armis
« Captum, tormentis, morti stimulisque dedere. »

V.

Sed quid, musa, refers volvisque oracula
Ethnica? Quæ infelix animo stat turba procaci,
Nec natum credit, cruce nec periisse sub alta,
Nec sua ab innocuo descendere sanguine damna.
At veniet tu quem exspectas, Judæe scelestе,
Ne dubita : adveniet, stygiasque retrudet ad undas
Cultores proprios, et talia præmia reddet.
Hic est horrendum monstrum quod gutture perflans
Septeno, atque decem tumidum per cornua frontem
Cornibus, et totidem gestans diademata in altis.
E vasto pelago conscendit ab usque profundo,
Quod meminit divus se se inspectasse Joannes.
Hic leo terribilis, medium per colla jubasque
Quem raptum Samson partes distraxit in ambas.
Hic est horribilis moles nemæa, lacertis
Disjecta Alcidæ fortis[6] clavaque relisa.
Hic Ditis custos est Cerberus ore trifauci,
Herculea domitusque manu tractusque per orcum[7].
Hic et Erichtonius sparso de semine natus.
Hic Erimanthæi crudelis bestia saltus,
Atque hydra immanis per plurima colla resurgens.
Hic Minotaurus adest monstrum ingens atque biforme,
Dictæas diris implens mugitibus arces.
Latonæ violentus aper, cuique horrida cervix
Ardentesque oculi fuerant et sanguine pleni,
Surgebantque velut per longa hastilia setæ;
Fervida cui latos currebat spuma per armos,
Cui fuerant dentes æquandi dentibus indis,
Vastator segetum, frugum populator, et omnis
Expilator agri pecudumque [hominumque?] vorator[8]...

κόεντα. Lactant. et Sedul. Alia in Sibyllinis :
Εἰς ἐκπτύσματα φαρμακόεντα παρειὰς αὐτοῦ
Δώσει, καὶ εἰς μάστιγας ἁπλώσει θ' ἁγνὸν νῶτον.
(1) Μαστιγίας, apograph. codicis in quo et encliticæ obtinent ἁγνόν τοτε. Δώσει δ' εἰς μάστιγας. Lactant. ib. —(2) *Apollo*. Rursus in Lactantii eod. l. c. 13, et apud Sedulium l. c. p. 403. — (3) Τερατώθεσιν cod. juxta apogr. — (4) Χαλδαίων vox ibidem depravata. Χαλδαίοις δικασπολίεσιν ἁλωκὼς Sedul. — (5) Ἀνέπλησα cod. in apogr. Ἀνέπλησε, Sedul. qui et latine ; *transfixus*, *amarum recomplevit finem*. Aliud mendum induxit Gallandii typotheta : ἀνέλησε. — (6) *Forti* cod. apogr.—(7) *Phoreum* apogr. Scribi vero in codice, prima littera suffixa : *p. horcum*, ne dubita.—(8) Vo-

Jamjam aderit. Cane vitam hominis moresque venustos,
Musa, Deo dignos; cane gesta ducisque triumphos,
Quæque sit in terris veniens documenta daturus;
Et Christi nostri vitam conferre pudicam
Jam libeat, possis similem quoque credere Christum.

VI.

Virginis ingrediens alvum, de Virgine natus
Christus : virginei nec sunt violata pudoris
Claustra, nec humanum est morem nascendo sequutus.
Præterea, natus stetit inter inertia bruta,
Et teneris humeris juncos compressit acutos,
Sordidaque incoluit Judæ magalia parvus.
Sola parens nutrixque fuit, solusque minister
Ipse pater fuit : hic servorum nobilis ordo.
Angelicæ applaudunt, circumstant undique turbæ.
Dum vixit, semper profugus, semperque misellus,
Pauperiem amplexusque gravem, atque extrema sequutus,
Contentus modico propriam producere vitam,
Sedabat Ceres [1] ipsa famem, fons ipse sitimque :
Fabricios, Curiosque probans, rigidosque Catones,
Ætatisque sequens documenta probanda prioris,
Quæ repulit rictus dapibus maculare cruentis,
Arbore glandifera et contenta fidelibus arvis,
Dulcibus et pomis, tumidisque in vitibus uvis,
Melleque quod floremque thymi redoletque saporem.
Virtutis cultor, vitiorum ultorque severus
Usque fuit, passusque graves durosque labores,
Alcidæ laudabat iter; nec ad æthera quemquam,
Non nisi per rupes perque aspera saxa rotatum,
Scandere, delicias quique effugisset inertes,
Narrabat, nec posse frui cœlestibus auris.
Exemplo et monitis docuit quæ semita habenda
Cuique foret, fecitque prius, docuitque secundo.
Virginibus nimium, nimium gaudere pudicis
Moribus, eloquioque gravi et moderamine sancto.
Sprevit opes, pompas neglexit, sprevit honores :
Cultura solus dignus, solusque verendus,
Solus honorandus cunctis, solusque colendus.
Quem Judæa cohors, odiis agitata profanis,
Dum dulces monitus, dum dat præcepta salutis,
In cruce confixit pœnisque subegit amaris.
Felle prius potans miserum stygiisque venenis.
Hæc veri Christi vita est moresque pudici,
Qui moriens stygiis mortales traxit ab undis.

rator. Sequentia minime cohærent, et forte non pauca aut abstulit ætas, aut consulto omisit aliquis notarius qui tam multa e rebus profanis congerere fastidivit. Numquam enim defuere qui in ludicra id genus consurrexere. Hæc vero potius ævi sunt Sidonii Apollinaris quam recentioris. — (1) *Ceres.* Vide tenacem propositi virum, qui mox paulo audacior, Christo nihil hæsitans suum aptabit Flaccum, I, od. III, 36 :

Perrupit Acheronta
Herculeus labor.

VII.

Antithei nunc monstra canam, nunc improba facta.
Nascetur magno Antitheos cacodæmone, stupro
Commisso, et sacra compressa virgine, quali
Romulus Ætheriæ, romanæ conditor arcis.
Tunc Pluto inferna mittet de sede sorores
Quæ puerum foveant, alimentaque mitia præstent.
Allecto [1] adveniet : gestat pro crinibus angues;
Tisiphoneque ultrix, diro succincta flagello;
Atque furens flammis odiorum sæva Megæra.
Luxuriem Allecto rerum lautosque paratus
Infundet labiis, terra pelagoque redemtas
Delicias, largasque dapes, mensasque superbas.
Tisiphone irarum stimulos animosque tumentes
Atque feros addet, virusque in viscera condet.
Hic quæ cuncta movet Venus, et cum matre Cupido
Lascivus veniet; et totam se ingeret illi
Ipsa Venus, pariterque puer volitantia tela
Promet; et, adducto tremulo per cornua nervo,
Aurea transibit volucris per corda sagitta,
Et totas venas percurret tabida pestis.
Terribilis quoque conveniet Tritonia Pallas,
Concutiens hastam et parmam cum Gorgone sæva,
Thesaurosque omnes vasta tellure refossos
Ostendet, ditemque deum facietque potentem.
Et Parcæ venient, puero prælonga daturæ
Sæcula, si possent, nec votum fata negarent.
Tum Lachesis puero ridenti carmina blanda
Hæc dabit : « O magni Ditis clarissima proles,
« Postquam fata negant te stamina ducere longa,
« Nec tua jam septem visura est lustra juventus,
« Sis saltem felix, sis fortunatus in omni
« Tempore. Te populi timeant, tete omnis adoret,
« Et regem appellent cœlique erebique potentem.
« Dent Arabes geminas nitidas clarosque smaragdos,
« India donet ebur nitidum, dent thura Sabæi.
« Egerat argentum tibi clara Corinthus,
« Atque tuis votis faveat fortuna secunda.
« Ferte pedem huc [2] pariter, pariterque favete, sorores. »
Hæc Lachesis puero ridenti carmina reddet.

VIII.

Jamque adolescenti natura et semita surgent
Facta malis vitiis atque omni crimine plena.
Matris Acidaliæ puerique Cupidinis artes
Præcipue infelix tota cum mente fovebit.
Gesta Jovis magni, scelerataque stupra revolvet,

(1) *Allecto*. Neque lectori, sed nec mihi otium esse duxi consarcinandi in notis quæcumque ex classicis scriptoribus singulos Nostri versus respiciunt. Mox tamen pauca permittantur. — (2) *His* cod.

Raptorem et ditem violatoremque pudici
Corporis armigeri consecratique Dianæ.
Audiet Europam falsa sub imagine tauri
Compressisse Jovem, et teneræ illusisse puellæ.
Audiet Inachidem spatiantem forte per agros
Incautam propriam frontem timuisse bicornem;
Aureus ut Danaen castam deceperit imber,
In gremium lapsus per summi culmina tecti.
Audiet obscuræ noctis geminasse tenebras,
Dum dulci Alcmenæ longoque potitur amore;
Et cycni falsis Ledæ accubuisse sub alis,
De qua nata Helene, Trojanæ causa ruinæ.
Hinc et Trojanum puerum forma atque decore
Correptum, cœli quem sit dignatus honore
Juppiter, atque deis præfecerit esse ministrum.
Post et adulterium Veneris Martisque ferocis
Agnoscet, seque his formans reddensque deorum
Exemplis similem, totus per stupra nefanda
Amplexusque ruet, circumdatus agmine semper
Femineo, semperque inter lasciva volutans.
Inde Jovis vertetque dapes mensasque superbas,
Deliciis variis cumulatas, atque refusas
Illo cœlesti et divino nectare cunctas;
Intentusque epulis, semperque intentus Iaccho,
Summa voluptatis statuet bona, commoda summa:
Prava Epicurorum rursum et mala dogmata spargens,

IX.

Jamque sibi struet ipse domos æquataque cœlo
Atria, quæ manibus credas fabricasse Cyclopas.
Argentum atque aurum condet laquearia crassum,
Marmoribusque domus sectis clarisque nitebit.
Clarus ubique et onyx et ubique jacebit achates.
Vestiet et fortes ebenus mareotica postes,
Atque ebore antiquo radiantia cuncta videbis.
Hinc quoque gemma thorus[1] fulgebit, et ipsa supellex
Jaspidibus claris, et conchis rota decora,
Strataque sub tyrio rutilabunt murice tincta.
Hinc illi plures famuli, quibus ordine longo
Cura penum struere : et sectos atlantide silva
Ponere, sublatos niveis cum dentibus orbes.
Quique merum infundant gemmis epulasque per aurum,

(1) *Thoris* cod. Atque ubi hic consistimus, ex innumeris quæ memorem animum subeunt, Lucanus adest, nec inopportune, si cum nostris conferas lib. x, v. 111 sqq. :

Laqueataque tecta ferebant
Divitias, crassumque trabes absconderat aurum.
Nec summis crustata domus, sectisque nitebat
Marmoribus, stabatque sibi non segnis achates,
Purpureusque lapis; totaque effusus in aula
Calcabatur onyx; ebenus Mareotica vastos
Non operit postes..... Ebur atria vestit,
Et suffixa manu foribus testudinis Indæ
Terga sedent, crebro maculas distincta smaragdo.
Fulget gemma toris et iaspide fulva supellex
Strata micant; tyrio quorum pars maxima fuco, etc.
Dentibus hic niveis, sectos atlantide silva
Imposuere orbes.....
Tum famulæ numerus turbæ, populusque minister :
Discolor hos sanguis, alios distinxerat ætas;
Hæc Libycos pars..., flavos gerit altera crines...
Pars sanguinis usti
Torta caput, refugosque gerens a fronte capillos.....
Vix ulla fuscante tamen lanugine malas, etc.

Quas pelagus, quas terra ferax, quas nutrit et aer.
Distinctique ætate omnes, pariterque colore :
Hic teneras prima indutus lanugine malas,
Crispatusque comas flavas, et clarus in auro;
Crinibus hic libycis major totusque decorus;
Insigniti omnes armis decoresque draconis.
Sic vitam miser instituet totumque per orbem
Præcones mittet, legis qui dicta profanæ
Exponant, et se verum Omnipotente creatum
Affirment, totumque suis sub legibus orbem
Mittant, optatumque ferant lætumque triumphum.
Ipse autem aurato curru [1], per inania cœli,
Plutonis devectus equis, qui naribus efflant
Fumiferos ignes hinnituque omnia terrent,
Perget, in occiduas modo se convertet [2] ad oras,
Eoas modo, sub tardum vastumque Bootem,
Vectusque [3] ad Arcturi magnamque Lycaonis Ursam,
Hinc per Marmaridas vagus et Garamantas et Indos,
Perque Arabes, Dacos, Marsos, pictosque Agathyrsos.

X.

In Christum linguæ rabiem cordisque furorem
Evomet, et tales voces dabit ore profano :
« Nosce tuum, mortale genus, super omnia Christum,
« Qui nunc e summi gremio sinuque Tonantis
« Descendit, miserum te te de fraudibus istis
« Eripere, et vitæ vestigia vera docere,
« Queis cœli mecum [4] possis conscendere ad axem.
« Parcite, mortales, vos excruciare labore,
« Et duro macerare cibo victuque ferino,
« Quem docuit falsus Christus falsusque prophetes.
« E maris et terræ dapibus date gaudia ventri,
« Atque gulæ lautas jamjam componite mensas.
« Ipse ego sum verus Christus, verusque redemtor,
« Venturum vates quem prædixere Sibyllæ.
« Credite veridico : dedit omnia Juppiter ipse
« Omnipotens vobis. Læti, dum fata relinquunt,
« Vivite, sitque [5] bonum summum vitæ, ipsa voluptas.
« Invigilate opibus, fulvum sine fine parate
« Aurum, atque eoas gemmas radiantiaque æra;
« Præclaras fabricate [6] domos, pallatiaque ampla
« Erigite, et pario circumdate marmore cuncta.
« Purpureas gestate togas et murice tinctas.
« Auratæ placeant chlamydes, gemmisque decoræ.
« Delicias adamate [7] omnes, adamate choreas.
« Communisque Venus cunctis, communis Hylasque.
« Sint alacres animi semper, sint corpora semper
« Venatu celeri, dulci aucupioque retenta.
« Quærite et in cunctis fuerit quæ sola voluptas.

(1) *Cum per* apogr. an ex codice? — (2) *Convertat* ib. — (3) *Boetem tectaque* omnino ibidem vidi. — (4) *Quis cæli metum* ib. — (5) *Sicque* cod. apogr. — (6) *Fabricare* cod. — (7) *Adamante* ib.

« Hæc eadem summo quisquis est[1] habiturus olympo :
« Vosque inopes rerum, meme præstante, tenete
« Divitias, aurum capite et mea munera læti. »

XI.

Hæc dicens, largas et opes diffundet apertas;
Non erit argenti, non auri finis et æris.
Tunc lucro indulgens, et avaris anxia curis,
Plebs nimium tollet lætas ad sidera voces,
Accipientque fidem diri obscœnique draconis,
Linquentes miseri Christum, Omnipotente creatum,
Qui genus humanum crudeli morte redemit.
O fera pernicies auri cæcique furoris!
O rabies! o sacra fames, quid pectora tantis
Humana exagitas furiis? tu causa malorum
Cunctorum humano generi, tu tabida pestis.
Per te bella placent; per te arma cruenta moventur.
Per te Troja ruit, Phœbo et fabricata per aurum.
Per te Roma cadit; per te Carthaginis arces.
Te sitiens Crassus, dum te per bella requirit,
In Parthis moriens pleno te faucibus[2] hausit.
Pœnitet et Midam te te exoptasse, diuque
Cum lacrymis tolli temeraria vota precatur.
Pygmalione[3] fero per te bonus ille Sichæus
Occubuit, conjux castæ Didonis amatus.
Atlanta Hippomane cursu superavit inerti,
Aurea dum manibus tardatur mala legendo.
Horribili hæc eadem dedit observanda draconi
Anxia cunctarum Juno regina dearum,
Dum timet Hesperidas, nec tutos conspicit hortos.
Priamides cecidit Polydorus, ab hospite cæsus,
Quum patriis laribus tete[4] excessisset onustus.
Perdidit amissa cum virginitate pudorem
Infelix Danae, gremio dum colligit aurum.
Infelix Judas, stygias demissus ad undas,
Te propter, votum satiat dum mentis avaræ.
Solum mortis erat terris genus, atque sorores
Tempora longa viris per stamina longa trahebant:
At tu immaturam mortem et indebita fata
Das multis, Parcasque facis sua rumpere fila;
Invitos[5] casus, mortisque inducis acerbos.
Phrixeum vellus nam correpturus, Jason
Sollicitavit aquas primus, pelagique procellas
Sensit, et æquoreas alnum demisit in undas,
Edocuitque mori pelago, piscesque replere
Carnibus, et diris componere membra sepulcris.
Post audax genus Japeti te cœpit ubique
Quærere, nec Scyllam nec formidare Charybdim.
Littora nec Circes, socios quæ vertit Ulyssis,

(1) *Es* cod. — (2) *Favoribus* ib. Sed notarius ipse sua correxit, et bene. — (3) *Pygmalionem* ib. — (4) *Tete*. Aut *sese* maluerim, aut cum *tete* legerim *excepisset*. — (5) *Invitas* ib.

Myrtoumque fretum borea pellente secare.
Navigat ad Libyen alius ditemque Corinthum;
Alter dædalicis pennis supervolat Arcton.
Nec contentus homo terra, ruit æquore toto;
Æquore transmisso, superevolat æquore magnum [1].
Callidus hinc arcam fur, te custode, refringit,
Inventusque foro, pœnas cruce pendit ab alta.
Te judæus Acham populo lapidatur ab omni,
Atque dedit pœnas furti scelerata cupido.
Per te nulla fides, per te fraudesque dolique
Servorum in dominos, quos strangulat impia turba;
Sæpius et frater fratrem natusque parentem.
Candida per te etiam terras Astræa reliquit,
Judiciumque fori versas, litesque retexis.
Perfidus en tutor scrutatur damna clientis;
Per fora causidici resonant clamoribus acres.
Lingua tacet, loquitur Demosthenis illa diserta,
Utque jubes, sic quisque facit mendacia; folles
Spirant magna cani, per fas ruiturque nefasque.
O quam felices qui te sprevere, fuerunt,
Fabricii Curiique omnes, rigidique Catones!
O fortunatum Socratem, pectusque severum,
Qui te detestans pelagus demersit in altum!
Ægypti felix sacer ille Antonius, alti
Consilii, qui te silvis visum [at]que repertum
Effugit, veluti conspecta Gorgone dira.

XII.

Hæc erit esca prior, mellito admixta veneno,
Quam dabit Antitheos populo turbæque sequaci;
Namque voluptates solum hæc sectatur amœnas.
Ast alios stabilis [2] mentis fideique probatæ
Fallere portentis variisque avertere signis
Tentabit, magicas totus conversus ad artes.
Jamque ad se inferni manes nigrique ministri
Plutonis venient, quæ jusserit ille parati
Efficere, atque dolis cœlum terramque movere.
Hincque alii summo flammas descendere olympo
Ostendent, alii dare fulgura clara serenum
Cœlum, quod gestum est Eliæ tempore vatis.
Sanguine commixtos deducet ab æthere nimbos,
Ut factum memorant per punica bella secunda.
Mugitusque boum immortalia verba resolvet,
Atque loqui infantes faciet, mirabile dictu!
In colubros vertet virgas viridesque dracones,
Utque volet, fera monstra dabit, modo mitia reddet.
Hisque oculos miris populorum et corda tenebit,
Ut domini quondam rerum gentesque togatæ
Romani, totusque orbis cacodæmone lusus,
Hisque dolis captus, varioque errore deorum.
Hinc etiam Phœbi tripodas mensasque reponet,

(1) *Magnum.* Sensum non eruo, nisi legendo *rursum.* — (2) *Stabulis* cod.

Marmoreumque loqui Phœbum gratasque[1] Sibyllas
Coget, et ingratis humanos perdere mores
Responsis, stabilemque fidem temerare profana.
Post quoque de cœlo labi cacodæmonas alto
Vulcani in speciem faciet, qui discipulorum
Pectora transabeant, inspirentque ora veneno.
Protinus et vario linguas sermone furentes
Afflatas referet divino numine mendax.
Quid varias linguas miraris, credula turba?
Thessala latratusque canum gemitusque luporum
Virgo sonat : quicquid buboque strigesque queruntur
Nocturnæ, quodcumque feræ quod sibilat anguis,
Exprimit, illisæ sonitum quoque cantibus undæ.
Inde erebo invitas animas deducet ab imo,
Carceris invisi compellens claustra subire.
Se quoque defunctum simulans, lapsumque sub umbras,
Tertia quum terris aurora reluxerit alma,
Surget ovans, nitidumque trahet de marmore corpus.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

LIBER III.

ARGUMENTUM. — I. Ad finem, quasi cursu, auctor properans, Antithei sævitiam, — II. et necem perstringit; — III. Deinde quindecim Judicii signa; — IV. Tum Judicem comitantium Angelorum agmina, — V. Sanctorumque instructos ordines; — VI. Tum demum et in electos et in reprobos sententiam latam definitamque.

Incipit liber tertius, de morte Antichristi, resurrectione mortuorum et forma Judicii.

I.

Jam roseos pone et pullos cape, Musa, cothurnos[2],
Et citharam mœstam plectrum quoque flebile carpe.
Cædibus en sequitur carmen plenumque cruore;
Hinc quos prodigiis vanis dolisque nequibit
Perdere, suppliciis et pœnis coget amaris.
Sed proh! quas pœnas dabit et tormenta tyrannus
Impius! Excedet crudelia facta Neronis,
Qui Petrum ac Paulum crudeli morte peremit,
In cruce quum periit primus, juguloque secundus;
Quique didascalicon Senecam matremque necavit.
Bistonios quid equos[3] miraris, perfida turba,
Artubus humanis dominus quos pavit iniquus?
Mezenti nil sunt furiæ, qui clausa sepulcris
Mortua jungebat, miserabile! corpora vivis.
Humana Phaleris taurum quid voce sonantem
Formidas? Nihil est ad gesta horrenda tyranni.
Perfidus hunc genitor Pluto, super omnia doctus

(1) *Ingratas* forte. — (2) *Cothurnos.* Pulla vestis erat mali ominis et lugentium. Proverbium est apud Quintilianum, v, 10 med. : *non possum togam prætextatam* (quæ purpureo vel roseo erat limbo distincta, læta et sacra agentium, festisque diebus solemnis) *sperare, quum exordium pullum videam.* Inde forte Nostri exordium, quod illi putem peculiare et nonnullam antiquitatis notam comparaturum. — (3) *Bistones*, iidem qui Thraces, apud quos regnavit Diomedes, qui equis suis hospites dabat devorandos.

Tormenta, et pœnas crebi per cuncta docebit,
Instituetque virum, pœnarum per nova monstra,
Exercet Minos et quas Rhadamanthus in orco:
Dum miseras animas pœnis crudelibus urgent,
Atque jubent alias borea pendere trementes,
Atque alias flammis torqueri atque ignibus atris;
Hæ glacie, tepidis aliæ volvuntur ahenis;
Prospectant aliæ labentia flumina anhelo
Ore, nec hæc possunt fugientia lambere labris,
Tantalidæ quales et eodem crimine censi;
Convolvunt ingens aliæ de vertice saxum,
Atque rotant rursum per summa cacumina montis;
Altera pascit aves proprio sub viscere, tamquam
Qui Tityas rostro laniatur vulturis unco.

II.

Talibus instructus pœnis doctusque tremendis,
Quam cladem dabit in populum turbamque fidelem
Barbarus hic, animas potius quam corpora malens
Perdere, et in miseram secum tractare ruinam!
O miseranda dies! o collachrymabile tempus!
Quis timor incumbet certis! quis planctus ad auras!
Ipsa fides nec ubi Christum terrore sonabit;
Antitheon cuncti votis precibusque vocabunt.
Atque alius terræ vasto latitabit hiatu;
Aerias alter fugiet conversus ad Alpes.
Et Pater omnipotens nisi tempora sæva secaret
Per medium, et tantam rabiem tantumque furorem
Tolleret, in terris spes nulla salutis adesset.
At postquam per tres regnaverit ille decembres,
Et geminos letho dederit ferus ante prophetas,
Hinc cœli Genitor demisso fulmine ad umbras
Mittet, Plutonis visentem regna parentis.
Hic ille Enceladus quem fabula narrat inanis
Fulmine demissum, tergo fulcire ruinas
Ætnæ, atque ingentes flammas ex ore vomentem,
Dum putat ipse Jovem superis detrudere regnis.
Hic est quem vinctum mons Caucasus ante catenis
Continuit, furti dantem pro crimine pœnas.

III.

O miseram turbam! Quali tunc tota pudore,
Quo terrore ruet, prostratum fulmine regem
Dum cernet, qui se magni Omnipotentis alumnum
Fecerat et cœli dominum terræque marisque!
Qualiter armentum dum pascua læta pererrat,
Atque ducem taurum sequitur per cornua grandem,
Et Jovis emittat fulmen per nubila dextra,
Prosternatque ducem media inter cornua figens,
Territa turba fugit, silvas montesque peragrat,
Nescia stare loco, et cœlum mugitibus implet.

Taliter Antithei fuerint qui signa sequuti,
Diffugient pavidi, ac tanta novitate trementes.
At Pater omnipotens, cunctos miseratus ab alto,
Unica cui pietas cordi est et facta benigna,
Præstabit miseris tempus quo vota proterva
Emendent, cœlique Deum terræque potentem
Agnoscant, qui cuncta suis moderatur habenis.
At quam longa dies, quam tempora longa futura
Judicii sint ante diem [1] et quando ultima finis [2],
Scire nefas, solique Deo fas scire futura.

IV.

At sunt qui referant ter quinque horrenda præire
Signa hæc judicium, totum memorata per orbem :
I. Prima namque [3] die, per quadraginta tumescens
Neptunus cubitos super Acroceraunia tollet.
II. Post hæc se tantum barathrum demittet ad imum
Protinus, ut nullis possit vix ipse videri.
III. Hinc quæ cuncta natant variata sub æquore monstra
Exsilient, curvi delphines, grandia cete,
Et cœlum ac terras nimio clamore replebunt.
IV. Per mare, per terras ignis vagus inde feretur,
Horribilique rogo mortalia quæque tremiscent.
V. Sanguineo frondes cernentur rore madentes,
Et cœli volucres cunctæ cogentur in agros,
Horrendumque diem mutæ impastæque manebunt.
VI. Tecta domusque ruent et celsa palatia regum.
VII. Fulmina ab eois oris mittentur ad arcton,
Horrifico sonitu totum terrentia mundum.
VIII. Percussæ alterno [4] frangentur vulnere petræ.
IX. Et terræ motus communis quæque resolvet,
Terribilis quantum non senserit ulla vetustas.
X. Planitiem tellus omnis redigetur in unam,
Aeriæque Alpes et cœlum vertice Olympus
Sternetur tangens, atque alta cacumina Cynthi.
XI. Hinc mortalis homo vastis exibit ab antris,
Attonitus tantis signis tantisque tremendis
Prodigiis, velutique amens, huc mutus et illuc
Cursabit, Cereris, Bacchi non munera gustans.
XII. Cunctorum manes ad corpora nota redibunt,
Unoquoque suo reserato astante sepulcro.
XIII. Sidera cuncta ruent summo labentia cœlo,
Et vaga quæque poli sunt fixa immota sub axe.
Juppiter atque Venus, Mars et Cyllenia proles,
Incurvusque senex, curva qui falce minatur,
Anguis et Artophylax, et quam dixere Coronam,
Herculis effigies, Lyra, Perseus, Cycnus, et ipsa
Cassiope, Andromede, nec non Auriga superbus
Amphitryónides, cinctus serpente sagitta,

(1) *Judicium... Dei* cod. — (2) *Ultima finis*, non ita frequenti exemplo, nec nisi apud antiquos aut vetera affectantes. Tritum nihilominus Maronis illud : *Hæc finis Priami*, etc. — (3) *Nanque* cod., ut alias solet. Eadem signa, eòque fere ordine recensentur ex Hieronymo in pseudo-Beda t. v, p 555. — (4) *Alternæ* cod

Pegasus, atque Aquila, et curvo cum tergore Delphin,
Eridanus, Pistris, Lepus et nimbosus Orion,
Et Canis et Procyon, nec non et Thessala Puppis,
Semiferis pedibus velox Centaurus et Ara,
Hydraque, et Austrinum [1] quem dicunt nomine piscem.
Hinc Aries, Taurusque Europæ vector, et ipsi
Tyndaridæ, Erigone, Cancerque, Leoque jubatus,
Scorpius et Chiron qui flectit spicula cornu,
Ægoceron, et qui diffundit Aquarius urnam,
Et Pisces, notius qui dicitur atque boreus.
xiv. Hinc mors communis spirantia quæque resolvet
Protinus, ut pariter jam mortua quæque resurgant,
Communisque rogus cœlum terramque cremabit.
xv. Post Pater ipse deum cœlum terram[que] novabit.
Hic tuba terribili sonitu et clangore citabit
Sublimes animas, iterumque in corpora coget.
Gaudentesque animæ surgent hilaresque piorum,
At contra tristes animæ mœstæque malorum.

V.

Post hæc Omnipotens, in majestate tremendus,
Cœlesti adveniet sese comitante caterva,
Atque aderit mediæ per cæca silentia noctis.
Et Michael, primus præclari miles olympi,
Diriget [2] innumeras agitans ductansque phalanges
Angelicas, claras nimium, nitidasque sub armis,
Humanique [3] ferent tormenta immania Christi,
Ausa quibus Judæa cohors hunc tradere morti.
Ille crucem feret horrendum, feretque cruentos
Clavos, queis manus est insonti affixa pedesque,
Lancea crudelis maculataque sanguine rubro,
Spongiaque a summa præcedet arundine pendens,
Quæque caput nitidum confixit dira corona.
Ac veluti excussum fulmen de nubibus atris,
Emicat extemplo, et totum tremefectat Olympum,
Ingenti sonitu complet mundumque fragore,
Atque improvisas gentes populosque paventes
Territat, obliqua perstringens lumina flamma:
Sic Pater omnipotens cœlo descendet aperto,
Terribilis cunctis improvisusque repente,
Sublimi elatus solio, totusque refulgens.

VI.

At quam præclari comites cum judice tanto
Advenient, pariterque in majestate sedebunt!
Virgo Dei genitrix, fulvo rutilantior auro,
Angelicis stipata choris, hic prima sedebit,
Judicium summi collaudatura Tonantis.

(1) *Haustrinum* cod. Columella, ib. 11, 2: « Quarto non. sept. piscis austrinus desinit occidere, h. e. alter ex piscibus cœlestibus qui ad australem polum versus est. » — (2) *Sed aget* cod. — (3) *In manibusque* f.

Angelus ille Dei post hanc Baptista sequetur,
Indutus quondam villosa pelle cameli.
Petrus apostolica circumdatus undique turba,
Tritos erit[1], referens manibus data vincula cœli.
Post hos martyrii qui promeruere triumphum,
Quos omnes primus Stephanus reget agmine longo.
Quique fidem Christi defensavere diserti,
Latrantesque cani deturbavere, sequentur :
Quos inter primus surgens Hieronymus omnes[2],
Eloquii princeps, palla radiabit in alba.
Non aliter quam gemina micans rutilansve pyropus,
Virgineum decus his succedet et inclyta turba,
Quæ sibi promeruit cum virginitate triumphum,
Candida, sub niveisque stolis vittisque capillos
Annexa, atque genas tenero suffusa rubore.
Ultima quæ tanto cum judice turba sedebit
Religiosa, aderit proprie quæ dogmata normæ
Servavit, semper Christi pia facta sequuta.
Hinc etiam referet sese obvia turba piorum,
Angelicis commixta choris cœlique catervis.
Perfida vero cohors cacodæmone mixta jacebit,
Fixa oculosque solo confusaque tota pudore.

VII.

Hac ergo ornatus circumseptusque caterva,
Cœlestis Judex primum conversus ad agnos,
Voce pia vultuque[3] hilari placidoque loquetur :
« Huc, benedicta, veni, propera, stirps inclyta Patris ;
« Regna beata subi, cape præmia læta laborum.
« Nam mea tu semper, semper mandata sequuta es :
« Nudus eram, semper velasti corpora nuda ;
« Pavisti miseros, pavisti semper egenos. »
Voce hinc terribili, vultu irato atque minanti
Quam cœli, terræque trement, conversus ad hædos :
« I, dicet, genus infandum, pete tartara nigra,
« Perpetuisque ardesce focis flammaque voraci :
« Nam mea tu numquam, numquam præcepta sequutum es.
« Fovisti numquam miseros, numquam vel egenos. »
Sicque hi præcipites in tartara sæva dabuntur,
Perpetuas scelerum pœnas et damna daturi.
Illi autem cœli clara regione recepti,
Perpetuo capient cœlestis gaudia vitæ.

ΤΕΛΟΣ.

(1) *Tritos*, seu tertius *crit*. — (2) *Omnes*. Dictu non ita facilis mihi est causa cur unus nomine vocetur Hieronymus inter tot confessores, præstantissimosque doctores, quos poeta noster, qualiscumque demum sit, profecto nescire non potuit. Erit forte qui hic se vertet ad asceteria Hieronymitarum satis recentium, quos infra significari conjiciet : *turba sedebit religiosa*. — (3) *Multumque* cod.

VERECUNDI

INCIPIUNT EXCERPTIONES DE GESTIS CHALCEDONENSIS CONCILII.

ARGUMENTUM. *Pro Trium Capitulorum causa*, Verecundus Chalcedone exsul, teste Victore Tunonensi ad ann. 450, immo, ut ipse firma fide censuit, chalcedonensium decretorum vindex, abstinere se vix ac ne vix quidem poterat quin celeberrimi concilii, pro quo reus agebat, acta centum retro annis in hac urbe scripta, forte et ibidem asservata in Acœmetarum archivo, tum exsilii ærumnas levandi gratia, quam ob suam demum causam strenue vindicandam, noctu diuque versaret. Adde quod indubium est, eo ipso tempore annoque, et certe in Chalcedonensium Acœmetarum monasterio, Rusticum S. E. R. diaconum, ut fusius dixi in Prolegomenis, integra exemplaria et authentica sua excussisse manu, suo stylo actorum notabiliora loca distinxisse, suis non paucis illustravisse scholiis. Supersunt hæc Rustici scholia. Verecundi quoque superavisse compendia quædam ad sæculum usque nonum, dubitare non sinit gravissimum Adriani papæ testimonium, de quo iterum alias prolixius, quo nimirum monemur Verecundum potissimum in eo, ut ait pontifex, « excerptionum pittacio » de judiciis episcoporum tractavisse.

Quum igitur inciderim alicubi in hujusmodi epitomen in qua, præ cæteris, multa de tribus capitulis, nec pauciora de legitimis causarum canonicarum actionibus perstringuntur, vero quam simillimum illico mihi visum est et alterum hoc esse Verecundi genuinum opus, et eidem, ut cæteris nunc primo quoddam in corpus coactis accedat, locum dandum esse necessarium. Quumque Verecundi excerpta cum Rustici scholiis conferrem, videremque nonnulla ab uno ad alterum ultro citroque transire, ut quis ex ambobus alteri præfulserit, vix tuto definias, nolui germana a germanis amovere, nec valui amborum curis, licet hinc et inde partim editis, sedem in Spicilegio inter anecdota invidere. Ἀνέκδοτος profecto est hæc duorum exsulum conspiratio, inauditumque horum commilitonum contubernium.

Quas quidem Verecundi *Excerptiones* in duas ultro dividendas esse partes perspicuum est, utraque tamen cum altera interdum permixta. Prior, ut exsulis nostri ferebat indoles, tota in trium capitulorum causa est. Nec ab ejusdem ingenio fortunaque abhorret posterior, ubi confirmantur regulæ juris ecclesiasticæ, quas, ne æquum taceamus, non semel in hac causa, tot procellis ventilata, conculcatas ab Cæsare fuisse, dolendum enimvero est. Neu vero excerpta videar meo excerpsisse argumento, nihil de singulis fasciculis addam, nisi quod e Victore Tunonensi, eorumdem κεφαλαίων assertore, rerumque teste contribuli et æquali, rescribam brevem concilii chalcedonensis complexionem, quæ ad Verecundi fortunam oppido aptatur :

« Consultu, inquit, Marciani Aug. VIII kl. octobr. Synodus generalis Chalcedone colligitur episcoporum DCXXXII, ubi ephesina, nec dicenda synodus abdicatur, Eutyches cum Dioscoro, patrono suo, Alexandrino episcopo, atque Nestorio condemnatur, antistitesque catholici injuste damnati ab eodem Dioscoro (Ibas videlicet, Theodoretusque et cæteri) in synodo præfata ephesina II solvuntur ; fidesque sanctorum Patrum qui nicæna, constantinopolitana et ephesina prima convenerunt sanctis synodis, explanatur. His itaque definitis et subscriptionibus totius synodi roboratis, Eusebio Dorylæi, Theodoreto Cyri, et Iba Edesseno propriis restitutis ecclesiis, iis quos pro eis Dioscorus hæreticus substituerat, pulsis, omnia quæ ad statum Ecclesiæ pertinent, disposita sunt, ratumque terminum susceperunt. » Ad ann. 451.

I.

DE DIOSCORI [1] CAUSA [*Act. I*].

1. Quum in Dei nomine sub die octava id. oct. indictione IV, Chalcedonæ, Marciano imperatore, in Ecclesia sanctæ martyris Euphemiæ, consultu Leonis papæ [2], congregatis secum DCXXX episcopis et magnificentissimis judicibus et amplissimo senatu, ante cancellos sanctissimi altaris una cum reverendissimis episcopis et vicariis præ-

Ex quinque codd. duaceno 522; navarrensi 7; parisiensi 3853 ; montispessulanis 3 et 13, omnibus, pariter sæc. XII, qui ex ordine deinceps designantur per litteras A, B, C, D, E. Lemmata addimus.

(1) *Dioscori.* Quanti momenti esset *trium Capitulorum* vindici palam de Dioscoro dejecto triumphare, uno verbo absolvam : Theodoretus, in concilio chalcedonensi, sedebat adversus Dioscorum *in ordine accusantium.* Mansi VI, col. 646.—(2) *Papæ.* Incipit is auctor diligenter notare quæcumque pertinent ad sedis apostolicæ πρεσβεῖα, dum, omisso decreto imperatorum multis cum verborum ampullis in acta inserto [p. 78], *consultu* potius et principali auctoritate *Leonis papæ* ait synodum congregatam et per legatos

dicti sanctissimi [1] Leonis antistitis priscæ urbis Romæ et reliquis archiepiscopis, antepositis in medio sacrosanctis et venerabilibus Evangeliis [2] :

Paschasinus reverendissimus episcopus et vicarius sedis apostolicæ, cum venerandis collegis suis, dixit :

« Beatissimi atque apostolici viri papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium ecclesiarum, præcepta habemus [3]. Præcipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum archiepiscopus, non sedeat in concilio, sed audiendus intromittatur [4]. Quod nos observare, necesse est. Si ergo præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos exibimus [5]. »

2. Et paulo post : « Judicii sui necesse est eum dare rationem, quia quum nec personam judicandi haberet, surrepsit [6] et synodum ausus est facere, sine auctoritate sedis apostolicæ, quod numquam rite factum est, nec fieri licuit. Nos vero contra præcepta sedis apostolicæ venire non possumus, nec contra ecclesiasticas regulas, vel contra patrum instituta. Nec patimur tantam injuriam vobis fieri aut nobis, ut iste sedeat, qui judicandus advenit. »

Quibus responsum est : « Si judicis obtines personam, non ut accusator debes prosequi [7]. »

II.

DE THEODORETO RESTITUTO.

3. Et post totam paginam, de Theodoreto quodam episcopo, qui erat injuste damnatus, ita decretum est : « Ingrediatur et reverendissimus episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, quia restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo [8]. »

4. Et post paululum, ita habetur : « Theodoretus episcopus proprium recipiens locum a sanctissimo episcopo inclytæ urbis Romæ, in locum nunc accusatoris ingressus est. Unde patimini [9] ea quæ inchoata sunt finiri ut sine aliqua confusione auditorium fiat. Præjudicium enim ex præsentia reverendissimi Theodoreti episcopi nullum [10] generabitur, reservata videlicet omni post hæc accusatione vobis et illi, et quæ invicem exercere volueritis, quia rectam tenet fidem [11]. Et postquam in medio eorum sedit [12], omnes clamaverunt dignum eum esse.

III.

ITERUM DE DIOSCORO.

6. Et post aliqua, dictum est : « Ea quæ dudum judicata sunt, nunc retractentur. Non licere autem ullum aliud moveri ex peculiaribus causis, antequam ea quæ de fide sunt catholica, effectui mancipentur [13]. »

7. Item, post alia. « Omnes episcopi dixerunt : In damnatione beati Flaviani Constantinopolitani archiepiscopi et Eusebii alius episcopi [14], nullus voluntarie consen-

(ac si præsens DCXXX episcopis præfuisset) habitam. Cæterum ne meam ἀνεκδότων symbolam aliquis a me desideret, huic uberiorem affero messem notularum, nobilissimis tamen argumentis et numero imparium et pondere. — (1) *Sanctissimi*. Legebat ergo quod in fusioribus actis exstat latine : *Deo amicissimi, sanctissimi et reverendissimi Leonis*, quæ tamen græce desunt, præter id unum θεοφιλεστάτου. — (2) *Evangeliis*. Cf. Labb. IV, 78, 94 A; Mansi VI, 563, 579.—(3) *Præ manibus* add. D, E. Mox *ejus apostolatus* græce deest, uti sequentia *Alexandrinorum archiepiscopus*. — (4) *Audiendus intromittatur*. Horum loco græce : Εἰ δὲ ἐπιχειρήσει τοῦτο ποιῆσαι, ἐκβληθείη. — (5) *Eximus* ed.; ἔξιμεν, gr. Labb. IV, 94 C, D; Mansi VI, 579-582. — (6) *Præsumsit* ed. *Surripuit* vel *subrepit* al. Totus hic locus magni momenti a Rustico diacono diligenter excutitur; cujus quidem censuram addemus infra, utpote quæ non secus ac Rustici alia bene multa, plane Verecundiana sit. — (7) *Prosequi*. Labb. 95 A, B; Mansi, 582 B, C. Hic telam vix inceptam abrupit ὁ στρωματεὺς, idque eo magis fortasse miraberis, quod mox eamdem viam relegens, causam Dioscori iterum excutit. Sed agnosce anhelum defensorem trium capitulorum ad sua æstuanter currentem, videlicet ad Theodoreti causam eumque ut decentius introducat, jam excerpta sua exornantem libenter, immo nonnulla actis concilii audacter superaddentem : agnosce Verecundum. — (8) *Leo*. Labb. 102 B; Mansi, 590 B.—(9) *Patiamini* ed. græce : ἀνάσχεσθε.—(10) *Nulli* C, D, E.—(11) *Quia rectam tenet fidem*. Hæc sane neque omittere debuit Verecundus, sed neque intrudere; in græco tamen non comparent, neque facile inveniuntur in vetustis latinorum exemplaribus.—(12) *Consedit* D, E. Labb. 102 D; Mansi, 591 C.—(13) *Mancipentur*. Labb. 106 E, 107 A; Mansi, 595 A. Nota lectionem : *ex peculiaribus causis*, pro absona omnium editorum sive latine, *ex pecuniariis capitulis*, sive græce : μηδὲν ἕτερον κινεῖν χρηματικὸν κεφάλαιον. Ab illo : χρηματικὸν non adeo distant χρῆμα κυριακὸν, quum maxime si ad compendia respexeris χρ. κρκόν. Malim autumare græca fluxisse e latinis et græculum interpretem fugisse τὸ *peculiare*, sono fere idem cum altero *pecuniarium*. Sed ipsi nostri codices non consentiunt. Habent enim B, D, E, *ex pecuniariis causis*. — (14) *Episcopi*. Pars hujus pericopes prior excidit in græco. Bene cum Verecundo latini codices retinuere.

sit. Violenta[1] facta est viscum plagis. Verum in pura charta[2] subscripsimus. Minabatur nobis damnatio, minæ exsilii tendebantur. Milites cum fustibus et gladiis instabant. Et ubi gladii et fustes, qualis synodus est? Milites propter hoc accepit Dioscorus, ut nos terreret. Nam milites magis eos deposuerunt, quam nos; quia quidquid egimus, terrore compulsi fecimus[3]. Ipsi primi subscripserunt: clerici nunc quare clamant? Synodus episcoporum est, non clericorum[4]. » Et reliqua.

8. Item, post quædam dicitur: « Non sumus permissi egredi ab ecclesiæ secretario[5], usquequo subscripsimus[6]. » Et reliqua.

« Dioscorus et Juvenalis multas synodos pro prædictis facientes, et neque subscribentes, neque præscribentes[7] statuta, neque legentes alicui, neque sciente aliquo, obtulerunt nobis puras chartas, multitudinem habentes seditiosorum hominum[8]. Centum viginti quinque eramus omnes in Constantinopolitana synodo. Quadraginta duo jussi sumus tacere. Reliqui erant Juvenalis et Dioscorus et multitudo seditiosorum. Jam quindecim remanseramus tantummodo. Quid essemus facturi? In sanguine nostro ludebant isti hæretici constituti. Una voce dicebant omnes; terruerunt nos, ut hæreticos nos dejecerunt[9], et ejecti sumus ut hæretici[10]. »

IV.

DE EUTYCHE ET EUTYCHIANIS.

9. Item, post aliqua[11], dixit quidam[12]: « Ego commendavi me ipsum Patri et Filio et sancto Spiritui, et verbo veritatis vestræ justitiæ, et testes vos habeo meæ fidei, pro qua et laboravi cum sancta synodo, quæ ante vos hic [Constantinopoli] est[13]. Et reliqua.

10. Item, post aliqua, dictum est Basilio[14] episcopo: « Quare subscripsisti in damnatione sanctæ recordationis Flaviani? Et ille respondit: Quoniam in judicium centum triginta[15] episcoporum traditus, necessitatem habui[16]. Dioscorus episcopus alexandrinus respondit: Nunc completum est quod scriptum est: *Ex ore tuo justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis*[17]. Erubescens homines prævaricatus es, quod bonum est, et fidem sprevisti. Non audisti quod scriptum est: *Non erubescas in ruinam tuam*[18]. » Et reliqua.

11. Tunc post aliqua, Eutyches: « Directi religiosissimi viri a sanctissimo Leone archiepiscopo romanæ ecclesiæ in sanctam vestram synodum suspecti mihi facti sunt. Manserunt enim apud religiosissimum Flavianum episcopum, et prandiderunt[19] apud eum, et munerati sunt, et omne obsequium eis præbuit. Postulo ergo sanctitatem vestram, si quid ab eis injuste factum fuerit in me, id præjudicium mihi non generare[20]. » Et reliqua.

12. Et paulo post, sancta synodus dixit: « Ad Eutychen qui accusatur, pergant quidam a fratribus et porrectum adversus eum libellum ei relegant, et commoneant occurrere ad hoc sanctum concilium et ibi adesse. Non enim in levi accusatur causa[21]. »

13. Item, post multa, actione[22] qua supra: « Episcopi clamaverunt: Interfectorem Flaviani foras mittite, temeratorem foras mittite[23]. Dioscorus qui eum damnavit, ipse interfecit[24]. » Et reliqua.

14. Et paulo post: « Eusebius episcopus Dioscoro dixit: Tu quum dudum occidisti

(1) *Violentia* ed. — (2) *Charta* ed. *in impura charta* A, B. *Impuræ chartæ* C. — (3) *Ut nos; fecimus.* Rursus desunt græca, et ea sane jam non glossemata esse, ut rebatur Baluzius, Verecundus suadet. — (4) *Clericorum.* Labb. 111 B, C; Mansi, 602 B, C. — (5) *Egredi e secretarium* B. — (6) *Subscripsimus.* Labb. 114 A; Mansi, 603 B. Sed hæc solus dixit privato nomine Stephanus Ephesinus: *non sum permissus... suscripsi.* — (7) *Præscribentes.* Bene, cum Baluzio. — (8) *Clamantium ac commoventium Synodum* add. D, E. Omnes: *CP. Synodo.* Hæc tamen Ephesi acta sunt. Idem vero concilium dicitur alias (Mansi 638 B) judicium *centum viginti aut triginta episcoporum.* — (9) *Dejecerunt* cum optimis codicibus. — (10) *Hæretici.* Labb. 114 C, D; Mansi, 605 D, 606 A. — (11) *Aliqua.* Adeo multa in editis interjecta sunt, ut putem in Verecundi exemplari huc non fuisse inserta latrocinii ephesini acta, saltem omnia quæ in ed. abunde sequuntur. — (12) *Quidam.* Piguit Eutychen dicere. — (13) *Est.* Labb. 134 A; Mansi, 627 D. Irrepsit vox *Constantinopoli*, nescio unde. Non exstat enim in aliis exemplaribus. — (14) *Bassiano* A, vid. num. 72 et 111. — (15) *Viginti aut triginta* ed. — (16) *Parere his quæ ab illis ordinabantur* add. D, E. — (17) *Condemnaberis.* Matth. XII, 37. — (18) *Tuam.* Eccli. IV, 27; Mansi, 638 C; Labb. 139 C. — (19) *Pransi sunt* ed. Sed Baluzio displicebat veterem sui colbertini codicis vocem *prandiderunt* non fuisse retentam. — (20) *Generare.* Labb. 150 C; Mansi, 650 B. — (21) *Causa.* Ex act. 1. concilii CP. adv. Eutychen. Hic nova nonnulla ab initio. Vide Mansi, 655 C; Labb. 155 A, B. — (22) *Accusatione* B. — (23) *Temeratorem f. m.* solus C. — (24) *Interfecit.* Mansi, 674

sanctissimum archiepiscopum Flavianum, mihi autem vitæ intulisti discrimen[1]. » Et reliqua.

15. Et paulo post : « Didicimus quia sancti patres nostri qui in Nicæa convenerunt, non a semet ipsis loquuti sunt, sed quod Spiritus sanctus dictavit[2]. » Similiter et in reliquos actum est et agitur. Et reliqua.

16. Et paulo post : « Mihi præjudicium non fiat ex loquutione mea, quia absque præjudicio loquor. Fides quæ ex necessitate est, fides non est[3]. »

17. Item, post aliqua, dictum est : « Facta accusatione, consequens est adesse eum qui accusatur, præsertim quia hujusmodi accusationes non sine periculo fiunt. Nec enim leve est ac transitorium quod vertitur, et ideo in criminali causa alterum pro altero decertare non licet[4]. Quoniam igitur imperator, sedis apostolicæ auctoritate, universalem præcepit fieri synodum, et necesse est majores causas in illud reservare concilium[5]. » Et reliqua.

18. Et paulo post : « Nullos sub sacramento episcopos dicere aliquid oportet, nec quis hoc[6] facere præcipiat. » Et reliqua.

19. Et paulo post, dictum est : « Non de parvo periculo res agitur. Audivimus autem quia interpellatio adversus nos facta sit a quodam apud piissimum imperatorem. Unde supplicamus has nobis declarari[7] objectiones, et causas agnoscere, et personam statui, et manifestam accusationem adversus certas personas fieri ; atque ita respondebimus, et nos defendemus, præsumentes de vestra justitia[8]. » Et reliqua.

20. Item, post multa, dictum est : « Si quidem confitens proprium peccatum, acquievisset condemnare suam doctrinam, et consentiret nobis sequentibus traditiones sanctorum patrum, consequenter dignus erat venia. Sed quoniam permanet in malignitate sua, subjacebit canonum vindictis[9]. »

21. Et paulo post dictum est : « Quoniam commemoravit meam Constantinus diaconus vocem, ne forte negans noceam propriam animam, propter hoc dixi; hæc autem dixi, tum disputans, non definiens[10]. » Et reliqua.

22. Et paulo post : « dixit Constantinus diaconus : Quum legeretur damnatio, appellavit sanctum concilium episcopi Romani et Alexandrini[11]. » Et reliqua.

23. Flavianus episcopus Dioscoro dixit : « Occlusisti[12] mihi omnem justam allegationem[13]. » Et reliqua.

Et paulo post, ipse Flavianus dixit : « Non mihi permissum est loqui[14]. » Et reliqua.

24. Item, post multa, dictum est : « Precamur vobis ordinari sententiam, ut pro suo iniquo contra nos prolato judicio damnator noster dignum inveniat fructum ; et, justa adversum se a vobis prolata sententia, secundum sanctas Scripturas judicetur, quemadmodum judicavit, et fruatur sicut insidiatus est. Propter quod supplicamus vestræ sanctæ synodo, condolere quidem pro tanto tamque iniquo cruciatu, quem pro pietate sufferimus[15]. »

IV.

DE DIOSCORI TER MONITI CONDEMNATIONE [*Act. III*].

25. Item, post multa actionis tertiæ[16] : « Notum est nempe huic Deo amabili con-

E; Labb. 171 E. Locum Rusticus post Nostrum excitat egregia nota quam vide p. 205, n. 340. Mansi, 682 A, not. 6. — (1) *Discrimen.* Labb. 186 D; Mansi, 691 A. Pars loci prior et præcipua græce deest. *Tu cum* A, C. *Tu enim* ed.— (2) *Dictavit.* Labb. 187 C; Mansi, 694 A. Quæ sequuntur, breviatoris sunt. — (3) *Est.* Vix conveniunt quæ huc pertinere videntur in Labb. 226 D; Mansi, 743 A. Quibus adde Labb. 237 B; Mansi, 811 A, et quæ Baluzius notat aptissime ad hæc : *Ex necessitate fides est.* « Insigne, ait, mendum editionis Labbeanæ! » — (4) *Et ideo..... licet.* Minus ergo scite monet Baluzius hæc in nullo veterum exemplarium reperiri. Sed diligenter perpende quæ sequuntur mirum in modum depravata fuisse, quum in editis nihil omnino legatur de apostolicæ sedis auctoritate, hic apertissime asserta. — (5) *In eum reservare concilium* A. Labb. 240 A; Mansi, 762 B.— (6) *Quid hoc* A-C. Summatim Labb. 240 D; Mansi, 763 B. — (7) *Declinari.* Labb. « Hoc est unum ex erratis Labbeanis, » ait Baluz. — (8) *Justitia.* Labb. 244 B; Mansi, 767 C. — (9) *Vindictis.* Labb. 236* B; Mansi, 807 C. Usque adeo præposterus paginarum ordo Labbeanus ut minime a Mansiana recensione abstinere me deinde integrum mihi fuit. — (10) *Definiens.* Hæc Basilius Seleuciensis. Mansi, 814 D; Labb. 240* E.— (11) *Alexandrini.* Vid. Baluzii notam. Mansi, 818 C; Labb. 244* B.—(12) *Occlusistis* C.—(13) *Allegationem.* Labb. 256* A; Mansi, 834 A. — (14) *Loqui* ib. — (15) *Sufferimus.* Labb. 277 D; Mansi, 866 B.—(16) *Tertiæ.* Cur *post multa*, quum hic incipit, in editis actio tertia? At cave ne mutes antiquitatis signum; quæ enim nobis secunda est, eadem Rustico et anti-

cilio[1] ad beatum apostolicum Leonem sacras esse litteras destinatas, quatenus huic sancto concilio se præsentare dignaretur. Sed quoniam neque antiqua consuetudo, neque generalis temporis necessitas permittere videbatur, nostram parvitatem huic sancto concilio pro se præsidere præcepit. Ideoque necessarium est hæc quæ in medio proferuntur, per nostram interloquutionem disceptari. Propter hoc igitur porrectus libellus a religiosissimo fratre nostro et coepiscopo Eusebio, susceptus recitetur[2]. » Et factum est ita. Et reliqua.

26. Et post aliqua Eusebius episcopus inter cætera dixit : « Non ergo fingat occasiones Dioscorus, neque compellat me aliis quibus nolo, accusationem ingerere, quoniam ab illo passus sum, et adversus nullum alterum facio accusationem, nisi adversus eum, quippe[3] quum profiteor quia neque ab altero læsus sum, supplico vestræ sanctitati et tertia eum accersitum vocatione adesse vestro sancto concilio, et meas contra eum factas conventiones suscipere. » Et reliqua.

27. Et paulo post, quidam ex clericis Dioscoro dixit : « Tempore opportuno vocato me in synodo[4], offero vestro angelico choro sanctissimos viros, et reverentia et rectitudine adornatos, qui super singulis capitulis possint testimonium perhibere. Et ipse ego hanc accusationem propria subscripsi manu. » Similiter et reliqui accusatores suas accusationes singuli per singula se probare spoponderunt, et singulos accusationis libellos propria manu subscripserunt[5]. » Et reliqua.

28. Item, post aliqua : « Scyrion[6] diaconus dixit : Paratus sum tempore cognitionis sanctissimos viros, vita et fide probabiles, producere ex jussione vestræ sanctitatis, qui de his omnibus quæ in libellis accusationis sunt inserta[7], testificari valeant. Hos libellos obtuli, factos secundum meam voluntatem et dictatos, et a me subscriptos[8]. »

29. Et quum recitatus fuisset libellus, Paschasinus episcopus in sententia omnium[9] dixit : « Et libellus præsentis Athanasii qui nobis oblatus est, recenseatur. » Et suscipiens eum Procopius lector[10] et notarius legit. Et quum lectus esset, Lucentius episcopus dixit : « Quæ per libellum docuisti adversus Dioscorum episcopum, hæc considera, et si confidis, per te notum tibi[11] facito, et proprio ore manifesta. »

Athanasius diaconus[12] dixit : « Paratus sum, et mihi confido, advenientem eum in vestro sancto concilio, in omnibus de quibus eum accusavi, convincere. »

Pergamius, Antiochiæ metropolitanus, in sententia omnium dixit : « Dicat idem Athanasius propria voce, si suis accusatoribus aderit[13]. » Et reliqua.

30. Et post aliqua, Florentius, metropolitanus Sardicensis, in sententia omnium dixit : « Certis constitutis quæ lecta sunt, et tertio vocetur Dioscorus, quoniam hoc vult ecclesiastici ordinis consequentia, ut si et post hanc tertiam evocationem venire recusaverit, regulæ suo itinere gradiantur[14]. »

31. Et paulo post sancta synodus innotuit Dioscoro : « Mandamus tibi, omni deposita excusatione, dignare advenire in sacrum hoc concilium, ad satisfactionem Eusebio episcopo, simul et iis quæ tibi nunc ingeruntur, responsurus, et iis qui in præsenti adversus te alios accusatorios dederunt libellos, non paucis constitutis, et qui ab Alexandria orti sunt, clericis[15] et laicis, quorum nomina sunt Athanasius et Scyrion, Sophronius[16] et Theodorus : sciens quod si post tertiam hanc regularem vocationem ex omni parte, nullam habentem su-

quioribus exemplaribus actio tertia erat. — (1) *Nempe..... concilio.* Solus C.—(2) *Recitetur.* Hæc Paschasinus S. Leonis legatus. Cf. Labb. 380 B; Mansi, 983, 984. — (3) *Quippe.* Aliquid deest, nec concordat cum editis Labb. 392, 393 (iterum subverso paginar. ordine); Mansi, 1003 A. — (4) *Synodo.* More plane africano et suo certe, Verecundus hic acta introducit. — (5) *Subscripserunt.* Hæc jubeo cum editis conferri, ut solertiam στρωματέως mireris, qui omnia e latino codice sedulo transcripsit, quæ græco in textu deerant : in quo iterum Rusticus non semel vestigia Nostri legit. Labb. 397 C, D; Mansi, 1010 C. — (6) *Scyrion* fere constanter codd. latini, ubi editi juxta græcum : *Ischyrion.* — (7) *Qui de... inserta.* Hactenus hæc deerant in codd. et glossema Baluzio erant. — (8) *Manu mea subscriptos* A, B. — (9) *In sententiam omnium.* Hæc Noster solet in acta inserere. — (10) *Diaconus* in ed. lat. a græco sumtum. — (11) *Ei facito* alias melius. — (12) *Diaconus* omnino deest edit. Reapse Athanasius in actis audit Ἀλεξανδρείας πρεσβύτερος. — (13) *Suis accusationibus aderit* ed. Et alia leviter mutantur. Cf. Labb. 404 E, 405 A, C; Mansi, 1019 C. — (14) *Gradiantur.* Labb. 416 C; Mansi, 1305 A. — (15) *Et laicis... Theodorus.* Hæc non habent A, B. — (16) *Fromius* A, C. *Sifronius* B. *Theodorus* bis legitur in cæteris codd., semel in edit.

spicionem, advenire distuleris, præsens sancta et magna et universalis synodus ad illum veniet modum, qui contra pertinaces[1] et contemtores synodalis vocationis scit movere pœnam a canonibus jure constitutam. Direximus vero ad te et nunc, tertiæ vocationis gratia, quinque Deo-amicissimos episcopos, ut ne tardes venire[2]. » Episcopi vero qui directi sunt dixerunt : « Unum de excipientibus notariis jubete nobiscum venire, ut legat ea quæ a vobis Dioscoro mandantur, et illa excipiat quæ denuo nobis ab eo mandata erunt[3]. » Et factum est ita.

32. Et paulo post, sancta synodus dixit: « Indignationem quæ contra inobedientes a sanctis regulis constituta est, meretur Dioscorus. « Stephanus episcopus Ephesi metropolis[4] dixit : « Hoc consequens est, ut qui secundum sanctos canones vocatus, eosdem canones conculcavit, eorum sententiæ subjaceat. » Et postea interrogati sunt episcopi, ut quid placeret dicerent. Sancta synodus dixit : « Quæ placita sunt canonibus. » Et iterum : « Omnes consentimus quæ regulis sunt placita in eo fieri[5]. » Et reliqua.

33. Et paulo post, inter reliqua dictum est : « Ipse Dioscorus contra se elicuit sententiam, sæpius ecclesiasticos conculcans canones. Unde sanctissimus et beatissimus archiepiscopus magnæ senioris Romæ Leo, per nos et per præsentem sanctam synodum, una cum ter[6] beatissimo et omni laude digno beato Petro apostolo[7], qui est petra et crepido catholicæ Ecclesiæ, et qui est rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio. Igitur sancta hæc et magna Synodus quæ placent regulis, super memorato Dioscoro decernat. »

34. Anatolius Constantinopolitanus archiepiscopus et reliqui episcopi dixerunt : « Hæc eadem apostolicæ sedis per omnia sapiens, concors sententiæ efficior super damnatione Dioscori, qui se ipsum ab omni sacerdotali ministerio ostendit alienum, eo quod omnibus sanctorum Patrum regulis exstitit inobediens, et tertio canonice vocatus noluit obtemperare[8]. « Et reliqua.

35. Et post multa : « Zenodotus episcopus dixit : Non debet indignari Dioscorus, justo succumbens judicio, qui sanctum Flavianum, nullo modo damnatione ostensum dignum, inique damnavit[9]. » Et reliqua.

36. Et paulo post : « Menecrates episcopus dixit : Hæc eadem et ego profiteor, quæ metropolitanus et sancta Synodus[10]. » Et reliqua.

37. Et paulo post : « Dioscorum quondam Alexandrinum episcopum damnatum regulariter a sanctis et beatissimis patribus alienum esse et ipse existimo ab omni sacerdotali consequentia[11]. » Et reliqua.

38. Thalassius episcopus dixit : « Omnibus quæ placita sunt sanctis regulis et sanctis Patribus consentio[12]. » Et reliqua.

39. Item, post aliqua[13] : *Piissimis et fidelissimis et christianissimis imperatoribus atque triumphatoribus Valentiniano et Marciano semper augustis sancta et magna Synodus secundum Dei gratiam et sanctionem vestræ pietatis congregata in Chalcedonensium civitate.*

« Magnæ passiones et medicamina fortia et medicos indigent sapientes[14]. Propter hoc igitur Dominus omnium passionibus orbis terræ, sicut medicum optimum vestram superinstituit pietatem, ut has congruentibus sanctis medicaminibus. Vos ergo, christianissimi, divinum suscipientes decretum, pro aliis omnibus[15] competentem diligentiam adhibuistis, Ecclesiæ pontificibus consonantiæ medicinam machinantes. Et undique nos congregantes, omne commodastis auxilium, quatenus et factæ interimerentur discordiæ et paternæ fidei do-

(1) *Contra contumaces* B, C. — (2) *Ut ne t. v.* Non leguntur in edit. nec numerantur episcopi, sed neque sunt nisi tres. Non semel compendia $\overline{\text{V}}$, $\overline{\text{VI}}$, id est *Venerandi*, pro numeris sumuntur. Cf. infra n. 69. — (3) *Erunt.* Mansi, 1038 A, B; Labb. 417 B, D. — (4) *Metropolis* in solo C. — (5) *Et iterum... fieri.* In eodem C. Mansi, 1043 A; Labb. 421 D, E. — (6) *Ter* deest in C. — (7) *Apostolo.* Atque vide quæ Rusticus ad hæc haud perfunctorie margini allinebat, p. 215, et caveant delicatulæ aures prurientium apud nostrates magistrorum. — (8) *Obtemperare.* Labb. IV, 425 C, D; Mansi, 1047 A, B. — (9) *Damnavit.* Labb. 439 D; Mansi, 1067 C. — (10) *Synodus.* Mansi, 1070 A; Labb. 441 C. — (11) *Consequentia.* Labb, 442 D; Mansi, 1071 C. — (12) *Consentio.* Paulo aliter editi. Mansi, 1072 C; Labb. 443 A. — (13) *Aliqua.* In cod. Montispess. 58 epistola exstat, in act. IV. Cf. Mansi, VII, 10. — (14) *Sapientes.* Verba sunt veterum librorum solemnia. Sed in codd. nostris correxit vetusta manus supra lineam juxta elegantiorem sermonem : « Magnæ passiones et *medicaminibus fortibus* et *medicis indigent sapientibus.* » — (15) *Hominibus* B.

ctrina roboraretur. Nos igitur [1] considerantes et universo orbi factæ tempestatis causam inquirentes, hujus rei auctorem comperimus Dioscorum episcopum. Quapropter quia et damnatus jam erat a sedis apostolicæ episcopo Leone, cujus auctoritate fulti, et nos omnes consona voce damnavimus eum. Unde mandamus vobis ut eum non suscipiat ullus vestrum [2], quia sancta regula docet excommunicatos ab aliis alios non debere suscipere [3]. »

40. Et paulo post : « Divinæ enim præcipiunt leges, aperte dicentes : *Expellite malum a vobismet ipsis* [4]. »

41. Item : « Sane inveniet aliquis medicum (quando viderit membrum teneri incurabili passione, corpori omni pestiferum [5]), ferro utentem et abscidentem male se habentia, ut aliis corporis partibus conferat sanitatem. Hæc ergo pium vestrum docemus imperium, ut et illius malitiam et in eum prolatæ (quod Deo teste dicimus) justæ sententiæ sinceritatem consideretis [6]. » Et reliqua.

42. Et paulo post [7] sequitur propositio contra Dioscorum, quæ hic pro prolixitate non est inserta. Et post illam sequitur damnatio Dioscori a sancto acta concilio, quæ his continetur verbis :

Sancta et magna et universalis Synodus quæ gratia Dei secundum constitutum piissimorum et Deo-amicissimorum principum nostrorum collecta est in Chalcedonensium civitate Bithyniæ, in ecclesia sanctissimæ et bonæ victricis martyris Euphemiæ, Dioscoro.

« Cognosce te ipsum (propterea quod divinos canones despexisti, et inobediens exstitisti huic sancto et universali concilio, superque hæc, præter alia tua commissa, in quibus inventus es reus, etiam tertio evocatus ab hac sancta et magna synodo secundum divinas regulas, ut accusationibus responderes, minime occurristi) octobrio mense præsente, XIII[e] die, a sancto et universali conventu esse episcopatu depositum et omni ecclesiastica sanctione submotum [8]. »

43. Sequitur de damnatione Dioscori epistola clericis Alexandrinis missa, quæ hic pro prolixitate non est inserta [9].

44. Sequitur post aliqua : « Extremæ dementiæ [est], in medio et perspicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam aliud ulterius discutit, mendacium quærit [10]. » Et reliqua.

V.

DE AUCTORITATE SEDIS APOSTOLICÆ ET LEONIS PAPÆ EPISTOLA AD FLAVIANUM [*Act. III-VII*].

45. Item, post aliqua, in epistola quam omnes episcopi chalcedonensis concilii Leoni papæ direxerunt, inter cætera sic habetur : « Novimus quod quidquid rectitudinis a filiis fit, ad Patres recurrit, facientes hoc quasi proprium sibi. Rogamus igitur ut tuis nostrum decretis honores judicium, et sicut nos cupitam bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat. Sic enim et pii principes complacebuntur [11], [Si [12] Constantinopolitanæ sedi [13] non tantum quantum metropolitanis urbibus, sed plus aliquid præstabitis, id est, ut metropolitanos provinciarum Asiæ et Ponti vel Thraciæ ei liceat ordinare. Ipsi enim principes] tamquam legem, vestræ sanctitatis judicium firmaverunt, ut [14] constantinopolitana sedes [quæ secunda est ordinata], suscipiat præmium, quæ omni studio [15] vo-

(1) *Nos igitur*. Abhinc sunt nova fere omnia; sed ea præsertim quibus synodus se apostolicæ sedis auctoritate fultam in damnando Dioscoro asserit.—(2) *Suscipiatis aut nullus vestrum* A.—(3) *Suscipere*. Mansi, 1098 D; Labb. 463 A, B. — (4) *Ipsis*. Vid. Rusticum infra ad h. l. Mansi, 1099 C; Labb. 464 A. — (5) *Mortiferum* D, E. — (6) *Consideretis* Mansi, 1100 A, B; Labb. 464 A. — (7) *Post*. Ordine ab editis ita diverso, ut epistolæ ad imperatores præeat damnationis sententia, cui rursus præmissa promulgatio sententiæ ad Dioscorum facta. Cf. infra Rusticum ad hæc. — (8) *Submotum*. Mansi, 1094-1095; Labb. 460 D. — (9) *Inserta*. Cf. Labb. 462; Mansi, 1095. — (10) *Quærit*. Præ oculis excerptor habuit codicem, in quo *post aliqua* legebatur edictum imperatorum, unde hæc sumsit : quod nunc longo intervallo rejicitur post omnes Synodi actiones, in parte III, Mansi, t. VII, p. 475 B; Labb. 840 B. Pariter in eodem codice suffixa edicto imperatoris erat relatio concilii ad Leonem : quæ quidem quum ab ipso Rustico, eodemque teste, latina facta est, sua igitur ille ad nutum collocavit, neque alia quærenda est novi ordinis causa.—(11) *Complacebunt* ex edit. *Complacabuntur* A, C, D, E. *Complacabunt* B.—(12) *Si*. Maximo et acerrimo intuitu observanda esse quæcumque hic inter uncos nunc primum e tenebris eruuntur, uti cætera omnia quæ ad Romani Pontificis pertinent auctoritatem, res per se clamat.—(13) *Sedi* deest in C.—(14) *Et* ed.—(15) *Qux omne semper studium ad vobis causam* ed. *Omni semper* D, E.

bis et causam pietatis explevit, et semet ipsam vobis ad concordiam eodem zelo conjunxit. Ut autem cognoscatis quia nihil cuilibet donando per gratiam fecimus aut per inimicitias adversando, sed ut nutu gubernante divino, omnem vobis gestorum vim insinuavimus, ad comprobationem nostræ sinceritatis et ad eorum quæ a nobis gesta sunt, firmitatem et consonantiam[1]. » Et reliqua.

46. Et paulo post, Leo sanctissimus papa rescripsit prædictis, omnia gesta sanctæ chalcedonensis synodi firmans[2] et sola illa infringens... contra nicæni statuta concilii. Et reliqua.

47. Et paulo post, actione IVa : « Perpendimus quoniam Flavianus et Eusebius reverendissimi episcopi, ex gestorum cognitione[3] et perscrutatione et ipsa voce aliquorum, qui priores fuerant in illo concilio, et se errasse dicentium confessione, quod vane fuerint condemnati, quia nihil[4] in fide peccaverint, probantur injuste damnati : videtur nobis, secundum hoc quod Deo placitum est, justum esse, si visum fuerit sacratissimo concilio[5], increpationi simili subjacere Dioscorum Alexandrinorum, Thalassium Cæsareæ Cappadociæ, Eusebium Ancyræ, Eustachium Beryti, et Basilium Seleuciæ Isauriæ[6], qui potestatem habuerunt et principes tunc fuere concilii, et cadere secundum canones de sancta Synodo, ut alieni a dignitate episcopatus exsistant, omnibus quæ subsequuta sunt a sacro vertice cognoscendis. Post aliqua[7]. » Et reliqua.

48. Item, post quatuor folia[8], dictum est : « Petimus ut eis qui conturbaverunt secundam ephesinam synodum et maxime universum mundum, nunc chalcedonensem synodum perturbare non concedatur ; sed aut consentiant epistolis Leonis papæ, aut damnationem suscipiant, et cognoscant quia excommunicati sunt[9]. » Et reliqua.

49. Et paulo post, dictum est : « Calapodius et Gerontius, qui inter eos presbyteri sunt, olim damnati sunt, et non illis licet intrare. »

Calapodius et Gerontius dixerunt : « Nemo nobis dixit, quia damnati sumus : modo nobis dixerunt. »

50. Aetius[10] archidiaconus constantinopolitanæ ecclesiæ Calapodio dixit : « Archiepiscopus per me archidiaconum tibi dicit quia damnatus es. Exi[11]. » Et reliqua.

51. Et post aliqua : « Omnis justitia omnem quidem judicem decet[12], sed præcipue imperatorem et maxime pium : unde ad ipsum pertinet jus promulgare legitimum. Suggerimus ergo ut præcipiat universalem fieri synodum, quam [in] salutem fieri omnium[13] optamus. Vacent enim turbæ et seditiones[14] atque subscriptiones quæ per violentiam fiunt, et persequutiones quæ semper a clericis contra nos meditantur, et quas conantur facere latenter[15]. Petimus etiam neminem ejicere monasterio vel ecclesia quacumque, usque ad justum sanctæ synodi judicium, ne canonicis regulis obviare videamur[16]. » Et reliqua.

52. Et paulo post : « Non licet illum qui damnatus est ab omni synodo, episcopum nominari. » Et reliqua.

Et paulo post : « Sine præjudicio recitetur libellus[17]. » Et reliqua.

53. Et paulo post, actione Va : « Defini-

(1) *Consonantiam*. Mansi, t. VI, col. 154, 155; ex ed. Ballerin. ep. XCVIII; Labb. 837 D, E. Est alia ejusdem epistolæ versio antiquior quam post Baluzium edidere Ballerin. et Mansi, l. l. — (2) *Formans* A, B. Cf. Labb. 844 C, D. Leon. Epist. CVI. Baller. — (3) *Ex gestorum et cognitionum* ed. — (4) *Qui nihil* B. — (5) *Concilio*. Aut ego fallor, aut nemo non mirabitur usque adeo a nostris et tam immane differre sive græce edita : εἰ παρασταίη τῷ θειοτάτῳ καὶ εὐσεβεστάτῳ ἡμῶν δεσπότῃ? sive etiam latine : *Si visum fuerit sacratissimo (scilicet divinissimo!) Domino nostro*. Siccine sancta synodus locum divinitati imperatorum cesserit! Verum enim vero, quum hic omnino Rusticus vigilantissimus sileat, cui certe et totum hoc et ipsa varietas illa verbi *sacratissimo* pro θειοτάτῳ intacta non transiisset, statuendum est in quatuor suis Rusticum codicibus nihil simile invenisse. Hactenus hæc. — (6) *Isauriæ*. Editi libri addunt Juvenalem Hierosolymorum. — (7) *Post se* C, D, E. Mansi, VII, 6 C, D; Labb. 467 E, 470 A. — (8) *Post aliqua* A, C, D. Quæ in parva re ἀκρίβεια quamdam codicis præstantissimi injicit auctoritatem. — (9) *Sunt*. Paucis mutatis, Labb. 514 D; Mansi, 55 B. — (10) *Aficius* C. — (11) *Et exi* A, B. Mansi, 63 C; Labb. 521 C. — (12) *Judicat* codd. omnes. *Decet* ed. Hæc archimandritæ ante synodum ad imperatorem scribebant. — (13) *Omnium*. Aut nova aut ex audaciori compendio; sed præstat conferre Rustici adversaria, p. 217. — (14) *Seditiones atque* non habent ed. — (15) *Latentes* ib. — (16) *Videamur*. Ultima græce desiderantur. Mansi, 66 B, C; Labb. 524 C. — (17) *Libellus*. Mansi 70 C; Labb. 525 E.

tio omnibus placet. Hæc fides Patrum. Qui præter ista sapit, hæreticus est. Qui aliter sapit, anathema sit[1]. »

54. Et paulo post : « Illyrici episcopi[2] dixerunt : Qui contradicunt, manifesti fiant. Qui contradicunt, Nestoriani sunt. Qui contradicunt, Romam ambulent[3]. » Et reliqua.

Et paulo post dictum est : « Rogati haud secus[4] ab omnibus, gloriosissimi judices intraverunt in [oratorio sanctissimæ martyris Euphemiæ] in sanctam synodum una cum Anatolio et reliquis archiepiscopis, et tractaverunt de sancta fide[5]. » Et reliqua.

55. Et post multa, actione VI[a], imperator sanctæ synodo dixit : « Nos ad fidem corroborandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi principis Constantini, synodo interesse voluimus, ne ulterius populi pravis suggestionibus a recta separentur[6] fide. Facile enim simplicitas quorumdam hactenus nonnullorum superflua verbositate decepta est, et constat adversorum[7] pravis insinuationibus dissensiones et hæreses natas[8]. » Et reliqua.

56. In omnibus synodis apocrisiarii apostolici decretas sententias primo propter summam auctoritatem ejusdem sanctæ sedis confirmabant et subscribebant, quia aliter nullum habebant robur[9]. Unde scriptum est : « Paschasinus episcopus, vicarius domini mei beatissimi atque apostolici universalis Ecclesiæ papæ urbis Romæ Leonis, synodo præsidens, statui, consensi[10], et subscripsi. Similiter et reliqui fecerunt. Et cætera.

57. Item, post multa, act. VII : « Placuit propter multam contentionem, per consensum, ut sedesquidem Antiochiensium, maxime civitatis beati Petri, habeat duas Phœnicias et Arabiam[11]. Sedes autem Hierosolymorum habeat tres Palæstinas. Et rogamus vestræ magnificentiæ et sancti concilii hæc scripto firmari[12]. » Et reliqua.

VI.

ITERUM DE THEODORETO [*Act. VIII*].

58. Et post nonnulla[13] : « Theodoretus reverendus episcopus dixit : Vere non dico, nisi quo modo novi Deo placere. Prius satisfacio vobis quia neque de civitate cogito, neque honore opus habeo, neque ob hoc veni. Sed quia calumniam passus sum, veni satisfacere me esse orthodoxum et omnem hæreticum qui converti noluerit, anathematizo[14]. »

59. Et post paululum, actione VIII, dictum est : « Proferatur sententia a Deoamabilitate vestra[15] ut cuncta sua prius et ecclesiam suam recipiat, sicut et sanctissimus Leo papa judicavit. » Omnes episcopi dixerunt : « Theodoretus episcopus dignus est sede[16]. » Et reliqua.

VII.

DE IBA EDESSENO [*Act. IX, X*].

60. Et paulo post, actione IX[a] : « Omnes accusatorum personam habentes docere debent quæ volunt[17]. » Et reliqua.

61. Item, post aliqua dictum est : « Ad præjudicium tuum non diximus hanc fieri lectionem[18]. » Et reliqua.

62. Et post multa : « Deo-amicissimi[19] episcopi dixerunt : Singuli propria voce depromant, si accusationi persistunt de his capitulis quæ dederunt[20]. » Et reliqua.

63. Et post multa, actione X[a] : « Deoamicissimi episcopi dixerunt : Quando[21]

(1) *Sit*. Mansi, 1020; Labb. 556 B. — (2) *Illyrici episcopi* non habent A, C, D, E. — (3) *Ambulent*. Labb. 560 C; Mansi, 106 B.—(4) *Haud secum* A, C. — (5) *Fide*. Mansi, 106, 107 ; Labb. 560, 561. — (6) *Pravis suasionibus separentur* editi, a nostris, ut patet, supplendi. — (7) *Diversorum* F. — (8) *Natas*. Mansi, 130 B, C; Labb. 576 B, C. Huc usque ex veteri et authentica editione latina. Alia est enim a Rustico e græco expressa, quam vide l. I. priori subjectam. — (9) *Robur*. Egregia στρωματέως interloquutio.—(10) *Consensi* deest in A, B. Mansi, 135 C; Labb. 580 E. — (11) *Duas Phœnicam et Arabiam* C, D, E. — (12) *Firmari*. Editi a longe κατὰ νοούμενα concordant, quibuscum mea conferre suadeo. Labb. 613 C; Mansi, 182 A, B. Tum hanc divisionem provinciarum inter patriarchas ad primatum Romani non modicum conferre, docet interloquutio Maximi juxta veterem translationem primum a cl. Baluzio editam, quam ille non immerito declarat magni esse momenti ob locum insignem, in cæteris editionibus græcis et latinis prætermissum, quo non valere trium patriarcharum conventionem, nisi eadem *Papæ Leoni placuerit*, clare significatur. Mansi, VII, 763, 770.—(13) *Nonnulla*. Videlicet in Act. VIII, ut infra serius notatur. —(14) *Anathematizo*. Ultima e græco exciderunt. Cf. Mansi, 188, 189; Labb. 621 A, B.—(15) Θεοφιλίας τῆς ὑμετέρας. Insolentem dictionem editi expunxerunt. —(16) *Sede*. Mansi, 190 C; Labb. ib. D. — (17) *Volunt*. Labb. 628 E; Mansi, 198 C. — (18) *Lectionem*. Labb. 641 D; Mansi, 215 B.—(19) *Episcopi* deest in A, B, C.—(20) *Dederunt*. Labb. 645 E; Mansi, 222 B, C.—(21) *Quando*. Totum hoc capitulum Vigilius papa utroque suo

redargutio capituli sequitur, animæ periculum ferens, superfluum inducimus inquisitionem fieri cæterorum. Quæ igitur manifeste interdicta sunt et canonibus et legibus, et sunt aperte odiosa Deum timentibus, hæc eligite primitus et his instate. Videntur autem nobis hæc esse principalia. Primum quidem, rectæ esse oportere fidei, qui sacerdotio fungitur. Deinde, eum totius luxuriæ liberum, sed nec prodere pietatem, maxime pecuniarum causa. »

Samuel accusator dicebat : « Sicut jam postulavimus, rogamus fieri inquisitionem capituli uniuscujusque per ordinem. Primum quidem capitulum increpationem talem habet, ut eo solo sufficiat et nihil aliud sit movendum. »

Deo-amicissimi episcopi dixerunt : « Bene judicavit sanctitas vestra, et nos his serviemus. Ex capitulis a vobis oblatis tria sunt maxime pessima [1], quum soleant talia objurgari facillime. Hæc igitur si probare potestis, ut diximus [2], propria lingua testamini [3]. » Et reliqua.

64. Et paulo post : « Testes nobis exsistunt hujus rei : rogamus hos a vobis vocatos suscipi et propria voce testari; si enim non audierint hæc dicentem [4], non possent testari [5]. » Et reliqua.

65. Et post aliqua : « Ibas episcopus dixit : Audivi quia Samuel et Cyrus jam profecti erant ad accusandum nos, subscriptiones nonnullorum clericorum accipientes. Confiteor, quia convocavi clerum; et dixi me audisse [6], quia Samuel et Cyrus ierunt ad accusandum nos. Sed et vobis dico, si quis in scriptis communicavit eos [7] in libellis, donec videat quem finem causa suscipiet, non communicet. Excommunicaverunt semetipsos reliqui, sua conscientia vulnerati [8]». Et reliqua.

66. Et paulo post : « Convocati sunt omnes clerici in secretario. Dixi [9] : Quoniam audivi quia Cyrus et Eulogius profecti sunt ut me accusarent, hos a communione suspendi, ut cognoscatis quia excommunicati sunt. Si quis autem eis in libellis cooperatus est vel conscius, sit excommunicatus [10].» Et reliqua.

67. Et paulo post : « His autem dictis, hoc anno [11] cum nominavit hæreticum; vos autem dicitis : hoc anno cum nominavit hæreticum, hoc vobis necessarium est comprobare [12]. » Et reliqua.

68. Et post aliqua, Petrus episcopus Corinthi dixit : « Neque abstuli ipsi Ibæ sacerdotium, nec [13] communicavi Ephesino concilio, et sequor expositionem horum qui sedis apostolicæ locum habent [14]. » Et reliqua.

69. Et paulo post : « Interrogatus Eunomius episcopus Nicomediæ dixit : Quod placet sancto concilio de his quæ in Epheso gesta sunt, hoc et mihi placet. »

Cecropius episcopus dixit : « Illud concilium dicere non debemus, quia [15] nec apostolica auctoritate coactum est, neque rite peractum. »

Episcopi clamaverunt : « Omnes hæc eadem dicimus. Hæc relegantur quæ in Epheso gesta sunt [16]. » Deinde dixerunt : « Quod placet ei de Iba, sancta synodus doceat. »

Paschasinus et Lucentius, quatuor [17] episcopi et Bonifacius presbyter, tenentes locum sedis apostolicæ (quia missi apostolici semper in synodis prius loqui et confirmare sententias soliti sunt [18]) per Paschasinum dixerunt : « Relecta epistola Ibæ, agnovimus

Constituto defloravit, sed ex alia versione. Cf. Baluz. ad h. l. apud Mansi, IX, 99, 461. Cæterum nemo plenius causam omnem Ibæ absolvit, intricatamque rem explanavit nemo luculentius quam idem Vigilius in posteriore Constituto quod Baluzius primus feliciter evulgavit. Vide Mansi, IX, p. 459-484. Porro Verecundus semel hic et iterum infra ad eumdem nodum anxie videtur accessisse. — (1) *Maxime* sic C, D, E. — (2) *Ut diximus* non hab. C. — (3) *Testamini*. Mansi, 227, 230 ; Labb. 652 A, B, C. — (4) *Dicentem* C, D, E non habent. — (5) *Testari*. Auctius editis. Mansi, 230 B ; Labb. 652 D. — (6) *Me audisse* excidit in C, D, E. — (7) *Eis libellis* ib. — (8) *Vulnerati*. Mansi, 235-238 ; Labb. 657 B, C. — (9) *Et dixit* A, B. — (10) *Excommunicatus*. Mansi, 238 B; Labb. 657 D. — (11) *Anno* A. Juxta gr. πέρυσιν. Sed multa male in codd. *Nonnum nominavit hæretic*. C-E. *Hoc vobis* C. *Hæc* D, E. *Annon cum* B. De Cyrillo Alexandrino quæstio est. — (12) *Comprobare*. Mansi, 239 C, D; Labb. 660 E. — (13) *Quia nec* A, B. — (14) *Habent*. Mansi, 259 B ; Labb. 676 A. — (15) *Quia… peractum*. Hæc in editis et græce et latine deesse, mirum. — (16) *Sunt*. Alteram vide in utroque textu varietatem, sed forte corruptionem. — (17) *Quatuor* lege *duo* ex numeris II male lectis pro IV ; immo scriptum potius est V̄I, id est *venerandi* vel *ri;* unde editi *reverendissimi*. — (18) *Sunt*. Cave ne tibi Verecundi hæc nota sit. Tum enim invenitur αὐτολεξεί in primo Vigilii papæ *Constituto* (Mansi, IX, 99), tum legebatur in vetustis conciliorum editionibus ante romanam, tum demum eam in suo colbertino Baluzius vidit et ego post eum : quæ tamen cur ex editis male mulctata exsulet, satis quidem non video.

eum orthodoxum, et ob hoc decernimus et honore episcopatus, et Ecclesia [1], a qua injuste et absens expulsus est, ad præsens eum renovandum. De Nonno igitur episcopo qui ante modicum pro eo factus est, tractandum est a reverendo episcopo antiochenæ ecclesiæ, quid oporteat de eo formari [2]. » Similiter et omnes episcopi sequentes auctoritatem sedis apostolicæ, decreverunt. « Et reliqua.

VIII.

DE DUOBUS EPISCOPIS EPHESI EXAUCTORATIS [*Act. XII*].

70. Item post multa [3], actione XII, de duobus episcopis [4] Anatolius Constantinopolitanus dixit : « Videtur mihi, si sanctissimo concilio placet, ut neuter sit Ephesiorum episcopus, sed alius ex electione omnium qui pascendi sunt, ordinetur ad gubernandum episcopatum, eo quod ambo præter regulas sibimet episcopatum usurpaverunt; habere autem eos et dignitatem episcopi et communionem, et ab Ecclesia esse pascendos [5]. » Et reliqua.

71. Et paulo post : « Juvenalis episcopus dixit : Perspicit sancta synodus pasci quidem eos ab Ephesiorum Ecclesia, alium vero regulariter ordinari [6]. » Similiter et omnes episcopi decreverunt.

72. Et paulo post : « Omnis sancta synodus contra regulas eos ordinatos edocuit, et interloquutionibus [7] episcoporum consensit. Removebuntur quidem a sancta Ephesiorum ecclesia Bassianus [8] et Stephanus [9]. Sui autem habeant dignitatem episcopi, et ex redditibus memoratæ ecclesiæ, nutrimenti gratia et consolationis, annis singulis solidos ducentos accipiant; alter vero secundum regulas ejusdem sanctissimæ Ecclesiæ episcopus ordinetur [10]. »

Omnis sancta synodus exclamavit : « Hæc justa sententia, hæc justa forma, hæc bene sunt. »

Bassianus episcopus dixit : « Quæ mihi abrepta sunt, jubete restitui. »

Omnes dixerunt : « Quidquid Bassiano episcopo ex rebus competentibus ei direptum est, sive ab Stephano episcopo, sive ab aliis quibuscumque personis [11], hoc ei post judiciales probationes, ab his qui abstulerunt vel causa læsionis fuerunt, restituantur [12]. » Et reliqua.

IX.

DE CAUSA SABINIANI ET ATHANASII PERRHENORUM [*Act. XIV*].

73. Item, post multa, actione XIV : « Quæ vero [13] gesta sunt, et quomodo civitas universa, cum amarissimis lacrymis atque gemitibus circumfusa, inseparabiliter erat circa me, et violentam meam lugebat exclusionem, me dicere, puto, superfluum est. Unde rogo et supplico vestræ Deo-amabilitati injustitiam quam passus sum nullatenus despiciatis, sed etiam jubeatis me impetrare quæ justa sunt : quatenus Dei clementia collaudetur per vestram evangelicam [14] et a Deo honoratam Synodum, quæ destruxit quidem errorem, et luci reddidit veritatem [15]. « Et reliqua.

74. Et paulo post [16] : « Condolere nos fratribus necessarium est, quando quidam consacerdotum [17] aliqua se passos affirmant, et hoc a propriis clericis, quos erat [18] necessarium subdere tamquam patribus cervicem, et esse subjectos secundum beneplacitum Dei et Ecclesiæ regulas talia decernentes. Hoc ergo quodammodo detur, piissimum est [19]. Tantæ namque passum se dicit episcopus Athanasius, ut etiam congre-

(1) *Et ad honorem e. c. Ecclesiam..... revocandum* C, D, E.—(2) *Firmari* B ex prava correctione. De suo cætera Verecundus addit, cui causam Ibæ finitam ex omnium consensu asserere non displicebat. Mansi, 262 B; Labb. 676 D. — (3) *Multa.* Omissa hic obiter actio XI, sed cæteris multo plenius exhibetur in altera excerptionum parte. — (4) *Episcopis*, i. e. Bassiano et Stephano Ephesiorum. — (5) *Pascendos.* Editis certe lectio tota elegantior, ut vel veterem translationem Verecundus ornaverit, vel novam sibi procuraverit felicius eusam. Cf. Labb. 771 (lege 701 ex perversa, ut solent, oscitantia curatorum Labbeanæ editionis); Mansi, 295 A. —(6) *Ordinari.* Mansi, 298 C; Labb. 774 C (l. 704). — (7) *Interloquutiones* codd. — (8) *Bassinus* B pluries.—(9) *Stephanus reverendissimi habeant* A, B.— (10) *Ordinabitur* A, B. — (11) *Personis... ab his* C, cæteris omissis.—(12) *Restituantur legibus* A, C. Mansi, 299 C, D; Labb. 705 C, D.— (13) *Vero.* E Sabiniani Perrhensis episcopi libello supplici ad synodum.—(14) *Et angelicam* ed.— (15) *Veritatem.* Mansi, 319 A; Labb. 721 C.—(16) *Post.* Incipit Cyrilli Alexandrini epist. pro Athanasio, ut ibidem. — (17) *Quidem consacerdotes* C. — (18) *Quos asserat* C,D, E.—(19) *Est.* Ita A, sed B : *Hoc ergo quodammodo*

gata in regia civitate synodus lacrymas daret. Ait enim quosdam clericos qui sub eo sunt constituti, in tantam audaciam prosiluisse, ut quod attinet ad præsumtionis vim, et expellerent eum a sacerdotio, et super eum damnationis sententiam ferrent. Volunt œconomos ecclesiæ, aut certe ecclesiasticarum rerum dispensatores ejicere, et quosdam alios sibi propria virtute constituere. Super hæc autem etiam de sacris diptychis nomen ejus auferre, et alia quædam perpetrare valde [1] gravissima et sceleribus plena : quæ subjectorum libellorum virtus noscitur continere. Quia vero nimis incongruum est, præsumi talia a clericis adversus episcopos proprios, et hæc despicere nos impossibile est, dignetur tua sanctitas (quoniam ab Antiochia longe est civitas, quam gubernare sortitus est memoratus religiosissimus episcopus Athanasius) quibusdam per proprias litteras audientiam delegare, quatenus evocati hi qui accusati sunt, respondeant ; et si inventi fuerint accusationibus rei, a sacro ministerio delabantur [2]. Quod enim ipsi adversus patrem proprium præsumserunt, hoc juste sustineant, quando omnem consequentiam prætermiserunt, et omnem legem transcendere præsumserunt et pro nihilo esse judicaverunt senectutem exhonorare [3] patris. Dicuntur autem non modo [4] in domo patris tales esse cœpisse, sed quia jam in multis capti sunt valde pejoribus asperioribusque præsumtionibus. Asserit autem [5] eum se suspectum habere qui nunc metropoliticum provinciæ suæ jus obtinet. Et sicut jam [dixi], nihil est quod contristet, quum liceat refutare, et qui ei suspecti sunt, judicare non debeant [6]. » Et reliqua.

75. Et paulo post : « Unde et beatus Paulus ait : « Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra [7]. » Et reliqua.

76. Et paulo post : « Bonum est ut pro causa præfati episcopi aliquem Deo-amicissimorum episcoporum suæ urbi vicinorum, personas non accipientium, ad audiendum, sanctitas tua deputet. Formidat enim suum metropolitanum, tamquam vesanæ flammæ inimicum [8] adversum se virtutem inimicitiæ atque materiem præbentem. Et si quidem convicti fuerint in quibus accusantur, quos inclamat tamquam superbiam habentes Abessalom, quum fuerint illum imitati, simili exemplo plectantur. Sic enim odit Deus eos qui adversus patres armantur, ut patrum invasores, qui in omni mundo infamia notentur [9]. »

77. Et paulo post : « Nam si quis concesserit præsumtoribus, et inconvenienter in tantam procacitatem exsilientibus, ut Dei pontificibus contumeliam inferre audeant, misericordia illis sine judicio fiat, ex quibus oleum iniquitatis supplicationibus aucupantur, nihil est reliquum, nisi fiant omnes ecclesiarum præsules [in] lusum et opprobrium [10], et per hæc stabiliatur [11] diabolicum instrumentum. Sed Deus ad hoc tuam religiositatem præordinavit, ut et injustitias removeas, et præsumtiones abscidas, et sacerdotio laborantibus succurras, et multis irrogationibus locum non præbeas : sed post agnitionem, ei qui calumniam patitur, adjutorium feras ; illum vero qui calumniam facit, si vere est calumniator [12], abscidas. Non igitur tua religiositas arbitretur, ut tamquam ad injuriam sedis antiochenæ huc venit [13] memoratus episcopus ; sed metuens quosdam, sicut ait [14], seditionibus gaudentes, et passioni propriæ militantes, dedit ad tempus locum iræ ; patientiam vero et mansuetudinem et justitiam tuæ religiositatis prædicare non cessat, nec in quolibet accusat, sed supplicat honestiorem in se compositionem effici [15]. » Et reliqua.

78. Et paulo post : Phosphorus [16] episcopus dixit : « Ea quæ ab Athanasio sunt

turpissimum est. Sed C, D, E mediam tenent viam quæ ad A ducit : *quodammodo de turpissimum.* Nihilominus tam editi quam scripti quotquot sunt, tamen etsi sententia male cohæreat, legunt : *Hoc non præsumi, quovis* (al. *quodam*) *modo turpissimum est.* Græca quidem eodem alveo fluunt, sed et promtius : Τοῦτο πῶς οὐ τῶν αἰσχίστων ἐστὶ τολμώμενον ; — (1) *Velle* C. — (2) *Rei, sacro min. delabuntur* C-E. — (3) *Exonerare* A, B. — (4) *Non modo* deest in C-E. *Non modo primum tales* ed. — (5) *Et dixit* B. — (6) *Debeant.* Mansi, 319-322 A, C ; Labb. 724 A, B, C, D. — (7) *Membra.* I Cor. XII, 26. Mansi, 323 C ; Labb. 725 D. Hæc vero et sequentia ex epistola S. Procli CP ad Domnum. — (8) *Inimicorum ejus ex odio adversus eum vim præbentem atque materiam* ed. melius, si græca contuleris : Ὡς τῇ τῆς μανίας τῶν ἀντιπάλων φλογὶ τὴν ἐκ δυσμενείας κατ' αὐτοῦ παρασχόντα δύναμίν τε καὶ ὕλην. — (9) *Notentur.* Mansi, 323 C, D ; Labb. 725 D, E. — (10) *Et opprobrium* deest in C. — (11) *Statuatur* C-E. — (12) *Calumniatus* A, B. — (13) *Venerit* C-E. — (14) *Sicut ait* non habent A, B. — (15) *Effici.* Mansi, 323 D, E, 326 A ; Labb. 728 A, B, C. — (16) *Phorus* A, C. Hæc vero ex Antiocheno concilio actis Chalcedon. inserto.

scripta ad beatæ memoriæ Panolbium, qui tunc Hierapolitanorum erat episcopus, manifestant quoniam judicium fugiens, reus a Perrhenorum discessit episcopatu [1]. »

Daniel episcopus dixit : « Palam est, quia directis repudii litteris, reverendissimus Athanasius episcopus ad beatæ memoriæ Panolbium, qui tunc metropolitanus erat, refutando judicium, ab episcopatu semet ipsum fecit extraneum [2]. »

Et reliqui episcopi dixerunt : « Athanasius, qui ad judicium venire noluit, et episcopatum quoque repudiavit. »

Josephus episcopus dixit : « Athanasius episcopus et nolendo apud amicum suum Panolbium, qui tunc metropolitanus erat occurrere, et causam dicere, et semetipsum ab illatis sibi criminibus liberare, certus est quoniam conscientia mala usus est. »

Paulus episcopus dixit : « Tertio ad audientiam evocatus reverendissimus Athanasius a Panolbio metropolitano episcopo, et maxime ejus amico, et tertio Perrhenorum episcopatum repudians, apparet quod non bona conscientia percussus videtur declinasse judicium [3]. »

Similiter et cæteri episcopi dixerunt.

79. Inter cæteros, Theodorus episcopus dixit : « Videtur Athanasius nihil verum docuisse sanctissimos et Dei amantissimos archiepiscopos Proclum et Cyrillum, dum etiam apud beatum Panolbium, qui fuit ejus metropolita et ejus amicus, sicut ipse in repudiis a se datis ostendit, nec ab episcopatu, sicut ipse docuit, a clericis est expulsus, sed tertio ab eodem Panolbio evocatus, audientiam illatorum sibi criminum refutavit, et propriam civitatem reliquit, adjiciens et hoc in repudii sui litteris, quoniam ante duos aut tres annos [4] hoc apud se deliberatum fuisset, ut ab episcopatu recederet. »

80 « Quapropter rogavit pro se alium ordinari episcopum [5]. »

81. « Unde placet eum qui pro quibusdam rebus incongruis evocatur, et tertio evocatus [6] tam a proprio archiepiscopo quam et a sancto concilio [7], non venerit, cadere honore quem habet. Videtur autem quia memoratus Athanasius non solum tertio evocatus, sed etiam frequenter, et non obediens, neque illatis criminibus respondere volens, hac ergo gratia alienum eum a sacerdotio secundum ecclesiasticas leges esse et alium in loco suo regulariter ordinare [8] » Et reliqua.

82. Et paulo post : « Nos deposuimus Athanasium, quoniam regulariter evocatus tertio, non occurrit, et secundum regulam depositus est [9]. » Et reliqua.

83. Et paulo post : « Ex una enim parte Athanasius est accusatus. Sed nos non credidimus uni parti, quoniam accusatores quæcumque volunt, dicunt, nec omnino oportet accusatoribus credi. Evocatus est autem propter hæc semel; dixit quosdam inimicos se habere in synodo [10]. Et secundo evocatus est, rursus et tertio. Quum autem non obaudisset tertio, deponens eum prolata sententia est. »

Gloriosi patres [11] dixerunt : « Dicat Athanasius episcopus cur tertio evocatus a sancto Antiocheno concilio, non occurrit, ut propriis allegationibus uteretur. » Athanasius reverendissimus episcopus dixit : « Quoniam inimicus meus erat ipse qui judicabat, Antiochenus. Et rogo hæc relegi et veritatem probari. Abierunt tredecim clerici et ipsi decreverunt nolentes. »

Judices dixerunt : « Sabinianus episcopus qui post depositionem Athanasii ordinatus est a provinciali concilio, in Perrhenorum civitatis episcopatu, sicut nos perspicimus, manere debet. Neque enim ex una parte justum [est] esse remotum ut præjudicium patiatur, quoniam neque vocatus est, neque contradictio ei servata est. Athanasius vero depositus tamquam evocationibus non abaudiens, postea vero ex una parte a Dioscoro episcopatum obtinere nisus, interim, sicut perspicimus, debet quiescere. Causas vero illatas ei examinan-

(1) *Episcopatu.* Mansi, 331 B; Labb. 732 E. — (2) *Extraneum.* Ibidem. Sequentia ex uno Sophronio multis ascripsit. — (3) *Judicium.* Mansi, 331 C, D; Labb. 733 A, B. — (4) *Menses* A, B, C. Mansi, 335 A; Labb. 736 C. — (5) *Episcopum.* Mansi, 335 D; Labb. 737 B. — (6) *Et tertio evocatus* non habet C. — (7) *Concilio.* Id consulto addidit Verecundus, sine ulla sive concilii sententia sive episcoporum, ut videtur, exsilio mulctatus. — (8) *Ordinare.* Mansi, 342 B, D; Labb. 741 B, C. — (9) *Est.* Mansi, 354 C; Labb. 752 B. — (10) *Quosdam..... in synodo.* Hæc desunt in omnibus exemplaribus, ait Baluzius, cui nostros codices fuisse ignotos satis miror. — (11) *Judices* ed. ἄρχοντες, græce, quod displicet.

das esse decernimus apud sanctum Antiochiæ concilium, ita tamen ut intra octo menses a præsenti die numerandos examinatio fiat eorum qui dudum accusationem adversus eum proposuerunt, aut si aliter contra eum quilibet de his ipsis instare voluerit, et siquidem convictus fuerit omnia præsumsisse, quæ ei criminaliter seu pecunialiter sunt illata, et gestis inserta, aut unum eorum quod damnatione sit dignum, non solum eum alienum esse ab eodem episcopatu, sed etiam legibus publicis esse subdendum. Si vero intra hoc tempus non agatur contra eum, neque convincatur, si prædictus quidem Athanasius episcopatum ejusdem recipiat civitatis ecclesiæ, per sanctissimum Antiochiæ episcopum; Sabinanus vero episcopus et dignitatem episcopatus habeat et substitutus ei pascatur, donec episcopus Antiochenorum eum secundum virtutem Perrhenorum disponat ecclesiæ. »

« Hæc audiens sancta synodus, dicat [1] si ea quæ sunt ordinata, decernit, aut aliud quid disponit. »

Maximus episcopus Antiochiæ dixit : « Hoc nihil justius. » Cyrus episcopus dixit : « Deus per vos loquutus est. » Sancta synodus dixit : « Nihil eo justius, nihil integrius. Hoc justum judicium [2], hæc justa sententia. Quæ disposita sunt, effectui mancipentur, quia cum Deo vos judicatis [3]. » Et reliqua.

X.

Iterum actio prima [4].

84. Eusebius religiosissimus episcopus Dorylæi civitatis, transiens in medium dixit : « Per salutem vos rogo Dominorum universi mundi [5], jubete [6] preces meas legi, sicut placuit piissimo imperatori. Læsus sum a Dioscoro; læsa est fides; occisus est Flavianus sanctus episcopus (lacrymis impleor), simul mecum injuste ab eo damnatus est. Jubete preces meas perlegi. »

Gloriosissimi judices et amplissimus senatus dixerunt : « Preces legantur. » Et residente in medio eorum, ex jussione omnium, Eusebio reverendissimo episcopo, Beronicianus vir devotus a secretis sacri consistorii, accipiens preces ab eo, recitavit [7].

Amatoribus Christi religiosissimis et piissimis imperatoribus nostris Flaviis Valentiniano et Marciano piissimis Augustis ab Eusebio humillimo episcopo Dorylæi, faciente verbum pro se, et pro orthodoxa fide, et sanctæ memoriæ quondam Flaviano episcopi CPæ civitatis, intentio [8].

« Propositum est clementiæ vestræ universis quidem sibi subditis providere, et manum porrigere omnibus injuste oppressis, præcipue tamen fungentibus sacerdotio et in hoc divinitati placentes a qua vobis imperandi et dominandi [9] sub hoc sole donatum est. Ergo quoniam multa et dira et contra omnem consequentiam, fides quæ in Christo est et nos sumus perpessi a reverendissimo Dioscoro, episcopo Alexandriæ magnæ civitatis, adimus vestram pietatem, supplicamus justitiam promereri. Causa autem in his est. In nuper facto concilio in Ephesiorum metropoli, quod utile non fuit fieri, ut non malis et perturbationibus universum mundum replesset, sævissimus [10] iste Dioscorus, pro nihilo ponens justitiæ rationem et Domini timorem, similis constitutus et consentaneus

(1) *Dixit : Si ea* C-E.—(2) *Hoc justum judicium* in C desideratur.—(3) *Judicatis.* Mansi, 355-358; Labb. 752 B, D, E. — (4) *Actio I.* Sequimur A. Prolixiores C, D, E : *Collectiones [diversæ] ex eodem Concilio.* Sed longius a veterum simplicitate B recedit : *Quæ sequuntur ex prædicto concilio diversa per loca collecta sunt, quæ suis inserta locis a quærentibus reperiuntur.* — (5) *Mundi.* Vigilanter hic substitit Rusticus et collato Acœmetarum codice, longe alia nobis in margine asservavit, ad redarguendam iterum impiam græculorum assentationem : *Per sanctam Trinitatem vos adjuro quæ custos est principum, quamque colitis, et in qua baptizati estis, et cujus invocatione salvamini, iubete preces meas relegi*, etc. — (6) *Jubere* B. — (7) *Recitavit.* Mansi, VI, 582, 583; Labb. 95 C, D. — (8) *Intentio.* Vocem anxie sollicitat Baluzius, demumque mittit ἐς κόρακας. Quidni juris erit vocabulum titulo addendum quasi *accusatio*, aut nota grammatica, initio epistolæ præfixa, qua certe apud Quintilianum prima pars orationis designatur. *Instit.* III, 9; V, 14. Sed ecce iterum inepte editi : *Intentio et propositum est.* — (9) *Dominandi* ita codd. Quasi gallico more recentissimo.— (10) *Replesset suavis iste Dioscorus* editi vulgares, qui rursus ineptiunt. Sed veterum lectio vel insanior : *Suavis iste iste Dioscorus*, ita illic, ante Romanam. At neque elleborum erit e Baluzianis codicibus corb. colb. paris. divion. : *Suavissimus*

Eutychi vaniloquo et hæretico, occultus autem multis, sicut postea semet ipsum manifestavit, inveniens tempus, et facta a me adversus Eutychem ejus similem accusatione, et sententia in eum a sanctæ memoriæ Flaviano episcopo prolata, multitudinem seditiosorum populorum congregans, et potentiam sibi pecuniis acquirens, piam religionem catholicorum, quantum ad ipsum pertinet, violavit, et perfidiam Eutychis monachi, quæ olim a sanctis Patribus reprobata est, confirmavit. Quoniam igitur non modica sunt quæ ab ipso usurpata sunt adversus Christi fidem et adversus nos, provoluti precamur vestram clementiam, præcipere reverendissimum episcopum Dioscorum respondere de his quæ a nobis ei ingeruntur, relectis sine dubio in hoc concilio monumentis ab eo contra nos gestis, per quæ possim ostendere eum et alienum esse a catholica fide, et impietate repletam hæresin roborantem, et injuste nos damnantem, et gravia in nos operatum : sacrum et venerabile vestrum mandatum dirigentes sanctæ et universali synodo religiosissimorum episcoporum, quæ possit inter nos et præfatum Dioscorum audire et perferre ad scientiam vestræ pietatis omnia quæ geruntur, ad quod placuerit vestræ clementiæ : quod consequuti incessanter offeramus Deo preces pro vestro æterno imperio, sacratissimi imperatores. »

Gloriosissimi judices et amplissimus senatus dixerunt : « Solvantur quæ ingeruntur. »

Dioscorus reverendissimus episcopus Alexandriæ dixit : « Præcepit piissimus imperator synodum celebrari, quæ secundum sacrum nutum piissimi imperatoris nostri congregata est. De his autem quæ gesta sunt propter constantinopolitanæ sanctæ ecclesiæ quondam episcopum Flavianum, monimenta sunt acta in concilio, et ea postulo recenseri. »

Eusebius religiosissimus episcopus Dorylæi dixit : « Hæc et nos postulamus. »

Gloriosissimi judices et amplissimus senatus dixerunt : « Omnia quæ in hoc negotio subsequuta sunt, per ordinem recitentur. »

Et antequam legerentur, Dioscorus reverendissimus episcopus Alexandrinæ dixit : « Supplico vestræ magnificentiæ in primis quæ de fide sunt examinari. »

Gloriosissimi judices et amplissimus senatus dixerunt : « Interim adversus accusationem te convenit respondere. Ergo sustine actorum fieri lectionem, quod et ipse fieri postulasti. »

Constantinus devotissimus, a secretis consistorii, dixit : « Habentur sacræ litteræ, sæpius directæ pro synodo pridem facta præ manibus ad legendum. » Et ex codice recitavit [1].

« Divæ memoriæ Theodosius Dioscoro religiosissimo episcopo Alexandriæ dixit :

Imperatores Cæsares, Theodosius, Valentinianus, victores ac triumphatores, maximi, semper venerabiles, augusti, Dioscoro.

« Cunctis constitit manifestum, quia nostræ reipublicæ status et omnia humana, divina pietate moderantur atque firmantur. Deo enim propitio constituto, prospere et secundum vota nostra gubernari res et proficere solent. Imperium ergo divino nutu sortiti, subditis pro pietate [3] et mansuetudine similiter necessario plurimam sollicitudinem impertimur : quatenus et vera religio et nostra res publica cultu Dei purissimo et pietate firmata præfulgeat. Quoniam igitur in præsenti, subita emergente dubitatione, ad catholicæ et apostolicæ doctrinæ ac nostræ fidei custodiam, quæ, ut fit, diversis sententiis impugnata, conturbat et confundit hominum sensus et animas : intolerabile duximus hujusmodi delictum contemnere, ne per talem negligentiam ipsi Deo inferri

magnus iste Dioscorus. Quæ quidem vesania unum e nostris attigit codicem B qui cum istis facit. Sed quatuor cæteris standum omnino est : *malis et perturbationibus universum mundum replesset sævissimis* [*magnus* add. E, D] *iste Dioscorus.* Nisi mecum malueris aliter distinguere ut in græco : « *Replesset* sævissimus iste Dioscorus, » ut interea non omnino velim ullum non fuisse Eusebio consilium qualicumque modo ludendi in Dioscori nomen et διοσκούρων numina, *lucida sidera.* Sed quid græce? Iterum nugæ : Ἵνα μὴ κακῶν καὶ ταραχῆς τὴν οἰκουμένην ἐμπλήσῃ ὁ χρηστὸς Διόσκορος. Quid quod et male feriatus græculus διορθωτὴς latina præ oculis habens, ut ex multis argumentis mihi evincitur, ex alienis sua refecerit, et quum τὸ *sævissimus* illi esset idem ac aliud quam maxime sono proximum *suavissimus,* transverso stylo ὁ χρηστός scripserit ubi ὁ ἄχρηστος, vel χείριστος, ambabus manibus scriberem, ita supplendum non dubitaverim. — (1) *Recitavit.* Mansi, VI, 583-587 ; Labb. 95-98. — (2) *Dixit.* Epigraphen editi omittunt. Hac vero prolixiore pericope ostendit Verecundus quam diligenter exceperit quæcumque ex authenticis latine consignata reperit. Eamdem fuisse Rustici diligentiam, infra perspicuum erit. — (3) *Proprietate* A-C.

contumeliæ viderentur [1] Ideoque sancimus [2] in unum sanctissimos et Deo placitos convenire viros, quibus pro pietate catholica atque vera fide plurimus sermo est, ut universa quidem talis et vana dubitatio, subtili proposita inquisitione, solvatur, vera autem et Deo-amica catholica fides firmetur. Igitur et tua sanctitas, sumtis secum decem reverendissimis episcopis metropolitanis qui sub tua degunt diocesi, et aliis similiter decem sanctis episcopis, sermone et vita ornatis, qui in doctrina et scientia rectæ et immaculatæ fidei præ cunctis [3] eminent, proximis kalendis augusti, Ephesum, metropolim Asiæ, convenire absque ulla dubitatione festinent [4], nullo scilicet alio præter prædictos viros sanctam synodum molestante, quatenus universis sanctissimis et beatissimis episcopis, quos convenire per sacras nostras epistolas sanximus, ad prædictam concurrentibus civitatem, et subtilissime investigantibus et quærentibus, omnis de medio error contrarius auferatur; catholica autem doctrina, orthodoxa fides [5] Salvatoris nostri Christi amicissima solidetur, et consuete effulgeat; quod universi in posterum inconcussum, Deo propitio, et intemeratum custodiant. Si quis vero tam necessariam et vere Deo-amicam synodum prætermiserit, et non omni virtute secundum prædictum tempus ad præfinitum locum pervenerit, nullam excusationem neque apud Deum, neque apud nostram inveniet pietatem. Sacerdotalem enim conventum non nisi quis mali proprii conscientia sauciatus evitat. Theodoretum sane episcopum Cyri civitatis, quem pridem jussimus suæ soli vacari ecclesiæ, sancimus non prius ad sanctam synodum convenire, nisi universo complacuerit convenienti concilio et ipsum concurrere et pariter interesse. Si vero aliqua discordia de eo emerserit, absque illo sanctam synodum convenire, et quæ jussa sunt, ordinare præcipimus. Datum VIII kalendas aprilis Constantinopoli, Zenone [6] et Postumiano vv. cc. consul.»

« Constantinus devotissimus a secretis sacri consistorii, dixit : Eodem tenore scriptum est et aliis reverendissimis episcopis, ut in synodum convenirent [7]. »

XI.

DE EUTYCHETIS DAMNATIONE.

85. Item, post alia multa : « Eutyches archimandrita dixit : Ego commendavi me ipsum Patri et Filio et sancto Spiritui et verbo veritatis vestræ justitiæ [8]. »

86. « Gratias ago per omnia sancto Deo præsenti die, in qua per vos pietas recepit fiduciam, et edoceo vestram sanctam synodum, quæ in me, magis autem contra rectam fidem, commissa sunt. Propositum quidem mihi fuerat a pueritia in silentio absque ullo negotio usque ad decrepitam senectutem degere, et absque ulla conturbatione persistere. Non sum autem tali permissus frui proposito, sed pessimis periculi circumdatus sum, insidiantium probris. Necessarium vero arbitror, antequam ea quæ in me commissa sunt, doceam, ad vestræ sanctitatis satisfactionem me conferre [9]. »

87. Eutyches dixit : « Ego quidem modo tamquam in sepulcro degere in monasterio debeo ; ideo ad synodum non pergam. Illi vero qui me accusant, inimici mihi facti sunt : ob hoc detractionibus et insidiis insistunt [10]. »

88. Item alibi Flavianus : « Utinam veniens et agnoscens suum delictum ad pœnitentiam resipiscat Eutyches, quoniam Chri-

(1) *Inferre contumelias videremus* ed. Græca leccione dissentiente : ὡς ἂν μὴ τοῦτο παροφθὲν εἰς ὕβριν αὐτοῦ τοῦ κρείττονος ἀνατρέχειν δόξειε. — (2) *Sanximus* ed. melius, ἐθεσπίσαμεν. — (3) *Apud cunctos* alias. Utrumque C collegit : *præ cunctis apud cunctos.* — (4) *Festinet* ed. — (5) *Orthodoxæ fidei* ed. tacente Baluzio. — (6) *Zenone.* Ex edit. « Veteres libri : *P. C. Zenonis et Posthumiani*, quod melius est, » ait Baluzius. Sed quum sigla *P. C.* (*post consulatum*) non intelligeret scriptor codicis Parisiensis 1458, quamquam non indiligens, audacter posuit : *Preces Zenonis*, etc. Quid, quod ad vesaniam usque abrepti alii post alios, quinque codicum nostrorum notarii amice conspirant ut illud nescio quid monstri huc invehant : *Præconzentone et Posthumiano*, etc. ? An tanti est quæ notetur varietas tam codd. 1458, quam S. Germ. 368, in illud conspirantium : *Zenonis et postumiani uu. a cons.*? Quod inepte profecto editum vulgo est in alio loco : *Zenonis et Postumiani venerabilium consulum* [Mansi, 606 c.]. Cæterum neque omnino tibi sana erit quæ Baluzio placuit lectio, si etiam ieris ad Baronii ann. 449, n. 25. — (7) *Convenirent.* Labb. 99-102 ; Mansi, 587-590. — (8) *Justitiæ.* Labb. 134 A ; Mansi, 626, 630. — (9) *Conferre.* Labb. 134 A ; Mansi, 630 B, C. — (10) *Insistunt.* Cf. Labb. 191 E, 199 E, 202 A ; Mansi, 699 A, etc.

stus Dominus noster lætatur de salute perditorum, et circumiens ipse prior ovem errantem requirit[1]. » Et reliqua.

89. Item alibi : « Dei est dare sanitatem, nostrum autem exspectare sospitatem ipsius. Neque enim in abscissionem inspicimus, sed in incrementum. Nec enim delectatur Deus in perditione vivorum ; nec sumus filii inhumanitatis, sed clementiæ Dei. Si enim « propter nos, qui dives erat pauper factus est[2], » et nos excelsam ejus sequi paupertatem debemus. Ad misericordiæ enim opera a Deo facti sumus[3]. »

90. Et alibi : « Nullus tibi concedet recedere ab accusatione, neque illi ut non satisfaciat de præteritis[4]. »

91. Et alibi : « Eusebius[5] episcopus dixit : Postulo hanc vocem mihi non præjudicare. Ego enim fidelissimos testes habeo. »

92. Et alibi : « Oportet eum prius convinci in quibus accusatus est, et satisfacere nobis[6]. »

93. Et alibi[7] : « Litteræ sanctissimi archiepiscopi Romani Leonis insinuatæ sunt nobis, continentes quia accusatus[8] archimandrita Eutyches appellavit tempore examinationis vestram audientiam per dationem libelli. Et ideo[9] post damnationem, eum Archimandritam renominaverunt[10]. Et nunc de fide libellum esse dicit illum quem tunc apud sanctissimum Romanum episcopum appellationem nominavit ? »

94. Et alibi : « In talibus sanctissimis conciliis contingit frequenter unum ex præsentibus reverendissimis episcopis aliquid dicere, et quod ab uno dictum est tamquam ab omnibus simul dicatur et subscribatur[11]. »

95. Et alibi : « Seleucius Dei amantissimus Amasiæ episcopus, dixit : Dignus est iste quidem damnari : in humanitate autem vestræ sanctitatis positum est. »

96. Sanctissimus archiepiscopus dixit : « Si quidem confitens proprium peccatum acquievisset condemnare suam doctrinam, et consentire nobis sequentibus traditiones sanctorum Patrum, merito dignus esset venia[12]. Sed quoniam permanet in malignitate sua, subjacebit canonum vindictis. »

97. Et alibi, Paulus episcopus dixit : « Quia prædictus presbyter sequitur canones sanctorum patrum qui in Nicæa convenerunt, ideo judico eum gradu presbyterii et archimandritæ recipere[13]. »

XII.

PATRUM TESTIMONIA QUÆDAM, ET OBLIQUE DE IBA EDESSENO.

98. Item alibi[14] : « Multi igitur sanctificati sunt et mundi ab omni peccato. Jeremias quidem ex utero sanctificatus est. Et Joannes adhuc constitutus in utero, exsiliit in exsultatione, in voce Dei genitricis Mariæ. Et tamen « regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam super eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ[15]. « Et ita manebant nihilominus homines mortales et corruptibiles, capaces suæ naturæ passionum[16]. »

99. Et alibi : « In Actibus namque apostolorum scriptum est : « Venientes autem in Mœsiam, tentabant ire in Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu[17]. » Scribit autem et admirabilis Paulus : « Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt ; vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si quidem Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum sanctum non habet, hic non est ejus[18]. »

(1) *Requievit.* Mansi, 702, 703. — (2) *Est.* II Cor. VIII, 9. — (3) *Sumus.* Mansi, 714 B, C ; Labb. 203-206. — (4) *De præteritis.* Mansi, 718 A ; Labb. 207 C, D. — (5) *Eusebius.* Hæc sine intervallo in editis l. l. post præcedentia leguntur. An aliqua periere? An alius rerum ordo in codice Verecundi ? — (6) *Nobis.* Mansi, ib.; Labb. ib. — (7) *Alibi.* Atqui centum plus minus paginas a præcedentibus ad hæc editi libri interjiciunt; sed eadem et quæ sequuntur mox, ea non procul hinc in exemplaribus meis lego et in vetustis reperio concilii chalcedonensis codicibus. Quæ quidem notare non omisi, quibus majori antiquitate Verecundi excerpta commendantur. Huc igitur spectant Mansi, 799 C ; Labb. 229 A. — (8) *Accusavit.* Ἠτιάσατο ed. Sed incommode nimis. — (9) *Ideo.* Locum egregie Rusticus illustrat, quem omnino vide infra p. 208. — (10) *Renominaverunt* ita C, D, E. Intricantur alii : *Post damnationem non pervenerit, quum eum archimandritam renominaverunt.* Ipsius C margini adjicitur *non pervenerit* ac si illud esset post *damnationem* inserendum. — (11) *Subscribatur.* Mansi, 807 A ; Labb. 233 D. — (12) *Venia.* Labb. 227 D ; Mansi, 746 B. — (13) *Recipere.* Nonnullis ab initio mutatis, Labb. 267 A ; Mansi, 849 B. — (14) *Alibi.* Ex Athanasii testimonio in orat. IV *Contr. Arian.* — (15) *Adæ.* Rom. V, 14. — (16) *Passionum.* Mansi, 877 B ; Labb. 286, 287. — (17) *Jesu.* Act. XVI, 6, 7. — (18) *Ejus.* Rom. VIII, 9. Sed hæc in actione prima non invenio, neque alibi succurrunt. Certe statim excitantur quædam ex actione II[a].

100. Et alibi : « Salva igitur proprietate utriusque naturæ, et in unam coeunte personam, anathema qui non recte credit [1]. »

101. *De infirmandis his quæ contra sanctæ memoriæ Flavianum episcopum sunt injuste prolata et confirmandis his quæ meliori tractatu postea de eo sunt prolata* [2], etc.

102. « Neque enim monasterium dicendum est, quod religionis habuit inimicos. Si enim Dominus duobus simul episcopis congregatis se interesse promisit, quanto magis pluribus, quibus tu, sancte papa, sicut membris caput, præeras [3]. » Et reliqua.

103. Et paulo post : « Ad summam vero, sicut singularis ferus in vineam irruens, quam optime reperit plantatam, evertit ; quam autem ut infructuosam, eradicatam, rursus introduxit Dioscorus. Eos quidem qui ea quæ pastorum sunt sapiunt, abscidit ; eos vero qui lupi demonstrati sunt, super oves imposuit. Et post hæc omnia, insuper et contra ipsum cui vineæ custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque apostolicam sedem [4]. » Et reliqua.

104. Et alibi : *Regula est, ut ab electa synodo non liceat appellare. Isti igitur hac ipsa sunt electione damnati* [5]. »

105. Item : « Hæc est fides patrum. Qui præter ea sapit, anathema sit [6].

106. Item Eusebius Ancyræ episcopus dixit : « Ego relationem non suscepi ; dum autem in Epheso relegeretur, audivi, et est versuum carta multorum [7], et multorum nominum depositiones habens. Si autem habet monumenta tamquam ad petitionem gesta [8], ejus est approbare [9]. » Et reliqua.

107. Item « Non possunt cohabitantes inimicis, quia suspectibiles sunt, ad accusationem vel testimonium comprobari [10]. »

108. Item : « Ad præjudicium tuum non diximus nunc fieri lectionem [11]. »

109. Et alibi : « *Appello a te,* » *quasi diceret :* « *refuto te* [12]. »

110. Et alibi : « Omnis qui salutarem pœnitentiam non suscipit, anathema sit [13]. »

XIII.

INCIPIT ACTIO XI.

111. « Consulatu [14] Domini nostri Marciani piissimi [15] perpetui augusti, et qui fuerit nuntiatus, quarto kalendas novembris, in Chalcedone [16], secundum jussionem piissimi imperatoris, convenientibus in sanctissima ecclesia sanctæ et martyris Euphemiæ [17], magnificentissimis judicibus et sancto et universali concilio, ex divali decreto in Chalcedonensium civitate collecto ; et residentibus omnibus ante cancellos sancti altaris, ingressus Bassianus pridem factus episcopus in Ephesiorum metropoli, adhærente sibi etiam Cassiano reverendissimo presbytero [18], dixerunt : « Violentiam passus, adii piissimum nostrum imperatorem, eique supplicavi. Et direxit divinas litteras ad sanctum et universale concilium, ut me audiat. Et quoniam omnia quæ moventur in sancto concilio, divina præsentiæ vestræ magnificentia [19] præcepit examinari, rogo vestram potestatem, sanctum quoque [20] concilium, ut litteræ divinæ legantur, et mihi quæ sunt justa serventur. » Gloriosissimi judices dixerunt : « Litteræ divinæ legantur. » Quibus traditis, Beronicianus [21], judex magistrianus, et secretarius divini consistorii, legit.

Imperatores Cæsares, Valentinianus et

(1) *Credit.* Ex ep. celeberrima Leonis ad Flav., n. 3, Labb. 348 D.—(2) *Prolata.* Exsulare videtur longissime a sede sua is titulus, et cætera quæ forte exciderunt, exspectare, vide Mansi VII, 499. — (3) *Præeras.* Summatim ex epist. synodali PP. Chalcedonensium ad S. Leon. Labb. 833 ; Mansi, ep. XCVIII, t. VI, p. 147-150. — (4) *Sedem.* Labb. 836 A.—(5) *Damnati.* Rusticus hæc habet αὐτολεξεί. Amborum vero quis alteri præierit, ego non hic definiam. Is num. 103 deficit in D, E.—(6) *Sit.* Respectu ad Labb. 556 B ; Mansi, 1020, et quæ supra n. 53. — (7) Πολυεπὴς ὁ χάρτης. — (8) *A petitione gesta* C-E.—(9) *Approbare.* Labb. 636 B. In causa Ibæ proferuntur. — (10) *Comprobari.* Labb. 636 E.—(11) *Lectionem.* Labb. 641 D ; Mansi, VII, 215 B. —(12) *Te.* Iterum salutandus est hic et conferendus Rusticus ad h. l. *possumus dicere et : Refuto te.* Vide not. Baluzii, 907, not. 1, et infra p. 212, n. 556. — (13) *Sit.* Cf. Mansi, 714, 715. Per me tibi profecto licebit abhinc Verecundi excerpta claudere : ad finem quippe solent tendere et in calcem schedarum rejici tenuiora hæc argumenta, cæteraque id genus adversaria quasi ex otio aut tumultuarie corrasa. Quæ vero sequuntur aliam omnino legendi rationem inducunt, sed continuo tenore rescribuntur. Codices vero funditus exhaurire averem.— (14) *Consultu* B.—(15) *Divinissimi et piissimi Domini nostri* C. — (16) *Calcedonia* B. —(17) *Euphemiæ.* Hactenus plane ut in regestis Mansi, VII, 271. — (18) *Episcopo* A, C. — (19) *Divinus apex præsenti vestræ magnificentia* B. — (20) *Sanctumque* A, B.—(21) *Beronianus* A, C.

Marcianus, victores, triumphatores, maximi, semper colendi, augusti, sancto concilio quod sacro nostro decreto Chalcedone collectum est.

« Bassianus reverendissimus [1] multa incongrua passus, quæ precibus ejus his nostris divinis litteris [2] subditis continentur, petit a vestra sanctitate hæc discuti. Festinet igitur vestra reverentia, has nostras suscipiens litteras, causam discutere, et formam quæ fuerit vobis visa, proferre. »

« Gloriosissimi judices dixerunt : Et preces, quæ subjectæ sunt, relegantur. Idem relegit : »

Terræ marisque et totius humani generis Dominis Flaviis Valentiniano et Marciano piissimis, augustis, supplicatio et deprecatio a Bassiano humili et pusillo episcopo.

« Omnis salus violentiam patientium, post Deum, vestra tranquillitas est, præcipue autem sacerdotum Christi. Quapropter et ego ad has preces veni, provolutus vestigiis vestris, ut mei misereamini. At vero quæ in me præsumta sunt, lacrymis et gemitibus plena et inenarrabilia esse noscuntur. Sed ut breviter pietati vestræ suggeram : quidam eorum qui sacerdotio funguntur, nec non et alii, crudelia et interdicta legibus in me facere præsumserunt et talia quæ neque a barbaris sunt aliquando commissa. Spernentes enim Dei timorem et immaculatorum virtutem mysteriorum, quam ex humillimis manibus meis Dei misericordia susceperunt, postquam a nobis mysteriorum perfectio celebrata est, repente apprehendentes me et abripientes de sancta Ecclesia plagis afficiebant, ducentes et portantes in foro; aliquando quidem et recludentes et gladiis perturbantes. In his itaque dum ipsius vitæ periculum sustinerem, furentes et abripientes pallium sacerdotii mei, in sede posuerunt quemdam ex his qui et ipse præsumserat ea quæ in me incongrue facta sunt, et in locum meum. Et post hæc, quascumque res habueram, mobiles vel immobiles, abstulerunt, et sicut voluerunt, sibi partiti sunt. Super hæc etiam multos hominum meorum morti tradiderunt, ita ut funera ante januas sanctæ Dei ecclesiæ quidam exponerent. Quia ergo (Deo mihi teste et hominibus potentibus atque venerabilibus) in nullo culpabilis exstiti in his quæ in me dicta sunt atque in me præsumta : supplico pietati vestræ et volvor divinis vestris sacratisque vestigiis, quatenus sancire dignetur vestra cœlestis potestas, sacra vestra subnotatione missa ad sanctum concilium, ut cognitio fiat inter me miserrimum et eos qui in me talia præsumserunt, ac dicunt aliquid se adversum me habere. Hoc insuper sancire [3] vestram divinitatem exoro, ut nulli liceat exactionem mihi quamdam inferre, donec terminus proferatur eorum quæ inter me et adversarios geruntur. Quoniam vero consuetudo illorum est hoc facere, ne in eos videar prævalere, ut ea quæ mihi ab eis inferuntur vel a me dicuntur coram sacerdotibus in sancto concilio vestris sacratissimis auribus referantur : et ut detur nobis qui debeat quæ ab eis definita fuerint, effectui mancipare; ut his potius consuetas orationes referam incessanter Deo pro perpetuo vestræ potestatis imperio. »

[*Causa deinde pergit, ut in actis editis* (*Labb.* 688, 689, 692, 693, 696, 697; *Mansi* 275 *sqq.*). *Satis profecto erit conclusionem excipere* [4].]

(1) *Reverendissimus* omittunt A, B. — (2) *His subditis* A, B. — (3) *Sanare* B. — (4) *Excipere.* Satis et hic varietates dare præcipuas ex uno codice A ad editionem Labbeanam : 688 A. *Sedem meam tenet, et rogo..... possessiones quærantur. Si quid... et sicut volunt* omittuntur, ut antea, honorifica quæque episcoporum apposita. — B. *Hoc ergo projecto, digno me, quadraginta episcoporum Asianorum decreto et nobilium.* — C. *Et ego regulariter factus..... neque culpatus ab alio. Sed..... omnibus, hæc egit ut.....* — D. [*Plagis expendit* B] *Quoniam machinatio fuit, in illa civitate alium...* — E. *Quibus iterum...* — 689 A. *Confirmavit episcopatum.* — B. *Et placida voluntate... suscipiens eorum preces, repente... pace sic cogitaret...* — C. *Gladiis et enarrariis...* [V. Baluzii notam ad h. l.] — 692 B. *Noverunt regulam. Supplico ut audiatur.. auctoritate sua clauserunt...* — D. *Item gloriosissimi...* — E. *Post mortem episcopi..... Veni huc..... ut regulariter.....* — 693 A. *Nullus est episcopus. Dicebam : solus ego...* — B. *Extra subtilitatem canonum est* [ἔξω τῆς ἀκριβείας] *hæc loquerentur mecum..... non novi enim quo consisto.* — D. *Usque ad modernum tempus...* — E. *Remotus est et quomodo ego sum ordinatus. Si demum venimus, numquid sciebam quoniam hoc potuisset emere...* — 696 A. *Communicabat a me... et abripuerunt me...* — B. *Coegit nos et introduxit...* — C. *Ut non pejerem...* — D. *In veritate ad pietatem...* — E. *Meliphthongus Severus episcopus Julianopolis transiens..... reliquorum sedentium...* — 697 A. *Reverendissimi septem episcopi... memoria. Ecce ultio.....* — B. *Hic est orthodoxus, hic multos..... Reverendissimi* VI *episcopi* [VI ut supra VII sunt sigla male lecta RV. aut VI pro *reverendi* aut *venerandi*] .. — E. *Custoditis. Multos annos concilio.*

Paschasinus[1] reverendissimus episcopus obtinens locum apostolicæ sedis, dixit : « Clarent quæ ab universo concilio dicta sunt, quid de hac causa sive personis videatur, et nostrum[2] et horum est confirmare sententiam. »

Anatolius reverendissimus archiepiscopus Constantinopolitanus, dixit : « Hos qui se contra legem sponsæ Christi ephesinæ ecclesiæ conjunxerunt, hos decenter legimus[3] suis sedibus expelli. Igitur et qui insiluit sedi Bassianus reverendissimus episcopus, et qui post illum inordinate semet ipsum immisit Stephanus reverendissimus episcopus, quietem habeant, cessantes ab operatione ejusdem ecclesiæ. Dabitur autem Ephesiorum metropoli episcopus a Deo monstratus et ab omnibus qui pascendi sunt, eligendus ad ordinationem illius episcopatus, qui recte verbum prædicet veritatis; memoratis scilicet dignitatem episcopatus habentibus et communionem necessariaque salaria[4] a sanctissima consequentibus ecclesia[5]... »

FINITUR[6] ACTIO KALENDAS APRILIS. *Contuli die altero kalendas aprilis.*

(1) *Paschasinus.* Lucentius comes datur in ed. — (2) *Et nostram* B. — (3) *Legibus suis expellit* ed. — (4) *Necessariisque solatiis* B, *Salariis* al. — (5) *Ecclesia.* Sequuntur quæ in editis inde usque ad finem actionis exstant, ut XI sessio sit in codicibus nostris integra. At eo lubentius pauca perstrinximus, quod eadem dum Baluzius recenseret, cæteris tribus suis codicibus novum addidit colbertinum, in quo erant excerpta chalcedonica cum Verecundianis simillima, unde jam plerasque varietates expressit. Pauca igitur ad pensi integritatem addere tantum non piget. 700 A. *Metropoli; fide compositus...* — B. *Propter nos et nostri filii moriantur... condonentur. Vel si Bassiano in electione malorum suadeat hunc ordinari... conturbari sententiam civitatis... Reverendissimi* VII *episcopi* [ita rursus infra D, sed vide notam superiorem]. — D. *Canones obtineant. Clerici disponantur secundum consultum.* — (6) *Finitur actio kal. aprilis. Contuli die altero kal. aprilis.* Atqui certo certius est hanc Rustici esse collationem. Viden' in hujus exceptoris manus devenisse Rustici scholia? Omittimus tandem paucula quæ videbantur aliunde et ab altero corrasa, forte ex concilio CP. III, œcumenic. VI; cf. Labb. VI, 740, 748, 761, 768.

MONITUM

AD SEQUENTEM APPENDICEM.

Præter codices quinque hactenus recensitos, postmodum occurrerunt alii duo, ambo Parisienses, sub num. 1460 et 1550 in catalogo edito inscripti, quorum adeo nova insolensque facies mihi visa est ut singularis appendicis locum utrique dandum esse censuerim. Prior enim, cæteris brevior in multis, additamenti tamen aliquid habet inexspectatum. Quum enim eodem pede cum cæteris commune fecisset iter usque ad numerum nostrum 58, illico trames rumpitur, sex inde omittuntur sectiones e nostris, et nova omnino inseruntur, quæ diligenter excussa, Liberati, diaconi Carthaginensis, esse reperta sunt. Posterior vero veneranda ætate pollet, nonum ferme sæculum attingens, omnium proinde hactenus nobis cognitorum antiquior; sed adeo mira barbarie incomtus ut etiam a vetustiore (quales ferre solet ævum Carolo magno proxime superius), derivasse eum putem. Hic igitur præcipuas utriusque codicis colligere varietates non piguit, nec omittere debui e Liberati *Breviario* accessionem, quæ tam apte cum cæteris cohæret, tamque diserte refricat quasi adhuc calentem vividamque de tribus Capitulis disputationem, ut, nondum hac lite sopita, aliquem e factione defensorum hanc appendiculam in excerptionibus suis intersevisse facile opinarer. Si quis de ipso Verecundo cogitaret, statuendum illi foret aut Verecundum obiisse, contra Victoris Tunonensis testimonium, serius quam a° 552, aut Liberati libellum citius scriptum fuisse quam post a. 564, de quibus tamen eruditi satis conveniunt. Porro numeros singulis particulis præfixos cum præcedentibus numeris esse conferendos, nemo non videbit.

VERECUNDI

ET

LIBERATI DIACONI CARTHAGINENSIS

EXCERPTIONES E CONCILIO CHALCEDONENSI.

Incipiunt nonnullæ sanctiones sparsim collectæ sancti et magni concilii chalcedonensis [1].

I.

ACTIONIS I.

1. Quum in Dei nomine, sub die octava, idibus octobris [2], indict. IV, Chalcedona, Marcianus imperator in ecclesia sanctæ martyris Euphemiæ, consultu Leonis papæ, congregatis secum DCXXX episcopus [3]]

Paschasinus reverendissimus episcopus et vicarius sedis apostolicæ cum venerandis collegis suis dixit]

Præcepta habemus præ manibus]

2. *Et paulo post :* Judicii]

Nec contra patrum instituta]

3. *Quibus responsum est :* Si judicis]

4. *Et post* [*totam F*] *paginam de Theodoreto quondam episcopo qui erat injuste damnatus, ita decretum est* [4] *: Ingrediatur*]

5. *Et post paululum ita habetur :* Theodoretus [5]]

Ut sine aliqua confusione [6] auditor fiat]

Reservata videlicet per hæc omni accusatione et vobis et illi, et qui in vicem exercere F]

Nulli præjudicium generabitur]

6. *Et post aliqua dictum est :* Ea quæ...

...moveri ex pecuniariis causis]

7. *Item post alia :* Omnes... alii episcopi]

Milites ideo accepit]

8. *Item post quædam sequetur :* Non sumus]

Seditiosorum hominum clamantium et commoventium synodum]

CXXXV eramus]

Dicebant omnes ; irruerunt F]

9. *Item post aliqua dixit quidam :* Ego]

10. *Item post aliqua dictum est Basilio* [7] *episcopo :* Quare]

Necessitatem habui parere [8] his quæ ab illis ordinabantur]

Dioscorus episcopus Alexandrinus respondit : Nunc]

Non attendisti quod scriptum est]

11. *Item post aliqua Eutyches archimandrita dixit :* Directi]

Præjudicium mihi non negare G]

12. *Paulo post :* Sancta]

Et sibi adesse F]

13. *Item post multa, actione qua supra, episcopi clamaverunt :* Interfectorem]

14. *Et paulo post, Eusebius episcopus Dioscoro dixit :* Tu enim]

15. *Et paulo post :* Didicimus]

Et in reliquis actum est]

E duob. codd. paris. 1557 et 1460, quorum sigla erunt F, G. Consentiunt ambo, quoties nulla siglorum littera apponitur. Quæcumque verba italico, ut aiunt, inclinantur charactere, aut rubris aut majoribus litteris emicant in codicibus; quæ quum eadem fere in omnibus exemplaribus similiter distinguuntur, ut videre est in hisce duobus, quorum unum omnium vetustius est, alterum recentius, nihil vetat quin a primævo auctore sint hæc lemmata nobiliora; certe inepta non videbitur nostra in iis relegendis diligentia, curis quidem secundis, sed non præposteris.

(1) *Chalcedonensis.* Eumdem titulum duo codices montispessulani retinent.—(2) *Octobris.* Id est a. 540, die 8 octobris, feria 2ª. — (3) *Episcopis.* Hunc numerum codices nostri constanter retinent. Non idem vero auctorum consensus : Breviculus Eutychianistarum asserit quingentos et ultra ; Relatio synodalis ad Pontificem et sanctio Marciani ad Palladium, DXX ; Lucentius, Leonis Legatus, DC ; Seleucus Amasenus, DCXXX ; Nicephorus, lib. XV, c. 26, DCXXXVI ; Cecropius demum Sebastopolitanus in act. concil. CP. sub Menna MCC patres recensuit. Cf. Mansi VII, 50 n. c. — (4) *Ita de cæteris* F. — (5) *Theodorus et episcopus* F. — (6) *Confessione* F. — (7) *Basilo* F. — (8) *Parare* F.

16. *Et paulo post* : Mihi]

17. *Item post aliqua dictum est* : Facta]

In eum reservare concilium]

18. *Et paulo post* : Nullos]

19. *Et paulo post dictum est* : Non de parvo]

20. *Item post multum dictum est* : Si quidem]

21. *Et paulo post dictum est* : Quoniam]

22. *Et paulo post dixit Constantinus diaconus* [Eutychis F] : Quum]

23. *Item post aliqua Flavianus* [1] *episcopus Dioscoro dixit* : Occlusisti]

Et paulo post ipse Flavianus dixit : Non mihi]

24. *Item post multa dictum est* : Precamur]

II.

ACTIONIS III.

25. *Item post multa actionis tertiæ* : Notum]

26. *Item post aliqua Eusebius episcopus dixit* : Non ergo]

Quippe et si ab aliis læsus essem, non licebat mihi adversus unum quem vellem accusationem deponere. Quum vero nunc profiteor [2]]

27. *Et paulo post, quidam ex clericis Dioscoro* [3] *dixit* : Tempore opportuno vocante [4]]

28. *Item post aliqua Scyrion* [5] *Diaconus dixit* : Paratus]

29. *Et quum recitatus fuisset libellus Paschasinus episcopus in sententia omnium dixit* : Et libellus]

Lucentius episcopus dixit : Quæ per]

Pergamius, Antiochiæ metropolitanus, in sententia omnium dixit : Dicat]

30. *Et post aliqua Florentius metropolitanus Sardicensis* [6], *in sententia omnium dixit* : Certus]

31. *Et paulo post sancta synodus innotuit Dioscoro* : Mandamus]

Nomina sunt Athanasius, Simon, Theodorus, Sophronius et Theodorus G]

32. *Sancta synodus dixit* : Indignationem]

Stephanus episcopus Ephesi metropolitanus [7] *dixit* : Hoc]

Item : Omnes.

34. *Et paulo post inter reliqua dictum est et sancta synodus* [8] : Ipse Dioscorus F]

Anatolius CP archiepiscopus et reliqui episcopi dixerunt : Hæc]

35. *Et post multa Zenodotus* [9] *episcopus dixit* : Non debet.

36. *Et paulo post Menecrates* [10] *episcopus dixit* : Hæc]

37. *Et paulo post* : Dioscorum]

38. *Thalassius* [11] *episcopus dixit* : Omnibus]

39. *Item post aliqua* : Piissimis]

Vos vero christianissimi]

Et factæ interimantur discordiæ et paterna doctrina roboretur]

40. *Et paulo post* : Divinæ]

41. *Et paulo post* : Sane]

42. *Et paulo post sequitur propositio contra Dioscorum, quæ hic pro prolixitate non est inserta, et post illam sequitur damnatio Dioscori a sancto acta concilio, quæ his continetur* [12] *verbis* : Sancta]

43. *Sequitur de damnatione Dioscori epistola clericis Alexandrinis missa, quæ hic pro prolixitate non est inserta* G]

44. *Sequiturque post aliqua* : Extremæ]

45. *Item, post aliqua, in epistola quam omnes episcopi chalcedonensis concilii Leoni papæ direxerunt* [13] *inter cætera sic habetur* : Novimus]

Tuis nostrum decretis honora F]

Sicut nos tibi [14] cupiti in bonis]

Principes complacabunt]

46. *Et paulo post* : Leo]

Et sola illa infringens quæ per ambitionem Constantinopolitanorum gesta sunt [15]]

III.

47. *Et paulo post, actione IV*]

Ex gestorum et cognitionum [16] G]

(1) *Flaminianus* F hic et in seq. num. — (2) *Profiteor*. Hinc opportune impletur lacuna quam supra p. 170 suspicabar, ubi locum hiantem indicavi, n. 26. — (3) *Dioscoro* F. — (4) *Vocatio* F. Placet quidem lectio G, quam certe græca sic referrent : καιροῦ με καλοῦντος, nisi hoc ipso loco misere mutilo græca excidissent. Præterea id quod nota cit. dederam ut plane africanum, eadem lectio dispulit. — (5) *Simon* semel et iterum G. — (6) *Sardensis* G. — (7) *Metropolanus* F. — (8) *Synodus*. Brevius G : *Et paulo post dictum est*. — (9) *Zendotus* F. — (10) *Manegratis* F. — (11) *Talius* F. — (12) *Continentur* F. — (13) *Dixerunt* G. — (14) *Vel tibi* F. — (15) *Sunt*. Quæ omnino necessaria requirebantur ob lacunam ejusdem numeri indicatam supra, p. 173. — (16) *Cognitionum*. Quæ quidem lectio omnino retinenda, melior sane quam quod supra legeram :

Qui nihil in fide]

48. *Item, post quatuor folia, dictum est :* Petimus]

49. *Et paulo post dictum est :* Calopodius]

50. *Aetius*[1] *archidiaconus constantinopolitanæ ecclesiæ Calopodio dixit*]

51. *Et post aliqua :* Omnis G]

Facere lætantur F]

52. *Et paulo post :* Non licet]

Et paulo post : Sine præjudicio]

53. *Et paulo post, actione V :* Definitio]

54. *Et paulo post Illyrici episcopi dixerunt :* Qui]

55. *Et post multa, actione VI, imperator sanctæ synodo dixit :* Nos ad fidem]

Populi pravis persuasionibus F]

Diversorum pravis insinuationibus G]

56. In omnibus synodis apocrisarii]

Paschasinus episcopus vice domini mei]

57. *Item post multa, actione VII :* Placuit]

Duas Phœnicam et Arabiam]

58. *Et post nonnulla Theodoretus reverendissimus episcopus dixit :* Vere]

59. *Et post paululum, actione VIII*[2] *dictum est :* Proferatur]

60. *Et post, actione IX, dictum est :* Omnes]

61. *Item post aliqua dictum est :* Ad præjudicium]

62. *Et post multum, Deo amicissimi episcopi dixerunt :* Singuli]

IV.

Sexto [3] autem secretario [4], adveniens Marcianus imperator ad concilium cum judicibus et sacro senatu, alloquutionis verba fecit in concilio, et inter alia dixit : « Se ad confirmandam fidem, non ad potentiam ostendendam, exemplo Constantini imperatoris, Synodum intrasse : unde abjecta [5] omni pravitate et avaritia, quorumdam amputatis erroribus, in perpetuum quæ a vobis ordinata sunt, reserventur [6]. » Et recitata fidei definitione, et ab omni concilio sine aliqua dubitatione et ab omnibus subscripta est.

Septimo quoque secretario, tres actæ sunt causæ propter quod tres ejus computantur actiones.

Prima, in qua firmata sunt quæ convenerant inter Maximum Antiochenum et Juvenalem Hierosolymitanum episcopos ut duæ Phœnices et Arabia dependerent [7] antiochenæ ecclesiæ, hierosolymitanæ vero tres Palæstinæ provinciæ.

Alia quoque celebrata est actio in qua Theodoretus episcopus Cyri [8] quem Dioscorus expulerat, orthodoxus judicatus est et dignus sedis suæ.

Vel ita [9] : Paschasinus et Lucentius reverendissimi episcopi, et Bonifacius presbyter obtinentes [10] locum apostolicæ sedis [11] per Paschasinum episcopum dixerunt : « Ista quæ consentientibus fratribus nostris, Maximo reverendissimo episcopo Antiochenorum ecclesiæ et reverendissimo et sanctissimo episcopo, Juvenali Hierosolymitanorum pro bono pacis dicta esse noscuntur. Hoc est, ut Antiochenorum ecclesia duas Phœnicias et Arabiam habeat; Hierosolymitanorum tres Palæstinas habeat. Insuper et per nostræ humilitatis interloquutionem firmentur [12], ut nulla in posthac de hac causa prædictis ecclesiis contentio relinquatur.

Tertia [13] vero acta est, ubi causa Ibæ Edesseni episcopi, qui similiter fuit per violentiam ipsius Dioscori ab episcopatu depositus, legitur esse discussa, in alterum diem finali dilata sententia.

Octavo autem secretario, decima actione, eadem causa finita est, ubi et relecta sunt gesta apud Photium et Eustathium atque Uranium in Tyro ac Beryto celebrata, in quibus continentur et illa quæ apud Theodosium imperatorem super ejus negotio fuerant acta, sed et gesta apud Anthioche-

cognitione. Cognitiones enim dici solent actiones in codicibus Rustici, Verecundi et veterum. — (1) *Etius* F. — (2) *Actione* VII G. — (3) *Sexto.* Orditur hic Liberati locus e cap. XIII Breviarii. Patrol. LXIX, col. 1012-1014. — (4) *Secretario.* Posita est vox illa pro consessu sive sessione : secretarius enim in codice legum sumitur pro loco in quo judices consident; unde a loco ad ipsum consessum facta vocis translatio. GARNER. — (5) *Objecta* cod. — (6) *Observentur* ed. — (7) *Parerent sedi* edit. ex conjectura. — (8) *Cirri* cod. — (9) *Ita.* Tela rursus intercipitur, assuta hic lacinia e concilio chalcedonensi. Cf. Mansi, VII, 180 A. — (10) *Tenentes* ib. — (11) *Sedis veteris Romæ per Paschasinum reverendissimum dixerunt : hæc concordantibus*, etc. Alia id genus varia omittimus. — (12) *Ad hoc autem et nostræ humilitatis interloquutiones firmentur.* Ib. — (13) *Tertia.* Inde ad finem hujus articul. IV Liberatus pergit e loco cit.

num domnum episcopum prius habita, nec non et ipsius [Ibæ] epistola ad Marim Persam scripta, in eadem actione X^a orthodoxa pronuntiata monstratur [1] : ex ejus tenore dignus judicatus est Ibas episcopatum suamque ecclesiam recipere. In qua etiam actione id invenitur esse decretum, ut quod sub Dioscoro in Epheso congregatum est, nec vocaretur concilium, atque ut peteretur[2] ab imperatore ut hoc ipse lege [3] sanciret.

Nono quoque secretario acta est actio ubi Bassianus, qui ad civitatem Evazensium [4] episcopus ordinatus est et Ecclesiæ incubuerat Ephesinæ, et Stephanus, qui et ipse male ordinatus, prædictum Bassianum de Epheso expulerat, judicati sunt ambo removendi, ut alius ipsi ecclesiæ ordinaretur. Sed quia fuit aliquorum diversa sententia, causæ terminus in sequentem dilatus est actionem.

Decimo igitur secretario, eadem causa finita est et omnium concordi sententia uterque judicatus est amovendus. Alia vero causa acta est Eunomii Nicomediensis atque Athanasii [5] Nicæni altercationem continens, super civitatem Bassianopolim [6], quis eorum illic ordinaret episcopum; et interdictum est ne hoc Nicænus aliquando præsumeret.

Undecimo secretario, duæ actæ sunt actiones : prima, in qua ecclesiæ Perrhenensium [7] redditus est Bassianus [8] episcopus, quem Dioscorus expulerat, et Athanasium fecerat illo restitui, qui pro criminibus objectis, quum sæpe devocatus ad judicium non occurreret et episcopatui renuntiaret, a domno Antiocheno fuerat ante damnatus.

Et alia in qua, post discessum judicum et senatorum et legatorum apostolicæ sedis, regulæ constitutæ sunt ecclesiasticæ, et quædam privilegia deputata constantinopolitanæ ecclesiæ, usurpante sibi hoc Anatolio ejusdem ecclesiæ episcopo, occasione accepta ex Dioscori damnatione. Quod alia die cognoscentes legati papæ Leonis (quæ est ultima et duodecima dies concilii), petiverunt ut rursus cum judicibus ad concilium convenirent : quibus requirentibus a concilio quid pridem [9] fuerit ordinatum, lectis gestis, cognoverunt quod Anatolius, consentiente concilio, egerat et obtinuerat : quibus ejus præsumtioni contradicentibus [10], a judicibus et episcopis omnibus illa contradictio suscepta non est [11] : et licet sedes apostolica nunc usque contradicat, quod a synodo firmatum est, imperatoris patrocinio, permanet quodam modo G.

V.

63. *Et post multa, actione X, Deo amicissimi episcopi dixerunt* : Et capitulis sequitur F]

64. *Et paulo post :* Testes F]

65. *Et post aliqua Ibas epicopus dixit :* Audivi F]

66. *Et paulo post :* Convocati F]

67. *Et paulo post* : Vos autem dicitis : anno eum nominavit hæreticum. Hoc vobis necessarium comprobare. Et reliqua F]

68. *Et post aliqua Petrus episcopus Corinthi* dixit F]

69. *Et paulo post interrogatus Eunomius episcopus Nicomediæ dixit :* Quod]

Episcopi clamaverunt : Omnes hoc dicimus... quod placet ei de Iba episcopo F]

Et ob hoc decernimus et honorem episcopatus et ecclesiam, quia injuste pulsus est, ad præsens renovandum]

Paschasius et Lucentius dixerunt reverendissimi episcopi]

70. *Item post multa, actione XII, de duobus episcopis Anatolius Constantinopolitanus dixit :* Videtur [12]]

71. *Et paulo post Juvenalis episcopus dixit :* Perspicit]

72. *Et paulo post :* Omnis]

Quibuscumque personis, ab iis qui abstulerunt vel causa læsionis fuerunt [legibus F] restituantur. Et reliqua [13]]

73. *Item post multa, actione XIV :* Quæ vero F]

74. *Et paulo post :* Condolere F]

(1) *Monstratur.* Id omnes trium capitulorum defensores contenderunt, quum maxime propter Paschasini verba quæ excerptor diligenter rescribere non omisit, vide num. 69, p. 175, 176 supra; tum etiam ob ista Maximi Antiocheni consentanea : Καὶ ἐκ τοῦ ἀναγνωσθέντος δὲ αὐτογράφου τῆς ἐπιστολῆς ὀρθόδοξος ὤφθη αὐτοῦ ἡ ὑπαγορία. Sed inter plura videnda est epistola Pelagii pp. II ad Istriæ episcopos, scripta a Gregorio magno, tunc diacono. — (2) *Putaretur* cod. — (3) *Sine lege* ib. — (4) *Vagensium* ib. — (5) *Anastasii* ed. perperam.— (6) *Basilianopolis* ib.— (7) *Parensium* ib. — (8) *Redditus est Sabinianus* ib. — (9) *Pridie* ed.—(10) *Qui ejus... contradicentes* ib. — (11) *Suscepta est* ib.— (12) *Videtur*. Totus is locus in F mirum in modum depravatur.—(13) *Reliqua*. Hic nova lacuna G incipit, inde usque ad ultima verba

Quos asserat necessarium F]

Quodammodo detur piissimum est F]

76. *Et paulo post* : Bonum F]

77. *Et paulo post* : Nam si]

Nihil est reliquum, nisi fiant omnes ecclesiarum præsules lusum [1] et per hæc statuatur diabolicum instrumentum F]

78. *Et paulo post Phosphorus episcopus dixit* : Ea quæ F]

Daniel episcopus dixit : Palam est F]

Et reliqui episcopi dixerunt : Athanasius]

Josephus episcopus dixit : Tertio repudiando Athanasius episcopus et nolendo apud amicum]

Certum est quoniam conscientia mala sit usus].

Paulus episcopus dixit : Tertio ad audientiam evocatus Athanasius episcopus et nolendo apud amicum suum et tertio, Perrhenorum episcopatum repudiavit [2]]

Similiter et cæteri episcopi dixerunt.

79. *Inter cæteros Theodorus episcopus dixit* : Videtur Athanasius F]

81. Placet eum qui pro quibusdam rebus incongruis evocatus tam a proprio archiepiscopo quam a sancto concilio non venit [3] G]

82. *Et paulo post* : Nos deposuimus... secundum regulas]

83. *Et paulo post* : Ex una]

Dixerunt gloriosissimi principes [4] : Dicat]

Athanasius episcopus dixit : Quoniam inimicus meus... probari [5]]

Ex una parte justum remotum est F]

Maximus [6] *episcopus Antiochiæ dixit* : Hoc nihil justius]

Cyrus episcopus dixit : Deus per vos loquutus est.

Sancta synodus dixit : Nihil integrius; hæc justa sententia ; quæ disposita sunt, effectui mancipentur].

VI.

QUÆ SEQUUNTUR EX PRÆDICTO CONCILIO DIVERSA PER LOCA COLLECTA SUNT QUÆ SUIS INSERTA [7] LOCIS A QUÆRENTIBUS REPERIUNTUR.

84. *Eusebius religiosissimus episcopus Dorylæi civitatis* [*transiens in medium* F] *dixit* : Per salutem vos dominorum]

Jubete preces meas perlegi [8]]

Gloriosissimi judices amplissimi senatus dixerunt : Preces F]

Mundum replesset sua vi magnus iste Dioscorus [9] F]

Gloriosissimi judices et amplissimus senatus dixerunt : *Solvantur quæ ingerantur.*

Dioscorus reverendissimus episcopus Alexandriæ dixit.

Eusebius religiosissimus episcopus Dorylæi dixit : Hæc et nos postulamus F]

Gloriosissimi judices et amplissimus senatus dixerunt : Omnia supplico vestram magnificentiam F]

Gloriosissimi judices et amplissimus senatus dixerunt : Interim F]

Constantinus devotissimus a secretis sacri consistorii dixit : Habentur F]

Divæ memoriæ Theodosius Dioscoro religiosissimo episcopo Alexandriæ dixit : Imperatores F]

Subditis proprietate et mansuetudine F]

Ipsi Deo inferre contumelias viderentur F]

num. 76 : *Sic enim odit Deus...* notentur. Quibus relatis, excurritur iterum ad medium usque num. 78 : *Et reliqui episcopi dixerunt : Athanasius.* — (1) *Lusum.* Constanter omnes nostri codices quasi neutrum legunt : *lusum.* Supra tamen p. 177, ne lector nimis offenderetur, inter uncos inseruimus voculam quæ quum uno minimo apice soleat scribi, facile potuit excidere, ut legas *in lusum*, juxta editos libros. Vix dubito quin neutrum nomen hic usurpetur latine, similiter ac græca quæ de verbo reddidit noster interpres, edito strictior : Λείπεται οὐδὲν ἢ πάντας τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτας παίγνιον εἶναι καὶ τῶν διαβολικῶν ὀργάνων, at ex nostris ultimum illud per me correxeris in hunc modum : καὶ διὰ τούτων διαβολικὸν ὄργανον. — (2) *Repudiavit.* Inde in G transitus ad num. 81, præfixo lemmate n. 79 : *Theodorus episcopus dixit* : Placet, etc. — (3) *Venit.* Paulo aliter F, sed depravate. — (4) *Patres* alias, aliasque *judices*, pro græco : ἄρχοντες. — (5) *Probari.* G non habet cætera fere usque ad finem hujus artic. — (6) *Marcianus* G, inde iterum pergens, omisso tamen prolixo cæterorum codicum titulo ad ultima excerpta. — (7) *Diversa* F. — (8) *Perlegi.* Ab hinc columnæ quatuor [supra p. 179-181], usque ad n. 85 in G non comparent. — (9) *Dioscorus.* Ecce novam sibi viam instruxit vetus F scriptor in loco quem jam antea, p. 179, n. 10, dixi tricis obsitum. Ne quidquam tamen dissimulem, paulo secius legitur in F : *sua vi si magnus Dioscorus*, ubi vocula *si* quasi ansa intercedit ad prodigiosam lectionem editorum omnium : *Replesset* SUAVIS *iste Dioscorus*, et aliam æque miram nonnullorum codicum : SUAVISSIMUS *iste Diosco-*

Ideoque sanximus[1] in unum F]

Præ cunctis apud cunctos eminent F]

Doctrina orthodoxæ fidei F]

Quin mala propria conscientia sauciatus F]

Datum[2] III *kal. apr. Constantinopoli P. C. Zenonis et Posthumiani* VV. CC. *cons.*

Constantinus devotissimus a secretis sacri consistorii dixit : Eodem]

85. *Item post alia multa Eutyches archimandrita dixit* : Ego... Justitiæ[3]]

86. Insidiantium pro his F]

87. *Eutyches dixit* : Ego quodammodo F]

88. *Item alibi Flavianus episcopus dixit* : Utinam].

89. *Item alibi* : Dei est F]

90. *Et alibi* : Nullus tibi concedet... de præteritis[4]]

91. *Et alibi Eusebius episcopus dixit* : Postulo F]

92. *Et alibi* : Oportet F]

93. *Et alibi* : Litteræ]

Et ideo per damnationem libelli F]

Et nunc de fide libelli G]

94. *Et alibi* : In talibus... dicatur et subscribatur[5]]

95. *Et alibi Dei amantissimus episcopus Seleucius dixit* : Dignus F]

96. *Sanctissimus archiepiscopus dixit* : Siquidem.... et consistere nobis F]

97. *Et alibi Paulus episcopus dixit* : Quia prædictus presbyter]

98. *Item alibi* : Multi F]

99. *Et alibi* : In actibus F]

100. *Et alibi* : Salva F]

102. *Et alibi* : Neque enim monasterium[6]]

103. *Et paulo post* : Ad summam F]

104. *Et alibi* : Regula]

105. *Item* : Hæc est fides patrum : qui aliter sapit, anathema sit[7]]

106. *Item Eusebius Ancyræ episcopus dixit :* Ego relationem non suscepi... multorum hominum depositiones F]

107. *Item* : Non possunt F]

108. *Item* : Ad præjudicium]

109. *Et alibi* : Omnis qui salutarem pœnitentiam non suscipit, anathema sit.

Qui permanet in malignitate sua, subjacebit canonum vindictis[8] G.

VII.

INCIPIT ACTIO XI.

III. *Consulatu domini nostri Marciani piissimi perpetui* [Patris patriæ[9] F] *augusti* et qui fuerit renuntiatus, quarto calendas novembris in Chalcedonia]

Ingressus Bassianus pridem F]

Gloriosissimi judices dixerunt : Litteræ]

[*Pergit continuo actionis undecimæ textus in utroque codice, sed hic illic brevior in G; in F vero codice deficiente, abrumpitur in his verbis* : Gloriosissimi judices dixerunt : Si Proclus sanctæ memoriæ, qui fuit archiepiscopus regiæ Constantinopolis, suscepit Bassianum reverendissimum episcopum et communicavit ei tamquam episcopo Ephesiorum metropolis, reverendissimus clerus sanctæ CPanæ ecclesiæ nos edoceat].

rus. Sed recole quæ paulo supra, ne nimium his salebris hæream. — (1) *Sanximus*. Ita supra in eadem col. pag. 181 : *Sanximus non prius*. — (2) *Datum*. Stricte codex : *Dat.* III *ka. P. Constantinopolitani* Pc. *Zenonis et Pumiani* (littera P inferius transfixa et secus; alio enim signo indicatur syllaba prima *Posthumiani*) *vv. m. cem. cons*. Quæ nolim non conferas cum not. 6 ejusdem pag. 181. — (3) *Justitiæ*. His quasi raptim libatis, G transilit ad num. 90. — (4) *Præteritis*. Et inde in G saltus ad num. 93. — (5) *Subscribatur*. Idem omittit octo numeros subsequentes.—(6) *Monasterium*. Ab eodem exsulat num. 103. — (7) *Sit*. Item num. 106 et 107.—(8) *Vindictis*. Verum G, tot aliis omissis, solus hæc habet.—(9) *Patriæ*. Legit enim F, loco *piissimi, perpetui*, hæc solemnia nummorum sigla *Pa. Pa.*

RUSTICI S. E. R. DIACONI

(Forte et Verecundi)

SCHOLIA, DISTINCTIONES ET COLLATIONES

IN ACTA CONCILII CHALCEDONENSIS.

ARGUMENTUM. — Quid de Rustico sentiendum et qua occasione censuris canonicis se una cum Verecundo miscere implicuerit, non est hic regerendi locus. At utriusque fuisse communia studia, eamdem causam, unanimemque consensum, nemini ambiguum erit, dum praecedentia cum hisce vel perfunctorie contulerit. Ea saltem præcipua quæ hanc et inde maxime conveniunt, dum omnia scholia hic perstringere nequeam, satis erit sub certis componere lemmatibus, et sub iisdem quibus jam Verecundi excerpta distinximus. Habeto igitur :

1. In Dioscorum num. 176, 181, 184, 213, 236, 239, 249, 253, 259, 265, 268, 282, 283, 289, 328, 329, 344, 355, 376, 446, 450, 455, 464, 467, 472, 516, 549, 555, 605, 612, 614, 620, 635, 638, 661, 669.

2. De Theodoreti causa, num. 78, 198, 207, 290, 326, 470, 609, 698, 699.

3. Pro Iba Edesseno, num. 78, 201, 202, 203, 297, 459, 351, 559, 632, 643, 747, 649, 701, 706 sqq.

4. Ad tuendam sedis apostolicæ auctoritatem, num. 23, 24, 25, 212, 236, 249, 261, 299, 494 sqq., 552, 553, 554, 574 sqq., 606, 633.

5. Adversus Eutychen et Monophysitas, num. 6-15, 18, 22, 180, 260, 262, 336, 348, 375, 376, 383, 384, 385, 408, 415, 418, 419, 423, 430, 444, 465, 661, 670.

6. Qua juris regula exeutiantur canonica de fide et de episcopis judicia, et ne nimis superbiat cæsarea ac sæcularis potestas, num. 96, 182, 189, etc., 214, 233, 436, 437, 438, 442, 710, 722-725.

7. Adde non paucas ad historiam, et de re dogmatica, canonica, philologica varietates in num. 26, 27, 201, 202, 203, 254, 293, 297, 307, 330, 331, 340, 363, 374, 395, 443, 488, 504, 511, 514, 517, 522, 552, etc.

(Litterulæ græcæ singulis scholiis bis præfiguntur in loco signorum quæ multa cum elegantia et varietate tam in textu quam in margine codicum iterantur.)

PARS I.

A′

Rescriptum de fide, factum manu propria Flaviani archiepiscopi CP, datum ab eo poscenti imperatori. Flavianus episcopus Constantinopolitanus piissimo et amatori Christi imperatori nostro Theodosio, salutem. Nihil ita convenit]. Cf. Baluz. *Coll. concil.* t. I, col. 1011; Harduin. t. II, col. 7; Mansi, t. VI, col. 542.

1. α. Et unam quidem Dei Verbi naturam]. Ibid. — α. *Nota* unam Dei Verbi naturam incarnatam¹. A.

B′

Epistola Leonis archiepiscopi Romæ ad Eutychen scripta. Desideratissimo filio Eutychi, Leo episcopus. Ad notitiam nostram]. Harduin. t. II, c. 1; Baluz. ibid.; Mansi, t. V, 1323, n. 1.

2. β. Litteris]. — β. Epistolis A.

Γ′

Incipit [epist.] Petri episcopi Ravenniensis ad Eutychen presbyterum scripta. Dilectis-

Ex tribus codd. sæc. IX, Sangerm. 368, Paris. 1458, Montepessulano 58, quorum vide descriptionem in Prolegg. Eodem ordine sigla erunt A, B, C; sed nulla littera ponitur ubi tres una concordant, neque etiam in parte 1ª, quoties A et C consentiunt, quum eadem pars fere integra in B perierit.

A′. Omisere editiones has omnes græcas numerales litteras, quas certe Rusticus præ oculis habuit, forte et ipse inseruit; quibus nimirum et quæ epistolæ et quo ordine in acta genuina inserta sint, commodissime demonstratur. — (1) *Incarnatam.* Et hanc cæterasque fere omnes prioris partis notas, aliasque alibi bene multas constanter omisit Baluzius, eo videlicet quod nullam in textum inducebant varietatem : id vero satis non advertens, hæc quantumvis jejuna scholia non temere in marginibus poni, quibus quippe firmius et assertius doctrina catholica suis definita terminis et quasi digito ostensa declaratur.

simo et honore digno filio Eutychi presbytero, Petrus episcopus Ravennæ. Tristis litteras [1] tuas, scripta mœsta, mœrore debito percurri]. Baluz. 1012; Harduin. col. 12; Mansi v, 1347.

Δ′

Incipit epistola sanctissimi archiepiscopi Romæ Leonis ad Flavianum archiepiscopum CP. Dilectissimo fratri Flaviano episcopo Leo episcopus. Quum christianissimus et clementissimus imperator]. Baluz 1012; Harduin. col. 1; Mansi, v, 1323.

E′

Incipit epistola Flaviani archiepiscopi CP. ad Leonem archiepiscopum Romæ. Sanctissimo et Deo amantissimo patri et consacerdoti Leoni Flavianus in Domino salutem. Nihil est quod stare faciat]. Baluz. 1013; Harduin. col. 8; Mansi v, 1330.

3. γ. Nec timuit regis veri præceptum... secundum carnem esse nobis consubstantialem.	γ. (*Hæc in margine C continuis meniscis circumducuntur : id vero semel tantum notetur*).

Ϛ′

Epistola sanctissimi archiepiscopi Romæ Leonis ad Faustum presbyterum. Dilectissimo Fausto presbytero Leo episcopus. Gratum semper est mihi]. Baluz. 1015; Harduin. 22; Mansi vi, 91.

4. δ. Transcribenda *in margine* A.	δ. Gratum semper est mihi, etc.

Z′

Epistola encyclica sive synodica sanctissimi archiepiscopi Romæ Leonis ad Flavianum archiepiscopum Constantinopolitanum, quæ non posita cum istis epistolis eo quod in gestis sancti et universalis concilii chalcedonensis tertiæ actionis inserta sit. *Explicit Z′.*

H′

Epistola Flaviani archiepiscopi Constantinopolitani scripta ad eumdem archiepiscopum senioris Romæ Leonem. Sanctissimo et beatissimo patri et consacerdoti Leoni Flavianus in Domino salutem. Pietate et recta prædicatione]. Harduin. 3; Mansi v, 1355.

5. ε. Diversæ quidem ad unitatem veram... Unum Dominum Jesum Christum]. 5.	ε. (*Hæc sententia in margine* A *obelis*, *in* C *virgulis distinguitur. Sic obelis* A *transfixit supra Eutychetis blasphemias* [2]).

Θ′

Epistola sanctissimi archiepiscopi Romæ Leonis ad Julianum episcopum Cohensem. Dilectissimo fratri Juliano Leo. Licet per nostros]. Harduin. 11; Mansi v, 1418.

6. ζ. Quid autem prodest imprudentissimo seni, Nestorianæ hæreseos nomine eorum lacerare opinionem]. Mansi, 1418 B.	ζ. Antiqua fraus Eutychianorum, Nestorianæ [hæreseos] nomine criminari catholicos [3]. A.
7. η. Nestorius a veritate discessit, deitatem Verbi ab assumti hominis substantia separando]. Ib. C.	η. Deitatem Verbi ab assumti hominis substantia Nestorius separabat A.
8. θ. Qui enim negat verum hominem Jesum Christum, necesse est]. Ib.	θ. [*Nota*] verum hominem Ihm Xpm, sed mediatorem Dei et hominem A.
9. ι. Qui erat in forma Dei manens, idem in forma servi]. Ib.	ι. Qui erat in forma Dei manens, idem in forma servi homo natus.
10. κ. Si Christus... suscepisse non creditur]. 1419. A.	κ (*Nota*) veram veri hominis totamque naturam A.
11. λ. In susceptione autem hominis non unius substantiæ, sed unius ejusdemque personæ]. Ib. B.	λ. In Deitate Trinitatis, unius naturæ; in susceptione hominis, unius personæ : optima est definitio [4].
12. μ. Assumtam naturam beatificans]. Ib.	μ. Assumtam naturam beatificans, glorificatam [5] in glorificante A.
13. ν. Ut hanc uni-	ν. Unitatem sui at-

(1) *Tristis legi tristes litteras et scripta* edit., nulla hic varietate notata, neque in præscripta epigraphe, quæ ad græcorum exemplarium fidem habet: *Dilectissimo et merito honorabili filio Eutycheti presbytero.* —(2) *Blasphemias.* Innumera id genus omitti deinceps oportuit.—(3) *Catholicos.* Unam hanc primam annotationem Baluzius excepit, cæteris novem omissis, quod vere mirandum. Sed totus erat in philologicis varietatibus venandis, ut eum sæpe fugerint quæ dogmatica mere aut historica erant.—(4) *Optima et de unitione* A. *Optima* deest in C. — (5) *Glorificata.* Nota in C exesa.

tatem sui, atque hominis]. Ib. c. — que hominis [1] deitatis præstat potestas A.

14. ξ. Unus in utroque est]. Ib. — ξ. Unus in utroque est, idem aliter A.

15. ο. Quia, assumti, non assumentis provectio est]. Ib. d. — ο. Nota. Exsultatio assumti, non assumentis A.

16. π. Copulavit]. 1422. A. — π. Alias *copularet* A.

17. ρ. Nihil enim carnis]. Ib. c. — ρ. Alias *nam non carnis* A.

I'

Epistola sanctissimi archiepiscopi Romæ Leonis ad Faustum, Marcianum, et reliquos archimandritas Constantinopolis. Dilectissimis filiis Fausto et Marciano et reliquis archimandritis Leo episcopus. Quum propter causam fidei... Data id. jun., Austurio et Protegene consulibus]. Mansi v, 1406, n. IX.

18. σ. Qui in Christo humanam negat esse naturam]. — σ. [*Nota*] in Christo nostram naturam. A.

IA'

Epistola sanctissimi archiepiscopi Romæ Leonis ad imperatorem Theodosium. Quantum rebus humanis]. Mansi v, 1391, n. X.

19. ς. Quæ merito reprobatur]. 1391. B. — ς. Alibi *merito reprobabilis* A.

IB'

Epistola Leonis archiepiscopi Romæ ad Pulcheriam Augustam. Quantum tibi fiduciæ]. Harduin. 29; Mansi v, 1398.

20. τ. Nam quantum Nestorius a veritate excidit]. Ib. B. — τ. Nestorium dixisse solum hominem natum [2] A.

21. υ. Plus generis ac seminis]. Ib. C. — υ. *Illius genus et semen* [3] A.

22. φ. Ita ut quod male senserat, propria voce et subscriptione condemnet]. 1399. B. — φ. Ordinem reddit hæresiarchæ, si pœnituerit A.

IΓ'

Epistola sanctissimi archiepiscopi Romæ Leonis scripta ad secundum concilium ephesinum contra Eutychen, quæ producta [4] quidem est, occultata vero, propter quod non fuerit concessa publicari episcopis a Dioscoro. Religiosa clementissimi principis]. Mansi v, 1410; Harduin. 19.

IΔ' [5]

Epistola sanctissimi archiepiscopi Romæ Leonis ad imperatorem Theodosium, qua rogavit speciale concilium in Italia fieri et in nullo alio loco, eo quod contraria sit canonibus secunda synodus ephesina. Olim et ab initio in conciliis]. Mansi, VI, 14; Harduin. 27.

23. χ. Narratore Hilario diacono]. — χ. Omnia ad se pervenisse [6] A.

24. ψ. Omnia in eo statu]. Ib. — ψ. Omnia ab eo suspendi A.

25. ω. Quæ repellat]. Ib. — ω. Omnes offensiones A.

IE'

Epistola alia sanctissimi archiepiscopi Romæ Leonis ad imperatorem Theodosium culpans ephesium concilium. Quoniam in urbe Roma]. Mansi VI, 14, n. XX.

26. α. Comperimus enim]. — α. De sancto Hilario tum diacono A.

27. β. Alios rejectos didicimus]. — β. De sacerdotibus rejectis A.

28. ϐ. Ante omne judicium]. — ϐ. Omnia dixit A.

29. γ. Et sancta synodus Romæ collecta]. — γ. Alias : *qui in urbe Romæ convenit* C.

30. δ. Alios relictos]. — δ. Alias *rejectos* C.

31. ε. In Ecclesiam revertatur]. — ε. Alias *sæviret* C.

32. ζ. Inluditur]. — ζ. Alias *inludit* C.

33. η. Salutaribus]. — η. Alias *salutaribus* [7] C.

34. θ. Datum III id]. — θ. Alias IV C.

(1) *Homo* A.— (2) *Natum.* Editi in margine eodem sensu : *Nestorii et Eutychis par impietas.*—(3) *Semen.* Tenue illud, ut sequens, sed e re Baluziana, quod is tamen omissum fecit, ut cætera longe pluris et plura. — (4) *Perducta* Harduin. — (5) IΔ cod. A. IA in cod. C. — (6) *Pervenisse.* Vide romana πρεσβεῖα paucis egregie statui; cuncta sustulit Baluzius. Sed ultima et sequentia invidiose ætas corrasit in C. — (7) *Salutaribus.* Huic notæ Harduinus tandem locum fecit, neminem monens a Rustico notari varietatem.

IϚ′ [1]

Epistola papæ Leonis et sancti concilii quod Romæ collectum est ad Pulcheriam augustam. Gloriosissimæ et clementissimæ filiæ Pulcheriæ augustæ Leo episcopus et sanctum concilium Romæ collectum. Si epistolæ quæ]. Harduin. 29; Mansi VI, 19.

35. ν. Pulchriæ].	ν. Alias *Pulcheriæ* C.
36. ξ. Gererentur].	ξ. Al. *Generentur* C.
37. ο. Asterio].	ο. Alias *Asturio* C.

IZ′

Epistola Hilari diaconi romani ad Pulcheriam augustam. Gloriosissimæ atque piissimæ Pulcheriæ augustæ Hilarus diaconus. Studium mihi fuisse]. Harduin. 34; Mansi VI, 33.

38. σ. Pulchriæ].	σ. Alias *Pulcheriæ* C.
39. ς. Reverentissimi].	ς. Al. *et sanctissimi* C.
40. τ. Cognoscat meum].	τ. A præfato papa C.
41. υ. Quæ vero constanti ac forti auctoritate a me annuntiata sunt].	υ. Quia quæ iste nuntiavit, ipse Leo papa rescripsit ad Pulcheriam augustam [2] A.

IH′ [4]

Epistola Gallæ Placidiæ augustæ ad Pulcheriam augustam. Galla Placidia semper augusta Helenæ Pulchriæ piissimæ semper augustæ filiæ. Ut Romam frequentibus]. Harduin. 38; Coteler. *Monum.* t. I, p. 62; Mansi VI, 55.

42. ι. Helenæ].	ι. Alias *Eliæ.*
43. κ. Habeamus].	κ. *Exhiberemus* C.
44. λ. Desiderium pœne suis].	λ. Alias *desiderium pœne suum* C.
45. μ. Voluntatem nostram].	μ. Alias *vol. namque* C.

IΘ′ [3]

Sacræ litteræ Valentiniani imperatoris ad Theodosium augustum, ut juberet in partibus Italiæ concilium celebrari. Domino meo Theodosio gloriosissimo victori ac triumphatori perpetuo imperatori et patri Victor Valentinianus, etc. Quum advenissem]. Harduin. 35; Mansi VI, 50.

46. π. Adversus religionem].	π. Alias *atque religione* C.
47. ρ. Explanationem].	ρ. Alias *exclamationes* C.

K′

Epistola Placidiæ ad Theodosium imperatorem. Domino victori Theodosio triumphatori semper augusto filio Galla Placidia piissima et perpetua [5], augusta mater. Dum in ipso ingressu]. Harduin. *ib.*; Mansi VI, 51.

48. φ. In unum e mirabilibus civitatibus].	φ. Alias *ex innumerabilibus* C.
49. χ. Episcopo romano].	χ. Alias *Romæ* C.
50. ψ. Episcopatus ornavit].	ψ. Alias *ordinavit* C.
51. α. Terrarum].	α. Alias *tuarum* [6] C.
52. β. Similia generentur].	β. Alias *schismata generentur* C.

KA′

Epistola Liciniæ Eudoxiæ ad Theodosium imperatorem. Domino Theodosio inclyto [7] semper augusto et patri Licinia Eudoxia piissima et perpetua [8] augusta filia. Omnibus notum est]. Harduin. 38; Mansi VI, 54.

53. β. Optulit].	β Alias *attulit* C.
54. γ. Omnino].	γ. Alias *omnem* C.
55. δ. Has litteras].	δ. Alias *eas* C.
56. ε. Perquiratur].	ε. Al. *perquiratis.* C.

(1) IϚ sub numero XV in cod. B, et cæteræ sub num. seqq. — (2) *Augustam.* Et his Baluzius pepercit, nec auctorem tacuit. Alia manus, sed codici coæqualis, hæc in A postmodum notavit. — (3) IΘ in A sub siglis IE′. In C sub numeris romanis ponitur XX° loco. — (4) *Tam a domno nostro Valentiniano quam a divæ memoriæ Placida, nec non et Eudoxia augusta ad* A. — (5) *Semper florens* ed. — (6) *Tuarum.* Duas ultimas notas Harduinus suas fecit. — (7) *Inclyto* omisere edd. — (8) *Et florens* ib.

KB'

Epistola Theodosii imperatoris rescripta ad Valentinianum augustum. Domino meo Valentiniano augusto Theodosius. Et Romæ pervenisse]. Harduin. 39; Mansi vi, 67.

57. ζ. Rectæ fidei aut injuste]. — ζ. Alias *regulæ fidei aut justitiæ* C.

KΓ'

Epistola Theodosii rescripta ad Gallam Placidiam. Dominæ meæ Placidiæ venerabili augustæ Theodosius. Ex litteris vestræ mansuetudinis]. Harduin. ib.; Mansi vi, 70.

58. η. *Ad Placidiam augustam.* — η. Alias *ad Gallam*].

59. θ. Manifestum est]. — θ. Alias *manifestavit* C.

60. ι. Aut cogitetis]. — ι. Alias *cogatis* C.

KΔ'

Epistola Theodosii imperatoris ad Eudoxiam augustam. Dominæ meæ Eudoxiæ venerabili augustæ Theodosius. Semper equidem tui desiderii]. Mansi vi, 105.

61. κ. Amoveretur]. — κ. Alias *removeretur* C.

62. λ. Ista dicta sint]. — λ. Alias *ista decisa sint* C.

KE'

Epistola [1] *papæ Leonis et ejus concilii ad clerum, ad nobiles CPolis et populum CPanum.* Leo episcopus et sancta synodus quæ in urbe Roma convenit, clero, honoratis et plebi consistenti CPolim, dilectissimis filiis in Domino salutem. In notitiam nostram]. Harduin. 30; Coteler. *Monum.* 1, 57.

63. μ. Asterio et Protegene]. — μ. Al. *Asturio et Protægone* C.

KϚ'

Epistola [2] *papæ Leonis ad archimandritas Constantinopolitanos.* Leo episcopus et sancta synodus quæ in romana civitate collecta est, Fausto, Martino, Petro, Magno, Heliæ, etc. Quamvis ea quæ ad CPanam ecclesiam]. Baluz. 1022; Mansi vi, 31.

64. ν. Et cæteris presbyteris et archimandritis]. Mansi vi, 31. — ν. Monasteriorum constantinopolitanorum dilectissimis filiis in Domino salutem].

65. ξ. Damnaverunt]. — ξ. Al. *clamaverunt* C.

66. ο. Adhortationibus]. — ο. Al. *exhortationibus* C.

67. π. Ab Ecclesiæ puritate B]. — π. De Ecclesiæ macula C.

KZ'

Epistola Valentiniani et Marciani imperatorum ad papam Leonem. Victores Valentinianus et Marcianus gloriosi, triumphatores, semper augusti, Leoni reverentissimo archiepiscopo gloriosæ civitatis Romæ. Ad hoc maximum imperium]. Harduin. 41; Mansi vi, 114.

68. ρ. Atque statu]. — ρ. Al. *et statum* C.

69. σ. Quæ nos]. — σ. Al. *quatenus* C.

70. ϛ. Et Abieno VC]. — ϛ. Al. *Avenieni* C.

KH'

Epistola piissimi Marciani imperatoris ad papam Leonem. Leoni reverendissimo episcopo Ecclesiæ reverendissimæ civitatis Romæ Marcianus augustus. De studio et oratione]. Harduin. 41; Mansi vi, 114.

71. τ. Ad papam Leonem]. — τ. *Archiepiscopum Romæ Leonem*].

72. υ. Reverendissimæ civitatis]. — υ. Al. *gloriosissimæ*.

73. φ. Hoc honore]. — φ. Al. *hoc facere* C.

(1) *Epistola sanctissimi archiepiscopi Leonis et ejus sancti concilii ad clericos et honoratos et omnem populum CP.* A. — (2) *Sanctissimi archiep. Romæ*, et infra *ad archiepiscopum Romæ* A.

ΚΘ′

Epistola Pulcheriæ augustæ ad papam [74. Al. *ad sanctissimum archiepiscopum Romæ*] *Leonem*. Leoni reverendissimo episcopo ecclesiæ gloriosæ Pulcheria augusta]. Harduin 43; Mansi VI, 102.

75. ψ. Litteras vestræ beatitudinis]. — ψ. Al. *Tuæ beatitudinis*. C.
76. ω. Qualem debet]. — ω. Al. *qualis* C.
77. α. Ab orientis]. — α. Al. *ab orientalibus* C.
78. β. Et hos similiter episcopos qui propter eamdem causam exsilio deportati sunt]. B. — β. Ut pro Flaviano et Eusebio, sic pro Theodoreto et Iba similiter [1] A.

Λ′

Sacræ litteræ missæ a Valentiniano et Marciano ubique ad religiosos episcopos, quatenus omnes in Nicæa convenirent. Imperatores, Cæsares, etc. Omnia ad veram fidem]. Harduin. 46; Mansi VI, 551.

79. γ. Nicæam civitatem. — γ. Al. *Nicenam* C.
80. δ. Ipsi consilio]. — δ. Al. *in ipso* C.
81. ε. Curæ nos]. — ε. Al. *nobis* C.

ΛΑ′

Item sacræ litteræ eorumdem piissimorum [82. Al. *imperatorum* C] *ad Deo-amantissimos episcopos* [2]. Victores Valentinianus et Marcianus gloriosi ac triumphatores semper augusti. Omnibus rebus oportet]. Mansi VII, 678.

83. η. Ambiguitates]. — η. Al. *dubietates* C.

ΛΒ′

Sacræ litteræ missæ ad synodum in Nicæa a Valentiniano et Marciano. Studii nostri est congruenter decerni ea quæ sanctæ et orthodoxæ religionis exsistunt, quatenus omnis ambiguitas perimatur, et decens pax sanctissimis et catholicis reddatur ecclesiis]. Baluz. 1025.

ΛΓ′

Sacræ litteræ missæ a piissima [84. Al. *et christianissima*] *augusta Pulcheria ad consularem Bythiniæ Strategium* [85. Al. *Stragium*] *ut curam haberet circa disciplinam synodi perhibendam*, antequam placeret de Nicæa ad Chalcedoniam mutare concilium, intentionis nostræ]. Harduin. 47; Mansi VI, 555.

86. κ. Prava quadam]. — κ. Al. *parvo* C.
87. μ. Commotione]. — μ. Al. *contentione* C.

ΛΔ′

Sacræ litteræ missæ sancto concilio quod in Nicæa concurrerat, ut deberet Chalcedonam [88. Al. *Chalcedoniam*] *migrare*. Victores Valentinianus, etc. Festinantes ad sacrum]. Harduin. 47; Mansi VI, 559.

89. ν. Unde licet]. — ν. Al. *videlicet* C.
90. ξ. Archiepiscopo felicissimæ urbis Romæ]. — ξ. *Reverendissimi. Episcopi et presbyteri* C.
91. π. Percurrimus]. — π. Al. *percucurrimus* C.

ΛΕ′

Exemplar [3] *imperialium litterarum, quæ Nicæam missæ sunt sancto concilio, dum*

(1) *Similiter*. Hic certamen incipit aperte pro defensione trium capitulorum. — (2) *Episcopos*. Ejusdem epistolæ exemplar, sed ex alia versione, insertum est in actis (Harduin. 46), non omnibus episcopis, sed Anatolio CPano inscriptum. Ab illa epistola incipit cod. Parisiens. B, sub siglis græcis ΛΕ. — (3) *Exemplar*, et duobus his verbis idem incipit, uno quaternione avulso. Cæteri namque epistolarum tituli numeris infra positis continuo inde a secundo fasciculo recensentur.

adhuc piissimus imperator in Thracia resideret, ut deberet indifferenter Chalcedonam migrare. Imperator Valentinianus, etc. Dudum quidem et per alias]. Harduin, 51 ; Mansi, 559.

92. ρ. Itaque venire]. — ρ. Al. *advenire* C.

93. ς. Segnitatem]. — ς. Al. *Segnitiem* C.

94. τ. Datum kal. octobris, Heraclea. — τ. Explicuerunt quæ ante gesta præmissa sunt.

NUNC INCIPIUNT GESTA PRIMA CONCILII CHALCEDONENSIS.

[illegible] IN LATINUM [illegible] AD EXEMPLUM [illegible] ACŒMITARUM MONASTERIO[1]

EMENDAVI [A, B, C].

SCHOLIORUM PARS II.

CONCILII CHALCEDONENSIS ACTIO PRIMA IN NOMINE DNI NRI IHV XPI

COEPIT EMENDARI D. KL. MAR. X. IND. XII [*forte* XI †].

95. ρ. Consulatu sacratissimi... indictione IV] Mansi, t. VI, p. 563. — ρ. Acumtens[2]. non habet A. B.

96. σ. Sacratissimi]. Gr. τοῦ θειοτάτου. — σ. Acum. *Divinissimi* A. B.

97. ς. Vincomalo]. — ς. Al. *Vinæ malo* C.

98. τ. Florentio]. — τ. Al. *Florentino* C.

99. υ. Ologio]. — υ. Al. *Eulogio* C.

100. φ. Pascasino] — φ. Al. *Pascasio* C.

101. χ. Sacratissimi Leonis]. — χ. Al. *sanctissimi* C.

102. α. Almæ urbis Romæ]. Mansi 566 sqq. — α. Acum. *senioris urbis* A, B.

103. β. Inclytæ urbis CP]. Gr. μεγαλωνύμου. — β. Acum. *magninominis urbis* A, B.

104. β. Sanctis et religiosis]. Gr. εὐλαβεστάτων. — β. Al. *sanctissimis et religiosissimis* C. Acum. *reverendissimis* A, B.

105. γ. Constantino presbyteris]. — γ. Alias *presbytero* C.

106. δ. Agente vices]. — δ. Acum. *tenente locum* A, B.

107. ε. Agente vices]. — ε. Acum. *tenente locum* A, B.

108. ζ. Epefamio]. — ζ. Al. *Epiphanio* C.

109. η. Agente vices Olympii]. — η. Acum. *tenente locum* A, B.

110. θ. Dautiopolitani[3]. — θ. Al. *Claudiopolitani* C.

111. ι. Munechio gr. Νουνεχίον]. — ι. Al. *Nunechio* C.

112. κ. Honisifero]. — κ. Al. *Onesiphoro* C.

113. λ. Gorthenis]. — λ. Al. *Gorthynæ* C.

114. μ. Abilæ. Gr. ἀλοῦ. — μ. Acum. *Aiche* A, B.

115. ν. Areta elusæ]. — ν. Al. *Aretæ lusæ* C.

116. χ. Munonio Zoaræ]. — χ. Al. *Musonio* C *Sigor* B.

117. ο. Agoti]. — ο. *Azoli* C.

118. π. Juliano]. — π. Al. *Julio* C.

119. ρ. Caio Ægeorum]. Gr. συεδρῶν. — ρ. Al. *Sydrorum* C. *Synedris* C.

120. σ. Indinæ Irenæpolis]. Gr. Ἰνδάμου εἰρηνουπόλεως. — σ. Al. *Indimo herenopolis* C.

121. ς. Proclo Adaro]. Gr. Προκλου ἀδρανῶν. — ς. Acum. *Adruorum* C. *Adraorum* B. *Adaurorum* C.

122. τ. Sidonæ]. — τ. Al. *Sidonis* C.

123. υ. Laodociæ]. — υ. Al. *Ladiciæ* C.

124. φ. Perris]. — φ. Al. *Perge* C.

125. χ. Theodulo Tesilæ, etc.]. — χ. In alio ms. hos : *Theodorio Elusæ, Stephano Geros* A, B.

125*. ψ. Themense]. — ψ. Al. *Themissi* B. C.

126. ω. Busereus]. Gr. βουσέρεως. — ω. Al. *Busereos* C.

127. α. Ebennate]. Gr. σεβεννύτου. — α. Al. *Sepennute* C.

(1) *Monasterii* forte. — (2) *Acumtens.* Orditur hic Rustici collatio ex authentico codice Acœmetarum, quem solet diligentissime his appellare siglis : *acumit. acumtens. acum. ac. ak.* Hic significare videtur in hoc codice deesse *in indict.* IV. — (3) *Dautiopolitani.* Plerumque varietates subsequentes e barbaris notariis effluxerunt; quas tamen vetustas esse, nec a Rustico neglectas, testantur nostri codices sæc. IX. Eas tamen neglexere editi libri, et si quas meminerint, suas editor quisque fecit, easque cum cæteris ab ipso corrasis ita immiscuit, ut veterum nostrorum scholiastarum grandis opera dissipetur aut subripiatur. De his vero alias.

128. β. Mnitiæ]. Gr. μενίζου. β. Al. *Mnizæ* C.

129. γ. Dorotheo]. γ. Acum. *Theodoro* A. B.

130. δ. Praylii atrope]. Gr. Παραλίου Ἀνδρανῶν]. δ. Al. *Paralii* A. *Andrape* C.

131. ε. Otrio]. ε. Al. *Otraio* C.

132. ζ. Nanziando]. ζ. A. *Nanziansi* C.

133. η. Clauzomnæ]. η. Al. *Clazomenæ* C.

134. θ. Minandro Coento]. θ. Al. *Minandri. Quinto* C.

135. ι. Rufino Briadæ]. ι. Al. *Briale* B, C.

136. κ. Meoniso]. κ. Al. *Meonio.*

137. λ. Cerassis]. Gr. χαιριασσῶν. λ. Al. *Cerassorum* C. *Acarasenorum* A, B.

138. μ. Cusino]. Gr. χοσσινίου. μ. Al. *Cossinio* C.

139. ν. Sittis]. Gr. σεττῶν. ν. Al. *Settorum* C.

140. ξ. Alcidimo]. ξ. Al. *Alcimedo* B.

141. ο. Attilæ]. Gr. ἀτταλείας. ο. Al. *Attaliæ* C.

142. π. Lymeræ]. Gr. λιμύρων. π. Al *Limyrorum* C.

143. ρ. Balburiæ]. Gr. βαλβουρέων. ρ. Al. *Balburiorum* C.

144. σ. Giloeis]. Gr. τλοίαων. σ. Al. *Gloeorum* C.

145. ϛ. Bobuneis]. Gr. βουβονέων. ϛ. Al. *Buboneorum* C.

146. τ. Eusæ]. Gr. εὐροίας. τ. Al. *Ieuriæ* B. *Euruæ* C.

147. υ. Agnomoneorum. υ. *Agnomonei* C. *Mosinorum* A, B.

148. φ. Erigo]. Gr. ἐρίζων. φ. Al. *Erizorum* C.

149. χ. Alabandis]. χ. Al. *Alabandorum* C.

150. ψ. Charito]. ψ. *Charitis* C.

151. α. Aquila Aurodis]. Gr. αὐλόχρων. α. Al. *Acyda Aurocrorum* C.

152. β. Polyboti]. Gr. Πολυβότου. β. Al. *Polybotorum* A. *Polybocarum* C.

153. ϐ. Tyranno Humanadis]. Gr. τυράννου Μανάδων. ϐ. Al. *Tyranno Humanadorum*, B, C.

154. γ. Eustacio]. Gr. ἑορτικίου. γ. Al. *Eorticio* C.

155. δ. Tuenti locum]. δ. Al. *Tenente* B, C.

156. ε. Mivano]. Gr. μωιάνου. ε. Al. *Maiano* C.

157. ζ. Helpisto]. ζ. Al. *Euelpisto.* C.

158. η. Tamassi]. Gr. ταμάσσου. η. Al. *Gamassi* C. *Gamassii* B.

159. θ. Neopacti]. θ. Al. *Nupacti* C.

160. ι. Gnossi]. ι. Al. *Anossi* C.

161. κ. Vices agente]. κ. *Tenente locum* B.

162. λ. Maximo Serres]. Gr. σεῤῥῶν. λ. Al. *Maximino Serreis* C.

163. μ. Stobis]. Gr. στοβῶν. μ. *Stogorum* A.

164. ν. Dardano]. ν. *Dardio* A, B.

165. ξ. Parthicopolis]. ξ. Al. *Parthiclinopolis* C.

166. ο. Diodoto Lysinæ]. ο. Al. *Lysineorum* C.

167. π. Paulo Potlis]. Gr. πούγκλων. π. Al. *Pollorum* B.

168. ρ. Marcellino]. ρ. Al. *Marciano* A. B.

169. σ. Ettennis]. σ. Al. *Etennorum* C.

170. ϛ. Cotenensium]. ϛ. Al. *Cotenu* (Κοτέννων) C.

171. τ. Obrimo. τ. *Ombrimo* A, B.

172 υ. Restitutiano]. Gr. Ρεστιτιανοῦ. υ. Al. Regetiano B (ed. *Rufino*).

173. φ. Sancti altaris]. φ. Al. *sanctissimi* C.

174. χ. Deo amicissimi, sanctissimi]. χ. Acum. non habet. Al. *reverendis* B.

175. ψ. Religiosissimo]. ψ. *Reverendo* B.

176. ω Dioscoro religioso]. ω. Absque [1] B.

177. α. Et Palæstinis]. α. Acum. *e Palæstinis* C.

178. β. Religiosis. β. Acum. ubique *reverendis* A.

179. ϐ. Subripuit]. Hard. 67 c. ϐ. Al. *subrepit* [2].

180. δ. Lucentius reverendissimus et vicarius sedis apostolicæ, dixit : * Judicii ne- δ. *Annotatio circumducta* [3]. Singulas interloquutiones aforis ita posui, ut Acumiten-

(1) *Absque* honoris ullo titulo, opinor, insignito in cod. Acœmetarum; idque ibi non temere ait, quippe ubi de Dioscoro agitur : ita et infra quoties de Dioscoranis infestis *trium capitulorum* hostibus agitur, tum maxime solent nostri id genus προσηγορίας verbaque minutiora anxie ventilare. — (2) *Subrepit.* Ed. *præsumsit.* Cf. supra Verecundi *Excerption.* 2, not. 6. —(3) *Annotatio circumducta* significat his verbis eam loco non suo positam, et ad notam hic adjunctam hæc verba describit : *Judicii sui... factum est.* Verba sunt Lucentii vicarii sedis apostolicæ, prout exstabant latine in codice græco monasterii Acœmetensium. BALUZ.

cesse est — factum est]. Hard. *ib.* Mansi vi, 582.
sium codex græcus latine continet : * *Judicii sui redditurus est rationem, quum personam judicandi non haberet, præsumsit, synodum ausus est facere sine auctoritate sedis apostolicæ, quod numquam licuit, numquam factum est* A, B.

181. ε. Reverendissimus]. Hard. 67 D.
ε. Acum. non habet A, B.

182. ζ. Per salutem vos dominorum universi mundi, jubete etiam preces meas legi]. Harduin. ib.; Mansi 582, 583; Baluz. p. 1033, 1034; græce : τὴν σωτηρίαν ὑμῖν τῶν δεσποτῶν τῆς οἰκουμενικῆς, κελεύσατε κ. τ. ε.
ζ. Omnia quæ adjeci, ex codice Acumitensium transtuli : *Per sanctam Trinitatem vos adjuro, quæ custos est principum, quamque colitis, et in qua baptizati estis, et cujus invocatione salvamini, jubete preces meas* [*legi*], *clementissimi judices ; miseremini, et adestote fidei quæ violata est a Dioscoro* [1] A, B.

183. η. Religiosissimis]. Hard. 70; Mansi 583-586.
η. *Amatoribus Christi* (Φιλοχρίστοις) A, B, C.

184. θ. Reverendo]. Ibid.
θ. Hic bene est *reverendo* [2] A, B.

185. ι. In Epheso]. Ibid.
ι. Al. *in Ephesiorum* C.

186. κ. Religiosum episcopum].
κ. Al. *reverendum* C.

187. λ. Renovantem].
λ. Al. *roborantem* C.

188. μ. Imperatoribus].
μ. *Flaviis imperatoribus* C.

189. ν. Sacratissimi imperatores].
ν. Græce : *Divini* (θειοτατοί) [3] A, B, C.

190. ξ. Videamur]. H. 71.
ξ. Al. *videremur* C.

191. ο. Justa sunt]. Ib.
ο. Al. *jussa sunt* C.

192. π. Sacratissimus]. Ib.
π. Græce *divinus* A, B.

193. ρ. Christianissimis].
ρ. Acum. *Christo amicis.*

194. σ. Sacratissimus]. Ib.
σ. Græce *divinissimus* A, B.

195. ς. Vulnera]. H. 74. c.
ς. Al. *funera* [4] C.

196. τ. Enarravi]. ib.
τ. *Accusavimus* A.

197. υ. Patiamini].
υ. *Patimini* A. B.

198. φ. Patiamini universorum fieri lectionem].
φ. Usque hic de beato Theodoreto [5] A, B.

199. χ. Serenitatis]. H. 75; M. 594 B.
χ. Græce *divinitatis* A, B.

200. ψ. Sacræ litteræ]. Ib.
ψ. Græce *divinæ* A, B.

201. ω. Eulogium virum spectabilem].
ω. Nota de Eulogio [6] ad quem epistolæ sancti Isidori A, B.

202. α. Eulogio viro]. H. 78.
α. Id est de Eulogio A, B.

203. β. Et Eulogium]. Ib.
β. De eodem Eulogio A, B.

204. ϐ. Et idoneos]. Ib.
ϐ. Acum. non habet A, B.

205. γ. Beatissimus].
γ. Græce *religiosissimus* A, B.

206. δ. Tam in aliis rebus rectissimos quam circa Dei cultum opinatissimos].
δ. Græce : « Recte et munde ea quæ ad Dominum pertinent colentes » A.

207. ε. Ante hac quidem Theodoretum].
ε. Rursus de sancto Theodoreto A, B.

208. ζ. Sanxeramus]. H. 79.
ζ. Al. *præcepimus* C.

209. η. Quibus manifestum.
η. *Per quas manifestum* C.

210. θ. Faciamus].
θ. *Facimus* C.

371. privati juvenes esse nescire forte]
372. perfrui quia ipse parabat.
375. sæculi coram (*s. lin.* veram B; solam A) esse putabam]
382. Torqueris video (*s. lin.* a Deo) ubi]
383. Ille autem vivet]
385. et ille pergressus]
386. Immortalis erit (es A), nam tu]
387. vivet certe Deus]
388. ut reddas præmia digna]
391. nec mortuus effugis actus]
393. nihil te sentire definito (finito A).

V. 394. clamat valere defuncto]
396. ut fatale credis]
397. et tu putas]
398. oblivitor esse mortuos]
400. Reserveris (*s. lin.* post cineres) autem nostros, videbimus illa (illum B).
401. Eruere, stulte qui putas per funera non sis.
406. reconditur illa tuorum]
409. de Dei secreta]
411. de mortuo reddit]
414. Et quare de actu]
416. Et fera mente moratur]
417. qui male facta lucraris]
419. Excruciavit pœnis diros]
424. Unde non effugies]
425. ignis in æstu]
429. Vivere pro (*leg.* post) ista, dices]
433. Ipse greges pecorum]
434. Nec istis attendisti]
437. sic reddis, vivitur in Dei secreta]
439. in agone perenni]
451. Et sifam (fisam A; *forte* divam) ducis]
454. pauper ebreica clamor (*ed.* Pauper : εὔρηκα, clamat).
456. sic divites estis]
457. nam vobis paratis]
458. Exuete, divites]
459. quod nunc operisti (?) si forte]
460. Estote communes minimis]
463. sub totis in prosperis]
464. et sumite paces]
465. Exspectate malum, vestrum bene facilis asurio (usuram A).
468. Dona quam et exenia corrumpunt]
472. Blasphemium tollat Salomon quod aperte.
474. Suggeret hoc Paulus apostolus : non ego pulex (*lege :* judex).
475. aut persona provehit]
477. Blasphema, indocilis]
479. Per gradum et lucra, avidum fratrem ne præsumis.
481. Auro licet consequuntur, turba choraulica semper A.
487. nunc cautior esto]
489. sine Christo nec viviscere compotis umquam]
494. et exasperate seorsum]
495. Intrate stabilis silvestri ad præsepia tauri.
496. toti subregi tecta]

V. 324. Lege *nam ille*, et erit sententia Tertulliano digna, quam editi dissiparunt, ubi : *nam illi prodest post funera recte qui vixit.* Jam conjecerat Vossius, nisi fallor, in A : *qui prodest per funera.*—V. 352 cf. 99.—V. 401. Cf. v. 505. — V. 460. *Estote cōes* apogr. A, B. *Estote comes* ed. Placet vero *communes* quum nec σημεῖα repugnent, solemnis vero sit vel in prisco christianorum ævo dicere *communicare, communis, communicatio* pro *largitio, munificus, beneficia præstare.* Cf. v. 293, 1014, 1138 et Phil. I, 5. — V. 474. *Judex* legendum esse ne dubita; vix enim inter se, unciali charactere scripta, differunt JUDEX et PULEX : sane respicit Commodianus I Cor. V, 12. Sed e cerebello suo Rigaltius, absque nota nec dubio, rotunde legit : *non ego duplex!* — V. 595. Locus in primis notus, unde non semel nec immeritis virgis vapulavit Rigaltius, qui quum aperte nostra se legisse profitetur, Thrasonis tamen audacia, sed non illepida, subdit : « *In promtu fuit* emendatio :

Intrate stabiles Silvestri ad præsepe pastoris.

« Quæ verba, ait, ad Ecclesiæ romanæ præstantiam

V. 499. Uno crede Deo, ubi mortuus]
501. Nunc jubat (*s. lin.* tunc juvat A, B) in campis crassis satiare caliglis (*s. lin.* seliquis)
506. nec bestia, sed homo natus]
509. perducunt pœna liber atro]
512. ludi aut prospicis]
514. licet ipse divinis]
516. Sic quasi besteus errans]
517. Aurea per fata venis tibi sæcla, si credis (*in marg.* nec te credis]
522. Bellias servatus fuit de invidia psalmæ.
523. Contulisset nobis seu bonis seu malis quod erit.
524. Dux nativitatis morimur idem quod per illum.
525. exsul factus a verbo]
528. mortis quæramus vitæ futuræ]
529. In ligno pendit vita]
538. si vere (*s. lin.* vivere) vultis] A, B.
539. Templorum cultura, dæmonum]
541. Xancta dena (*s. lin.* Dei) lex quæ mortuos vivere dicit (*ib.* docet).
544. De duplici ligno]
545. procedere vita frequenter]
546. facit adulteri genti]
549. Cain innocuum (?) occidit]
550. Inde Nohel subolis Chananæi]
551. Sic genus iniquum]
552. Transmittat animos]
553. dicunt se videre recte]
554. et inde secundo]
555. prima cum pace]
556. In parva dictatione renascelati (*vel* retrascelati) ruerant.
558. In cujus judicium quum venit], ibi dignoscunt.
560. Quid medius nudus? medius vis]

V. 563. Idcirco cæcus cæcum in fossa reducit.
565. Discedentes ad doctos eant ut docti]
566. Aut tu aliis suadis]
572. nisi mirabilia narrant]
574. de illis tota deferre]
575. Aut quia concludor, agerem congestas aratris.
577. A scelera tanta (*sic*) refugit, ipse cruentes.
578. Tradidit se nobis]
579. Inde modo latrant nobis cum re[ge] deserti.
585. Aspicis legem quam Moyses]
587. quam vos subsannati]
588. Sed ideo indigni non eritis]
591. serviunt rursum pro minore delicto]
597. Et Abel pastorem, priscum qui fuit immaculatus offertor
598. In fratris crito, qui fuit mactatus a fratre]
602. Et sabbata et vestras spernit ericesimos]
603. Resecuit omnino]
604. Ut nec sacrificia faceret]
606. si quis vestrum non]
607. Para alias leges, clamavi, deletis inde
614. Nil ego composite dixi, sed [ne] nega legendo
616. Et tres imperantes, ipse devicerit orbis.
617. Herode inferno levatus]
618. Hesaias (*s. lin.* Helias) veniet] A, B.
619. et arctatio tota]
626. quoniam cujus pseudopropheta]
627. ut credat illi, loquitur imago]

AD LIBRUM II (art. XLII-LXXX).

631. Desideret absconsus]
633. Per novem tribum agant]
635. Præcepitque Christus per]
639. tribuum martyres essent]
640. Bellum cum infert]
642. consurgere ad illam plebem]

« faciunt non mediocriter. » Hæc ille, cujus quidem dona caute accipe, quum idem romanæ ejusdem ecclesiæ hierarchiam, sacramenta, dogmata quæque non semel arrosit dente calviniano, putidus Casauboni assecla. Unde piget hæc in suam editionem Gallandium inseruisse. Vix meliora protulit post Dodwellum Davisius:

Intrate stabula silvestres ad præsepia tauri.

Quibus eximiam jam Sirmondus dederat lectionem, quam non neglexit Fabricius in *Delectu argument*, p. 229:

Intrate stabiles vestra ad præsepia, tauri.

V. 506. *Nec besteia* apogr. quo accentus altius imprimitur: pessum autem datur una cum rhythmo, si legeris ut editur: « nec bestia *es*, sed homo natus. » Operæ pretium conferre v. 516, ubi occurrit: « quasi *besteus* errans, » puta pro *besteius*. Sic v. 750: *besteiæ* silvis. — V. 524. Vide principis editoris supinam oscitantiam, hic insulse ponentis: *dux nati nativitatis*. Jam idem Davisius carpebat ad h. l. — V. 556. Forte leg. *recalciati*, i. e. rebelles, ut v. 582, *recalces*. Sicco pede editor vadum transilit et prudenter tacens, cito legit: *In prævaricationes vanas elati ruerunt*. — V. 575. Apog. apertius habet *congustus*, quod augebit noctem. Sed *Agerem* distincte scriptum et ab editore mutatum, notent grammatici. — V. 598. An *crisi* pro judicio? Legesis editos, unde forte obstupueris:

Et Abel pastorem qui fuit immaculatus
In fratris exitio offertor mactatus a fratre.

V. 607. Iterum mirare editum versiculum:

Perque alias leges salvari dilectos: inde...

V. 614. *Dixisset neglegendo*. Alia forte ac nostra malueris, sed quum hic Isaias loquitur, inepte editum est in Commodiani persona:

Nil ego composite dixi, sed neglegendo.

V. 631. Duplicis libri distinctionem, quam vel Commodiani argumenta præ se ferunt, ne subodorari quidem Rigaltium diceres. Adde quod in partes duas justissime codex dividit Instructiones; prioris enim erunt versus 630, posterioris autem 628. Nota deesse in editis numerum circa vers. 834; unde ad concordiam cum recensione nostra aptandam, singulis inde versibus numerus erit addendus.

V. 644. Nec ruerit ad manus pacem aliquando temere.
650. propter mysteria castris (*s. lin.* Christi). A, B.
652. Omnipotens Christus descendit]
656. sentiunt ut ubera nato]
659. ad Dominum patribus istis]
661. Dominis ipse producit cum illis]
668. In partem Boreæ se fugit]
670. prosternuntur milites; Eli]
674. ad antiqua ubera matris]
681. et terra tremescat]
688. immo delingit]
691. In fulmine cogunt venti]
672. occupetur ab igne]
693. nec nauticæ puppes]
694. [*sub edito versu :* Flamma tamen urit terram, mediam, partimque servans]
695. In annis mille, ut fervunt corpora sanctis.
697. cum ipsa cremantur]
698. descendit civitas]
700. Resurgimus illi]
701. sine more (*s. lin.* mora *vel* morte) viventes]. A, B.
704. Robusta maria et ipsi]
712. Ex augure (*s. lin.* aratore) suo, nec non ibi parat.
716. Malus (*lege* majus) in augure septies (*s. lin.* in angore septus) propter]
717. Deus omnia perstat]
720. Dat genitum terra verum]
721. Inter agentes, ut tunc incredulæ cunctæ vitæ
722. Si tamen sanctorum]
723. convertit tota]
726. et ista terra mutatur]
736. meus bonus invigilet]]
737. genitale sola levantur]
738. Caticuminus pene notant]
739. non sine, damna memoraris
746. Inde lotus delet, carere debet]
749. Semel et votus]
751. Icta incauta tinctura quibus est]
756. Sui quoque locum]
757. qui regi delinquet]
V. 758. aut decus gradu dilectus (*s. lin.* de suo g. dejectus). A, B.
759. vel vita probatus (*s. lin.* privatus) perdet].
760. Exemplo non moniti isto]
762. Et escam muscipuli]
766. nec factum reddere]
767. Mons (f. mors *vel* mens) patiens fuerit]
771. confusio (*s. lin.* confessio) culpæ].
772. In reatu tuo sede (*s. lin.* discede), manifesta]. A, B.
773. Tu si vulnus habes, altum (*s. lin.* sabam) medicumque]. A, B.
776. linquendam sensisse ruinam]
778. comam fœdare
781. geritur, inrigat (*s. lin.* imminet, ingruit) hostis]. A, B.
784. cui digne provenit]
786. Obisse debuerat]
787. Servitium pateat]
788. Tu si prædicando (*s. lin.* præliando) moreris pro terra (*ib.* rege), vicisti.
789. incolumem lege]
791. si nec ne cessa]
798. De ... signet inops]
800. Orare satis debet]
806. in aula (*s. lin.* in arma) recurrant].
807. Nascunturque quasi]
813. non uno dicunt]
821. Exstare noli diu miles per spelunca (*s. lin.* spelæa). A, B.
822. Sit tibi pro peccare]
824. dimitte pristina]
830. Ut suo proposito]
834. propter spem dimicaturam]
836. Suscipiet et proprium satellem dedicat (*s. lin.* deduat) esse]. A, B.
840. Ex hoc protegenti]
841. Radix cananæa]
848. Si (*in marg.* fi)dere volunt, ab idolis respui (*ib.* respici) debent.
850. Lolium est natum]
851. collectum esse parat (*s. lin.* et separat) illud]. A, B.

V. 656. Videtur hic dicere non fore ut matres citius morientes ubera nato *recusent*, eoque sensu intellexerim verbum illud *recedunt*. Tædet enim Rigaltio concedere suam hunc locum restituendi audaciam :

> Neque dolores
> In suis corporibus sentiunt, aut *tubera naso(!)*

V. 670. Ed. « *milite cœli*, phrasi solœca, disjecto rhythmo. » Nihil mutandum, dum finem cum sequentibus ligaveris : « Eli ipse cum infando comprehenditur. » — V. 694. Edito nihil absurdius :

> Flammat Amen gentes, Medi Parthique fervent,
> In annis mille, ut ferunt operta Joannis.

V. 712. Latet hic verbum e græco αὐγητήρ derivatum. Cf. v. 716. — V. 722. Acrostichis litteram E appellat; unde editi : *evitante tamen;* locus depravatur.

V. 737. Promte legero : « In baptismo tibi genitali *stola* lavatur. » At quum in apographo crucicula voci *sola* præfigitur, quæ fere efformat *solax*, ea ansa Rigaltio fuit, ut intruderet illud : *genitale solox ;* et immensum ad hæc excurreret in nota vix honesta, vixque christiana. — V. 751. Tmesim inducit editor in hunc modum : Ipsis *incanta* [jactura quibus est tradita] *mentis*. Sed nox multa remanet. Clariorne esset altera tmesis? *Instra* [incauta tinctura quibus est tradita] *mentis*, id est : falluntur volucres...instratis ramusculis qui visco tinguntur. — V. 834. Sic apertissime apographum Rigaltii : ecce is tamen edit nescio quid monstri : *spem dominicaturum,* grandique censura superbiens, semet carpit, ipsamque reducit scripturam sub oculis præfixam. An fucum voluit facere? — V. 842. Præcedens versus videtur excidisse ; locus in apographo vacat et titulus *de refugiis* non est in acrostichide integer.

V. 859. non domum gazophylacio (*ib.* paratis).
862. In tuba præsertim (præsentem A; *sup. lin.* prophetarum) cœlesti]
865. vox Domini proclamat]
866. Militias nullus]
869. si te filium iniquis]
870. sine causa fideris]
872. Rector corde bonos]
876. Et ego non doceo]
878. fragoribus comparatur]
888. Tu fides muneris quos doctoris]
895. Et choros historicos (*s. lin.* caros histriones). A, B.
896. Jubolem... anire currentia cura]
897. Dum vita frunisci]
902. In protoplasto, vide frænum procedere legis (*s. lin. ut ed.*). A, B.
904. Ergo jam exteris illi (*s. lin. ut ed.*). A. B.
907. Nunc ergo currilios (*s. lin.* curilos) prosequimur sponte prosectos
909. Maxima pars vestra]
910. cum te facis musicis]
913. qualem vult esse te Christum (*s. l.* Christus). A, B.
917. cupis, ad martyris i[gnem]
918. requiem futurorum (*s. lin.* futuram in) transitu]
919. ut sæculi di... ces]
929. Claros (*s. lin.* castos) atque pudicos sensu]. A, B.
931. femina marito probata]
933. Induite (*s. lin.* induere A, B) vestes, quas oportet frigus ut obstent.
935. dona demonstres]
936. clarissimo quodam]
937. Examinata jace (*s. lin.* jacens). A, B.
938. non comitibus (*ib.* cultibus) inde]
943. vocem qui vis]
944. qualiter rogare (*s. lin.* te ornari) præcepit]
945. cœliloquam (*corr. cod.* cœliloquus) autem]
946. charitatem (*it.* pravitatem) mundi]
947. ceciderunt (*s. lin.* jacebunt) filiæ Sion]
952. oculos levigro (*vel* ernigro) relinitis]
953. Lobatis cornulas gratulatim fronte depictas.
956. Obruitis collum naturalia (s. l. *monilibus*), gemmis]
961. non te purgat sinistra sequenda]
964. Zelantes favore]
V. 969. objurgate, ovantes efficite luxu]
970. Labora, frater]
971. Et factus opidus, nec pugnas, nec pugnanti resistis
973. In talem pendit Ecclesiæ]
975. Obstas tu in castris]
976. ut sciant ea omnia]
977. Nec intuis Deum præconia]
979. prospice lurna (*s. lin.* lobbe) pyæ semper]
985. si non ante vocavit]
989. Isaac ipse (*in marg. additur* magis).
992. Vincere prius]
997. Vincimus iniquum]
1004. quasi bella quiescunt]
1008. vino cupioso (*sup. lin.* copioso) parce]
1009. Maledicti retinete linguam, unde Deum adoras.
1010. Compescere furiam (*s. lin.* furorem)
1011. Oppressus miseriis]
1012. Tortorem adcommoda]
1013. Tramite vos rectum discite sincero per seclum.
1014. communem te redde]
1015. Insidias nullo facias]
1019. tanta vana quæ sub]
1022. te incendis abactus]
1023. de malo latrantem]
1032. Postea mors ruit (*s. lin.* venit)
1033. injusta lucra conanda]
1036. Et Dei cur conscius]
1037. Ut te intimo tinnites]
1039. aut mœret improvida]
1042. alieno vulnere nequior]
1046. Erumpis miseris]
1051. Donas tu de lacrymis candidatus ille ingratus.
1057. pacem in orbe]
1065. Bellum in absconsum geritur sub pace quod ipsud.
1075. Reddite vos Christo humiles]
1082. Nolite lugere (*corr.* ludere) personam]
1084. Et usum intendentes]
1085. Tota Deo reddite illæsa sacra]
1086. exemplum date parati]
1088. Sic fiet ut Christi]
1104. In me solo volo]
1105. Omnium ut pausent præcordia tentatorum.

V. 897. *Tum vita* edidere, frustra acrostichidis ratione postulante *dum vita*. — V. 907. *Profectos*. ed. typorum errore, et contra sensum Rigaltii in subjecta nota. — V. 917. Apographum lacunam videtur indicare, sensusque hunc versum cum sequente ligat. Sed editi :

Si refrigerare cupis, admartyriza.

V. 933. Adeo perspicua nostra lectio est ut oporteat dormitando legisse editorem hæc : *quas optat frigus et æstus*. — V. 952. Vox africana cubat in hoc versu, quam cum latina editor commutavit : « Oculos *fuligine* relinitis » Bellum oculis stibium, fuligo ! — V. 953. *Louatis* apogr. *levabis* ed. Loba apud Plinium est culmus milii indici (H. N. XVIII, 7, 10); apud Apuleium, cannarum genus (*De herb.* 74). Hinc forte species crispantium in vertice comarum, culmi instar et cannarum. — V. 1105. Equidem legitur in apogr. *pausent præcordias tantorum torum*, quæ qualiacumque sunt, non cohærent cum editis : *ut paveant præcordia tentatorem*, uti nec in sequenti versu : *blandiens dum vobis subrepsit, eheu! seductor.*

V. 11[illegible]. Blandiendum vobis subrepsit : evehe, ductor.
11[illegible]. laqueo obstare, ruistis]
11[illegible]. Sorbitis omnino amarandum sed sæculi]
11[illegible]. Tunc repetit suppetitium]
11[illegible]. non multis inararem]
11[illegible]. quibus vos ostenditis ultro]
11[illegible]. fundamenta paratis]
11[illegible]. obsequia redde primum]
112[illegible]. vel si considerat ille]
1126. Vel si pergeret]
1127. Mitte nummos ei]
1132. victus ægrotat]
113[illegible]. requirit ille]
1138. jam et tu communia fratri]
1141. Excipe doctrinam magis]
1142. in alto non dedit Deus pauperem esse]
1144. proverbium nosti, diriguit]
1152. et dolum cordis]
1154. animo, nec pompa, dolor est]
1156. Oblita Deum]
1157. si martyres feceris]
1162. minus quam gentes eritis]
1163. Germine zabolico : qua gratia false petisti.
1164. Exstinctos clamatis, ut faciatis turbæ pronatæ
1165. Nec dolorem duxit]
1170. adhuc et in morte]
V. 1174. qui per forum]
1175. Addo illi similes, effera mente]
1178. Non improvidis quoniam merearis ne defunctos.
1180. quid proderit pœna defuncto ?
1182. Sub vigore cupis]
1183. Congruet in pascha]
1184. postulant sumta (*s. lin.* sabbata) divina] A, B.
1186. Respues de forte quoniam memorentur]
1190. multos urgunt blasphemia]
1192. facile ruis, dum abutere]
1194. delicto divino]
1199. sed quia divitias satiunt aut pecunias]
1202. seu nondinas facitis art... (artium, mercium?)
1203. domum orationis adesto]
1204. *Susum corda* præcepit]
1208. in fabulis verbis]
1212. modum non prono, sed bellua major]
1213. Bibendo superius [supernis?]
1227. si cupias et exaudire]
1228. Rumpe de latibuli nequitia]
1232. sic oratione inepte]
1239. et quod ignis jussit in ævo]
1240. completo mundo]
1244. Digni tosti tamen]
1246. in ævo rursum viventes]
1251. cum montibus, ipse loquens est]

V. 1162-1163. Ligandi sensu sunt tres versus. Et quo clariora fiant, per me lege : *Quam gratiam false petisti. Exstinctos clamatis, ut faciunt turbæ* (gentilium) *pro natis*. Ut ut fuerit, vide iterum editoris licentiam :

Minus quam gentes estis :
Germine zabolico facitis ut turbæ pronatæ;
Exstinctos clamatis : qua gratia? False, peristi.

SPICILEGIUM
SOLESMENSE.

TOM. IV

PARS ALTERA.

MONUMENTA

ECCLESIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ.

SANCTUS NICEPHORUS,

PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS.

ANTIRRHETICUS ADVERSUS ICONOMACHOS

LIBELLUS,

IN PRÆCIPUA EORUMDEM ARGUMENTA.

Κατὰ τῶν ἀσεβῶς τετολμηκότων εἴδωλον ὀνομάσαι τὸ θεῖον ὁμοίωμα, καὶ ὅτι δεῖ ἕπεσθαι ταῖς πατρικαῖς παραδόσεσιν, ἔτι δὲ καὶ τί ἐστι γραπτὸν καὶ περιγραπτόν, καὶ πῶς νοητέον τό· « οὐ ποιήσεις πᾶν ὁμοίωμα, » ἀνασκευή τε τῶν δυσσεβῶς εἰσληφθεισῶν πατρικῶν ῥήσεων παρὰ τῶν τῆς Ἐκκλησίας ἐχθρῶν.

ʼΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ. — Contra eos qui impie ausi sunt idolum nominare divinam similitudinem [c. I], — Et de sequendis patrum traditionibus [c. II, VI, VIII], — Tum quid sit illud *scriptum* et *circumscriptum* [c. III, IV, V]; — Et quo sensu id audiendum : *Non facies ullam similitudinem* [c. IX, XXI]. — Tum demum confutatio impie acceptorum per Ecclesiæ hostes testimoniorum ex Patribus [c. XIV-XXX].

ACCEDUNT

S. Basilius. . . . . *Contra Divites.*
S. Nilus. . . . . *Epistola ad Olympiodorum.*
S. Joannes Chrysostomus. . . . . . . *Homil. in Matth. — Orat.* XI, XVII, XX *de Statuis.*
S. Methodius Patarensis. . . . . *De Resurrectione. — Sermo de Cæco a nativitate.*

PROOEMIUM.

Argumentum. — I. Ab altissima sedis suæ specula S. Patriarcha tuba insonuit, — II. Adversus infensissimos Dei et sanctæ traditionis hostes, — III. Pro firma fidei domo, proque Dei sublimi civitate pugnaturus; — IV. Unde cunctos fideles sibi adesse jubet, — V. Ut idololatriæ crimen ob sacras imagines pessime in Ecclesiam impactum diluant.

I.

Καὶ σπουδαῖα νομίζω καὶ δίκαια, οὕτω τῆς ὥρας καλούσης, καὶ αὖθις τοῦ παρ' ἡμῖν μὲν πρεσβευομένου καὶ τιμωμένου τῆς εὐσεβείας λόγου, παρὰ τοῖς ἀνομοῦσι δὲ εἰς Θεὸν καὶ τὴν Ἐκκλησίαν ἀτιμαζομένου, τὸ κράτος καιρίως μάλα καὶ τὴν ἰσχὺν παραστήσασθαι· καὶ ὥσπερ ἔκ τινος ὑψηλοτάτης περι-

Et studio dignum censeo et justum, ad id me tempore invitante, vel denuo doctrinæ hujus fideique nostræ, quam nos honore et veneratione prosequimur, hi vero in Deum et in Ecclesiam rebelles dehonestant, vim atque potentiam, valde quidem opportuna occasione, explicare; et tamquam ex altissima quadam specula tubæ clangore

Ex codd. Parisiensibus 911 et 1250, jam adductis antea in *Spicil.* t. I, sub siglis A, E. Cf. ibid. *Prol.* p. LXIX.

ωπῆς[1] σάλπιγγος εὐσημότερον ἐμβοῆσαι ἐλευθέρα καὶ καθαρᾷ τῇ γλώσσῃ, καὶ τοῖς ὠσὶ τῶν πιστῶν τὴν φωνὴν παρακαταθέσθαι, εὔρυθμόν τι καὶ ἐναρμόνιον περιηχοῦσαν, καὶ καταθέλγουσαν· ψόφους δὲ ἀσήμους καὶ ἀνάρθρους τηνάλλως ἐκπεπονημένους, τοὺς παρὰ τῶν ἐναντίων ὑπογράψαι λήρους μάτην περιβομβοῦντας καὶ τὴν ἀκοὴν ἀποκναίοντας, δι' ὧν στηλιτεύεται αὐτῶν τὸ ἰταμὸν καὶ ἀναίσχυντον καὶ τοῦ τρόπου τὸ ἀναιδές τε καὶ ἀνελεύθερον, ὡς μηδαμῶς τὸ εὐήκοον παρὰ τῶν τῆς ἀληθείας ἐραστῶν ἔχειν ἀξιουμένων[2].

sonantius inclamare libera et integra lingua, inque auribus fidelium deponere vocem suave quiddam insinuantem et argute delinientem; verum tenuiore stylo perstringere strepitus illos inconditos et inarticulatos, casso labore expressos, illas, inquam, adversariorum nugas, quorum, dum temere circumboant et obtundunt auditum, ad risum et infamiam traducitur procacitas et impudentia moresque protervi ac prorsus illiberales, ut adeo illis apud veritatis amatores nulla unquam audientia jure concedatur.

II.

Πρότερον δὲ ἐκεῖνο ἂν εἴη λεκτέον, ὅπερ εὖ ἔδοξε τῷ προκειμένῳ σκοπῷ οἰκειότατόν τε εἶναι καὶ εὐκαίρως ἤδη καὶ καλῶς λεχθησόμενον· καὶ γὰρ γνώμης ἀρίστης ὡς ἀληθῶς καὶ νοῦ βεβηκότος πρὸς τὴν εὐσέβειαν τὰ ἅπαξ καλῶς καὶ θεοπρεπῶς ἄνωθεν δοκιμαζόμενά τε καὶ ψηφιζόμενα, καὶ εἰς τὸ κοινὸν τῆς καθ' ἡμᾶς πολιτείας ἐκπρεπῶς διαφαινόμενα πλείσταις γενεαῖς πεφυλαγμένα, καὶ δόξαις ἀνδρῶν ὁσίων καὶ φιλοθέων φρουρούμενά τε καὶ συγκροτούμενα, χρόνῳ δὲ μακρῷ τὸ ἑδραῖον καὶ πάγιον ἔχοντα καὶ τὸ κράτος ἔνδικον φέροντα, στέργειν ἐπιεικῶς, συντηρεῖν τε καὶ περιέπειν ὡς προθυμότατα, κἂν τοῖς ἄλλοις μὲν ἅπασι πράγμασιν, οὐχ ἥκιστα δὲ ἐν τοῖς τῆς καθ' ἡμᾶς εὐαγοῦς καὶ εὐθυτάτης ὁμολογίας συγκυροῦσί τε καὶ συμβαίνουσι· ψυχῆς δὲ μοχθηρᾶς καὶ δυσγνώμονος καὶ διανοίας φαύλης καὶ πονηρᾶς, καὶ τὸ εὐσταθὲς καὶ ἱδρυμένον ἐπὶ τὸ καλὸν οὐδαμῶς αἱρουμένης, πρὸς ἅπαν δὲ τὸ ἐναντίον καὶ χείριστον τὸ ἐπιῤῥεπὲς καὶ εὐπαρακόμιστον κεκτημένης, εἰ[3] τοῦ σώζοντος καὶ συμφέροντος καθάπαξ ἀπολισθήσασα, ὅρον

Primum autem illud fuerit dicendum, quod recte visum est propositæ rei convenientissimum, et in hoc tempore etiam opportune enuntiandum: nimirum esse animi vere præcellentis atque mentis in fide firmiter stabilitæ, ea quæ semel perfecte et divine comprobata sunt cœlitus et definita, quæ deinde in communionem christianæ vitæ evidenter apparuerunt, per plurimas generationes custodita et sententiis virorum sanctorum Deoque amabilium conservata et corroborata, temporis autem longinquitate stabilitatem et immotam firmitatem nacta, auctoritate juri publico innixa potiuntur: hæc, inquam, pro virili diligere, tueri, et cura prosequi promtissima, in aliis quidem rebus omnibus, sed maxime in iis quæ ad nostram illibatam et rectissimam fidem sive necessario sive pro re nata pertinent; illud verò esse animi pravi atque perversi, mentisque malæ et turpis, quæ firmitatem et constantiam in honesto bonoque minime sectatur, sed ad contrarium quodcumque et pessimum prona est ultroque devehitur: nempe nescire, statim ut a salutis incolumitatisque

(1) Περιωπῆς. Huc respicere videtur Ignatius S. Nicephori biographus, quum eum in concilio nicæno II tum primum causam SS. imaginum capessentem introducit, et in imperatoris persona acclamationibus præcinentem: Δι' οὗ τὸ εἰλικρινὲς τῆς πίστεως πᾶσιν ἐπικηρυκευσάμενος, καὶ ὡς ἐξ ἀπόπτου περιωπῆς τὴν τῶν σεπτῶν εἰκόνων ἐπιβοῆσαι καὶ τρανῶσαι ἀρχαϊκὴν ἱερογραφίαν τε καὶ προσκύνησιν. Bolland. Mart. t. II, p. 706 E. — (2) Ἀξιουμένων. Nicephori grandiloquentia solemnis adeo est, ut nihil duxerimus omittendum, ne omnino in nostra interpretatione dissipetur; unde, id fortasse minus æque ferentibus lectoribus, a textu græco vix unius alteriusve vocabuli additione aut trajectione recedere animus est, nec nisi quum aut necessaria εὐρυθμία, aut perspicuitatis lex, quæ omnium prima interpreti est, requisierit. — (3) Ἢ τοῦ A, E.

τῆς ἐπὶ τὸ βλάπτον καὶ διαλλοιοῦν[1] φορᾶς οὐκ ἐπίσταται. Ἀλλ' οἱ μὲν τὴν εὐκλεᾶ καὶ ἀμείνονα δόξαν διαλαχόντες, καὶ τὸν λογισμὸν ἐρηρεισμένον ἐπὶ τῷ κρείττονι θέμενοι, κατήκοοί τε τῶν θείων λογίων γενόμενοι[2], ἀνδράσιν ἐχέφροσιν ἀκραιφνῶς προσεῴκεσαν, καὶ τὴν οἰκίαν τῆς πίστεως ἕκαστος, οἷα τὸ συνετὸν καὶ νηφαλέον διασκήσας, ἐπὶ τὴν ἀσφαλῆ καὶ ἀκατάσειστον πέτραν ἐμμελῶς καὶ ἐμφρόνως δωμήσας καθιδρύσατο· ἥτις ἐστὶν ὁ Κύριος καὶ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός· καθ' ἣν κἂν μυριάκις ἐξ ἐπομβρίας, ὥσπερ τῆς τῶν αἱρετιζόντων γλωσσαλγίας, οἱ χείμαῤῥοι πλημμύροντες προσρήξειαν, τῆς κακεργέτιδος δὲ καὶ πονηρᾶς δυνάμεως αἱ βιαιόταται[3] αὖραι προσπνεύσειαν, ἀδόνητος ἤδη ἕστηκεν καὶ ἀκατάβλητος· ἥδρασται γὰρ ἐπ' αὐτὴν ὡς ἀσφαλέστατά τε καὶ βεβαιότατα. Οἱ δὲ τὴν χαμαιπετῆ καὶ αἰσχίονα διάληψιν κληρωσάμενοι, καὶ τὸ φρόνημα ἐπὶ τὸ οὐκ εὖ ἔχον εὐπαράφοροι τῆς θείας ἐντολῆς ἀλογήσαντες, καὶ ἀνδράσιν ἐμφερεῖς μωρίας καὶ παρανοίας μεμεστωμένοις, ἐμπλήκτως καὶ ἀνοήτως τοὺς ἀδρανεῖς καὶ σαθροὺς τῆς ἀπιστίας δόμους ἐπὶ τὴν ψάμμον ἔθεντο, οἳ τοῖς τῶν ἀπατηλῶν καὶ σκοτεινῶν ὑδάτων προσπταίσμασι καὶ ταῖς ἐμβολαῖς καὶ τῇ ῥύμῃ τῆς πλάνης τῶν πνευμάτων ῥᾳδίως περιτρέπονται, καταῤῥηγνύμενοι καὶ λυόμενοι. Οὕτω γὰρ ἐπ' ἀμφοτέρων ὁ ἀληθὴς διηγόρευται Λόγος.

linea exciderit, ad quem usque terminum per nocentia et perversa cæco impetu agatur. Verum qui illustrem et præstantiorem doctrinam sortiti, rationem ideo in potentiori fundamento innixam habentes, hi scilicet auditores divinorum verborum facti, similes viris sapientibus plenissime fuerunt, qui fidei suæ domum singuli, utpote suam consulte et sobrie vitam componentes, in firma inconcussaque petra solerter et prudenter exstructam stabilierunt; quæ petra est Dominus et Deus noster Jesus Christus: domus autem illa, etiamsi sexcenties ex irruente in eam tempestate (ac si dicam ex ventosa hæreticorum lingua) torrentes exæstuantes irrumpant, et venti violentissimi maleficæ et improbæ potestatis impetum flatu faciant, immobilis usque stat et inconcussa; fundata enim fuit in petra firmissime et stabilissime. Qui vero humi repentem et ad turpia propensiorem sententiam adepti, ob animum ad malum proclivem divinorum mandatorum rationem nullam habent, similes hominibus stultitia et vecordia plenis, lymphatica quadam insania domos infidelitatis caducas et ruinosas in arena posuerunt; unde fallacium et obscurorum fluctuum repetito impetu et incursu, spirituumque erroris rapida irruptione videas destrui domus illas, confringique et dissolvi. Hæc quippe de utrisque verum declaravit Verbum.

III.

Ἡμεῖς τοιγαροῦν ἣν ἄνωθεν ἐξ ἀποστολικῶν καὶ πατρικῶν κηρυγμάτων τῆς εὐαγοῦς ἡμῶν θρησκείας παράδοσιν παρειλήφαμεν, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν καὶ καυχώμεθα, καὶ μέγα ἐπαυχοῦντες φρονοῦμεν, καὶ τὰ ταύτης ἱερὰ σύμβολα, ὡς ἄγκυραν ἀσφαλῆ κρατοῦντες κατέχομεν· μεθ' ἧς προσκυνοῦμέν τε καὶ λατρεύομεν ἐν ἀληθείᾳ καὶ εἰλικρινείᾳ τῷ κράτει τῆς θείας μεγαλειότητος, μὴ ἐκκλίνοντες

Nos ergo quam antiquitus ex apostolorum atque patrum prædicatione accepimus sanctæ religionis traditionem, in qua stamus et magno animo gloriamur, hujus traditionis etiam sacra signa, tamquam anchoram certam prehendimus et firmiter tenemus: cum hac adoramus, et in veritate et sinceritate servimus potentiæ divinæ majestatis, neque ad dextram declinantes neque ad sinistram, sed in regia via

(1) Διόλλυον E. — (2) Γενόμενοι. Inde plura verba flectuntur ad Matth. VII, 24-27. — (3) Βιαιότατοι uterque codex, uti non raro Græculi etiam in superlativis talium adjectivorum.

δεξιᾷ ἢ ἀριστερᾷ, ἀλλ' ὁδῷ βασιλικῇ πορευόμενοι, οὐκ ἀποδείξεις καὶ παραστάσεις διερευνώμενοι (ἃ δή ἐστι τῆς ἀπιστίας ἔκγονα καὶ τῶν ἀπίστων τὸ ἀπαγὲς καὶ ἀστάθερον ὠδίνουσιν)· οὐδὲν γὰρ ἀμφιβολίας, οὐδὲν ἀπιστίας A 345. ἔναυσμα φέροντες, τὸ πιστὸν δὲ ἐν Κυρίῳ καὶ ἀκράδαντον μεγαλαυχούμενοι, ἐξ ὧν ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, καὶ τῶν πρωτοτόκων μητρόπολις, ἥτις ἐστὶν ἡ Ἐκκλησία Χριστοῦ, συγκροτουμένη, οἷά πέρ τις νοητὴ πόλις τοῦ βασιλέως τοῦ μεγάλου γνωρίζεται, εὐτειχὴς καὶ καλλίπυργος, ἧς τεχνίτης καὶ δημιουργὸς εἶναι πιστεύεται αὐτὸς ὁμοῦ καὶ λίθος ἀκρογωνιαῖος κείμενος, συνδέων ἐν ἑαυτῷ καὶ συνάπτων δεσμοῖς καὶ ἁρμογαῖς ἀλύτοις φιλανθρωπίας καὶ ἀγαθότητος ταύτην ἁρμοζομένην, πύργοις μὲν εὖ ἀρχρυῖαν, καὶ περιβόλοις κραταιῶς ἱδρυμένην, καὶ περιβεβλημένην τοῖς τοῦ θείου χαρίσμασι Πνεύματος, ἐπάλξεις δὲ οἷά τινας προβεβλημένην τῶν θεσπεσίων προφητῶν τὰ κηρύγματα, τῶν ἱερῶν τε ἀποστόλων καὶ θεομυστῶν πατέρων τὰ ἀπλανῆ καὶ σωτήρια δόγματα· ἥπερ μεμοχλευμένη δὴ καὶ ἠσφαλισμένη καθάπερ βασίλειον ἐχυρώτατον, ὁμολογίᾳ τῇ ἀκλονήτῳ καὶ ἀῤῥαγεῖ τῆς τῶν πολιζομένων καὶ πεπιστευκότων πληθύος, ἕστηκε ταῖς τῶν ἀνωτάτω καὶ κατ' οὐρανοὺς ἁγίων δυνάμεων θείαις ἐπιστασίαις τηρουμένη καὶ φρουρουμένη, ἀμέλει ὑψοῦ κειμένη καὶ διηρμένη πρὸς τὰ μετάρσια καὶ τὸ περίοπτον καταπλουτοῦσα ἐν χάριτι, οὐχ οἵα τε κατακεκρύφθαι, καθὰ ὁ σωτήριος ἀπεφήνατο λόγος, οὐδαμῶς τινὸς τῶν ἐπ' ἀσεβείᾳ κορυφουμένων ὑπερανεστηκότος ἢ προανίσχοντος· οὐ γὰρ οὖν οὐδέ τι ἀποσκίασμα αἱρετικῆς σκοτομαίνης ὑποδραμόν που ἐπηλυγάσειεν.

incedentes, demonstrationum et explicationum minime scrutatores (quæ quidem incredulitatis sunt fetus, et incredulorum fluxam inconstantiam parturiunt) : immo non ullam hæsitationis, non ullam incredulitatis scintillam in nobis ferentes, sed fide in Domino eaque inconcussa gloriantes, ii sumus ex quibus superna Hierusalem et primogenitorum metropolis, quæ est Ecclesia Christi, compingitur. Hæc esse velut quædam spiritalis civitas magni regis cognoscitur, muris et turribus pulchre instructa, cujus ipse architectus et conditor creditur esse, idemque lapis angularis positus, quippe qui devinciat in se ipso et constringat nexibus et juncturis insolubilibus charitatis et bonitatis urbem hanc unanimam, turribus bene munitam et murorum ambitu potenter firmatam, undecumque cinctam divini Spiritus gratiis, sed et propugnaculorum instar circumposita habentem divorum prophetarum præconia et sacrorum apostolorum Deoque plenorum patrum vera et salubria dogmata. Quæ quidem civitas, ceu regis palatium munitissimum, clausa et quasi vecte obfirmata per stabilem et invictam multitudinis credentium confessionem, permanet; utpote quæ servatur et custoditur summarum et cœlestium potestatum sanctarum divinis præsidiis ; immo in excelso sita est et erecta in sublime, eoque ditata charismate ut undique cernatur, nec possit abscondi, sicuti dixit Salvatoris verbum, quandoquidem impietatis coryphæorum nullus umquam altius insurrexit aut præeminere valet : nam ne tenuissima quidem umbra ex hæreticis tenebris clam ingruens eam offuscaverit.

IV.

Ὅσοις μὲν οὖν τῆς ἀληθείας καὶ τῆς εὐθυτάτης δόξης ἐναστράπτει τὸ σέλας, τὸν νοῦν ἄνωθεν καταυγάζον καὶ τὴν διάνοιαν, καὶ τὴν τῆς εὐσεβείας ἀκτῖνα πυρσεύει, οἵ γε διὰ

Quibuscumque igitur lux veritatis et rectissimæ doctrinæ coruscavit, mentemque et intellectum cœlitus illuminavit ac pietatis radium immisit, quicumque per planam et

λείας καὶ εὐστιβοῦς καὶ βασιλικῆς ἵενται τρίβου καὶ πόῤῥωθεν ἐπ' αὐτὴν ἐπείγονται, ὑπεράγανται μὲν καὶ θαυμάζουσιν τὸ ἀξιόληπτον, καὶ τοῦ κάλλους τῶν κατ' αὐτὴν ὀρθῶν δογμάτων ἐρασταὶ καθίστανται, καὶ τῶν θείων κηρυγμάτων ὀπαδοὶ καὶ φιλακροάμονες γίνονται, καὶ πρὸς τὴν ἄνω καὶ κατ' οὐρανοὺς λῆξιν ποδηγούμενοι καθορμίζονται. Καὶ γάρ που εἴρηται, ὅτι « ὁδοὶ εὐσεβῶν εὐθεῖαι ἐγένοντο, « καὶ παρεσκευασμένη ἡ ὁδὸς τῶν εὐσεβῶν[1]. » Καὶ μὴν καὶ πρὸς ἑτέρας τῶν θείων λογίων φωνῆς μυσταγωγούμεθα, ὅτι « εὐθεῖαι ὁδοὶ εἰσὶ « καὶ δίκαιοι πορεύσονται ἐν αὐταῖς, οἱ δὲ ἀσε- « βεῖς ἀσθενήσουσιν ἐν αὐταῖς· ὅσοι δὲ τῷ « φωτὶ τοῦ πυρὸς αὐτῶν πορεύονται, καὶ τῷ « σκότῳ τῆς ἀπιστίας καὶ διαπταίσμασιν πε- « ριπίπτουσιν, ὕλην φλογὸς ταῖς ἑαυτῶν κεφα- « λαῖς ἐπισωρεύοντες[2], » καὶ κάτοχοι οἷά τινες τῷ πονηρῷ γεγενημένοι πνεύματι, ὧν αἱ ὁδοὶ σκολιαὶ καὶ διεστραμμέναι, καμπύλαι δὲ αἱ τροχιαὶ καὶ κατηγκυλωμέναι· ὀρθὰ γὰρ βαδίζειν οὐκ ἴσασιν, ὀλισθήμασι χαλεποῖς καὶ πικροῖς περιπίπτουσι, καὶ ὀξέσι καὶ ψυχοφθόροις περιπείρονται σκόλοψιν. Οἷς δὴ τὰ κατὰ τῆς Ἱερουσαλὴμ ἠπειλημένα, ὧδε διακειμένοις ἐπὶ καιροῦ μάλα δικαίως ἁρμόσεται· « Ἰδοὺ ἐγὼ φράσσω τὴν ὁδὸν αὐτῶν ἐν « σκόλοψιν, καὶ ἀνοικοδομήσω τὰς ὁδοὺς « αὐτῶν, καὶ τὴν τρίβον αὐτῶν οὐ μὴ εὕρω- « σιν[3]. »

bene stratam et regiam gradiuntur viam atque ad eam civitatem e longinquo properant, hi summopere admirantur, quam sint acceptabilia recta ejus dogmata, quorum pulchritudinis evadunt amatores, et divinorum præconiorum sectatores cupidique auditores fiunt : denique in supernam et cœlestem regionem sic deducti velut in portum perveniunt. Atque dictum est alicubi : « Viæ justorum rectæ sunt, et parata est via justorum. » Verum etiam alia voce divinorum oraculorum initiamur, dicente « rectas esse « vias, et justos in eis ambulare, impios vero « deficere, unaque eos qui ad lucem ignis il- « lorum procedunt, et in umbra infidelitatis « et inter offendicula corruunt, flammæ ma- « teriem in suis ipsi capitibus congerentes, » sed et quasi in vincula maligni spiritus conjecti : quorum hominum viæ obliquæ sunt et tortuosæ, curvæ etiam orbitæ et anfractibus impeditæ. Recte siquidem ambulare nesciunt, verum in lapsus graves et luctuosos usque incidunt, acutisque et mortiferis irruentes palis confodiuntur. Unde quæ in Hierusalem edictæ minæ sunt, opportune multoque jure aptabuntur illis : « Ecce « ego sepiam eorum viam cum palis, et in « viis eorum ædificabo, et semitam suam « non invenient. »

V.

Εὑρήμασι γοῦν τῶν ἀπὸ γῆς φωνούντων καὶ κενολογούντων τὰ ἄτοπα, οἳ ἐκ τῆς ἰδίας κοιλίας τὰ θεοστυγῆ ἀπερεύγονται φάσματα, ἐντρεφόμενοι, οἷς δὴ καὶ ἐπακολουθεῖν ταῖς σφῶν αὐτῶν δυσβουλίαις ἀσυνέτως διεγνώκεσαν, τῆς ὄντως ζωῆς καὶ τῶν ἐν οὐρανοῖς μονῶν ἀποτεύξονται, τοῖς ἀποτεταγμένοις δὲ καὶ ἡτοιμασμένοις τοῖς ἀσεβέσιν ὑπεύθυνοι καταστήσονται· οὗτοι δὴ οὖν καθάπαξ πρὸς

Nam inventis eorum innutriti, qui a terra petunt sermonem suum, ac vana et inepta strepunt, exque proprio ventre eructant abominabilia spectra, idque animo stulto insitum habentes ut pravitate sua eosdem sectentur, excident a vera vita et mansionibus cœlestibus, obnoxii demum iis pœnis quæ destinatæ et paratæ sunt impiis. Hi igitur ubi semel in apostasiam de veneranda fide nostra excesserunt, mundo mundique

(1) Εὐσεβῶν. Is. XXVI, 7. — (2) Ἐπισωρεύοντες. Rom. XII, 20. — (3) Εὕρωσιν. Osee II, 6.

ἀποστασίαν τῆς καθ' ἡμᾶς ἀξιαγάστου ὁμολογίας ἐκνενευκότες, κόσμῳ δὲ καὶ κοσμοκράτορι στρατευσάμενοι, καὶ τῆς παρούσης δόξης μόνης καὶ ῥεούσης ἡττώμενοι, φιληδονίᾳ τε καὶ φιλοσαρκίᾳ βεβαπτισμένοι, καὶ τὸ μακρόβιον καὶ εὔδαιμον ἑαυτοῖς περιποιεῖσθαι ἀφρόνως ὑπολαμβάνοντες, δόξαν τε λογιζόμενοι τὸ ἐπ' ἀσεβείᾳ διαίρεσθαι, οὐδαμῶς δὲ τῶν μελλόντων καὶ ἑστώτων ἐν φροντίδι γενόμενοι, τῇ τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνῃ, ἰουδαϊκῷ φρονήματι ἁλισκόμενοι, ὑποταγῆναι οὐ προείλοντο. Ταύτῃ τοι καὶ τὸ μυστήριον τῆς τοῦ Θεοῦ Λόγου
A 346. σαρκώσεως περιυβρικότες, τὴν δὲ τῆς Ἐκκλησίας εὐστάθειαν καθορᾷν οὐ σθένοντες, οὐ μὲν οὖν οὐδὲ τὸν κατ' αὐτὴν ἱερὸν ἐπὶ σχήματος μένειν διάκοσμον, ἐπειδὴ βαρὺς αὐτοῖς ἐστιν ὁ Χριστὸς καὶ ἐν εἰκόνι βλεπόμενος, βασκαίνουσι χριστιανοῖς τῆς ὀρθῆς καὶ ἀδιαβλήτου δόξης. Πολυειδεῖς δ' οὖν καὶ ποικίλοι τὸν τρόπον γεγόνασι, καὶ διὰ πλειόνων ἤχθησαν τεχνασμάτων, καὶ οὐδὲν αὐτοῖς τῶν εἰς κακίας εἶδος συντελούντων ἀνεπινόητον ὑπολέλειπται· πρὸς πᾶν δὲ ὁτιοῦν δύσφημον τὴν πονηρὰν καταθήγουσι γλῶσσαν, ὥστε τὴν ὀρθὴν ἡμῶν διαλυμήνασθαι ὁμολογίαν, καὶ τοίνυν τοῦ Κτίστου κατεξανίστανται, καὶ κατὰ Χριστοῦ καὶ τῆς χριστιανῶν Ἐκκλησίας κονισάμενοι, τὴν θείαν οἰκονομίαν ἐκπολιορκεῖν διεσπουδάκασι, καὶ φροῦδον τὴν ταύτης μνήμην ποιήσασθαι, καὶ χριστιανοῖς τοῖς τιμᾷν εἰδόσιν εὐσεβῶς βαρυτάταις καὶ δυσαχθεστάταις χερσὶν ἐπιθέμενοι ἀδεῶς, αἷς ἐπῆγον αὐτοῖς συμφοραῖς ἐγγυμνασάμενοι, αἰκίαις τε πολλαῖς καὶ εἴδεσι ποικίλοις βασάνων, καὶ θανάτῳ ζημιοῦν οἱ ἄθεοι διεγνώκεσαν. Ἐντεῦθεν λοιπὸν αὐτοῖς, ὥσπερ τι προσωπεῖον, τὰ τῆς ἀσεβείας προβλήματα εὐχερῶς ἀναπλάττεται καὶ προάγεται. Περὶ ὧν καὶ ἐν ἑτέροις ἤδη πλατύτερον ἡμῖν διαπεπραγμάτευται, οὐδὲν δὲ χεῖρον ὀλίγα ἄττα καὶ ἐνταῦθα περὶ τῶν αὐτῶν διειληφέναι συνοπτικώτερον τῶν αἰτησάντων χάριν· διὸ ἐπιτροχάδην εἰπεῖν, οὕτω τοῦ λόγου προκαλουμένου, πειράσομαι.

regnatori in militiam addicti, præsenti et fluxæ gloriæ soli servientes, voluptatis et carnalium illecebris immersi, dum longam vitam et felicitatem conciliare sibi stulte opinantur, gloriam quærunt in superba impietatis professione; sed futurorum et æternorum meditationem minime curantes, justitiæ Dei parere, præ judaico ipsorum tumore, repudiarunt. Quare etiam mysterium Dei Verbi incarnati conviciis proscindentes, Ecclesiæ statum tranquillum et firmum intueri non valent, multo etiam minus pati ut sacra ejus ornamenta in loco et conditione sua permaneant, quia molestus ipsis Christus est, etiam in imagine conspectus; ideo invidia et calumniis impetunt christianos ob rectam eorum et irreprehensibilem doctrinam. Hinc plurimas species induerunt et varios sumserunt mores, et artificia plura aggressi, nihil eorum quæ ad improbitatem conferunt, inexploratum et intentatum reliquere; atque ad omnem omnino blasphemiam acuunt pessimam lingam, ut veram confessionem nostram calumnientur, adeoque in ipsum Creatorem hostiliter insurgunt, et contra Christum christianorumque Ecclesiam luctantes, divinam dispensationem expugnare et evertere satagunt, ipsamque ejus memoriam funditus abolere; tum christianis qui hæc pie colere didicerunt, audacter manus injecere gravissimas et vix ferendas, et postquam illatis calamitatibus, injuriis, verberibus, variisque cruciatuum modis exercuerunt, morte eos mulctare athei illi homines decreverunt. Unde jam ab illis prætextus impietatis, tamquam scenica quædam persona, leviter finguntur et palam proferuntur. De quibus jam in aliis scriptis disertius tractatum est. Nihil vero impedit quin pauca quædam hic quoque de iisdem exponamus synoptice, in eorum gratiam qui nos id rogaverunt. Quare dicere cursim, re ita hortante, conabor.

Argumentum. — I. Idololatriæ accusationem tam Christo quam Ecclesiæ ait esse contumeliosam; tempore christiano renovari atrox ethnicorum bellum; — II. Refricari veterum hæreticorum de Christo incircumscripto fabulam; — III. Locum Exodi: *non facies*, etc., ab Iconomachis dolose vitiari et intelligi perperam; — IV. Quin pro christiana traditione de imaginibus, post Christi apparitionem, facere; — V. Nec etiam apud Judæos eamdem hanc deesse religionem, id quod ex Cherubim ostenditur; — VI. Verum eam fulciri traditione quæ rerum omnium basis jure dicitur et fundamentum; — VII. Judæorum obstinatam et cæcam infidelitatem esse penes Iconomachos, — VIII. Æque in patrum instituta rebelles, — IX. Quorum verba, ut etiam Scripturæ oracula, corrumpunt aut repudiant.

CAPUT I.

Τὸ τῆς εἰδωλολατρείας ἄγος ἐπὶ στόματος αὐτοῖς περιπλεῖ· τῶν γὰρ πάλαι δυσσεβῶν καὶ ἀθέων τῆς ἀπιστίας ἐκπεπωκότες τὸν τρυγίαν, οἷά τινα ἐκείνων ἀναφυέντα βλαστήματα, τοῦ Χριστοῦ καταγορεύειν οὐ κατερυθριῶσιν οἱ δείλαιοι, ὡς κατ' οὐδένα τρόπον ἡμᾶς διὰ τῆς οἰκείας ὠνίνατο συγκαταβάσεως, καὶ χριστιανῶν καταφλυαροῦσιν ὡς εἰδώλων σεβάσματος οὐδαμῶς ἐντεῦθεν ἀπαλλαγέντων. Ἀλλ' οἵ γε ταῖς προφητικαῖς ἀραῖς ὑπεύθυνοι εἰκότως καταθήσονται· « Οὐαὶ γὰρ, φησὶν, οἱ λέγοντες τὸ γλυκὺ πικρὸν καὶ τὸ πικρὸν γλυκύ, οἱ τιθέντες τὸ φῶς σκότος καὶ τὸ σκότος φῶς.[1] » Ἐσκοτίσθησαν γὰρ τὴν διάνοιαν, καὶ οὐδὲν μέσον ἁγίου καὶ βεβήλου ἢ καθαροῦ καὶ ἀκαθάρτου ἔθεντο· προσκροῦσαι γὰρ εἰς τὴν θείαν βουλόμενοι σάρκωσιν, ἐπικρύπτειν δὲ τὴν ἰδίαν δυσμένειαν οἰόμενοι, καὶ λήσειν τοὺς πολλοὺς ἐκμηχανώμενοι, σκῆψίν τινα πονηρὰν ἐκπορίζονται καὶ μείζονι ἀσεβήματι περιπίπτουσι· περὶ τὰ πράγματα γοῦν τῷ ἀπείρῳ διεστηκότα καὶ ἀντικείμενα (« τίς γὰρ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος; ἢ τίς συγκατάθεσις ναῷ Θεοῦ μετὰ εἰδώλων[2]; ») τὸ ἀνοσιουργὸν καὶ θεομάχον καινοτομῆσαι μὴ ἐξισχύσαντες, πρὸς τὰ ὀνόματα λοιπὸν ἀφορμῶσι· καὶ ταύτῃ προΐεσθαι τὴν μυσαρὰν καὶ βέβηλον φωνὴν οὐ δεδίασι, τὴν ἱερὰν τοῦ Χριστοῦ εἰκονίσματος προσηγορίαν βδελυρᾶς καὶ αἰσχίστης ὀνομασίας ἀντικαταλλαξάμενοι. Καὶ γὰρ τῇ τῶν εἰδώλων φωνῇ συνεθισθέντες τὴν ψυχὴν, καὶ τὴν γλῶτταν καταμολύνουσιν· ὧν οὔτε ἐν τῷ νῦν, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι τὸ τολμώμενον εἰς Θεὸν βλάσφημον συγχωρηθήσεται. Οὕτω καὶ Χριστοῦ τὸ ἀδρανὲς καταγράψαι οὐ καταπεφρίκασιν,

Idololatriæ piaculum ex ore eorum nobis oggeritur. Veterum enim impiorum et hæreticorum infidelitatis epota ipsa fæce, quasi quidam ex illis recens enati surculi, Christum reum facere non erubescunt scelestissimi hominum, ac si nihil nobis profuisset ejus adventus, atque christianis hanc ferunt ignominiam, nondum ipsos ullatenus ab idolorum religione recessisse. At illi prophetarum exsecrationibus obnoxii jure meritoque statuentur: « Væ vobis, inquiunt illi, qui dulce dicitis amarum, et amarum dulce, qui lumen in noctem vertitis et noctem in lucem. » Obscurati enim mente sunt, nec illis sacrum inter et profanum, vel purum et impurum discrimen ullum intercedit. Quum enim ultronei impetant divinam incarnationem, propriam autem malitiam celare se posse reantur, plurimos latere enixi, malum quemdam prætextum machinantur et pejori piaculo incidunt. Nempe quum ea tractentur quæ immaniter differunt et distant (« Quæ enim societas lucis cum tenebris? aut quis consensus templi Dei cum idolis? »), impiam et Deo rebellem novitatem producere non valentes, in nomina denique se receperunt, exindeque proferre impuram et profanam vocem non verentur, et sacram iconis Christi appellationem cum sordida ac propudiosa idoli nuncupatione permutant. Qui quum huic idolicæ dictioni animam assuefecerint, linguam quoque eadem polluerunt. Quorum enimvero nec in hoc ævo, nec in altero tam audacter edita in Deum blasphemia ignoscetur. Sic etiam Christo impotentiam et debilitatem affingere non perhorrescunt, ac si frustra effusus fuisset

(1) Φῶς. Is. v, 20. — (2) Εἰδώλων. II Cor. vi, 16.

ὡς εἰκῇ χεθῆναι τὸ ἄχραντον καὶ ὑπέρτιμον αὐτοῦ αἷμα, καὶ μάταιον ἀποφῆναι τὸ θεῖον κήρυγμα, καὶ τῆς ἀμώμου τῶν πιστῶν Ἐκκλησίας τὸ ἀπηχὲς τοῦτο καταψηφίσασθαι· ὡς δῆθεν εἰδωλολατρείαν τῶν εὐσεβούντων καθοριζόμενοι, ἐκποδὼν πᾶσαν ποιήσονται τῆς Ἐκκλησίας τὴν κοσμιότητα, καὶ τῇ καινοτομίᾳ ταύτῃ ἐπιθέμενοι, τὸ πᾶν τῆς καθ' ἡμᾶς ὁμολογίας καὶ πίστεως παραστήσονται.

Ταῦτα μὲν οἱ τοῦ ψεύδους ὑπηρέται καὶ τῆς ἀληθείας ἀντίθετοι. Οὐ γὰρ δὴ εἰπεῖν ἔχοιεν, κἂν μυρία καττύσωσιν φάσματα, ὡς χριστιανὸν[1] ἐφώρασαν τὸ πρέπον μόνῳ Θεῷ σέβας τῇ κτίσει προσνείμαντα πώποτε. Καίτοι καταιγίδος ὥσπερ κατασπιλάζοντος τοῦ κακοῦ, καὶ χρόνον ἐπὶ συχνὸν τοῦ διωγμοῦ ἐπικλύζοντος (προσπνεύσαντες γὰρ βιαίων πνευμάτων δίκην οἱ τῶν διωκόντων ἄγριοι θυμοὶ, καὶ αἱ A 347. δυσάντητοι ὀργαὶ, τὴν θάλασσαν τοῦ βίου ἱκανῶς ἐπετάραξαν, καὶ τὴν ὁλκάδα τῆς πίστεως κινδύνοις πλείοσιν καὶ κλύδωνι οὐ μικρῷ περιέβαλον), μέγα κεκράγεσαν[2]· καὶ μαρτυρεῖ καὶ εἰς δεῦρο τὰ τῆς φονικῆς αὐτῶν γνώμης μνημονευόμενα, ἡνίκα τὰ λοιπὰ τῆς παρούσης ζωῆς τιθέμενοι πάρεργον, ἔργον ἐποιοῦντο καὶ σπούδασμα αἱμάτων χριστιανῶν τῇ ἐκχύσει τὰς βεβήλους καὶ φονίους καταφοινίσσειν χεῖρας· ὁπότε καὶ οἱ σάκκοι, τάφοι τῶν ἁλισκομένων ἐγίνοντο, οὐ τῇ γῇ παραδιδομένων καὶ χοῒ καλυπτομένων κατὰ τὸ νενομισμένον ἀνθρώποις ἅπασιν, ἀλλ' ἐν τῷ ὑγρῷ στοιχείῳ ἐνθαπτομένων ἀνηλεῶς· τὸ παραδοξότατον καὶ παρανομώτατον τί χρὴ λέγειν; ὡς καταπιμπρᾶν τὰ ἅγια καὶ καθαιρεῖν τοὺς θείους ναοὺς οἱ ἐναγεῖς οὐ κατενάρκησαν. Ἀλλὰ καίπερ τοσαῦτα μανέντες, οὐδαμοῦ ῥύπον τὸν αὐτοῖς φίλον καὶ ἐπέραστον (τὴν γὰρ οἰκείαν δυσσέβειαν τοῖς θεοσεβέσιν ἐπιγράφειν οὐκ ἀπώκνησαν), τῇ εὐαγεῖ ἡμῶν θρησκείᾳ παρ' ὁτουοῦν χριστιανῶν προστριβέντα καταλαβεῖν δεδύνηνται· εἶτα ἐληλεγμένους καὶ ἀνατετραμμένους ἑαυτοὺς πανταχόθεν ὁρῶντες, ὥσπερ παρὰ πάσης ἡλικίας

purissimus illius et supervenerandus sanguis, inanemque audent pronuntiare prædicationem sacram, et immaculatæ fidelium Ecclesiæ hanc ignominiæ notam inurere: eo videlicet consilio, ut idololatriam a sanctis servari definientes, ejiciant omnem sacrum Ecclesiæ ornatum, et hac novitate nos adorsi, omnia confessionis et fidei mysteria in suam potestatem redigant.

Hæc igitur illi, mendacii mancipia et veritatis inimici. Absit vero dicere queant, sexcentas licet consuant larvas, deprehendisse se vel unum christianum, qui debitum Deo honorem in creaturam retulerit umquam. Attamen malo, haud secus ac procella, ex improviso irruente, et tempore non modico persequutione inundante (nam efferi persequutorum animi instar spirituum violentorum cum iræ impetu prope intolerabili ingruentes, vitæ pelagus abunde conturbaverunt, perque pericula plurima, per tempestatem immodicam fidei navem jactaverunt), illi ingentem clamorem sustulerunt: atque etiam nunc monumenta supersunt crudelissimæ quam exercuerunt sævitiæ, quando scilicet cætera præsentis hujus vitæ munia pro minimo habentes, hoc sibi opus, studiumque suum fecerunt, sanguinis christiani effusione suas impuras et nefarias contaminare manus; nempe quum etiam sacci sunt sepulchra captivorum facti, non humo traditorum, non pulvere conspersorum, quæ lex est hominum universa; sed in humido elemento barbare consepultorum. Jam quid opus est dicere illud, quo nihil incredibilius et enormius? nimirum quod hi furiosi non cessaverunt incendere sanctuaria, denique templa subvertere! Atqui quod spectat ad sordes his adeo insanis caras et delectabiles (namque propriam suam impietatem religiosis hominibus ascribere non dubitarunt), impollutæ fidei nostræ a quocumque demum christiano fuisse illitas, nullo modo deprehendere valuerunt. Deinde, quum convictos se cernunt et unde-

(1) Χριστιανῶν A et E, is vero secunda manu postmodum correctus. — (2) Κεκράγασι E.

καὶ ἀξιώματος τῶν σωφρονούντων καταπαιζόμενοι, καὶ ὑπ' αὐτῶν τῶν μειρακίων μυκτηριζόμενοι (πλατὺν γὰρ αὐτῶν καταχέουσι γέλωτα), καὶ ἅμα οἱ πεπωρωμένοι τὴν ψυχὴν, συγκαλύπτειν τὸ αἶσχος τῆς ἀπιστίας καὶ ἀποστασίας πειρώμενοι, ἐγνωσμένον αὐτοῖς ὅποι κακοῦ τὰ ποιούμενα καὶ λεγόμενα πρόεισι, δοκοῦσι μὲν τῆς ἐξ εἰδωλολατρείας κατηγορίας ἀπέχεσθαι· σκοτοδινιῶντες δὲ περὶ τὸ βλάσφημον, ἐφ' ἑτέραν τῆς βλασφημίας ἵενται οἶμον [1].

cumque profligatos, atque a cujusvis ætatis conditionisve sapiente viro derisos, immo ipsorum puerorum dicteriis proscissos, quibus risum jam movent multum : tum simul mente obcæcati, infidelitatis et apostasiæ suæ turpitudinem velare nitentes, quum notum sit omnibus in quantum malum facta dictaque eorum excesserint, videntur quidem ab idololatriæ accusatione se abstinere ; sed vertigine qua blasphemi solent, misere capti, sese in aliam blasphemiæ viam proripiunt.

CAPUT II.

Εἰς τοῦτο γὰρ μανίας ἐλάσαντες, τὸ τῆς θείας οἰκονομίας μυστήριον ἀνασκευάζειν τεχνάζονται. Διὸ ἐπὶ τὴν Βαλεντίνου καὶ Μαρκίωνος καὶ Μάνεντος τῶν θεομάχων καὶ δυσσεβῶν, καὶ μὴν καὶ Ἀρειανῶν τῶν θεοστυγῶν καὶ τὴν ἀμφ' αὐτοὺς φαντασιώδη μοῖραν καταφεύγουσι, καὶ ἀνθυποφέροντες φασὶν ἀπερίγραπτον εἶναι τὸν Χριστὸν, τὸ μὴ περιγράφεσθαι αὐτὸν ἐκεῖθεν εἰσηγούμενοι· τὰς μὲν περὶ ταῦτα τῶν διδασκάλων τῆς Ἐκκλησίας φωνὰς, ὁμογλώσσως τὸ περιγραπτὸν καὶ γραπτὸν εἶναι Χριστὸν διακηρυσσούσας, παραγραφόμενοι, τῶν δὲ τὴν φαντασίαν ἐπὶ τῆς τοῦ Θεοῦ Λόγου ἐνανθρωπήσεως νοσούντων τοὺς λήρους ἐγκρίνοντες. Οὐδὲ ὅτι διαφέρουσιν αἱ φωναὶ ἴσασιν οἱ ἀμύητοι· μετὸν γὰρ γράφειν ἐπὶ τῶν εἰκονιζόντων λέγειν, τὸ περιγράφειν ἀμαθῶς προχειρίζονται, ἀγνοοῦντες ἐκ πολλῆς ἄγαν ἀβελτερίας, ὡς τὸ ἐπὶ Χριστοῦ μυστήριον διπλοῦν φαινόμενον ὡμολόγηται. Καὶ γὰρ Θεὸς ὁ αὐτὸς τέλειος καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὑπάρχων, ἔχει τὸ ἀπερίγραπτον ἢ ἄγραπτον, ὡς Θεός [2]· ὡς ἄνθρωπος δὲ, τὸ περίγραπτον καὶ γραπτόν· καθάπερ δὴ καὶ τὸ ἀπαθὲς αὐτῷ κατὰ τὴν θεότητα πεπίστευται, καὶ τὸ παθητὸν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ εἴ τι ἕτερον ἐπὶ τῆς διπλόης εὐσεβῶς θεωρεῖται τῶν κατὰ Χριστὸν συνδραμουσῶν φύ-

Eo namque vesaniæ devenerunt, ut divinæ in carne dispensationis sacramentum subvertere moliantur. Quare in hanc phantasiæ sectam, quæ Valentini est Marcionisque et Manetis, Dei hostium impiorumque hominum, tum etiam perversorum Arianorum, confugiunt, illudque exceptionis argumentum opponunt incircumscriptum esse Christum : ab istis nimirum accipiunt eum minime circumscribi, tum quidem magistrorum Ecclesiæ hac de re dicta, quæ uno consensu Christum circumscriptum esse simul et scriptum profitentur, rejicientes, tum etiam deliria illorum qui in maleferiatam phantasiam verterunt divini Verbi incarnationem, adoptantes. Neque adeo vocabulorum discrimina norunt homines illi rudes : nam quum *scribere* concessum sit dici de iis qui imagine exprimunt, illi *circumscribere* obtendunt imperitissime, præ nimia stoliditate ignorantes divini Verbi mysterium duplici prædicandi modo manifestari. Quum enim idem sit Deus perfectus et perfectus homo, qua Deus, habet incircumscripti vel non scripti proprietatem ; verum ut homo, circumscripti æque ac scripti. Quemadmodum ipsi et impassibilitas respectu ad divinitatem, respectu vero ad humanitatem passibilitas rite tribuitur, et ita si quid aliud duplici ratione in ambabus quæ in

(1) Οἶμον excidit in E. — (2) Θεός. Domesticum et magnum testem hic sistere juvat, Hilarium nostrum, nobis inter nostra apte dicentem : « Totus enim in unumquodcumque est propter naturæ incircumscriptionem, non secundum partes divisus, etc. » *Spicil.* t. I, p. 107.

σεων. Προελθὼν γὰρ Θεὸς μετὰ τῆς προσλήψεως[1] ἓν ἐκ δύο τῶν ἐναντίων, ἥ φασιν οἱ καθ' ἡμᾶς θεόλογοι, ἕξει διπλᾶ καὶ ἐναντία καὶ τὰ ἐπ' αὐτῷ κατηγορούμενα, καὶ μάτην ταῖς φωναῖς ταύταις ἐπιθρασύνονται οἱ ἐμβρόντητοι. Εἴρηται δὲ καὶ περὶ τούτων ἀλλαχόθι ἐντελέστερον[2].

Christo concurrunt naturis, recte consideratur. Procedens enim Deus post conceptionem suam unumque ex duobus oppositis factus, ut aiunt Theologi nostri, dici de se permittit duplicia et contraria; unde cassam fiduciam sibi ex his dictionibus stupidi illi sumunt. Sed de hoc argumento alibi dictum est plenius.

CAPUT III.

Εἶτα ἐνταῦθα ὥσπερ ἀποστενούμενοι καὶ πνιγόμενοι, ἀμηχανίᾳ τε πολλῇ συνεχόμενοι, καὶ ἀτοπώτατα φρονοῦντες στηλιτευόμενοι, καὶ οἷα τὴν πίστιν ἀπεμπποληκότες, αὖθις δὲ ὑπ' ἀναισχυντίας καὶ αὐθαδείας ἐφ' ἕτερον βλασφημίας αὐτομολοῦσιν εἶδος, καὶ μωσαϊκῶν νόμων εἰσηγηταὶ γίνονται, καὶ ἰουδαΐζειν ἐπιχειροῦντες, εἰς συναίσθησιν οὐκ ἔρχονται. Καὶ τοίνυν ἐπὶ τὸ παλαιὸν γράμμα ἀσκόπως καὶ ἀφυλάκτως ὁρμῶσι, κἀκεῖθεν φωνήν τινα ἁρπάζουσι καὶ ὡς ἰσχυρὸν πρόβλημα προχειρίζονται (ὅθεν τὰ τῆς ἀπιστίας αὐτῶν χαρακτηρίζεται), ἐπηρεάζειν τε καὶ καταληΐζεσθαι τῶν ἁπλουστέρων τὸν νοῦν ἐπιχειροῦσιν.

Φασὶν οὖν εὐθύς· ÷ Οὐ ποιήσεις πᾶν ὁμοί- ÷ ωμα, γέγραπται. ÷ Τίνος οὖν ἕνεκεν A 348 ταῦτα προβάλλονται; ÷ Τοῦ νόμου, φασὶν, ÷ οὕτω κελεύοντος, οὐδὲ Χριστὸν ἐξὸν λοι- ÷ πὸν ὁμοιογραφεῖσθαι. ÷

Τί οὖν φαμέν; ὅτι πρῶτα μὲν καὶ αὐτὴν τὴν θεῖαν γραφὴν παραχαράσσουσιν· οὐ γὰρ ὡς αὐτοὶ προφέρονται, « οὐ ποιήσεις πᾶν ὁμοίωμα » περιέχει τὸ γράμμα τὸ ἱερὸν, ἀλλὰ « παντὸς ὁμοίωμα οὐ ποιήσεις » γέγραπται, καὶ τοῦτο οὐχ ἁπλῶς οὐδὲ ἀσχέτως, ἀλλὰ πρόσκειται τῷ[3] τίνων οὐ ποιητέον. Οἱ δὲ ταύτην ἐκμηχανῶνται τὴν ῥῆσιν καὶ δολοῦσι τὴν φωνὴν, ἵνα χρησιμεύσῃ αὐτοῖς πρὸς τὸν προκείμενον σκοπόν. Δοκοῦσι γὰρ ὁμοῦ συμπεριειλῆφθαι

Proinde hic, quasi ad incitas adacti suffocarentur, multa consilii inopia laborantes, obque nimiam mentis imbecillitatem ludibrio dati, fide propemodum divendita, iterumque duce ipsorum turpitudine et impudentia, in aliud confugiunt blasphemiæ genus, legesque mosaicas introducunt, neque ipsi se judaica affectare animadvertunt. Igitur in veterem Scripturam incaute et temere irruentes, ex illa vocem aliquam furantur, quam ut robustum proferunt argumentum (unde eorum sensus pravitas oppido demonstratur), mentemque simpliciorum vitiare et dissipare omni ope nituntur.

Aiunt igitur : « Scriptum est : Non facies « ullam similitudinem. » Cur igitur hæc proferunt? « Lege, aiunt, ita præcipiente, « nec Christum jam licet simili imagine re- « ferri. »

Quid ergo dicamus ? Primo quod ipsam Scripturam sacram adulterant. Minime namque quod isti producunt : « Non facies « ullam similitudinem » exhibet sacra scriptura, sed « ullius similitudinem non facies » scriptum est, et illud non simpliciter, neque absolute : sed additur quorumnam similitudo facienda non sit. At illi artificiis adoriuntur hunc locum et vocem adulterant, ut proposito fini inserviat. Videntur enim una ibidem involvere etiam Christi imaginem, ut simul cum rerum

(1) Προσλήψεως. Respicit Nazianzen. *Orat. de Filio*, Opp. t. I, p. 728. — (2) Ἐντελέστερον. Achilleum enim illud, ut volvere, et decantatum Iconomachorum argumentum sexcenties contrivit Nicephorus. Huc enim spectant, ut præcipua tantum loca raptim recenseam, apud Maïum, *Bibl. nov.* t. V, p. IV, p. 15, 27, 30, 40-43, 44-57, 77, 105, 150, 159; *Spicil.* t. I, p. 338, 343, 346. Quibus adde seriem LXXX testimoniorum SS. Patrum hac de re consonantium, ib. p. 336-370. Tum demum recole quæ infra non semel, in *Antirrh. adv. Epiph.* — (3) Τίνων. Scribendum αὐτῷ vel cum cod. E τὸ τίνων.

ἐνταῦθα καὶ τὸ τοῦ Χριστοῦ ὁμοίωμα, ὥστε διὰ τοῦτο καὶ συναθετεῖσθαι τοῖς τῶν κτισμάτων ὁμοιώμασιν· ταὐτόν τι ποιεῖν βουλόμενοι τοῖς διὰ τῶν προειλημμένων λημμάτων τὸ ζητούμενον συμπεραίνουσιν, ἵνα τῷ καθολικῷ προσδιορισμῷ[1] προσχρώμενοι, καὶ εἶτα τὰ ἑξῆς ἐπάγοντες αὐτοὶ συλλογίσωνται, κατασκευάζοντες, ὡς νομίζουσιν, ἢ εἴδωλον δεδεῖχθαι τὸ Χριστοῦ ἀπεικόνισμα, ἢ μὴ γράφεσθαι ὅλως καὶ φασματώδη νοεῖσθαι τὴν θείαν σάρκωσιν, κατὰ τοὺς ἑαυτῶν τῆς φαντασίας εἰσηγητάς.

Ἔπειτα δὲ ὅτι καὶ τὰ προηγούμενα τοῦδε τοῦ νόμου, καὶ τὰ ἑπόμενα κατὰ τὸ αὐτὸ κεφάλαιον, ὥσπερ σκῶλα αὐτοῖς καὶ σκάνδαλα προκείμενα, εἰδώλων ἀπαγορεύσεως ἕνεκεν θεσπίζεται, ἀποκρύπτειν πειρῶνται, ἢ ἄκοντες ἐξ ἀγνοίας καὶ ἀμαθίας, ἢ ἑκόντες ἐκ μοχθηρίας καὶ πανουργίας. Προστέτακται γὰρ ὡδί· « Ἐγώ εἰμι Κύριος ὁ Θεός σου, ὁ ἐξαγαγών[2] σε ἐκ γῆς Αἰγύπτου, ἐξ οἴκου δουλείας· οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ· οὐ ποιήσεις ἑαυτῷ εἴδωλον· » οἷς κατὰ τὸ συνεχὲς ἐπάγεται· « Οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα, ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω, καὶ ὅσα ἐν τοῖς ὕδασιν ὑποκάτω τῆς γῆς· οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς, οὐδὲ μὴ λατρεύσῃς αὐτοῖς. » Τίνα δὲ ταῦτα ὧν ἡ ποίησις ἀπεῖρκται καὶ ἡ λατρεία ἀπηγόρευται; Δεῦρο δὴ οὖν, μάνθανε εὐπετῶς. Αὐτὸς γὰρ ὁ θεοφάντωρ Μωσῆς, εἴπερ σοι ὦτα τοῦ ἀκούειν περίεστιν, ἐν τῇ κατὰ τὸ Δευτερονόμιον βίβλῳ σαφηνιεῖ λέγων[3]· « Φυλάξασθε σφόδρα τὰς ψυχὰς ὑμῶν, ὅτι οὐκ εἴδετε πᾶν[4] ὁμοίωμα ἐν τῇ ἡμέρᾳ ᾗ ἐλάλησε Κύριος πρὸς ὑμᾶς ἐν Χωρὴβ ἐν τῷ ὄρει ἐκ μέσου τοῦ πυρός· μὴ ἀνομήσητε καὶ ποιήσητε ὑμῖν αὐτοῖς γλυπτὸν ὁμοίωμα, πᾶσαν εἰκόνα, ὁμοίωμα ἀρσενικοῦ ἢ θηλυκοῦ[5], ὁμοίωμα παντὸς κτήνους τῶν ὄντων ἐπὶ τῆς γῆς, ὁμοίωμα παντὸς ὀρνέου πτερωτοῦ ὃ πέταται ὑπὸ τὸν οὐρανόν, ὁμοίωμα παντὸς ἑρπετοῦ ὃ ἕρπει ἐπὶ τῆς γῆς, ὁμοίωμα παντὸς ἰχθύος ὅσα ἐστὶν ἐν τοῖς ὕδασιν ὑποκάτω τῆς γῆς· καὶ μὴ ἀνα-

creatarum simulacris repudietur : simile quid aggredientes ac illi qui ex præsumtis propositionibus id quod quæritur, concludunt, ut primum catholica verborum determinatione utentes, deinde sequentia de suo adducentes, syllogismum faciant; astruentes, ut opinantur, aut idoli instar habendam esse Christi imaginem, aut omnino Christum delineari non posse et phantasticam reputandam esse Dei incarnationem, prout aiunt Docetæ, suæ ipsorum phantasiæ auctores.

Dein dicimus quod tam ea quæ in lege itidem præcedunt quam subsequentia in eodem capite, quasi offendicula et scandala ipsis opposita, utpote de prohibendis idolis edicta, hæc illi occultare nituntur, sive inviti ob inscitiam et ignorantiam, sive conscii per improbitatem et fraudis artificium. Ita enim illic præceptum est : « Ego sum Dominus « Deus tuus, educens te de Ægypto, e « domo servitutis. Non erunt tibi dii alii « præter me. Non facies tibi idolum. « Quibus hæc tenoris ejusdem addit : « Nec [fa- « cies] cujusquam rei similitudinem, sive « eorum quæ in cœlo, sive quæ in terra « deorsum, sive quæcumque subtus sunt « in aquis, nec adorabis ea, neque coles. » Quæ igitur illa sunt quæ fabricari vetantur, aut quibus servire interdicitur? Agedum, discito expedite. Ipse enim Dei vates, ille Moses, si aurem audiendi habes, in Deuteronomii libro declarat his verbis : « Custodite strenue vestras ani- « mas, quoniam non vidistis omnem simi- » litudinem in die qua loquutus est Domi- « nus ad vos in Horeb, in monte, de me- « dio ignis. Ne peccetis, neque faciatis vobis- « met sculptilem similitudinem, quamlibet « imaginem, similitudinem masculi aut fe- « minæ, similitudinem omnis pecoris eo- « rum quæ in terra sunt, similitudinem « avis cujuscumque alatæ, quæ volat sub « cœlo; similitudinem omnis reptilis quod « repit super terram, similitudinem omnis

(1) Προδιορισμῷ f. mel. — (2) Ὅστις ἐξήγαγόν σε LXX vulg. Exod. XX, 2-5. — (3) Λέγων. Deuter. IV, 15. Φυλάξεσθε LXX vulg. Φυλάξασθαι A, in margine habens κεφ. ΙΓ. — (4) Πᾶν deest ib. — (5) Θυλικοῦ A.

βλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἰδὼν τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ τοὺς ἀστέρας καὶ πάντα τὸν κόσμον τοῦ οὐρανοῦ, καὶ πλανηθεὶς προσκυνήσεις αὐτοῖς καὶ λατρεύσεις αὐτοῖς[1], ἃ ἀπένειμε Κύριος ὁ Θεός σου, αὐτὰ πᾶσι τοῖς ἔθνεσι τοῖς ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ. »

Οὐκοῦν φανερὸν ὅτι οὐχ ἁπλῶς οὐδὲ ἀδιορίστως τὸ θεῖον πρόσταγμα πρόεισιν, ἀλλ' ἐπάγεται ὅτι τοῦδε καὶ τοῦδε οὐ ποιήσεις ὁμοίωμα, ἤγουν τῶν κατειλεγμένων ἐνταῦθα· τὸ δὲ οἴεσθαι ὡς τὸ Χριστοῦ ὁμοίωμα ὁμοιώματι ὀρνέου ἢ ἑρπετοῦ, ἢ ἰχθύος, καὶ τῶν τοιούτων προσέοικε, καὶ διὰ ταῦτα συνεξαιρεῖσθαι αὐτοῖς καὶ παρ' αὐτῆς τῆς κτίσεως, κατηγορίας ἐσχάτης ὑπερβολὴν φέρει.

Ἀναγκαῖον δὲ τηρεῖν τίσι γε ταῦτα τεθέσπισται καὶ διώρισται· τῷ Ἰουδαίων δήμῳ προφανὲς, καὶ μάλα ἐν δέοντι καὶ εὐκαίρως· ὅτου δὲ δὴ χάριν τὰ τῶν ζώων ὁμοιώματα πρόσκειται, ὅτι οὐ μὴ προσκυνήσεις οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς, οὐδὲ τὸ πρέπον μόνῳ τῷ Θεῷ σέβας τοῖς κτίσμασιν, ὡσαύτως τοῖς ἔθνεσι, προσοίσεις; Ἄρτι γὰρ τῆς αἰγυπτιακῆς δουλείας λελυτρωμένους σώζειν ἤθελε Θεός· διὸ τὴν μὲν πρὸς αὐτὸν ἐπιστροφὴν εἰσηγεῖται, καὶ τὴν θείαν ἐκπαιδεύει ἐπίγνωσιν· τὴν δὲ τῶν εἰδώλων ποίησιν πάμπαν ἀπαγορεύει, ὡς μὴ καὶ αὖθις εἰς μνήμην αὐτῶν ἰόντες, ἐπὶ τὴν εἰδωλομανοῦσαν γῆν ἀποτρέχοιεν, καὶ εἰς λατρείαν παραλήψονται πάλιν ἅπερ ἀνὰ τὴν Αἰγυπτίων σεβόμενα ἔβλεπον, ἐν ᾗ καὶ τὰ αἴσχιστα καὶ φαυλότατα τῶν ζώων τὸ τηνικάδε ἐλατρεύετο. Ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν δογματιζέτωσαν καὶ καθ' ἑαυτῶν παιζέτωσαν οἱ τῶν παλαιῶν νόμων μεταποιούμενοι καὶ ἰουδαϊκοῖς ἔτι ἐντρεφόμενοι ἔθεσιν, ἀγνοοῦντες καὶ
A 319. ἀμαθαίνοντες, ὅτι ἅπερ ὁ νόμος λαλεῖ, τοῖς ἐν νόμῳ λαλεῖ, τοῖς νηπίοις ἔτι καὶ δεομένοις γάλακτος καὶ οὐ στερεᾶς τροφῆς[2], καὶ τῆς τοιαύτης ἀγωγῆς τε καὶ διδασκαλίας, καὶ ταῦτα ὁ τῶν τοῦ Χριστοῦ μυστηρίων ὑφηγητὴς καὶ ταμίας ἐπιφωνείτω. Οὐ γὰρ τοῖς ἐν

« piscis, qualescumque sunt in aquis infra « terram. Sed et suspiciens in cœlum, vidensque solem et lunam et stellas et omnem ornatum cœli, errore deceptus non « adorabis ea, neque coles, ea quippe tribuit « Dominus Deus tuus in ministerium om- « nibus gentibus quæ sub cœlo sunt. »

Perspicuum est igitur non simpliciter nec absolute procedere divinum mandatum, sed apponitur qualium et qualium rerum non debeas facere similitudinem, earum nempe quæ ibidem recensentur. Existimare vero Christi similitudinem comparari cum imagine avis aut reptilis aut piscis aut cæterorum id genus, et propterea una cum illis auferendam esse vel e rerum natura, id sane omnem accusandi hyperbolen transgreditur.

At necesse est observari quibus hæc edicta et definita fuerint: Judæorum populo dubio procul, apte quidem et opportune. Sed cujusnam rei gratia animalium simulacra memorantur, quæ non adorabis, neque coles, nec debitum sane uni Deo cultum in creaturas, ut in gentibus fit, refundes? Tum nimirum, quum maxime ab Ægypti servitute liberatos, Deus salvos facere voluit; idcirco conversionem ad ipsum commendat, divinamque inculcat agnitionem: idolorum vero quacumque fabrica interdicit, ne rursus in eorum memoriam redeuntes, ad terram idololatricam revertantur, et in cultum iterum ea recipiant quæ in Ægyptiorum terra coli cernebant, apud quos spurcissimis et vanissimis animalium serviebatur. At illa sumant isti doctores et in semet illudendos vertant hi veterum legum instauratores et judaicam in consuetudinem transfugæ, nescientes nec videntes quod ea quæ lex dicit, dicit dumtaxat iis qui in lege sunt, parvulis scilicet et adhuc lacte indigentibus, non cibo solido, hujus nempe disciplinæ et doctrinæ; quæ quidem ille Christi mysteriorum interpres et dispensator insuper doceat. Non enim pro iis qui sub gratiæ lege sunt, isto modo præcipitur, quibus quidem perfectior Dei cognitio tradita de-

(1) Προσκυνήσης αὐτοῖς καὶ λατρεύσῃς E, ut LXX vulg. — (2) Τροφῆς. Hebr. v, 12.

τῇ χάριτι οὕτω θεσπίζεται, παρ' οἷς τὸ τελεώτερον τῆς θείας ἐπιγνώσεως παραδέδεκται καὶ κηρύσσεται. Τὸ γοῦν πειρᾶσθαι ἐκ τῶν παλαιῶν νόμων, τοῖς ὁμοιώμασι τῆς κτίσεως συναναιρεῖσθαι τὸ τοῦ Χριστοῦ ὁμοίωμα, ὃς πάσης δεσπόζει τῆς κτίσεως, ἀμυήτων μέν ἐστι καὶ ἀγνοούντων τὸ διηλλαγμένον τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης, καὶ ὁπόσον ὑπέρκειται καὶ ὑπεραίρει τῶν παλαιῶν τὰ νέα. Ἔνδειξιν δὲ φέρει τὸ συγκαταριθμεῖν[1] τοῖς κτίσμασι καὶ συμβάλλειν τὰ ἀσυγκρίτως διειργόμενα, καὶ οὐδὲ μίαν διδόναι διαφορὰν δημιουργοῦ καὶ ποιήματος· ὁμοίως γὰρ αὐτοῖς ὁ νόμος παρείληπται ἐπί τε εἰκόνος Χριστοῦ καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν καὶ θηρίων καὶ νηκτῶν, ὃ τῆς βοσκηματώδους ἐστὶν ἀλογιστίας καὶ τῆς ἑρπυστικῆς θηριωδίας ἐναργέστατον γνώρισμα· καὶ οὐ δεδίασιν οἱ δυσσεβεῖς ἐν ἴσῳ ἑρπετῶν καὶ κνωδάλων, κροκοδείλων τε καὶ ὄφεων, καὶ μὴν καὶ ἴβεων, ἵνα τὰ λοιπὰ παρῶμεν, ὁμοιώμασι τὸ Χριστοῦ ὁμοίωμα τίθεσθαι, τὸ τοῦ ἑαυτῶν κτίστου τοῖς τῶν ὁμοδούλων συγκαταμιγνύντες· ὡς οὐκ ἐξὸν οὐδὲ Χριστὸν ὁμοιογραφεῖσθαι, τῷ τὰ ὅμοια τῶν ἐν τῇ κτίσει μὴ λατρεύεσθαι. Τί δ' οὖν συμβαίνει τοῖς χριστομαχεῖν εἰωθόσι, διὰ τῆς ἐπινενοημένης αὐτοῖς ἰσοφυοῦς τῶν ὁμοιωμάτων ἀπαγορεύσεως; καὶ ἐπὶ τοῖς ἀρχετύποις βλασφημεῖν τὸ ἀδιάφορον· τοῦτο δὲ ποίας ἀθεΐας καὶ δυσσεβείας μέτρον οὐχ ὑπερηκόντισε; Πάλιν γὰρ οὐδὲ μία διαφορὰ παρ' αὐτοῖς φωτὸς καὶ σκότους, οὐδὲ ἀναμέσον ἁγίου καὶ βεβήλου, ἢ καθαροῦ καὶ ἀκαθάρτου διάκρισις· καὶ οὕτως εἰδωλολατρείας γραφὴν οἴσουσι, καὶ πάλιν ἐσκοτίσθησαν τὴν διάνοιαν, καὶ ἐμωράνθησαν τὴν ψυχήν. Ταῦτα τῶν ἀπόλυτον τὴν γλῶσσαν κατὰ τοῦ κτίστου ἐπαφιέντων, καὶ λαλούντων κατὰ τοῦ Θεοῦ ἀδικίαν, καὶ ἀθετούντων τὸ μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον[2]. Καὶ ἡ μὲν κατὰ Χριστοῦ δυσφημία καὶ ὕβρις ἐνταῦθα τὸ πέρας ἐχέτω.

nuntiataque est. Velle igitur ex præcepto veterum legum una cum conditarum rerum simulacris tollere imaginem Christi qui totius creationis dominator est, ineptorum illud est et ignorantium quale sit a veteri ad novum fœdus intervallum, quantumque nova priscis superemineant et præstantiora sint. Atqui manifesto refutantur ex eo quod sic connumerantur creaturæ et confunduntur res absolute diversæ, quodque non ullum conceditur discrimen opificem inter et opus. Sic enim ab illis lex aptatur imagini Christi simul et quadrupedum ac serpentium et ferarum et natantium, quod quidem indicium pecualis stuporis serpentinæque feritatis absolutissimum est. Neque verentur impii illi promiscue reptilium et bestiarum, crocodilorum puta et serpentium, quin et ibium, ut cætera missa fiant, imagines cum similitudine Christi componere, ut sui ipsorum conditoris effigiem cum simulacris conservorum suorum confundant, quasi non liceat Christum repræsentare, eo argumento quod latriæ cultus ad creaturarum repræsentationes non pertinet. Quid igitur istis veteranis Christi hostibus efficitur ex hac rerum confusione in vetandis imaginibus? Ut etiam in ipsa archetypa blasphemam inferant commixtionem : quo quis erit impietatis et sacrilegii cumulus immanior? Iterum ergo nulla illis differentia est lucem inter et tenebras, nulla intercapedo sancti et profani, nulla mundi et immundi diversitas. Et inde nobis scribunt ab idololatria dicam, et rursus mente obtenebrescunt, et toto animo insaniunt. Hæc verba sunt protervam linguam in Creatorem exserentium, et adversus Deum iniqua loquentium, reprobantiumque magnum pietatis sacramentum. Jam vero blasphemis et contumeliosis in Christum dictis hic finis imponatur.

(1) Τοῦ συγκαταριθμεῖν E. — (2) Μυστήριον. I Timoth. III, 16.

CAPUT IV.

Ὅπως δὲ ἔχουσιν ἔχθους καὶ δυσμενείας κατὰ τῆς εὐαγοῦς ἡμῶν θρησκείας, βραχέα διαληπτέον. Βασκαίνουσι γὰρ ἡμῖν τῆς εἰς Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν ὁμολογίας τε καὶ ἐλπίδος, καὶ μάλιστα τοῖς ζήλῳ καὶ πόθῳ θείῳ ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας θερμῶς διηγωνισμένοις· ἐρέσθαι οὖν αὐτοὺς δίκαιον, τίς ἄρα καὶ ὁποῖος τοῖς ἀλογίστοις λόγος ἐκ τῶν παρὰ τοῦ νόμου ὁρμωμένοις ἐπικαλεῖν τὰ τοιάδε τοῖς ἐν χάριτι δεδικαιωμένοις διὰ πίστεως, καὶ πολιτείαν εὐαγγελικὴν ἐπανῃρημένοις τε καὶ μετιοῦσι, πολλῷ τῆς νομικῆς ἀμείνω τε καὶ προφερεστέραν. Ἀλλ' οὐδαμῶς αὐτοῖς αἰτία εὐπρόσωπος ἐξευρεθήσεται, ἢ πιθανότης ἐννοιῶν παραστήσεται. Οὐ γὰρ ζυγῷ δουλείας τῷ τοῦ νόμου ὑπενηνέγμεθα· ἐλευθερίᾳ δὲ τετιμήμεθα, καὶ υἱοὶ φωτὸς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας κεκλήμεθα, καὶ πατέρα τὸν ἐν οὐρανοῖς Θεὸν ἐπιγραφόμεθα· κανόσι δὲ θείοις ἀποστολικοῖς καὶ δόγμασιν πατερικοῖς καθ' οὓς ἡ Ἐκκλησία κρατύνεται, τυπούμεθα καὶ στοιχοῦμεν καὶ στέργομεν, ὡς ἡμῖν γε κατὰ πάντα χωρὶς ἁμαρτίας τὸ ἐκ τῆς παναγίας ἀμώμου ἀειπαρθένου Θεοτόκου προσληφθὲν παρὰ τοῦ θείου Λόγου σῶμα ὡμοίωται· διὸ καὶ γράφεται θεοπρεπῶς καὶ προσηκόντως ὡς ἱερὸν τιμᾶται τὸ γραφόμενον· οὐ δήπου δὲ τοῖς ἡλίῳ καὶ σελήνῃ καὶ τοῖς κατ' οὐρανὸν ἄστροις, πτηνοῖς τε καὶ χερσαίοις καὶ ἐναλίοις προσέοικεν. Πῶς οὖν οὐ τῶν λίαν ἀνοήτων καὶ πάθει παραπληξίας καὶ μανίας ἑαλωκότων τοῖς πάλαι εἰδώλων τῇ σωτηρίῳ τοῦ Χριστοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἐπιφοιτήσει λελυτρωμένοις, καὶ μηδ' ὅπως τι οὖν εἰς μνήμην αὐτῶν ἀφιγμένοις πώποτε, ὅτι μὴ μόνον πρὸς κατάῤῥησιν, ὡς ἂν τὰ ἐκ τοῦ
A 350. Πνεύματος ἀναλαμβάνοιεν λόγια, τὰ ἐξ εἰδώλων ἐπιγράφειν αἴσχη, κἀκ τοῦ περιέπειν σεμνῶς καὶ σέβειν ὡς προσῆκε τὰ τῆς χάριτος σύμβολα, εἰδωλολατρείας ἐπάγειν ἐπίκλημα, ἀπηγορευμένον ἤδη ποτὲ τοῖς ἐξ αἵματος Ἰσραὴλ ποιεῖν τῶν ἐν τῇ κτίσει ὁμοίωμα; καὶ γὰρ οἱ τὸ θεῖον δεδεγμένοι κήρυγμα τήν τε

Quantum vero odii et furoris gerant in impollutam fidem nostram, paucis comprehendendum. Calumniantur enim nobis ob fidem spemque nostram in Christum Deum, sed maxime iis qui pro religione cum zelo ardoreque divino certamina magna subierunt. Æquum igitur est ex iis quærere quæ et qualis causa sit excordibus ipsis cur talem impingant dicam iis qui in gratia per fidem justificantur, qui evangelicam elegerunt et sequuntur disciplinam, lege quidem quanto potiorem, meliorem et excellentiorem! At nulla illis commoda causa invenietur, nulla assertorum afferetur probabilitas. Nec jam enim jugo servitutis, quod est in lege, addicti sumus; libertatis honore potiti, et filii lucis per baptismum regenerationis appellati sumus, patremque nostrum in cœlis Deum nuncupamus. Regulis enimvero divinis apostolorum patrumque dogmatibus, quibus constat Ecclesia, formamur, ordinamur, firmique consistimus : scilicet simile nobis est, excepto peccato, corpus quod assumsit e sanctissima et immaculata semperque Virgine Dei genitrice divinum Verbum; quare etiam decenter et uti Deo congruit, pingitur, estque pictura uti sacra honore digna; neque vero quidquam habet simile cum sole et luna cæterisque cœli sideribus, cum volatilibus bestiisve terrenis aut marinis. Quomodo igitur nisi oppido desiperent, nisi vesaniæ morbo ac furore percellerentur, idololatriæ turpitudinem tribuissent iis qui dudum per salutiferum Christi ad homines adventum idolis repurgati sunt, quorum ne in memoriam quidem illa incidunt umquam, nisi forte ad exsecrationem, scilicet ut Spiritus oracula adimpleant; illis, inquam, idololatriæ crimen intulissent, eo quod sancte colunt et, ut decet, venerantur gratiæ signa? Quandoquidem jam olim filiis Israel vetitum erat ne creatæ cujusquam rei facerent similitudinem. At nos divina præconia excepimus, veramque agnovimus confessionem, puri-

ἀληθῆ ἐπέγνωμεν ὁμολογίαν, καὶ καθαροὶ τῆς Τριάδος προσκυνηταὶ καὶ λάτραι ὀρθοὶ καὶ γνήσιοι τὸ ἐξ ἀρχῆς ἀναδεδείγμεθα.

Ἀκουέτωσαν ταῦτα οἱ πολέμιοι τῆς χάριτος, καὶ τοῖς συμβόλοις τῆς χάριτος ἀνοήτως διαμαχόμενοι· καὶ πάλιν τὸν νόμον ἡμῖν ὑπαναγινωσκέτωσαν, καὶ πάλιν ἡμεῖς, ὅπως τε καὶ ὅντινα τρόπον τιθέμενον, εὐθυβόλως καὶ ἐμμελῶς ἀναπτύξομεν. Μανθανέτωσαν γὰρ ὡς καταφανὲς ἄγαν τῶν νενομισμένων τὸ αἴτιον. Τί δὲ τοῦτο ἔστιν; ὁ νομοθετήσας καὶ νῦν ἑρμηνευέτω· «ὅτι οὐκ εἴδετε, φησὶ, πᾶν ὁμοίωμα ἐν τῇ ἡμέρᾳ ᾗ ἐλάλησε Κύριος πρὸς ὑμᾶς ἐν Χωρὴβ τῷ ὄρει ἐκ μέσου τοῦ πυρός· μὴ ἀνομήσητε καὶ ποιήσετε ὑμῖν αὐτοῖς γλυπτὸν ὁμοίωμα, πᾶσαν εἰκόνα, » καὶ ἅπερ ἑξῆς γέγραπται. Τίνος οὖν ἕνεκεν οὐ ποιήσεις; ὅτι οὐκ εἶδες, φησὶν, ὥστε εἰ εἶδες, ποιεῖν σοι μετῆν. Διὸ ἐπειδὴ εἴδομεν, διὰ τοῦτο ἐφ' ἡμῖν τὸ ποιεῖν κείσεται. Καὶ ἐπὶ μὲν τῶν πάλαι Ἰουδαίων καλῶς γε τοῦτο ὁ νόμος παρηγγύησε. Πῶς γὰρ τοῦ μήπω ὑπ' ὄψιν ἡγμένου ἢ ἐγχειρητέον, ἢ ὅλως ἐξὸν ποιεῖν ἀπομίμημα; Νῦν δὲ ἐπειδὴ Θεὸς ὤφθη τοῖς ἐπὶ γῆς σωματικῶς καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη καὶ συνεπολιτεύσατο[1], ὁ τὰ παλαιὰ ἐκεῖνα νομοθετήσας καὶ ἀντ' ἐκείνων τὰ νέα ἡμῖν ἐγκαινίσας, καὶ ἐπεφάνη ἡμῖν ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος[2], εἴπερ σοι ἀληθεύειν οἱ τῆς ἀληθείας φαίνονται κήρυκες, «ὃ ἐθεασάμεθα, λέγοντες, καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν[3], » καὶ ἃ τούτοις παραπλήσια ἡ εὐαγγέλιος ἐκδιδάσκει θεομυστία· σχολαῖος μὲν καὶ ἀργὸς ὁ παλαιὸς ἐκεῖνος νόμος, ὅτι γε ἤδη πεπαλαίωται καὶ κατήργηται· κρατείτω δὲ τὰ τῆς χάριτος, καὶ ἐνεργείτω λοιπὸν τὰ οἰκεῖα γνωρίσματα, ὅτι καινὰ πάντα γέγονε, μὴ παλαιούμενα· διὸ ποιεῖν ὁμοίωμα τοῦ φανέντος ἔξεστι, καὶ εὐσεβές γε καὶ δίκαιον τοῦτο τυγχάνει ὄν· ὥστε, ὅπερ αἴτιον τοῦ μὴ ποιεῖν ὁμοίωμα τὸ μὴ τεθεᾶσθαί τι ὁμοιούμενον ἐν τοῖς κατὰ τὸ ὄρος θεσπιζομένοις, τοῦτο ἀφορμή σοι προκείσεται τοῦ ποιεῖν ὁμοίωμα, ἐπειδὴ τεθέαται

que Trinitatis adoratores insontesque fuisse et integri cultores inde ab omni ævo ostendimur.

Hæc audiant gratiæ inimici qui in gratiæ signa cæco marte dimicant. Et iterum legem nobis recitent, et iterum nos quandonam et quali modo data fuerit, recte et accurate explicabimus. Edoceantur enim quod sole clarior est horum decretorum causa. Quæ jam? quæris. Legislator ipse etiam nunc interpretetur : « Non vidistis, « ait, ullam effigiem in die qua loquutus « est Dominus ad vos in Choreb, in monte, « de medio ignis. Ne peccetis, nec vobis fa- « ciatis sculptilem similitudinem, omnem « imaginem, » et cætera quæ scripta sunt. Quæ causa igitur cur non facias? Quia non vidisti, inquit; adeo ut, si vidisses, facere licitum esset. Ergo quoniam vidimus, idcirco penes nos est facere, si lubet. Reapse quod veteres Judæos spectat, optime illud sancitum a lege fuit. Quo enim pacto id quod nullis oculis obvium fuerat, aut possibile aut licitum erat repræsentare? Nunc vero, postquam Deus habitantibus in terra visus est corporaliter et cum hominibus conversatus est et commoratus, ille ipse qui et hæc prisca edixit, et pro istis recentia nobis innovavit, quum demum apparuit nobis gratia Dei salutaris, dummodo tibi vera dixisse credantur veritatis præcones, qui dicunt : « Quod vidimus, quod manus nostræ contrectaverunt, » et quæ tibi his similia edocent evangelica Dei vaticinia, jam otiosa fit et vacua vetus illa lex, quæ quidem antiquata est et abolita. At prævaleant fœdera gratiæ, suumque sortiantur effectum domestica nostra instituta, quoniam nova omnia facta sunt, non vetera. Permittitur igitur similitudo fieri ejus qui apparuit, piumque illud et justum erit : ut quæ causa fuerat cur nulla fieret imago, quum nulla visa similitudo esset, quando in monte data lex est, eadem ipsa nunc evaserit ansa et incitamentum ut imago fiat, postquam

(1) Συνεπολιτεύσατο. Baruch. III, 38. — (2) Σωτήριος. Tit. II. 11. — (3) Ἐψηλάφησαν. I Joan. I, 1.

τοῖς ἀνθρώποις ὁ ἐν τῷ κόσμῳ παραγενόμενος. Ἡ γὰρ ἐκ τοῦ μηδὲν ὁραθῆναι τῆς ποιήσεως μαρτυρουμένη ἀναίρεσις, ἐκ τοῦ φανῆναι τὸν θεαθέντα, τὴν θέσιν τοῦ ποιεῖν κατὰ τὸ ἀκόλουθον ἐπαγγέλλεται· οὐκοῦν σοι πίστις ἀληθῶς τὴν θέαν ὑπάρξαι τοῦ ὁραθέντος, ἀνάγκη σοι ἐκ τῶν σῶν λόγων καὶ νόμου[1] ὁρμωμένῳ καὶ τὸ τῆς πίστεως διαδεικνύειν σύμβολον.

Εἰ δὲ τοῦτο ποιεῖν παραιτῇ, σαφέστερον ἔδειξας σεαυτὸν ἢ ἰδόντα μὲν, μὴ πεπιστευκότα[2] δὲ, ἢ μηδὲ τὴν ἀρχὴν τῆς σωτηρίου οἰκονομίας τὸ κήρυγμα προσηκάμενον ἢ δεξάμενόν ποτε, νῦν ἠθετηκότα καὶ ἠρνημένον, καὶ δὴ καὶ ἀπ' ἐναντίας τῶν μεμακαρισμένων ἐκ πίστεως ἐρχόμενον· ἐξ οὗ λειπόμενόν ἐστιν φαντασίᾳ σε πάλιν καὶ οὐκ ἀληθείᾳ σεσαρκῶσθαι τὸν Θεὸν Λόγον νομίζειν, ἢ ὅπερ ἀληθέστερον πάντων εἰπεῖν καὶ δικαιότερον, Ἰουδαῖόν σε ἀπηρτισμένον καὶ τέλειον ἐκ τῶν προβεβλημένων σοι νόμων ἐπίστασθαι.

inter homines visus est qui in mundum venit. Ut enim picturam rei nondum visæ fieri non posse, ita statuendum consequenter visum aliquem et ostensum depingi posse. Sit ergo hoc tibi suasum, re semel spectata, spectaculum institui: jam tibi necesse erit, e propriis sermonibus exque ipsa lege proficiscenti, et hoc fidei nostræ asserere signum.

Id vero si facere detrectas, evidentius ostendisti te vel vidisse quidem, sed non credidisse, vel nedum ab initio hunc salutiferæ nativitatis nuntium admisisse, vel denique hunc recepisse aliquando, nunc vero reprobasse et negavisse, ac proinde te ab illis qui ob fidem beatificantur, exsulare. Jam reliquum est te rursus credere in apparentia, non in veritate Deum Verbum carne indutum fuisse, aut, quo nihil verius dicam, nihil justius, te judæum omni puncto et numero absolutum, e modo productis legibus statuendum esse.

CAPUT V.

Ἀρ' οὖν μέχρι τούτων τῶν νόμων τὰ θεῖα ἵσταται λόγια, καὶ οὐδὲν περαιτέρω νενομοθέτηται; ἐπιτηρεῖν γὰρ ἀναγκαῖον καὶ τοῦτο, εἰ καὶ[3] αὖθίς τινα κεχρησμῴδηται. Ἀλλ' οἱ μὲν παρανομίᾳ προκατειλημμένοι, καὶ ἀμαθίᾳ τὴν ψυχὴν πεπωρωμένοι, καὶ τοὺς νοητοὺς ὀφθαλμοὺς ἐσκοτισμένοι, οὐδὲ ἐπὶ νοῦν βαλέσθαι[4], καίτοι τοῦ νόμου περιεχόμενοι τὰ χρησμῳδούμενα, προήρνηνται οὐκ ἀσυμφανές· ἡμεῖς δὲ αὐτοῖς ἱκανῶς μάλα διευκρινήσομεν. Τί γὰρ μετὰ τοὺς νόμους τούτους τέτακται; ἀπείρξας ὁ νόμος τὸν Ἰσραηλίτην ὅμιλον τῶν περικοσμίων[5] ποιεῖσθαι καὶ σέβειν τὰ ὁμοιώματα, A 351. κατειθισμένον αὐτοῖς κατὰ τὴν ἀλλοδαπὴν τιμᾷν, ἐπείπερ πανωλεθρίαν τοῖς ποιοῦσι καὶ ψυχῆς καὶ σώματος αὐτίκα δὴ μάλα ἐπανετείνετο, ἐπεστράφθαι δὲ πρὸς τὴν τοῦ θείου θεραπείαν βουλόμενος, τῶν ὑπερκοσμίων

Numquid inde ad hæc decreta substiterunt oracula divina, nec aliud est ulterius sancitum? considerare enim et illud operæ pretium est, si forte iterum quædam supervenerint vaticinia. Verum ea illos protervia præoccupavit, ea ruditate animi cæcutierunt, ea spirituales oculos nox offudit, ut hæc diligenter attendere, etsi legis oracula ad manum haberent, haud occulte recusaverint. Nos autem hæc quam solertissime excutiamus. Quid igitur post hæc legis decreta edictum est? Postquam lex vetuit ne israelitica plebs rerum περικοσμίων faceret et coleret simulacra, consueta nimirum ob alienos ritus talia venerari, atque illico denuntiata est hæc facientibus internecio corporis et animæ, tum eos ad divinum cultum volens erigere, lex jubet rerum ὑπερκοσμίων fieri ima-

(1) Νόμων A. — (2) Μὴ πιστεύοντα E. — (3) Ἢ καὶ A. — (4) Βάλλεσθαι E. — (5) Περικοσμίων. Subtilior fortasse distinctio περικοσμίων et ὑπερκοσμίων, recte tamen eo sensu intelligenda, quo idem Nicephorus alibi dicit, Christum pingi qua homo est, non qua Deus; ita Angelos, non qua spirituales sunt, sed qua forma in mundo visi sunt, exprimi. Eodem modo Niceph. disputavit cum Leone armeno in act. Boll. n. 52.

ποιεῖν ὁμοιώματα διακελεύεται· δι' ὧν καὶ ἐγινώσκετο Θεὸς καὶ ἐδοξάζετο, καθ' ὃ «ἐκεῖθεν γνωσθήσομαί» σοι εἴρητο[1], καὶ ζωῆς ἀρίστης καὶ σωτηρίας ὑπῆρχε πρόξενα· ἃ δὴ καὶ παραδείκνυσι τῷ οἰκείῳ θεράποντι.

Καὶ ὅτι ταῦτα οὕτως ἔχει, ἄκουε τί φησιν τῷ Μωσῇ χρηματίζων Θεός· « Ὅρα, ποιήσεις πάντα κατὰ τὸν τόπον τὸν δειχθέντα σοι ἐν τῷ ὄρει[2].» Ὅτι δὲ ποιεῖν ὁμοιώματα ἐνταῦθα διαγγέλλεται παρὰ Θεοῦ, οὐδεὶς τῶν ὑγιᾶ τὴν φρένα κεκτημένων διαμφισβητήσειεν. Ὡς γὰρ ἀρχέτυπα ὁμοιωμάτων καὶ ἀπεικασμάτων παρεδείχθησαν, διὸ καὶ ἡ κατὰ Μωσέα σκηνὴ εὐπάρυφα κεκαλλώπισται καὶ ἐξύφαντα, Χερουβὶμ ὁμοιότησιν ἅπασα διεσκευασμένη· καθ' ἣν καὶ τὰ χρυσοτόρευτα Χερουβὶμ ὕπερθεν τοῦ ἱλαστηρίου καθίδρυτο, ἐπεὶ καὶ ἕπεται αὐτοῖς ὥσπερ ἀντίτυπα ἤτοι ἰσότυπα, καθ' ἃ καὶ ἡ σχέσις τῶν πραγμάτων αὐτῶν διαμαρτύρεται, καὶ ὁ τῶν πρός τι λόγος[3] βεβαιοῖ· τὸ γὰρ ὅμοιον ὁμοίῳ ὅμοιον. Ἤδη δὲ καὶ παρὰ Παύλῳ, τῷ τῆς καινῆς Διαθήκης ἱερουργῷ, τετίμηται καὶ δεδόξασται[4]· ἢ οὐχὶ καὶ οἱ καθ' ἡμᾶς θεῖοι ναοὶ τὸ ἐμφερὲς τῶν παραδεδειγμένων ἔχοντες, μηνύματα καὶ ἀπεικάσματα τῶν οὐρανίων ἡμῖν σκιαγραφοῦσι; Σκιὰν γὰρ εἶχεν ὁ νόμος τῶν μελλόντων· ὤδινέ γε μὴν τῆς ἀληθείας τὴν μόρφωσιν, ἐξ ὧν χριστιανοῖς ἀφωρμημένοις, οὕτω τὰ τῶν θείων σηκῶν κατεσκεύασται ἀγαλματοφορούντων τῆς ἀληθείας τὰ σύμβολα, ἐν οἷς παρ' ἡμῶν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς ἐν καθαρᾷ καὶ ἀμωμήτῳ λατρείᾳ προσκυνεῖταί τε καὶ δοξάζεται. Σὺ δὲ ὁ τὰ νηπιώδη ψελλίσματα ἐκ μειρακιώδους καὶ ἀλλοκότου φρενὸς προφερόμενος, ἀλογίᾳ τε αὖ πολλῇ καὶ ἀμαθίᾳ συζῶν, καὶ πᾶν ὁμοίωμα βδελυσσόμενος, κἂν ἐν οὐρανῷ καὶ γῇ καὶ ὕδασι τυγχάνον φαίνοιτο, πῶς οὐκ αἰσχύνῃ καὶ ἐγκαλύπτῃ λέγων, ὅτι τὸν σταυρὸν κατηστερισμένον ἐν τῷ οὐρανῷ καθορῶν προσκυνῶ[5]; τοῦτο δὲ πάντως φήσεις ποιῶν, ἐπειδὴ ἔοικε τῷ σταυρῷ ἐν ᾧ

gines: per angelos enim agnitus est Deus et glorificatus, juxta illud tibi dictum: « Hoc signo agnoscar. » Per eos etiam vitam optimam et salutem conciliantia dona tibi exstiterunt, quippe proprio cultori prædicta.

Atque ut hæc ita se habere noveris, audi quid Deus Moysi vaticinatus fuerit: « Vide, facies omnia sicut monstrata tibi « sunt in monte. » Illic porro mandasse Deum ut imagines fierent, nulli hominum sanæ mentis ambiguum est: scilicet ostensa sunt archetypa imaginum et similitudinum, ex quibus a Moyse tabernaculum splendidis tentoriis instructum est et textili opere, cherubim imaginibus in eo compositis; ut videlicet cherubim auro sculpta super propitiatorium considerent, quandoquidem dictum est antityporum instar, sic faciendos esse similes typos, id quod ipse rerum conspectus clamat, et ipsum de rei cujusque causa argumentum asseverat. Quod enim alicui simili simile est, similitudinem præ se fert. Jam vero cherubim apud Paulum, illum novi fœderis dispensatorem, honorata sunt et glorificata. An non et nostra Deo consecrata templa, in quibus inest rerum Moysi ostensarum similitudo, cœlestium effigiem et umbram nobis delineant? Umbram enim lex bonorum futurorum habebat: parturiebat quippe veritatis formam; nec aliunde christianis orta sunt, sicque sacrorum sacellorum in decus cesserunt iconibus ornata veritatis symbola, in quibus nos universorum Deum cum pura et irreprehensibili religione adoramus et glorificamus. Tu vero qui infantium balbutiem e puerili et impotenti mente elicis, tam vehementer elinguis quam inscius, omnique contumeliosus imagini, quaquaversum in cœlo, terrave aut aquis occurrat, quomodo pudore non suffunderis aut te non abscondis, quum dicis: Ego crucem in cœlo elevatam videns adoro? Hanc vero dices omnino posse fieri, quum similis sit

(1) Εἴρητο, alludit ad Luc. II, 12. — (2) Ὄρει. Exod. XXV, 60. — (3) Λόγος. « Ipsa ratio *ad quid?* » sumtum videlicet e categoriis Aristotelis. — (4) Δεδόξασθαι. *Superque eam erant cherubim gloriæ.* Hebr. IX, 5. — (5) Προσκυνῶ. Ex ipso Iconomachorum decreto synodico constat eos adoravisse crucem.

Χριστὸς ἀναρτηθεὶς σαρκὶ προσήλωται· καὶ ὁμοίωμα τὸ ὁπωσοῦν ποιεῖν ἢ σέβειν παραιτούμενος καὶ μυσαττόμενος, σεαυτὸν παρεκρούσω καὶ ὁμοίωμά τι προσκυνῶν ἑάλως· οὕτω καὶ ἑαυτοῖς καὶ χριστιανοῖς μαχόμενοι καὶ τῇ ἀληθείᾳ αὐτῇ ἀντιπραττόμενοι οὐκ αἰσθάνονται οἱ παράφρονες.

cruci in qua Christus suspensus carne confixus est. Ergo quum imaginem quamcumque fieri et honorari interdicis et exsecraris, temet ipsum fallis et coram imagine prostratus deprehenderis : adeo nec sibi, nec christianis pugnare se, neque ipsi veritati se contraire sentiunt insipientes.

CAPUT VI.

Χαλεπαίνουσι δὲ μάλιστα καὶ δυσχεραίνουσιν ἐπὶ τοῖς ἀνέκαθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς κατὰ τὴν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν κρατοῦσι θείοις θεσμοῖς καὶ ἔθεσιν. Διὸ καταιτιῶνται χριστιανοὺς τῆς εὐαγοῦς παραδόσεως, ἡνίκα ἄν τις αὐτῶν τῶν παραδεδομένων ἕνεκεν προχειρίζοιτο λόγον, ἐπικερτομοῦσί τε εὐθὺς, καὶ μέγα ἐπικαγχάζουσι, καθάπερ ἀμέλει καὶ Ἰουδαῖοι τῷ τοῦ σταυροῦ λόγῳ ἐπιτωθάζουσι, τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος, ὡσαύτως ἐκείνοις, καὶ οὗτοι περιπταίοντες· ἀνοηταίνουσι γὰρ οἷα φιλαίτιοι καὶ φιλοσκώμμονες, καὶ εἰδέναι οὐκ ἐθέλουσιν ὅπερ παρὰ πάντων τῶν ὀρθῷ λογισμῷ κεχρημένων, καὶ τὴν τῶν ἀληθῶν γνῶσιν ἐπεσκεμμένων [1] συνωμολόγηται καὶ οὐδεμιᾶς ἀμφιβολίας ἔχεται· ὅτι γε τὸ κράτιστον πάντων καὶ ἑδραιότατον ἡ κρατοῦσα παράδοσις τὸ διαρκὲς καὶ τὸ κῦρος πανταχῇ διακέκτηται [2], ὑφ' ἧς πάντα ἐν τῷ βίῳ ἰσχύει τε καὶ κρατύνεται. Ὅθεν καὶ ἐγγράφοις καὶ ἀγράφοις νόμοις, ἀπό τε ἀποστολικῶν κηρυγμάτων, καὶ πατερικῶν θεσπισμάτων τὰ κατὰ χριστιανοὺς ἔθη φυλάττεταί τε καὶ ἵδρυται· ἃ δὴ κρατεῖσθαι καὶ ἡ Παύλου μεγαλοφυΐα διακελεύεται. Ἐξ ὧν πανταχοῦ αἱ ἱεροτυπίαι αὐταὶ διαπρέπουσι· παρ' αὐτῶν δὲ μόνον τὸ κατὰ τὴν εὐσέβειαν κρατοῦν ἔθος ἠθέτηται καὶ ἐκβάλλεται, ἐξευρημένον αὐτοῖς, ἐπειδὴ πλεῖστα τῇ Ἐκκλησίᾳ ἐντεῦθεν ἐμπολιτεύεται, ὡς ἕωλον

Dolent potissimum et stomachantur in sacras regulas et consuetudines quæ antiquitus et ab initio per catholicam et apostolicam Ecclesiam invaluere. Crimini igitur christianis vertunt sinceram traditionem : quoties eorum aliquis rerum prius traditarum rationem reddere cœperit, illico in dicteria erumpunt et in cachinnos, eumdem prorsus in modum quo Judæi quoque in crucis verbum scommata vomunt, inque petram offensionis, ut illi, ipsi quoque incidentes. Insaniunt enim hi qualiumcumque litium nugarumque appetitores, nec nosse volunt ea quæ omnes recta ratione utentes veritatumque cognitione potiti credunt et sine ulla ambage confitentur : nempe firmissimum esse omnium rerum fundamentum in traditione perpetua et in continua auctoritatis possessione, qua nimirum vitæ quodcumque est, innititur demum et roboratur. Inde legibus sive scriptis, sive secus, tum ex apostolica prædicatione, tum e patrum decretis, christianorum consuetudines asservatæ sunt et confirmatæ. Ut vero ita invalescant imagines, ipsa Pauli granditas jubet. Inde est quod ubivis terrarum sacræ imagines honore splendent. At illi solummodo, quod juxta piam consuetudinem invaluit, dejiciunt et expellunt (quæ machina ab ipsis inventa, quoniam pleraque Ecclesiæ disciplina inde oritur), ut sic

(1) Καὶ τὴν τῶν ἀληθῶν γνῶσιν ἐπεσκεμμένων. Hæc in E non leguntur. — (2) Διακέκτηται. Præclare dictum : ideo Nicephorum non piguit semel et iterum illud idem ponere. Cf. *Antirrhetic.* III adv. Mamonam : Ἀλλὰ ῥητέον αὐτοῖς ὅτι μάλιστα μὲν ἡ ἄγραφος παράδοσις τὸ ἰσχυρότατον πάντων κέκτηται, καὶ οἷον κρηπίς τις καὶ ἕδρα τῶν ἐν τῇ χρήσει τοῦ βίου ἐστίν. *Sed respondendum est istis traditionem potissime non scriptam præ omnibus esse validissimam, et columnæ basisque vice in vitæ humanæ usibus fungi*, etc. Maii *Bibl. N.* t. v, p. 1, p. 78; p. iv, p. 89. Cf. ibid. utriusque partis p. 111, 119.

τὸ πᾶν καὶ ἄκυρον τῆς πίστεως ἡμῶν καταστήσουσι.

Διὰ δὴ τοῦτο καὶ πεύσεις προσάγουσι, καὶ νόμους ἐγγράφους αἰτοῦσι τῆς τε ποιήσεως καὶ προσκυνήσεως τῶν θείων τουτωνὶ μορφωμάτων εἵνεκεν, ὡς ἂν ἐν ἀγνοίᾳ καὶ
2. ἀπορίᾳ περιϊσταμένους τοὺς ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας κατὰ τὸ[1] δοκοῦν αὐτοῖς ἕλοιεν, καὶ ὡς ἐπ' οὐδενὶ ἑδράσματι ἰσχυρῷ βεβηκότων, τό γε ἐπ' αὐτοῖς τὸ πᾶν κατασίνοιντο· ἀλλ' οὗτοί γε κινδυνεύουσι λεληθέναι, ὅτι περ χριστιανοῖς διαλέγονται καὶ πρὸς τοὺς εὐσεβοῦντας αὐτοῖς ἡ διαμάχη. Οὐ γὰρ ἐπαισθάνονται, ὡς γνώρισμα καὶ ἰδίωμα χριστιανῶν μετὰ τῶν ἄλλων ἱερῶν καὶ τὰ σεβάσμια ταῦτα σύμβολα διὰ τιμῆς ἄνωθεν ἄγειν, καθάπερ καὶ Ἰουδαίοις, πρὸς δέ γε καὶ τοῖς ἄλλοις ἔθνεσιν ἀνεῖται τὰ τῆς θρησκείας ἕκαστον περιέπειν, καὶ πατρίοις ἔθεσι καὶ νόμοις στέργειν καὶ πολιτεύεσθαι, κἂν τῇ ἀπάτῃ τοῦ πονηροῦ δελεασθέντες, πρὸς τὴν δεισιδαίμονα κατεσύρησαν πλάνην. Εἰ γοῦν ᾔδεσαν, ὅτι πρὸς Χριστὸν καὶ χριστιανοῖς αὐτοῖς ἧρται ὁ πόλεμος, ἀπέληξαν ἂν τῆς φλυαρίας καὶ λῃρωδίας, ἀσφαλῶς ἐντεῦθεν πειθόμενοι, ὡς ἀλλότριοι καὶ ὀθνεῖοι τῆς καθ' ἡμᾶς θεοσοφίας τυγχάνουσι.

Τί δὲ ἀλογωτερον ἢ μανικώτερον τοῦ πεύσεις τούτων γε χάριν προφέρεσθαι; Εἰ μὲν γὰρ ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς γενεᾷ ἦρκται καὶ διαπέφανται, ἐπειδὴ εὐσεβῶς καὶ θεοπρεπῶς ἐγίνετο, οὐδ' οὕτως ἐχρῆν, εἴπερ εὐσεβείας αὐτοῖς ἐμέλησε, πώποτε δι' ἐρεύνης καὶ βασάνου ἴεσθαι, ὅπως τε καὶ ὅθεν εἰς τὸν βίον παρῆκται τὸν καθ' ἡμᾶς, ἀγαπᾶν δὲ καὶ πιστῶς δέχεσθαι καὶ ἀσπασίως τὰ παρὰ ὁσίοις καὶ λογίμοις[2] ἀνδράσι καλῶς καὶ ἐνθέως ἐξητασμένα καὶ δεδοκιμασμένα. Εἰ δὲ οὐκ ἐφ' ἡμῶν, οὐδὲ ἐξ ἡμῶν, ὥσπερ οὐδὲ τὸ χριστιανίζειν τὴν ἀρχὴν εἴληχεν ἢ κεκήρυκται, ἀρχαιότητι δὲ διαφέρει, διὸ καὶ αἰδέσιμα, ποίας κακίας καὶ μωρίας οὐχ ὑπεραίρει τρόπον; προσῆκε δ' ἂν αὐτοὺς εἰς τὰ προεξητασμένα παρὰ χριστιανοῖς καὶ Θεῷ ἱερωμένοις ἐπιμελῶς διαγυμνάσασθαι,

totam fidem nostram obsoletam et antiquatam esse statuant.

Itaque et quæstiones ingerunt, et leges scriptas postulant de fabrica et adoratione divinorum hujusmodi extyporum, eo consilio ut Ecclesiæ deditos, quomodo sibi quidem videntur, ignorantia et difficultatibus implicitos deprehendant; utque imaginum, quasi nulli firmo niterentur fundamento, rem totam quantum in ipsis est destruant. At hi tantum non obliviscuntur cum christianis rem agi et adversus quemque pium committi prœlium. Neque enim intelligunt quasi signum christianorum singulare et peculiare esse, credere tum præter alia sacra et illa derivari ab antiquissima religione monumenta ac symbola veneranda : perinde ac Judæis, immo et gentilibus conceditur disciplinæ suæ continuare modum, patriisque moribus ac legibus insistere et secundum eas vivere, etiamsi fallaci spiritu nequitiæ inescati et ad dæmonum idololatriam tracti aliquando fuerint. Si scirent igitur manum cum christianis conseri, vaniloquio pepercissent et ineptiis, probe inde rati quod in nostra theosophia hospites plane sunt et extranei.

Quid autem absonum magis aut insanius quam in imaginum possessionem quæstiones et interrogationes inducere? Nam si in hac ætate nostra incepissent ac apparuissent, quoniam incolumi pietate et religione id fiebat, ne sic quidem debebant, si pietatis ipsis cura esset, umquam investigationi in hanc rem et perscrutationi indulgere, quomodo scilicet et undenam in hanc generationem nostram introductæ sint imagines; quin immo prosequi fideliter et bono animo accipere quæcumque sancti et prudentes viri examinavissent rite ac religiose comprobassent. Sin autem imagines neque inter nos neque a nobis, ut nec jam ipsa res christiana, inceperunt aut evulgatæ sunt, sed antiquitate præstant, ideoque venerandæ, quanta adversariis impietas,

(1) Κατὰ τὸ in E excidit. — (2) Ἐλλογίμοις E.

ἡνίκα πρὸς Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας τὰς διαμφισβητήσεις ἐποιοῦντο, καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον δεξιῶς καὶ ἀπεξεσμένως διεπέραινον· καὶ εἰ μὲν θύραθεν τῆς καθ' ἡμᾶς αὐλῆς ἑστήκασι, τὴν ἧτταν ἐκ τῶν ὀρθῶν τῆς ἀληθείας λογίων ἀπενεγκαμένους καὶ τὰ ὀνείδη τὰ ἐκ τῆς ἀπιστίας καὶ ἀβουλίας φοροῦντας, εὐθὺς ἐγκαλύπτεσθαι καὶ καταδύεσθαι καὶ παύσασθαι τῆς ματαίας καὶ περιέργου ζητήσεως· εἰ δὲ τὰ χριστιανῶν μετήρχοντο, στέρξαι ταῖς σοφαῖς οὕτω καὶ εὐθυβόλοις ἀντιλογίαις καὶ ἀντιῤῥήσεσι, ψυχῆς εὑρόντες ἀλεξίκακον ἐπικούρημα, καὶ ἀποκερδαίνειν ἐκεῖθεν τὰ πρόσφορα καὶ σωτήρια.

insaniæque modus quam immodicus! Decebat enimvero illos ea quæ christiani Deoque sacrati pontifices excusserunt, accurate ventilare, tum quum adversus judæos aut græcos controversiæ dirigebantur, rectæque fidei sermo solerter et integre perficiebatur, et si tum inventi essent extra nostros cancellos constituti, decebat, inquam, cladem ex rectis veræ fidei oraculis subire, et probra ob impietatem et inscitiam inflicta ferre, statimque faciem velare pudore et se submittere et ab inani inutilique inquisitione prorsus supersedere. Quod si chorum christianorum sequerentur, decebat eos consolidari sapientibus et sacris vindiciis ac confutationibus, inventaque animæ medicina salutari, inde lucra comparare sibi atque salutis emolumenta.

Ἀλλ', οἶμαι, προσεοίκασί πως ἀβελτερίᾳ τισὶ καὶ ἀμαθίᾳ συντεθραμμένοις, οἵ γε διαποροῖεν ἀπαιδεύτως περί γε τῆς οὐρανίας κινήσεως, πότερον πάλαι ἢ νῦν ἦρκται, καὶ πῶς τὴν ἀεικίνητον πορείαν κατεκληρώσατο, καὶ πόθεν καὶ πότε αἱ ἡλιακαὶ μαρμαρυγαὶ ἀποστίλβουσαι καταφωτίζειν τόνδε τὸν κόσμον διέλαχον· ἔναγχος ἄρα καὶ οὐ πόῤῥωθεν; καὶ πότε ἡμερῶν τε καὶ νυκτῶν διαδοχὰς γίνεσθαι, ἀποδείξεις νῦν ἐπιζητοῖεν, ἤ που καὶ περὶ σελήνης φαύσεως, ἀστέρων τε χορείας καὶ δρόμου εὐρύθμου διαμφιβάλλοιεν. Ὥρα δὲ αὐτοῖς καὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ τύπου τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ ἀκριβέστερον διαπυνθάνεσθαι, ὅπως τε καὶ πότε τὴν ἀρχὴν τοῦ προσκυνεῖσθαι διεκληρώσατο, καὶ τοσούτου τιμᾶσθαι ἄξιος. Ἅπερ ἅπαντα πάσης ἀβουλίας καὶ ἀσυνεσίας τυγχάνει μεστά.

Verum, opinor, similes sunt istis stoliditati et ignorantiæ innutritis, qui inepte dubia moverent de cœlesti motu, utrum olim an hodie demum, et quomodo hunc perpetuum motum et cursum nactus sit, et unde et quando solares radii emicantes, ut illucescerent hunc mundum adepti sint; tum an recens aut a longo tempore et quando facta sit dierum et noctium successio, demonstrare quærerent; tum etiam de lumine lunæ stellarumque choro et ordinato cursu disputarent. Scilicet jam ergo, opportunum est ut iidem etiam de ipso typo salutiferæ crucis accuratius disquirant, quomodo et quandonam initium adorationis sortita sit et tantum in modum honorari merita. Quæ quidem cuncta sunt multa incogitantia et nugacitate oppleta.

CAPUT VII.

Ἐπεὶ οὖν ἐμπλήκτων ταῦτα καὶ ληρούντων καὶ παρακεκομμένων τὴν φρένα προδήλως δείκνυται, ἔδει μηδὲ τοῦ ὁπωσοῦν ἀξιοῦν λόγου. Ὡς γὰρ μάταιον καὶ εἰκαῖον ἐκείνοις πρὸς οἰκουμένην ὅλην καὶ χρόνον ἄπειρον ἀπορεῖσθαι, οὕτω καὶ τὸ ὑπὲρ ἐκείνων πάντων ἀπολογεῖσθαι, ὧν καὶ ἡ λοιπὴ ἀρετὴ μετὰ τῆς εὐσεβείας ἀπρόσι-

Hæc igitur quum amentium et delirantium extraque mentem abreptorum somnia perspicue esse demonstrentur, haud ullo eos sermone dignari oportebat. Ut enim vanum est et frustraneum cum illis de universo orbe et de tempore infinito disputare, sic etiam supervacaneum et inutile est ab istis illos vindicare viros quorum

τος καὶ ἡ πληθὺς ἀνήριθμος[1], περιττὸν δήπου καὶ ἄχρηστον· ὅμως δ' οὖν διὰ τὴν τινῶν ὠφέλειαν, οἷς εἰς σκάνδαλον καὶ ἀμφιβολίαν τὰ παρὰ τῶν χριστομάχων τυρευόμενα πρόκειται, βραχέα ἄττα καὶ νῦν συνειπεῖν πειρασόμεθα. Καὶ πρὸς τοὺς αἱρετίζοντας καὶ ταῦτα ζητεῖν ἀξιοῦντας, ἀποφαινόμεθα λέγοντες, ὅτι δὴ « ἐπερώτησον τὸν πατέρα σου, καὶ ἀναγγελεῖ σοι[2]· » ὡς εἴ που χριστιανοῦ τετυχηκότι συνήνεκται, φρονεῖν ἄν σοι τὰ ὀρθὰ ἐξεγένετο· « τοὺς πρεσβυτέρους σου, καὶ ἐροῦσίν σοι. » Ἄνελθε ὁδῷ βαδίζων ἐπὶ τὰ ἄνω· πύθου τῶν θερμοτέρων καὶ σπουδαιοτέρων περὶ τὴν εὐκλεᾶ καὶ ἀμώμητον ἡμῶν πίστιν, βασιλέων εὐσεβείᾳ κομώντων φημὶ, ἱερομυστῶν τε σοφῶν καὶ διδα- 253. σκάλων τῆς Ἐκκλησίας, ὀρθοδοξίᾳ καὶ ὁσιότητι λελαμπρυσμένων, ἀποστόλων τε αὖ καὶ αὐτοῦ Χριστοῦ, ὃς τὸ οἰκεῖον αὐτὸς σχεδιάσας τῷ αἰτήσαντι ἐξέπεμψε θεοειδέστατον μόρφωμα[3]· εἰ μὴ καὶ αὐτὸν αἰτιάσῃ, καὶ οὐκ ἀφήσῃς ἐγκλημάτων ἀνεύθυνον. Καὶ οὗτοι πάντες ἐροῦσιν· ὅτι καὶ ἦσαν τὸ ἐξ ἀρχῆς ταῦτα, καὶ ἔσονται ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, κἂν μὴ βούλῃ μηδὲ θέλῃς ὁ τῆς ὀρθῆς τῶν χριστιανῶν κατήγορος ὑπολήψεως. « Πύλαι[4] γὰρ ᾅδου τῆς Ἐκκλησίας, ἡ ἀλήθεια ἔφησεν, οὔποτε κατισχύσουσιν· » ἃ δὴ φαίνεται τῶν αἱρετιζόντων τὰ ἀχάλινα καὶ ἀπύλωτα στόματα, πολλὴν καὶ δυσώδη τὴν ἀδικίαν εἰς τὸ ὕψος ἐξερευγόμενα. Ἥδρασται γὰρ καὶ ἐστήρικται ἀσφαλῶς, ἀπερίτρεπτος καὶ ἀκατάσειστος ἐκ τῆς τῶν ἐναντίων προσβολῆς διαμένουσα. Σκόπει λοιπὸν καὶ τοῦ χρόνου τὸ ἄπειρον καὶ τῶν πιστῶν περὶ τὴν εὐσέβειαν τὸν διάπυρον ζῆλον, καὶ διὰ πάντων μαθήσῃ τῶν παρὰ τῆς σῆς ἀπιστίας ζητουμένων τὸ ἀσφαλές.

Ἀλλ' οὐδὲν τούτων τὴν μοχθηρίαν αὐτῶν δεδυσώπηκε, πρὸς πάντα δὲ λόγον ὀρθὸν καὶ πᾶσαν θεόπνευστον γραφὴν κατειρωνευόμενοι διαπληκτίζονται, ὑπὸ πολλῆς δὲ ἀβλεψίας καὶ παρανοίας καὶ τὴν ὄψιν αὐτὴν καὶ τὴν θέαν ἀσθενεστέραν καὶ ἀμυδροτέραν τῆς ἀκοῆς τί-

denique tam eximia virtus accessum, quam copia numerum fugit. Attamen ob nonnullorum utilitatem quibus scandalum et ambiguitatem creaverunt quæ Christi inimici coagulaverunt, pauca etiam nunc addere tentabimus. Ad hæreticos porro et istiusmodi inquisitores aperto sermone dicemus : « Interroga patrem tuum, et annuntiabit « tibi. » Nam si quem tibi contigit nancisci christianum, evenisset tibi forte recta sentire. « Majores tuos [interroga], et dicent tibi. » Iter relege, ad superiora redi ; sciscitare ex viris fervore zeloque præstantioribus, qualis sit præclara et irreprehensibilis fides nostra : a regibus, inquam, pietate decoris, a pontificibus sapientibus et Ecclesiæ magistris, orthodoxia et innocentia spectatissimis, ab apostolis etiam ipsoque Christo, qui roganti cuidam regi suam ipse imaginem propriam misit, effigiem illam [edessenam] divinitus exaratam : nisi quidem etiam ipsum incusaveris, et ab accusationibus tuis haud dimittas immunem. Et hi omnes dicent : fuisse ab initio imagines, et futuras esse ad consummationem sæculi, velis nolis, tu rectæ christianorum doctrinæ accusator. Adversus enim Ecclesiam, teste ipsa Veritate, numquam portæ inferni prævalebunt, quæ manifesto significant hæreticorum ora effera et effrænata, multam et putentem malitiam in Altissimum eructantia. Fundata est enim Ecclesia et solidata in tuto, immutabilis et inconcussa ex hoc adversariorum impetu permanens. Intuere denique et temporis diuturnitatem et fidelium eam erga religionem ignitum zelum, exque iis omnibus disces quam certa sint ea quæ tua quærit infidelitas.

Sed nihil inde valuit improbitatem illorum deterrere, quin contra omnem orthodoxum sermonem universamque sacram Scripturam subsannantes digladientur, et præ multa cæcitate et socordia oculum etiam intuitumque habeant auditu hebetiorem et imbecilliorem, auditaque vel exstanti

(1) Ἀνήριθμος. Respectu, ut videtur, ad martyres. — (2) Σοι. Deuter. XXXII, 7. — (3) Μόρφωμα. De hac edessena imagine vide pauca paulo infra, in antirrhetico *adversus Epiphanid.* — (4) Πύλαι. Matth. XVI, 18.

θενται, καὶ τὸ ἔργον τοῦ λόγου δεύτερον. Ἐπεὶ καὶ αὐτοὶ ψιλὸν τοὔνομα χριστιανοῦ περιφέρουσι, θεοσεβείας δὲ χριστιανῶν μακρὰν ἄπωθεν ᾤκηνται, τοσοῦτον καὶ αὐτὴν τὴν αἴσθησιν ἐσφαλμένην ὥσπερ τὴν σύνεσιν σεσυλημένην ἔχουσι· ταύτῃ τοι καὶ καταμωκῶνται καὶ διασύρουσι τὸ ἁπλοῦν καὶ ἀκατάσκευον τῆς πίστεως. Ἀλλ' « εἰ τὰ ἔργα Κυρίου ἐν πίστει, « ἐρεῖ ὁ ψάλλων[1], « ἡ δὲ πίστις ἐξ ἀκοῆς[2], » ἥ φησιν ὁ Ἀπόστολος, τὰ ἐκ τῆς θέας αὐτῆς, ὅσῳ πιστότερον καὶ ἀξιολογώτερον, καὶ τὸ προσταττόμενον μᾶλλον ἢ τὸ λεγόμενον πιθανώτερον, καὶ τὰ ἀπὸ γλώσσης προχεόμενα τῶν γραφομένων ὡς ἐκ ζώσης φωνῆς προϊόντα τὸ ἰσχυρότερον κέκτηνται· ἀλλὰ καὶ εἶδον καὶ οὐκ ἐπίστευσαν, ἐπειδὴ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκάμμυσαν, καὶ τὴν καρδίαν σκληρὰν καὶ ἄτεγκτον κατὰ τοὺς ὁμογνώμονας Ἰουδαίους ἔθεντο. Τὸ γὰρ δι' ἐκζητήσεως καὶ πολυπραγμοσύνης ἐξεταζόμενον οὐκ ἂν εἴη πίστις λοιπὸν, ἐρεσχελία δὲ μᾶλλον καὶ ἀμφιβολία καὶ λόγων ἐριστικῶν καὶ μαχιμωτάτων αὔξησις καὶ κακίας γνώρισμα. « Ἀντιλογίας γὰρ ἐγείρει πᾶς κακὸς, γέ« γραπται· ὁ δὲ Κύριος ἄγγελον ἀνελεήμονα « καταπέμπει αὐτῷ[3]. »

coram se rei præponant. Quum autem illi nudum christiani nomen gestent, a sacra autem christianorum philosophia longe exsulent, tantopere ipsum etiam sensum habent erroneum mentemque misere exspoliatam : ideo dicteriis petunt et sannis proscidunt fidei sinceritatem et ingenuitatem. Verum si « opera Domini, dicet illis Psaltes, in fide sunt, fidesque ex auditu, » teste Apostolo, quæ visu percipiuntur, quanto fideliora sunt et credi digniora; credibilius etiam est, quod imperatur quam quod simpliciter dicitur; quæ lingua fundit, utpote ex viva voce expressa, majorem vim quam scripta possident. Sed viderunt et non crediderunt, quoniam oculos habebant clausos, induratumque cor et cervicosum, ut Judæi cum ipsis concordes, retinebant. Quod enim per inquisitionem et multam contentionem ventilatur, minime est fides, sed disputatio potius et ambiguitas, et orationis contentiosæ nugacissimæque exaggeratio, malitiæque indicium. « Contradictionem namque suscitat omnis improbus, ait Scriptura, et Dominus mittit ei angelum immisericordem. »

CAPUT VIII.

Τί οὖν φῄς; πρόσταξιν ἢ χρῆσιν τῶν προκειμένων ἐπιζητεῖς; εἰ μὲν πρόσταξιν, ζήτει ποῦ γέγραπται καὶ προστέτακται προσκυνεῖν τὸ θεῖον Εὐαγγέλιον καὶ τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ τὸν τύπον· καὶ ἐνταῦθα εὑρήσεις τὸ ζητούμενον, ἐπεὶ καὶ ταῦτα τὸ ἰσοστάσιον καὶ ὁμότιμον φέρεται, καὶ τὴν αὐτὴν τῷ εὐαγγελίῳ ὑπόθεσιν κέκτηται· ἢ δικαιότερον εἰπεῖν, αὐτόχρημα Εὐαγγέλιον. Εἰ δὲ χρῆσιν περισκοπεῖς, οἱ σοὶ μάρτυρες καὶ διδάσκαλοι, οἱ τὴν μανιχαϊκὴν νοσοῦντες λύσσαν, τὴν σὴν ἄνοιαν[6] διδασκέτωσαν, καὶ σὲ τὴν τῶν πιστῶν δόξαν πόῤῥωθεν χρηματίζουσαν παιδευέτωσαν, ὡς ἔνθα ἡ χρῆσις πρόκειται, ἀνόητον καὶ ἀφροσύνης πλῆρες ἐπιζητεῖν

Quid igitur ais? Præceptumne quæris in Scripturis, an usum rerum de quibus disputamus? Si præceptum, quære mihi ubinam scriptum præceptumque sit adorare sanctum Evangelium et vivificæ crucis imaginem, ibique reperies quod quæris : quippe quum hæc secum habeant parem dignitatem et honorem, idemque cum Evangelio argumentum possideant; seu verius dicam, ipsum sunt Evangelium. Sin usum et consuetudinem circumspicis, jam tui testes et magistri, qui manichæa peste laborant, tuam edoceant insaniam, tibique narrent fidelium sententiam, a longissimo tempore obtinentem. Nimirum ubi usus prostat, insana cura est et stultitiæ plena, quæ-

(1) Ψάλλων. Ps. XXXII, 4. — (2) Ἀκοῆς: Hab. II, 4; Rom. I, 17. — (3) Αὐτῷ. Prov. XVII, 11. — (4) Ἀπόνοιαν E.

πρόσταξιν· τὸ πραττόμενον γὰρ οὐδεὶς τῶν νοῦν ἐχόντων προστάττει τοῦ πράττεσθαι.

Καὶ ταῦτα μὲν ἐκείνοις ἁρμοστέον· ἡμῖν δὲ παρ' οἷς ὀρθῶς καὶ ἀπλανῶς τὸ τῆς ζωαρχικῆς Τριάδος προσκυνεῖται μυστήριον, καὶ τοῦ ἑνὸς τῆς αὐτῆς Τριάδος Θεοῦ Λόγου ἡ θεία δοξάζεται καὶ ἀληθὴς σάρκωσις, οὐδὲν δεήσει κηρυγμάτων καὶ προσταγμάτων τὰ ταύτης τιμᾶν σύμβολα, πιστοῖς γε οὖσιν ἐν αὐτῷ καὶ προσταγμάτων κρείττοσι φαινομένοις, αὐτοκινήτοις τε καὶ ἐθελουσίοις ὁρμαῖς ἐπειγομένοις πρὸς τὴν εὐσέβειαν. Οἴκοθεν [1] γὰρ τὴν ἐκ πίστεως εὐγνωμοσύνην ἐπιδείκνυμεν, περιττὸν καὶ ἀπιστίας μᾶλλον προστάξεων καὶ νόμων δεῖσθαι ἡγούμενοι καὶ παραπλήσιόν τι Ἰουδαίοις καὶ Ἕλλησι, τοῖς μὲν σημεῖον αἰτοῦσι, τοῖς δὲ σοφίαν ἐπιζητοῦσι [2]· πρός δέ γε ἄτοπον νενόμισται καὶ ἀπαίσιον, παισὶ μὲν καὶ φίλοις, γονεῦσι καὶ συγγενέσι καὶ φιλτάτοις τὰ φίλα φρονεῖν καὶ τὸ γνήσιον νέμειν, καὶ τῶν τῆς ἀγάπης ἐμφύτων δεσμῶν καὶ νόμων ἐξέχεσθαι, αὐτόθεν κινουμένοις καὶ προαιρουμένοις, πιστοῖς δὲ καὶ Θεὸν ἐπεγνωκόσι, κτίστην τε καὶ εὐεργέτην διομολογοῦσι καὶ ἀγαθοῦ παντὸς αἴτιον, παρ' οὗ τὸ εἶναι καὶ τὸ εὖ εἶναι κεκτήμεθα, δι' ἀποδείξεων καὶ προσταγμάτων διερευνᾶσθαι, ὅπως τε χρὴ σέβειν αὐτὸν καὶ τὴν ἐκφαντορικὴν τῆς θείας ἐπιφανείας αὐτοῦ ἱερογραφίαν τιμᾶν. Ὥσπερ τοίνυν τοὺς τῆς διανοίας ὑφαπλώσαντες πίνακας, ὡς ἐν γραφῇ διὰ πίστεως τὴν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ καὶ Θεοῦ φιλανθρώπου ἐντυπούμεθα οἰκονομίαν· οὕτως ἀνάλογον καὶ διὰ τῆς ὄψεως αὐτῆς τὴν σεπτὴν ταύτην ἐγγεγραμμένην καθορῶντες καὶ διὰ τῶν ἱερῶν τούτων ἐκτυπωμάτων ἱστορίαν τὴν αὐτὴν ἡμῖν ὑπόθεσιν ὑποδεικνύουσαν καὶ ἀφήγησιν, τιμίαν καὶ ἀξιάγαστον ἐδικάσαμεν καὶ προσκυνεῖν ἐπιστάμεθα, ὡς διὰ τῶν κεχρωματουργημένων πλασμάτων ἐπὶ τὰ ἀρχοειδέστερα καὶ κυρίως ὄντα εὐσεβῶς καὶ καλῶς ἀνατεινόμενοι καὶ χειραγωγούμενοι. Ὡς γὰρ ἡ περὶ τὸν χαρα-

rere præceptum. Nemo enim ullus compos mentis, id quod agitur, præcipit ut agatur.

Hactenus hæc illis accommodanda erant. Verum nobis apud quos recte et sincere adoratur, vivificæ Trinitatis sacramentum uniusque in eadem Trinitate Dei Verbi divina et vera glorificatur incarnatio, minime opus erit prædicationibus et præceptis ad signa ejusdem externa honoranda. Quippe qui fideles in hoc ipso sumus et evidenter superiores quam quibus etiam nunc præcepta addantur, quum sponte ac libentissimis animis in hæc properemus obsequia. Domi enim et penes nos rectam ex fide sententiam promimus; præceptorum enim et legum non indigemus, idque nobis potius videtur ad infidelitatem pertinere aptiusque judæis et græcis competere. Illi enim « signum petunt, hi vero sapientiam quærunt. » Præterea absurdum est et immane ut hinc quidem liberis et amicis, parentibus et cognatis, et quibuscumque dilectissimis in promtu sit amica sentire, et veri affectus tributum ferre, et naturalibus charitatis vinculis et legibus devinciri, per proprii animi motum et libitum : illinc vero fideles, qui Deum agnoverunt, eumque creatorem et benefactorem confitentur ac omnis boni auctorem, a quo esse et bene esse possidemus, hi, inquam, per demonstrationes disquirant quomodo eum colere et cur sacram ejus imaginem qua patuit expressa divinitas, honorare oporteat. Nos igitur, sicut mentis tabellas substernimus ut in pictura per fidem illita Salvatoris Christi et Dei hominum amatoris incarnationem effigiemus, ita per analogiam, quando ipso conspectu sacram iconem pictam, inque sanctarum imaginum repræsentatione idem argumentum, eamdem historiam nobis demonstratam contuemur, hæc religiosa ac veneranda judicamus et adorare scimus, quia ope colorum et formarum ad archetyporum excellentiam per se exsistentium pie et præclare transferimur et quasi manu traducimur. Ut enim

(1) Οἴκοθεν. Nota eumdem sensum non deesse *Domi* apud latinos, id est : *penes animum suum*, vadibus Plauto et Tullio, cæterisque a Forcellino non omissis. — (2) Ἐπιζητοῦσι. I Cor. I, 22.

κτῆρα τοῦ Χριστοῦ ὕβρις τὸ εἰς τὸ ἀρχέτυπον ἔχθος τῶν ὑβριζόντων προσμαρτυρεῖ, οὕτω καὶ ἡ τιμὴ ἀπόδειξιν ἔχει τῆς τῶν τιμώντων εὐγνωμοσύνης καὶ πίστεως. Διά τοι ταῦτα οὐκ ἀποδείξεις αἰτοῦμεν πίστεως· ἡ γὰρ καθ' ἡμᾶς πίστις ἀποδείξεως καθυπερτέρα τυγχάνουσα, ἀπόδειξις μᾶλλόν ἐστι δι' ἁπλῆς καὶ ἀπεριέργου συγκαταθέσεως τῆς θείας καὶ ἀληθοῦς ἐπιγνώσεως, καὶ τῆς πρὸς Θεὸν ἀγάπης, καὶ τοῦ ἐγκαρδίου πόθου· οἱ δ' ἐναντίας δὲ τὴν ἀλήθειαν ἀγνοήσαντες καὶ πίστεως ἠμοιρήκασιν, οὐκ ἔχοντες γνῶσιν ἰθύνουσαν αὐτοὺς εἰς τὸ τῆς πίστεως στήριγμα, ἀεὶ δὲ μᾶλλον ἐκ λέσχης καὶ περιέργου φιλονεικίας εἰς τὸν τῆς ἀπιστίας καθολισθαίνουσι βυθόν. Οὐ γὰρ ἂν σχοίη λόγον πίστεως τὸ νεανικώτερον ταῖς ἐρεύναις ἐπαγωνίζεσθαι, ἐπείπερ τὸ πειθοῖ παραδεδεγμένον τὸ ἀβασάνιστον πάντως ἕξει, καθάπερ καὶ ἐλπὶς βλεπομένη οὐκ ἔστιν ἐλπίς. Ὃ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει; Εἰ δ' οὖν ὑπῆν αὐτοῖς κἂν γοῦν πίστεως ἔναυσμα, οὐκ ἂν ἐπὶ τοσοῦτον ἀγνωμοσύνης καὶ δυσνοίας ἐξέπεσον, συνῆκαν δ' ἂν τὸν τῆς εἰκόνος ἐπιτηροῦντες λόγον, ὅτι κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν Θεοῦ πεπλασμένος ὁ ἄνθρωπος ὑπόχρεως ἤδη καθέστηκε, καὶ τοῦτο αὐτῷ δικαιότατον ὄφλημα τὴν τοῦ κτίσαντος γεγραμμένην εἰκόνα, καθὸ πέφηνε καθ' ἡμᾶς ἄνθρωπος, διὰ τιμῆς τε ἄγειν καὶ σέβειν εὐνοϊκῶς τε καὶ ἐκπρεπέστατα, ὡς ἂν ὁ τῆς εἰκόνος λόγος, ὅ τε φυσικὸς ὅ τε τεχνητὸς, ἀπαράτρωτος διασώζοιτο, ἐντεῦθεν τὸ γνήσιον καὶ πιστὸν τῆς πρὸς αὐτὸν παριστάνων ἀγάπης· τοῦτο γὰρ χαρακτηρίζει καὶ τεκμηριοῖ τὸν ἀληθῶς κατ' εἰκόνα Θεοῦ γεγενημένον ἄνθρωπον, ἡ πρὸς τὸ ἀρχέτυπον διὰ τῶν ὁρωμένων τιμή· οὐ μὴν τὰ καλῶς οἰκοδομηθέντα αἰσχρῶς καὶ ἀδόξως ἀτιμοῦν καὶ καταλύειν, ἐπεὶ μέγα μὲν εἰς κατηγορίαν καὶ τὸ ἐκ τῶν ὁρωμένων καὶ συντρόφων τῆς καθ' ἡμᾶς ὄψεως ζημιοῦσθαι περὶ τὰ καίρια καὶ χρηστότερα. Τὸ δὲ καὶ πλεῖόν τι ἀδικεῖν, πόσῳ μεῖζον τὸ ἀσύγγνωστον ἕξει;

contumelia in Christi imaginem odium archetypo insultantium testatur, ita cultus habet testimonium boni animi colentium et fidei. Idcirco fidei demonstrationem non petimus; fides enim nostra quum demonstratione sit superior, melius ostenditur simplice et candida expositione divinæ veræque agnitionis et charitate in Deum pectorisque desiderio. Adversarii autem, quum veritatem ignorent, etiam fidei sunt expertes, neque cognitionem habent quæ eos ad fidei stabilimentum dirigat, identidem vero a loquaci et curiosa disputandi æmulatione in infidelitatis delabuntur abyssum. Nam rationi contrarium fuerit, ut fidei vigor et alacritas certet disquisitionibus, quoniam id quod fide receptum est, explorationem omnino non admittet; sicut nec spes quæ videtur, spes est. Nam quod aliquis cernit, cur speret? Si ergo contigisset illis fidei vel scintilla, eo incogitantiæ et malevolentiæ non excessissent; at intellexissent, imaginis vocabulum et rationem observantes, ad imaginem et similitudinem Dei configuratum hominem jam inde a principio obnoxium Deo exstitisse, atque hoc ipsi esse æquissimum vectigal, delineatam hanc sui conditoris imaginem, qua uti nos homo apparuit, honore prosequi et amanter ac quam decentissime venerari : ut proinde imaginis ratio, sive naturæ, sive opificii respectu, integerrima conservetur. Exinde enim germanum ac fidele signum emicat charitatis in Deum (eo quippe exprimitur et comprobatur homo vere ad imaginem Dei factus; ex cultu scilicet ad archetypum relato per visibiles formas), at minime ea dehonestando et cum ignominia et injuria subvertendo quæ pulchre condita sunt; id enim jam magnum est eorum crimen, ex iis quæ cernuntur, quæ visui nostro consociata vivunt, damnum circa capitalia et salutifera capere. Verum in majorem etiam injustitiam procedere, quanto magis venia erit indignum !

CAPUT IX.

Ἀλλ' ἐπειδὴ παύειν τὴν γλῶσσαν ἀπὸ κακοῦ, καὶ χείλη τοῦ μὴ λαλεῖν καὶ τεκταίνειν δόλους οὐκ ἔμαθον, τί μετὰ ταῦτα δρῶσι, τὰς ἀπὸ τῶν ἄλλων αὐτῶν σκολιῶν καὶ σκοτεινῶν ἐπινοιῶν διαπεπτωκυίας καθορῶντες μεθόδους, καὶ τοῦ ψεύδους τὸ ἀπατηλὸν καὶ κατεῤῥιμμένον αἰσθόμενοι, καὶ εἰς βυθὸν ἀπορίας καταλήξαντες; Διὰ πάσης γὰρ, ὡς εἰπεῖν, ἦλθον ἐπιχειρήσεως, καὶ οὐδὲν αὐτοὺς διαπέφευγε, δι' ὧν τὰ χριστιανῶν ἐκφαυλίζειν καὶ ἀτόποις αἰτίαις περιβάλλειν διηγωνίζοντο· τῶν ἁγίων μονονουχὶ κατορχούμενοι, ἐπ' ἄλλην ἐτράποντο παρανομίας ἐγχείρησιν. Καὶ πρῶτα μὲν φωνάς τινας ἐκ μανιχαϊκῆς λύσσης καὶ ἀρειανικῆς μανίας συνηθροικότες προηγάγοντο, καθ' ἃς ἐνασκούμενοι καὶ παιδοτριβούμενοι, τὰ πλεῖστα συνέῤῥαψαν τῆς ἀσεβείας μηχανουργήματα, ἐκεῖθεν καταβραβεύειν αὐθάδως τὰ ἡμέτερα δόξαντες, ὑφ' ὧν ἐκτραχηλισθέντες εἰς τὸν τῆς ἀποστασίας ἐξώλισθον κρημνὸν, καὶ ἀρκύων πλάνης ἀποφοιτᾷν οὐ κατίσχυσαν, ὧν τὸ βδελυρὸν καὶ ἀνόσιον καὶ αὐτῶν τινες ἐπῃσθημένοι διέπτυσαν, ὡς πόῤῥω Θεοῦ ἀπάγον καὶ ἀπωλείας γινόμενον πρόξενον.

Ἔπειτα ὥσπερ ἐκείνας παρωσάμενοι, τετολμήκασι καί τινας τῶν ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας κλεινῶν καθηγεμόνων ἀποσυλῆσαι ῥήσεις, καὶ ταύτας εἰς ἐπικούρημα μέγα ἐπάγεσθαι, δι' ὧν θηρᾶσθαι καὶ δελεάζειν τῶν ἁπλουστέρων τὰς ψυχὰς ἐνόμιζον, ἵνα ὥς τινες φαινόμενοι περιδέξιοι, ὁποτέρωθεν καὶ ὅτῳ τρόπῳ τῶν κατὰ νοῦν μὴ διαμαρτάνοιεν. Εἰ δὲ καὶ τὰ πρὸς κατηγορίαν τῶν στυγητῶν εἰδώλων παρά τε τῆς θεοπνεύστου γραφῆς καὶ τῶν θεοφόρων ἡμῶν πατέρων συγγεγραμμένα, ἐπὶ τοῦ σωματικοῦ εἴδους τοῦ Χριστοῦ μεταῤῥυθμίζειν, οἱ τοῖς πάθεσιν ὡς εἰδώλοις τῷ ὄντι δεδουλωμένοι [1] καὶ ἠνδραποδισμένοι, οὐκ ἀπώκνησαν, οὐδὲ πρὸς τὸ ὑπεραῖρον τῆς ὕβρεως ἀπενάρκησαν· ἔτι μὴν καὶ ὡς παρὰ τῶν ἔξωθεν καὶ ἑλληνικῶν

At quoniam nec lingua eorum resipiscere a malo, nec labia eorum a dicendis nectendisque fraudibus cessare norunt, quid post hæc agunt, quum in cæteris eorum tortuosis et tenebricosis consiliis dissipari vident artificia, mendaciumque sentiunt nudari et projici, seque in desperationis abyssum pessumdari? Nullum enim lapidem, ut ita dicam, non moverunt, nihilque ab eis prætermissum, ut rem christianam in contemtum adducere et insulsis criminationibus involvere niterentur; sanctis ipsis tantum non insultantes, ad aliam se converterunt stultitiæ molitionem. Et primum voces nonnullas e manichæa peste arianaque vecordia corrasas produxerunt, in quibus veluti in palæstra exercitati, pleraque consuerunt impietatis illius artificia. Inde nostra propudiose rejicienda audacter nuntiant, quibus tamen sunt præcipites acti in perditam apostasiæ fossam, nec sese ab erroris retibus expedire valuerunt : quæ quidem eorum nonnulli impura esse et impia sentientes respuerunt, utpote quæ a Deo procul avertant et in perditionem agant.

Deinde, quasi repudiassent illas hæreticorum voces, ausi sunt etiam ex insignibus Ecclesiæ ducibus aliquas particulas converrere, easque sibi in præclarum adsciscere auxilium, quibus existimavere se venari posse hamoque allicere simpliciorum animas, ut tamquam hi qui ambidextri sunt, alterutro et quocumque tandem modo a scopo suo non aberrent. Si quæ sunt in confutationem spurcorum idolorum scripta sive in sacris eloquiis, sive a nostris Deo plenis patribus, ea in corpoream Christi formam transferre non metuunt illi passionum, sicut idolorum revera servi et mancipia, nec a tanto contumeliæ cumulo reformidant. Præterea, etiam ab extraneis et ab

(1) Τῇ δὲ βουλόμενοι A, absque ullo sensu.

δανεισάμενοι συνταγμάτων κατὰ τῆς εὐαγοῦς ἡμῶν θρησκείας κεκινημένοι μεμήνασι, παρίημι τὰ νῦν λέγειν[1]· αὐτόθεν γὰρ ἔχουσι τῆς ἀσεβείας καὶ παρανοίας τὴν κατάῤῥησιν. Ὡς γὰρ αἰσχρὸν καὶ θεοστυγὲς ταῦτα κατὰ τῆς ἀληθείας ἐξευρημένα τυγχάνει, αἴσχιον καὶ φορτικώτερον περὶ τούτων ἀντιλέγειν νενόμισται. Ὅτε τοίνυν καὶ ἡμῖν σκοπὸς προὔκειτο ταῦτα ἐπιτηρεῖν, πότερόν ποτε εὖ ἢ φαύλως καὶ δυστρόπως παρ' αὐτοῖς παρελήφθησαν, φέρε δὴ διασκεψώμεθα καὶ ὡς οἷόν τε τοὺς ἐλέγχους τοῖς κακῶς χρησαμένοις ἐπαγάγωμεν. Ἀλλὰ τὰς μὲν πλείονας τούτων ἐν ἑτέροις καὶ ἰδιάζουσι τόποις πλατύτερον ἐξετάσαντες, τῆς ἐξαπάτης τὰ παράλογα ἐνδηλότερον ἐφωράσαμεν[2], περὶ ὧν ἀντιλέγειν ἐν τῷ παρόντι περιττὸν καὶ παρέλκον κρίνομεν. Λοιπὸν περί τίνων ἑτέρων ὑπολειφθεισῶν τὸν λόγον νῦν, Θεοῦ χεῖρα ὀρέγοντος, εὐκαίρως ἐνστησόμεθα, τὸ ἀδόκιμον καὶ κεκιβδηλευμένον[3] τῶν κακούργως συνειληχότων ἐμφανίζοντες, ὡς ἂν μὴ δόξαιεν ἀλόγως ἐπαυχοῦντες ἐκεῖθεν παρακερδαίνειν. Ἐκεῖνο δὲ πρῶτον εἰπεῖν ἄξιον, ὅτι τυφλώττοντες τὴν νοητὴν ὄψιν, καὶ τὴν ἀκοὴν τῆς ψυχῆς πεπηρωμένοι, ὥσπερ οἱ ἐν νυκτομαχίᾳ εἰς ὅπλα τραπόμενοι, ἐκρηγνυμένης ἤδη τῆς μάχης καὶ τοῦ πολέμου συγκροτουμένου, ἀγνοοῦσι τὸ οἰκεῖον καὶ τὸ ἀντίπαλον· τοιγάρτοι καὶ ἀντεφορμῶντες ἀλλήλοις καὶ τοῖς θυμοῖς ἀντεπιόντες, οἷα δὴ καὶ τῷ σκότῳ τῆς ὥρας συγκεχυμένοι, οὐδαμοῦ τὸ κριτικὸν καὶ γνώριμον τῶν τε συμμάχων τῶν τε δυσμενῶν κατὰ τὰς συμβολὰς καὶ παρατάξεις κέκτηνται, παρ' ἀλλήλων δὲ πίπτουσιν ἀγεννῶς καὶ διόλλυνται· οὕτω καὶ οὗτοι τῷ ἐκ τῆς[4] ἀχλύος τῶν λογισμῶν ἀφεγγεῖ φρονήματι τὸν νοῦν καταθολούμενοι καὶ μελαινόμενοι, οὐδ' ὁποῖόν τι τὸ οἰκεῖον καὶ συνοῖσον, οὐδ' ὁποῖον

ethnicis accepto mutuo, tractatus adversus puram religionem nostram insidiose retulerunt. Hoc nunc dicere dimitto : ex hoc enim ipso habent impietatis suæ et insaniæ condemnationem. Nam ut pudendum est Deoque odibile talia adversus veritatem inventa proferri, sic probrosius et illiberalius in ista calamum stringere censebitur. Attamen quando hic noster scopus est diligenter observandi, utrum scilicet probe, an prave et malitiose hæc verba sibi assumserint, agedum dispiciamus hæc, et quantum possumus, confutationis argumenta in male hæc usurpantes vertamus. Verum quia pleraque horum in aliis ac propriis tractatibus jam prolixius excussimus, hujusque fallaciæ ineptias manifestius in medio posuimus, eadem in præsentiarum redarguere inutile ducimus et supervacaneum. Cæterum de quibusdam aliis, quæ tum prætermita a nobis fuerunt, auxiliante Dei manu, nunc sermonem opportune faciemus, quid adulterinum et spurium hæc loca subdole consarcinata contineant, patefaciendo, ne deinceps stolide gloriabundi ex his quidquam videantur percipere emolumenti. Sed hoc in primis dicendum venit, eos nempe sic spirituali oculo cæcutire, mentisque aure surdescere, ut similes sint arma conserentibus in nocturno prœlio, qui ingruente jam pugna belloque commisso, nec commilitones dignoscunt, neque hostes; sed vicissim alii in alios irruentes, animisque educti contrariis, quippe in umbra noctis inter se confusi, nullum omnino signum habent quo socios et hostes in collisu et acie distinguant, sed reciprocis ictibus corruunt turpiter et exterminantur : sic et illi præ caligine sophismatum mentisque nebula cæcutientes et obscurati, neque sciunt

(1) Λέγειν. Ad hoc enim argumentum aut jam accesserat, aut mox erat iturus in peculiari libro de testimoniis a Magnete acceptis; is quidem in codd. proxime hæc præcedit, quem vide in superiori t. I, p. 302, ubi philosophi cujusdam, quem Porphyrium esse conjiciebam, loca satis insignia ab Iconomachis et alia longe insigniora a Nicephoro proferuntur et illustrantur. — (2) Ἐφωράσαμεν. Unde libellus iste aliorum coronis fuisse existimandus est, puta confutationum Eusebii, Epiphanidis, forte et pseudosynodi Iconomachorum. — (3) Κεκιβδηλωμένον E. — (4) Οὗτοι τὸ ἐκ τῆς A.

τὸ ἀντιστατοῦν καὶ ἀντιπαρεξάγον ἐπεγνωκότες. Ἔστι γὰρ ἃ καὶ μαχόμενα αὐτοῖς ἄντικρυς ἐρανισάμενοι προάγουσι καὶ εἰς οὐδὲν δέον τὸ χρήσιμον φέροντα. Ὅμως δ' οὖν ὡς ἔκ τινος ὁρμητηρίου ἐντεῦθεν τοῦ ὀρθοῦ λόγου καταφύονται, ὡς περιέσται αὐτοῖς πάντα ῥᾳδίως ἐξανύειν ἀπ' αὐτῶν τὰ βεβουλευμένα φενακιζόμενοι.

quid cum illis faciat et conducat, quidve obsit et adversetur. Sunt certe ab illis audacter adducta, quæ contra eos pugnant aut nihil commodi conferunt. Nihilominus quasi ex propugnaculo quodam inde in orthodoxiam irruunt, his præstigiis simulantes se facile omnia quæ voluerunt exsequi valere.

Argumentum. — X. E divinis oraculis ad sacra patrum testimonia Iconomachi transeunt, interque plures, testem sibi vindicant Chrysostomum, artes cum eleemosyna conferentem : — XI. Cujus quidem utilitatem de more suo extollit, eamque præstantiorem habet præ cæteris quibuscumque rebus ; — XII. Vel etiam præ artibus vitæ necessariis, culinaria, architectonica, medicina ; — XIII. Quanto magis præ pictura, phrygionica, cæterisque ad superflua vitæ tantum conducentibus, Basilio obiter cum eo consentiente. — XIV. Quid inde in has artes quæ vel a Scripturis commendantur, rebusque sacris a Moyse, Deo jubente, adhibentur ? — XV. Futilis dumtaxat usus notatur censura, ut fit a S. Nilo in sua ad Olympiodorum epistola ; — XVI. Sed Chrysostomo non magis reproba per se pictura est quam inutiles sutorum et textorum labores sunt, etsi vel de his Iconomachi pessime abutantur ; — XVII. Qui etiam picturam in superbiæ fastusque sui mancipium trahunt. — XVIII. Tum in eosdem pulchra non desunt Chrysostomi de bonis artibus testimonia. — XIX. Deinde Methodii decantatus locus similiter explicatur, — XX-XXI. Cumque aliis ejusdem argumenti locis componitur, — XXII-XXIII. In quibus vel attica Phidiæ Minerva adducitur in exemplum. — XXIV. Denique Methodius esse traditionis sacræ de SS. Imaginum cultu strenuus disertissimusque assertor ostenditur.

CAPUT X.

Καιρὸς λοιπὸν ἐν μέσῳ ταύτας παραγαγεῖν, καὶ πρώτην γε τῶν ἄλλων ἣν ἐκ τῶν τοῦ μεγάλου Ἰωάννου, τοῦ ἐν τῷ θρόνῳ τῆς βασιλίδος, μᾶλλον δὲ ἐν τῇ οἰκουμένῃ λάμψαντος λόγων ἀνειλημμένην παρ' αὐτοῖς θήσομεν. Ἔχει γὰρ ὧδε ἐκ τῆς ἑρμηνείας τοῦ κατὰ Ματθαῖον ἁγίου εὐαγγελίου [1] ·

÷ Ἀλλ' οὐδὲ τὴν ζωγραφικὴν, οὐδὲ τὴν ÷ ποικιλτικὴν εἴποιμι ἂν ἔγωγε τέχνην εἶναι. ÷ Εἰς γὰρ δαπάνην μόνην ἐμβάλλουσι περιτ- ÷ τὴν, τὰς δὲ τέχνας τῶν ἀναγκαίων καὶ συν- ÷ εχόντων ἡμῶν τὴν ζωὴν παρεκτικὰς εἶναι ÷ δεῖ καὶ κατασκευαστικάς. Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ ÷ σοφίαν ἡμῖν ἔδωκεν ὁ Θεὸς [2], δι' ὧν δυνη- ÷ σόμεθα τὸν βίον συγκροτεῖν τὸν ἡμέτερον · ÷ τὸ δὲ ζώδια [3] γίνεσθαι ἢ ἐν τοίχοις, ἢ ἐν ÷ ἱματίοις, ποῦ χρήσιμον, εἰπέ μοι ; ÷

Καὶ τούτοις μὲν εἰς συνηγορίαν τῆς ἑαυτῶν δόξης ἐχρήσαντο · φαίνονται δὲ κἀνταῦθα πρὸς τοὺς συνήθεις δόλους καὶ πανουργίας αὐτομο-

Jam tempus est in medium has particulas producere, primamque præ cæteris eam proponemus quam e sermonibus exceperunt magni illius Joannis, in episcopali throno urbis cæsareæ, immo per universum orbem coruscantis. Sic enim habetur ex ejus in sanctum Matthæi evangelium commentario :

« Immo nec picturam nec phrygionicam « artes proprie dixerim. Nam in superfluos « sumtus nos conjiciunt. Artes vero neces- « sarias, quæ vitam nostram sustentant, « nobis necessaria præbeant et apparent « oportet. Ideo namque sapientiam indidit « nobis Deus, ut earum ope possimus vitam « conservare nostram. Verum picturas aut « in parietibus aut in vestibus fieri, ad « quid, quæso, utile est ? »

Hæc quidem in suæ sententiæ tutelam usurpant ; manifesto tamen hic quoque ad solemnes fraudes callidaque artificia perfu-

(1) Εὐαγγελίου. *Opp.* t. VII, p. 573 ed. nova BB. — (2) Θεός. Consentiunt codd. Attamen Nicephorus infra ut editi libri, leget : Θεὸς, ἵνα εὕρωμεν μεθόδους δι' ὧν κ. τ. λ. — (3) Ζώδια, Montefalconio *animalcula*. Nostram vero interpretationem refer ad ea quæ infra fusius et sole clarius exponuntur.

λοῦντες· περικοπὴν γάρ τινα τῆς ὅλης ἐννοίας τοῦ διδασκάλου ἀπετέμοντο, καὶ πρὸς τὸ κεχαρισμένον ἐκδέχονται, τὸ λοιπὸν τοῦ λόγου ἀποκρυπτόμενοι, ἵνα μὴ εὐφώρατον τὸ κακούργημα γένοιτο. Ἀλλ' ἡμεῖς γε τὸν ὅλον σκοπὸν τοῦ πατέρος ἀναπτύξαντες, καταφανῆ τοῖς ἐντυγχάνουσι παραστήσομεν, ἄνωθεν τοῦ λόγου ἀρξάμενοι. Περιέχεται γὰρ οὕτως, ῥητοῦ προκειμένου[1]· «Καὶ ἀκούσας ὁ Ἰησοῦς, ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν ἐν πλοίῳ εἰς ἔρημον τόπον.»

÷ Ἴδωμεν δὲ καὶ τὸ τέλος τῆς ἐλεημοσύνης οἷόν ἐστι. Τί οὖν ἐστιν αὐτῆς τὸ τέλος; Ὁ οὐρανὸς, τὰ ἐν τοῖς[2] οὐρανοῖς ἀγαθὰ, ἡ δόξα ἡ ἀπόῤῥητος ἐκείνη, αἱ πνευματικαὶ παστάδες, ἡ μετὰ τοῦ νυμφίου διαγωγὴ, αἱ φαιδραὶ λαμπάδες, τὰ ἄλλα, ἃ μηδεὶς λόγος μηδὲ νοῦς παραστῆσαι δύναται, ὥστε κἀντεῦθεν πολλὴ πρὸς τὰς ἄλλας αὕτη ἡ διαφορά. Τῶν γὰρ τεχνῶν αἱ πλείους πρὸς τὸν παρόντα[3] μόνον εἰσὶν ἡμῖν χρήσιμοι βίον, αὕτη δὲ πρὸς τὴν μέλλουσαν ζωήν. Εἰ δὲ τῶν εἰς τὸ παρὸν ἡμῖν ἀναγκαίων A 356. τεχνῶν τοσοῦτον διενήνοχεν, οἷον ἰατρικῆς λέγω καὶ οἰκοδομικῆς καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων, πολλῷ μᾶλλον τῶν ἄλλων, ἃς εἴ τις ἀκριβῶς ἐξετάσειεν, οὐδὲ τέχνας ἂν εἶναι φήσει[4]· ὅθεν ἔγωγε τὰς ἄλλας τὰς περιττὰς οὐδὲ τέχνας εἴποιμ' ἂν εἶναι. Ποῦ γὰρ ἡ ὀψαρτυτικὴ καὶ ἡ καρυκευτικὴ χρήσιμος ἡμῖν; οὐδαμοῦ· ἀλλὰ καὶ σφόδρα ἄχρηστοι καὶ βλαβεραὶ, σώματι καὶ ψυχῇ λυμαινόμεναι, τῷ τὴν μητέρα τῶν νοσημάτων ἁπάντων καὶ τῶν παθημάτων, τὴν τρυφὴν, μετὰ πολλῆς ἐπεισάγειν τῆς φιλοτιμίας. Οὐ μόνον δὲ ταύτας, ἀλλ' οὐδὲ τὴν ζωγραφικὴν, οὐδὲ τὴν ποικιλτικὴν εἴποιμ' ἂν ἔγωγε τέχνην εἶναι. Εἰς γὰρ δαπάνην μόνον[5] ἐμβάλλουσι περιττήν. Τὰς δὲ τέχνας τῶν ἀναγκαίων καὶ συνεχόντων ἡμῶν τὴν ζωὴν παρεκτικὰς εἶναι δεῖ καὶ κατασκευαστικάς. Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ σοφίαν ἡμῖν ἔδωκεν ὁ Θεὸς, ἵνα εὕρωμεν μεθόδους[6] δι' ὧν δυνησόμεθα τὸν βίον συγκροτεῖν τὸν ἡμέτερον.

gerunt. Pericopen enim aliquam ex universa magistri lectione secuerunt, proque libitu excipiunt illa, cætera vero ejusdem tenoris occultant, ne fiat maleficium cognitu facile. Nos vero quid sibi Pater proposuerit, penitus explicantes, luculenta lectoribus hæc faciemus, superiora ejusdem orationis relegentes. Sic enim habet, hoc præmisso themate : « Quum audisset Jesus, recessit inde in naviculam, in desertum locum. »

« Videamus etiam quis sit eleemosynæ « finis. Quis tandem finis illius est? Cœ« lum, cœlestia bona : gloria illa ineffabi« lis, spirituales thalami, habitatio cum « sponso, fulgentes lampades; tum alia quæ « nullus sermo, nulla mens declarare po« test, ita ut hac in parte longe ab aliis « differat. Nam artium pleræque ad præ« sentem solum vitam utiles nobis sunt, « hæc etiam ad futuram. Si autem ita differt « ab iis artibus quæ nobis in hoc ævo sunt « necessariæ, ut a medicina, architectonica « et similibus, multo magis ab aliis, quas « si quis accurate exploret, neque artes esse « dicet. Quare ego alias superfluas ne pro « artibus quidem habeo. Ad quid enim co« quinaria et condimentaria nobis utiles? « Ad nihil certe : immo valde inutiles et « noxiæ sunt, quæ et corpus et animam la« befactant, quod morborum ægritudinum« que omnium matrem voluptatem cum « pompa magna inducunt. Immo nec pi« cturam nec phrygionicam artes proprie « dixerim, nam in superfluos sumtus nos « conjiciunt. Artes vero necessarias, quæ « vitam nostram sustentant, nobis necessa« ria præbeant et apparent oportet. Ideo « namque sapientiam nobis indidit Deus, « ut inveniamus methodos, queis possimus « vitam conservare nostram : at vero pi« cturas aut in parietibus aut in vestibus

(1) Προκειμένου. *Homil.* XLIX al. L, ib. p. 507, in Matth. XIV, 13. — (2) Καὶ τὸ ἐν τοῖς οὐράνοις ἀγαθὸν ed. p. 572, 573. (3) Πρὸς τὸν παρόντα εἰσὶ χρήσιμοι χρόνον μόνον ἡμῖν, αὕτη. ib. — (4) Εἶναι φαίη ib. — (5) Δαπάνην μόνην ib. — (6) Μεθόδους. Vide super. notam, et suppressa ab Iconomachis supple.

Τὸ δὲ ζώδια γίνεσθαι ἢ ἐν τοίχοις, ἢ ἐν ἱματίοις, ποῦ χρήσιμον, εἰπέ μοι; Διὰ δὴ τοῦτο καὶ τῶν ὑποδηματοῤῥάφων καὶ τῶν ὑφαντῶν πολλὰ περικόπτειν ἔδει τῆς τέχνης. Καὶ γὰρ ἐπὶ τὸ βάναυσον τὰ πλείονα αὐτῆς ἐξήγαγον, τὸ ἀναγκαῖον αὐτῆς διαφθείροντες, τέχνῃ κακοτεχνίαν μίξαντες· ὃ καὶ ἡ οἰκοδομικὴ[1] ἔπαθεν. Ἀλλ' ὥσπερ ταύτην, ἕως ἂν οἰκίας[2] οἰκοδομῇ καὶ μὴ θέατρα[3], τὰ ἀναγκαῖα καὶ μὴ τὰ περιττὰ ἐργάζεται, τέχνην καλῶ· οὕτω καὶ τὴν ὑφαντικὴν, ἕως ἂν ἱμάτια ποιῇ καὶ ἐπιβλήματα, ἀλλὰ μὴ τὰς ἀράχνας μιμεῖται[4], καὶ πολὺν καταχέῃ τὸν γέλωτα καὶ τὴν βλακείαν ἄφατον, τέχνην ὀνομάζω· καὶ τὴν τῶν ὑποδηματοῤῥάφων[5], ἕως ἂν ὑποδήματα ποιῇ, οὐκ ἀποστερήσω τὸ τῆς τέχνης ὄνομα[6]· ὅταν δὲ τοὺς ἄνδρας εἰς τὰ τῶν γυναικῶν ἐξαγάγῃ σχήματα, καὶ μαλακίζεσθαι ποιῇ[7] διὰ τῶν ὑποδημάτων καὶ θρύπτεσθαι, μετὰ τῶν περιττῶν καὶ βλαβερῶν αὐτὴν στήσομεν[8], καὶ οὐδὲ τέχνην ἐροῦμεν. ÷

« facere, ad quid, quæso, utile est? Ideo « ex calceariorum et textorum artibus « multa resecanda essent : nam ad luxum « plura deduxerunt, et quod necessarium « erat, labefactarunt, arti malum artificium miscentes; quod etiam architectonicæ accidit. Sed ut hanc, donec ædes, « non autem theatra ædificaverit, ac necessaria, non autem superflua struxerit, artem vocabo : sic et textoriam, donec vestimenta fecerit et assumenta, nec araneas « imitata, multum risum excitaverit ac « mollitiem ingentem, artem voco. Nec non « calceariam artem, donec calceos fecerit, « artis nomine non privabo. Quum autem « viros in mulierum formam traduxerit, « molles et effeminatos ex calceorum forma « fecerit, cum noxiis et superfluis illam locabimus, ac neque eam artem nuncupabimus. »

Καὶ αὕτη μὲν ἡ τοῦ θεοφόρου διδασκαλία, ὅθεν δείκνυται τῶν κακῶς ἐξειληφότων τὸ σαθρὸν καὶ ἐμπαθὲς τοῦ νοὸς, καὶ τὸ πρὸς εὐσέβειαν μανικόν τε καὶ στασιῶδες. Οὐ γὰρ εἰς τὸν προκείμενον τῷ διδασκάλῳ σκοπὸν τὸν νοῦν ἐπιστῆσαι προείλοντο, ἀλλ' ἐπὶ τὸ ἑαυτῶν θέλημα πάντα ἕλκειν καὶ στρεβλοῦν ἐκβιάζονται. Τῇ πρώτῃ γὰρ καὶ φαινομένῃ τῶν ῥητῶν ἐκδοχῇ ἀνεξετάστως ἐπιβάλλοντες, τῆς δηλουμένης ἐκεῖθεν διανοίας ἐθελουσίως ἐφαμαρτάνουσιν· ἐπεὶ τοῖς γε ὀρθῶς καὶ ἀπαθῶς εἰδόσι κρίνειν τὰ πράγματα εὐεπίβατος ἄγαν καθέστηκε καὶ δήλη, ὡς σύγκρισιν ποιεῖται πρὸς τὸ τέλος τῆς ἐλεημοσύνης, τὰς κατὰ τὸν παρόντα βίον τέχνας, πολὺ τὸ διάφορον αὐτῆς πρὸς ἐκείνας τιθέμενος· διότι ταύτης μὲν ἡ δόξα ἀπόῤῥητος, καὶ πρὸς τὴν μέλλουσαν ζωὴν χρησιμεύουσα, καὶ τἄλλα ἅπερ ἀπηριθμήσατο· αἱ δὲ πρὸς τὰ ἐνεστῶτα τὸ χρειῶ-

Hactenus deiferi magistri doctrina; unde liquet quanta sit in pravis excerptoribus improbitas et amentia, quanta in sacram religionem vesania et procacitas. Piguit enim eos in propositum a magistro finem oculos intendere, sed ad proprium ipsorum consilium cuncta trahere et contorquere nituntur. Primam enim et apparentem horum verborum acceptionem inconsulto arripientes, a sententia in illis expressa sponte sua aberrant; illa enim quibusque recte et sine pravo affectu judicare scientibus obvia plane proposita est; nam Pater evidenter comparationem instituit inter eleemosynæ finem artesque præsentis vitæ; unde discrimen non modicum hanc inter et illas statuit : nimirum, quod laus ejus perennis est et ad futuram vitam proficua, et alia quæ deinceps enumeravit; istarum vero tantum ad præsentia conducit utilitas. Novimus alioqui, solemne illi esse in

(1) Ὃ καὶ οἰκοδομικὴ ed. — (2) Ἂν οἰκίαν ib. — (3) Καὶ οὐ θέατρα, τότε ib. — (4) Ἀράχνας μιμῆται ib. et E. — (5) Καὶ τὴν ὑποδηματοποιῶν ib. — (6) Τοῦ τῆς τέχνης ὀνόματος. Cf. Niceph. paulo infra. — (7) Ποιεῖ διὰ τῶν A, E. — (8) Μετὰ τῶν βλαβερῶν καὶ περιττῶν αὐτὴν τάξομεν, ed.

δεῖς μόνον κέκτηνται. Ἴσμεν δὲ δήπου ὅτι πανταχοῦ ἐν τοῖς ἑαυτοῦ λόγοις τὴν ἐλεημοσύνην ἐξαίρει καὶ πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων τίθησιν. Ἡ μὲν γὰρ ἀκήρατον τὸ ἄνθος καὶ ἀλώβητον καὶ οὔποτε μαραινόμενον προάγει καὶ πρὸς τὸ μέλλον τοὺς καρποὺς τῆς εὐσεβείας κομῶσα φέρει· αἱ δὲ πρὸς τὰ παρόντα μόνον καὶ σωματικὰ τὸ ἐπικλεὲς καὶ ὠφέλιμον ἀποφέρονται, καὶ ταῦτα εὐκαίρως καὶ ἀπερίττως παραλαμβανόμεναι. Καὶ ἐπεὶ παρὰ τοσοῦτον αὐτῶν διενήνοχε, μηδὲ τέχνας κυρίως, εἴπερ ἀκριβῶς ἐξετασθεῖεν, ὀνομάζεσθαι δικαιοῖ, πρὸς τὸ ὕψος ἐκείνης παραβαλλομένας καὶ τὸ φθαρτὸν καὶ ἐπίκηρον ἐχούσας· ἐν ᾧ τούτων τινὲς μάλιστα οὐ προσωφελείας, ἀλλὰ βλάβης καὶ παθημάτων παραίτιοι γίνονται.

Δῆλον δὲ δήπου παντὶ, ὡς οὐ παρὰ τὰς τέχνας ταῦτα συμβαίνει, ἀλλὰ παρὰ τοὺς κακῶς ἀποχρωμένους. Καὶ γὰρ καθ' ἑαυτὴν ἡ τέχνη οὔτε τὸ ἐπαινετὸν οὔτε τὸ ἐπίμεμπτον ἔχει τῷ παρ' ἑαυτῆς, οὐδ' ὁποτέρωσε τὸ ἐπιῤῥεπὲς ἐνδείκνυσθαι, ἀλλὰ παρὰ τὴν γνώμην καὶ τὴν ἐνέργειαν τῶν μετιόντων τὴν ἐπίκρισιν ἐπιδέχεσθαι. Διὰ τοῦτο καὶ κατατρέχει τῶν τεχνῶν, διὰ τοὺς περιττῶς καὶ ἀκαίρως μετερχομένους, καὶ τὰς αἰτίας ὅπως καὶ ὅθεν ἑκάστη τὸ χρήσιμον ἢ ἄχρηστον ἐκληρώσατο, διευκρινεῖ, καὶ τὰς μὲν ἐκ τοῦ μᾶλλον ὠφελίμου προσίεται, τὰς δὲ ἐκ τοῦ μᾶλλον βλάπτοντος ἀποσείεται· ὡς ἂν ἀπ' αὐτῆς τῆς
A 357. ἰατρικῆς εἴποι τις ἐπισκεπτόμενος, ἣν ἀναγκαίαν κατὰ τὸν παρόντα βίον ἀποφαίνεται. Ἴδοι γὰρ ἄν τις τὸν ἰατρὸν διαφόρως τὴν τέχνην μεταχειριζόμενον καὶ πῇ μὲν ἀλεξητήρια, πῇ δὲ δηλητήρια κεραννύντα φάρμακα, καὶ ἐπὶ μὲν τῶν μετὰ τῆς τέχνης ἐπαινούμενον, ἐπὶ δὲ τῶν μάλα ἐνδίκως καταγορευόμενον· ἀπεσιώπησε δὲ τὰ ἐντεῦθεν βλαβερὰ ἔσθ' ὅτε τελούμενα, διότι ὡς ἐπίπαν πρὸς τὸ ὠφέλιμον ὁ ἰατρὸς καταγίνεται. Τοῦτο δ' ἂν καὶ ἐπὶ τῆς οἰκοδομικῆς ὡσαύτως εἰρήσεται. Πρὸς ἃς μικρὸν ὑποβὰς καὶ τὴν ὀψαρτυτικὴν καὶ καρυκευτικὴν παρεξετάσας, καὶ ἀντιπεπονθότως ἐχούσας ἰδὼν, κατηγορεῖ· καὶ γὰρ

suis orationibus eleemosynam efferre, cæterisque rebus omnibus anteponere. Hæc enimvero florem illibatum et illæsum et immarcescibilem educit, pietatisque fructus in alterum frondescens ævum transmittit. Artes vero ad præsentia modo et res corporeas suum omne decus applicant et emolumentum, idque si suo tempore et justo modo adhibentur. Et quia tam immane harum est discrimen, ne artes quidem proprio vocabulo, si accurata trutina exigantur, eas vocandas esse judicat, quæ respectu ad eleemosynæ sublimitatem, nihil nisi caducum et vacuum præ se ferunt; unde quædam harum artium minime fiunt utilitatis occasiones, sed detrimenti potius et damnorum.

Patet vero unicuique hæc non ob ipsas artes evenire, sed ob perverse iis utentes. Per se enim ars quælibet nec laudem meretur, nec vituperium; neque per se utram in partem inclinet indicat, sed ex ingenio et virtute opificum criterium suum accipit. Quare etiam in artes invehitur, ob illos qui ambitioso et importuno studio eas exercent, et causas discernit cur et unde singulæ commodum vel incommodum sortitæ sint effectum, aliasque ob utilitatem majorem probat, alias ob detrimentum majus abigit. Quod aliquis forte ab medicina argumentatus, de ipsa dixerit, quam tamen pater ille præsenti vitæ necessariam esse declarat. Videris enimvero medicum diversimode arte sua utentem, modo salvifica remedia, modo venenosa medicamenta miscentem, ex illis porro cum arte sua laudandum, ex istis vero reprobandum justissime. Verum Pater siluit damna quæ inde fluunt, quia in universum medicus utilitati studet. Illud porro idem de arte ædificandi similiter dicetur. Unde paululum progressus, culinariam quoque et condimentorum artes in causam vocat, easque contrario modo se habere videns vituperat; etenim contra ac medicina et architectura, hæ majora damna

ἐκ τοῦ ἐναντίου μᾶλλον τὸ βλαβερὸν καὶ ἧττον τὸ ὠφέλιμον ἔχουσιν, ὡς πάρεστιν ἐκ τῶν ἑξῆς ἐννοεῖν. Αὐτίκα γοῦν καθυφεὶς πρὸς τὸ αὐστηρὸν τῆς κατηγορίας, φησί· ÷ Διὰ τούτων καὶ τῶν ὑποδηματοῤῥάφων καὶ τῶν ὑφαντῶν τὰ πολλὰ περικόπτειν ἔδει τῆς τέχνης· ÷ οὐ γὰρ πάντα ἁπλῶς περικόπτειν παρεγγυᾷ τῆς τέχνης· καὶ τὸ αἴτιον, ÷ ὅτι ἐπὶ τὸ βάναυσον τὰ πλείω αὐτῆς ἐξήγαγον, τὸ ἀναγκαῖον αὐτῆς διαφθείροντες, τέχνῃ κακοτεχνίαν μίξαντες. ÷ Οὐκοῦν ἡνίκα ἐπὶ τῶν ἀναγκαίων λαμβάνονται, οὐ πονηραὶ αἱ τέχναι. ÷ Ἀλλὰ καὶ ἡ οἰκοδομική, ἕως ἂν οἰκίας οἰκοδομῇ καὶ μὴ θέατρα, καὶ τὰ ἀναγκαῖα καὶ μὴ περιττὰ ἐργάζηται, ὡσαύτως καὶ ἡ ὑφαντική, ὅταν περὶ τὰ χρήσιμα καὶ ἀναγκαῖα στρέφηται, καὶ ἱμάτια καὶ ἐπιβλήματα ἐργάζηται, καὶ μὴ τὰς ἀράχνας μιμῆται, καὶ τὴν βλακείαν ἄφατον δεικνύῃ[1], ÷ τέχναι παρ' αὐτῷ ὀνομάζονται. Πρὸς δέ γε καὶ τὴν τῶν ὑποδηματοῤῥάφων, ἕως ἂν ὑποδήματα ποιῇ, οὐκ ἀποστερεῖ τοῦ τῆς τέχνης ὀνόματος· ὅταν δὲ τοὺς ἄνδρας εἰς τὰ τῶν γυναικῶν ἐξάγῃ σχήματα, οὐδὲ τέχνην ἐρεῖ[2].

ferunt, pauciores utilitates, ut facile e sequentibus intelligitur. Statim enim accusationis acerbitatem temperans, ait : « Ideo « ex calceariorum et textorum artibus multa « resecanda essent; » non enim artis omnia vult absolute tolli. Tum causam affert : « Quia ad luxum multa deduxerunt, « et quod necessarium erat labefactarunt, « arti malum artificium miscentes. » Minime ergo, quando artes pro necessariis exercentur, malæ sunt. « Sed et ipsa architectonica, donec ædes, non autem theatra « ædificet, ac necessaria, non superflua « struat; similiter et textoria, dummodo « ad utilia et necessaria vertatur, vestesque « faciat et assumenta, non imitetur araneas « aut mollitiem immensam invehat, » has artium nomine appellabit. Tum demum et calceariam, si calceos fecerit, artis nomine non privabit. Quum autem viros in mulierum formam traduxerit, neque hanc artem nuncupabit.

CAPUT XI.

Τί οὖν φησὶ περὶ τῶν ἄλλων, τῆς ὀψαρτυτικῆς καὶ καρυκευτικῆς λέγω; τί δήποτέ ἐστι τῆς κατηγορίας τὸ αἴτιον; ÷ ὅτι γε ἄχρηστοι καὶ βλαβεραί, σώματι καὶ ψυχῇ λυμαινόμεναι. ÷ Ἀλλὰ πῶς καὶ πότε; ὅταν προσκορεῖς ὦσι, καὶ τοῦ χρειώδους καὶ ἀναγκαίου ὑπερεκπίπτωσι, ÷ καὶ τὴν μητέρα τῶν νοσημάτων, τὴν τρυφήν, ἐπεισάγωσι. ÷ Τοῦτο γὰρ ἐκ τῶν ἄλλων τεχνῶν ἐννοεῖν ἀκόλουθον, αἳ δὴ ὑπεκκαύματα τῶν ἐκτόπων ὀρέξεων γίνονται, καὶ ὑπογαργαλίζουσαι[3] τὰς ἐμφύτους ἡδονὰς ἀναφλέγουσιν. Ἄλλως τε δὲ καὶ τῶν ἀκροωμένων ἐπαίρων ἐπὶ τὸ βέλτιον τὰ φρονήματα, καὶ παιδεύων τῶν σωματικῶν μὲν ἀλογεῖν παθημάτων, καὶ τοῦ σαρκικοῦ φρονήματος ἀφειδεῖν,

Quid ergo ait de cæteris artibus, de coquinaria, inquam, et conditoria? Quæ eas criminandi causa? Nempe quod « inutiles « sunt et noxiæ, corpusque et animam la« befactant. » Sed quando et quomodo? Quum nimiæ sunt, utiliaque et necessaria transgrediuntur, ac « morborum « ægritudinumque matrem voluptatem cum « pompa inducunt. » Idem porro de cæteris artibus intelligere consequens, quæ male prurientium cupiditatum fomites fiunt, blandisque illecebris ingenitas voluptates accendunt. Præterea auditorum animos erigit ad meliora, docetque negligendas esse corporeas passiones, amoven-

(1) Δεικνύει E. — (2) Ἐρεῖ. Eamdem pro bonis artibus disputationem Nicephorus strenue alibi persequitur. Cf. *Adv. Mamon. Antirrh.* III, in Maii B. N. t. v, p. iv, 87, p. 88; *Apolog. maj.* ib. p. 232. Sed mox plura et insigniora. — (3) Ὑπογαργαρίζουσαι E.

σπουδασμάτων δὲ τῶν ἐξ ἀρετῆς μεταποιεῖσθαι· ἃ δὴ ὄνησιν φέρει, καὶ βασιλείαν οὐρανῶν προμνηστεύεται. Οὐχ ἥκιστα δὲ διενθυμεῖσθαι καὶ τοῦτο ἐπὶ καιροῦ πάρεστιν, ὅτι γε ὁ τῷ ποιμαντικῷ διαπρέπων χαρίσματι, τῷ προφητικῷ πνεύματι τὴν χρυσορήμονα γλῶσσαν χρήσας, τὰ τῶν ἀοιδίμων ἡμῖν προφητῶν ἀναπτύσσει καὶ ἐκκαλύπτει κατὰ τὴν παροῦσαν διδασκαλίαν χρησμῳδήματα, ἅπερ αὐτοὶ τοῖς ἐκ τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους ἐκ προσώπου Θεοῦ ποτε διηγόρευον, ἡνίκα ἐπὶ τὸ ἁβροδίαιτον πάμπαν ἀποκεκλίκασι, καὶ πρὸς ἅπαν εἶδος ἀκρασίας ἐξοίστρησαν, ἔργον καὶ ἐπιτήδευμα τὴν τρυφὴν ἀκολασταίνοντες διὰ πάσης τῆς ζωῆς ποιούμενοι, καὶ παντοδαπαῖς καρυκείαις καὶ ὀψοποιΐαις ἡδυπαθείας ἕνεκεν καὶ φιληδονίας χαίροντες, ἐφ' οἷς προφητικὸς αὐτοὺς ἐπαιτιώμενος καὶ ταλανίζων λόγος[1]·

« Οὐαὶ, ἀποφαίνεται, οἱ ἐγειρόμενοι τὸ « πρωῒ καὶ τὸ σίκερα διώκοντες, οἱ μένοντες « τὸ ὀψέ· ὁ γὰρ οἶνος αὐτοὺς συγκαύσει· μετὰ « γὰρ κιθάρας καὶ ψαλτηρίου καὶ τυμπάνων « καὶ αὐλῶν τὸν οἶνον πίνουσι, τὰ δὲ ἔργα « τοῦ Θεοῦ[2] οὐκ ἐμβλέπουσι, καὶ τὰ ἔργα τῶν « χειρῶν αὐτοῦ οὐ κατανοοῦσιν. »

Ἀκούσειαν δ' ἂν καὶ ἑτέρου προφήτου παραπλήσια ἐμβοῶντος καὶ λέγοντος[3]· « Οἱ ἐρ« χόμενοι εἰς ἡμέραν κακὴν, οἱ ἐγγίζοντες « καὶ ἐφαπτόμενοι σαββάτων ψευδῶν, οἱ κα« θεύδοντες ἐπὶ κλινῶν ἐλεφαντίνων, καὶ κα« τασπαταλῶντες ἐπὶ ταῖς στρώμναις αὐτῶν, « καὶ ἐσθίοντες ἐρίφους ἐκ ποιμνίων καὶ μο« σχάρια ἐκ μέσου βουκολίων γαλαθηνὰ, οἱ « ἐπικροτοῦντες πρὸς τὴν φωνὴν τῶν ὀργά« νων, ὡς ἑστῶτα[4] ἐλογίσαντο καὶ οὐχ ὡς « φεύγοντα· οἱ πίνοντες τὸν διυλισμένον οἶ« νον, καὶ τὰ πρῶτα μύρα χριόμενοι, καὶ οὐκ « ἔπασχον οὐδὲν ἐπὶ τῇ συντριβῇ Ἰωσήφ. »

Οὐκοῦν τούτοις καὶ αὐτὸς συμφθεγγόμενος ἅτε δὴ ὑποφήτης τῆς[5] χάριτος, καὶ τὸν αὐτὸν ἐκείνοις διδασκαλικὸν μετερχόμενος τρόπον, ταῖς πλημμελῶς καὶ διακόρως παραλαμβανο-

dasque carnis cogitationes, studiaque in virtutem transferenda. Quæ quidem proficiunt, cælorumque regnum promerentur. Non minus opportune etiam hoc adest considerandum, quod Pater pastorali gratia excellens, auream linguam explicando spiritui prophetico præbens, celeberrimorum prophetarum ad hanc doctrinam pertinentium oracula et effata pandit et declarat : quæ scilicet illi in Dei persona ad judaicam plebem dirigebant, quum deliciis nimis indulserant, atque in omnem intemperantiæ speciem impetu ruentes, opus et studium totius vitæ posuerant in effreni luxuria, quumque omnimodis ferculis et condimentis, præ mollium et suavium appetitu, incumbebant, de quibus hæc vituperia et querelas propheticus sermo in eos conjicit :

« Væ qui surgunt mane, et siceram sectantur, exspectantes vesperam : vi« num enim comburet eos. Nam cum ci« thara et psalterio et tympanis et tibiis « vinum bibunt, opera autem Domini non « respiciunt, et opera manuum ejus non « considerant. »

Et alium quoque audiant prophetam similia clamantem et dicentem : « Venientes « in diem malum, appropinquantes et tan« gentes sabbata mendacia, dormientes in « lectis eburneis, affluentes deliciis in stra« tis suis, et comedentes hædos de gregibus « et lactentes vitulos de medio armentorum, « complaudentes ad vocem organorum, « quasi stantia putaverunt et non quasi fu« gientia; qui bibentes vinum defæcatum et « primis unguentis ungentes se, nihil patie« bantur super contritione Joseph. »

Igitur et ipse, eadem utens voce, utpote gratiæ hypopheta, eumdemque cum istis magisterii modum tenens, censura mulctat artes quæ in luxuriam abeunt ac superflui-

(1) Λόγος Is. V, 11, 12. — (2) Τὰ δὲ ἔργα Κυρίου LXX vulg. — (3) Λέγοντος. Amos VI, 3-6. — (4) Ὡς ἑστηκότα LXX vulg. — (5) Ὑποφήτης. Nicephori lusum retinere nova voce latina non displicuit.

μέναις τέχναις ἐπισκήπτει, καὶ τῶν παραχρωμένων ἐπ' ἀσωτίᾳ καὶ φιλοσαρκίᾳ κατατριβόντων τὸν βίον κατακέκραγεν οὐ μετρίως· πλὴν ὅτε μὴ τὰ τοιαῦτα χαλεπὰ ἐναποτίκτουσι, μετρίως δὲ ἐν δέοντι καὶ ἀναγκαίως, ὥσπερ καὶ αἱ ἄλλαι τέχναι, λαμβανόμεναι χρειώδεις κατὰ τὸν βίον εὑρίσκονται. Καὶ γὰρ καὶ ἰατρῶν παῖδες πολλάκις ἐπὶ θεραπείᾳ καὶ ἀναλήψει τῶν νόσῳ καμνόντων σωμάτων, εὐκαίρως τῇ καρυκείᾳ καὶ ὄψοις τοῖς καταλλήλοις χρῶνται, καὶ βοηθοῦσι τῇ φύσει κακοπαθούσῃ· τὰ δὲ τῇ φύσει βοηθοῦντα οὐκ ἀπόβλητα, οὐδὲ μάτην παρὰ τοῦ δημιουργοῦ καὶ εὐεργέτου καὶ κηδεμόνος τῆς φύσεως δεδώρηται· ἀλλὰ τὰ εἰς τρυφὴν καὶ βλάβην ἁπάντων ὄντα περικόπτειν ὁ πατὴρ βούλεται. Διὰ τοῦτο κἄν που χρήσιμόν τι ἐν αὐταῖς ὑποφαίνεται, πάλιν σιγῇ παρέδραμεν.

tatem, et in eos qui iis utuntur dissolute, vitamque in carnis mollitie consumunt, intonat vehementer : nisi quando eædem non talia gignunt mala, sed moderate et prout opus est aut necessarium, uti cæteræ artes, usurpantur, tunc vitæ quidem utiles inveniuntur. Etenim persæpe etiam medicorum pueri, curandi gratia et relevandi corpora morbis laborantia, opportune ferculis utuntur et opsoniis convenientibus, naturæque fatiscenti suppetias ferunt. At quæ naturæ prosunt, rejici non debent, nec frustra a potenti, munifico et provido naturæ conditore donantur. Sed ea vult Pater resecari quæ ad mollitiem spectant et noxia sunt. Idcirco etiam, si quid in illis utile conspicitur, iterum silentio præteriit.

CAPUT XII.

Ταύτῃ μοι νόει καὶ ἐπὶ τῆς ποικιλτικῆς καὶ γραφικῆς τέχνης· ἐκ γὰρ τῶν προκειμένων λόγων ἔξεστί σοι καὶ περὶ τούτων τοῦ συγγραφέως τὸν νοῦν ἀναλέγεσθαι. Ἄθρει γὰρ καὶ πάλιν ὅτῳ τρόπῳ τέχνας παραιτεῖται φράζειν, ὅτι τοι, φησὶν, εἰς δαπάνην μόνον περιττὴν ἐμβάλλουσιν, ὥστε τὸ περιττὸν τῆς δαπάνης ἀπαγορεύει. Καὶ ἐπί τισι καὶ ἑτέρωθεν ἡ διαφορὰ σαφέστερον ἰχνηλατοῦσι, καὶ ὡς ἄριστα διελοῦσι, καὶ ἡ λύσις τῶν ζητουμένων ἐξευρεθήσεται. Ὅσον μὲν γὰρ τὸ κατεψεγμένον τῆς ἀχρηστίας, ἐντεῦθεν εἰσόμεθα. Ὁ γοῦν μέγας Βασίλειος, ᾧ τῆς αὐτῆς μέτεστι χάριτος, ἐπεὶ καὶ ὁμότιμον τὸν κλῆρον τῆς διακονίας διέλαχεν, ἐν ᾧ τὸν κατὰ πλουτούντων[1] εὐμούσως ὕφαινε λόγον, λευκότερον ταῦτα ἡμῖν διαπεραίνει, καὶ δὴ συντίθησι σοφῶς ἄγαν, καὶ εἰσέρχεται ἐπί τινος προσώπου τὸ δρᾶμα, καὶ γυναῖκά τινα εἰσφέρει χλιδῶσαν, καὶ ταῖς ἡδοναῖς καὶ τῇ ὕλῃ προσηλωμένην, καὶ περὶ τὰ μάταια τοῦ κόσμου

Hunc in modum cogita mihi de phrygionica et pictura : e modo enim allatis sermonibus tibi inferre licet quæ fuerit hac de re doctoris sententia. Considera tu rursus qua ratione Doctor hæc vocare artes recusaverit : nimirum, quia, inquit, non nisi superfluos in sumtus conjiciunt, ipse autem nimias impensas vetat. Porro in nonnullis etiam aliunde differentiam et solutionem quæsitorum invenient ii qui luculentius investigant et quam dexterrime distinguunt. Quo igitur usque censura de inutilitate pertingat, hinc jam cognoscemus. Magnus enim Basilius ejusdem gratiæ particeps, cui idem obtigit cleri ministerium, in eo quem *Contra divites* suavissimum contexuit sermonem, clarius hæc nobis tractat et pereleganter componit, ut quasi cujusdam dramatis instruat apparatum, mulieremque introducat luxuriantem, deliciisque et materiei quasi clavis affixam, ac vanitatibus hujus mundi atto-

(1) Τῶν καταπλουτούντων A crasso errore.

ἐπτοημένην, καὶ πλεῖστα πράγματα τῷ γαμέτῃ παρέχουσαν, τοιάδε τινὰ λέγων[1]·

÷ Ἐὰν δὲ δὴ καὶ γυνὴ φιλόπλουτος συν- ÷ οικῇ, διπλασίων ἡ νόσος· τάς τε γὰρ τρυ- ÷ φὰς ἀναφλέγει, καὶ τὰς φιληδονίας συναύ- ÷ ξει, καὶ κέντρα ταῖς περιέργοις ἐπιθυμίαις ÷ ἐνίησι, λίθους τινὰς ἐπινοοῦσα, μαργαρίτας ÷ καὶ σμαράγδους καὶ ὑακίνθους, καὶ χρυσὸν, ÷ τὸν μὲν χαλκεύουσα, τὸν δὲ ἐξυφαίνουσα, ÷ καὶ διὰ πάσης ἀπειροκαλίας τὴν νόσον αὔ- ÷ ξουσα. Οὐ γὰρ ἐκ παρέργου ἡ περὶ ταῦτα ÷ σπουδὴ, ἀλλὰ καὶ νυξὶ καὶ ἡμέραις[2] τὰς ÷ περὶ τούτων μερίμνας ἔχουσι, καὶ μυρίοι ÷ τινὲς κόλακες ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτῶν ὑπο- ÷ τρέχοντες, συνάγουσι τοὺς ἀνθοβαφεῖς, ÷ τοὺς χρυσοχόους, τοὺς μυρεψοὺς, τοὺς ÷ ὑφάντας, τοὺς ποικιλτάς. Οὐδένα χρόνον ÷ ἀναπνεῖν δίδωσι τῷ ἀνδρὶ ἐκ τῶν συνεχῶν ÷ αὐτῆς ἐπιταγμάτων. Οὐδεὶς ἐξαρκεῖ πλοῦ- ÷ τος ταῖς γυναικείαις ἐπιθυμίαις ὑπηρετού- ÷ μενος, οὐδ' ἂν ἐκ ποταμῶν ἐπιῤῥέῃ, ὅταν ÷ σπουδάζηται μὲν παρ' αὐταῖς τὸ βαρβα- ÷ ρικὸν μύρον, ὡς τὸ ἐξ ἀγορᾶς ἔλαιον· τὰ δὲ ÷ ἐκ θαλάττης ἄνθη, ἡ κόχλος, ἡ πίννα, ÷ ὑπὲρ τὸ ἐκ τῶν προβάτων ἔριον· χρυσὸς δὲ ÷ περισφίγγων τοὺς βαρυτίμους τῶν λίθων· ÷ ὁ μέν τις αὐταῖς προμετωπίδιος γίνεται ÷ κόσμος, ὁ δὲ περιαυχένιος· καὶ ἄλλος ἐν ÷ ζώναις, καὶ ἄλλος τὰς χεῖρας δεσμεῖ καὶ ÷ τοὺς πόδας· χαίρουσι γὰρ αἱ φιλόχρυσοι ÷ δεδεμέναι ταῖς χειροπέδαις, μόνον ἐὰν χρυ- ÷ σὸς ὁ δεσμῶν αὐτὰς ᾖ. ÷

Καὶ θέα μοι κἀνταῦθα ὁποῖος ὁ σκοπὸς ὑποτέθειται. Κατὰ γὰρ δὴ τοῦτο τὸ μέρος τὸ ἄσεμνον καὶ ἀσυντελὲς εἰς ὄνησιν, τῷ ἐπ' αἰ-
A 359. σχίοσι καὶ φαύλοις τὸ ἄπειρον τῆς δαπάνης καταναλοῦσθαι, τὸ ἐπίμεμπτον τῆς τέχνης πεφώραται· καὶ οὐδὲ τέχνη καλεῖσθαι λοιπὸν συγκεχώρηται. Ὅσον δὲ πρὸς ἐπαίνου καὶ εὐχρηστίας εἴη, καὶ περὶ τὰ θεῖα ἀνακείμενον, ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων μαθησόμεθα, ἐν οἷς τὰ κατὰ τὴν παλαιὰν σκηνὴν νενομοθέτηται.

nitam et marito suo negotia plurima facessentem; de hac igitur in huncce modum loquitur :

« Si autem mulier divitiarum cupida in « consortium venerit, duplo major labes « erit : nam ipsa voluptatum fomes, augen- « dis in deliciis tota est, stimulosque cupi- « dis desideriis addit, gemmas quasdam, « margaritas affectat, smaragdosque et hya- « cinthos, quin et aurum modo cudit, modo « plumario texit opere, neque ullus illi insi- « pientiæ morbus ad cumulum deerit. Jam « vero non obiter tantum, sed diebus atque « noctibus iis immersæ curis erunt, sexcen- « tique assentatores in his augendis cupi- « ditatibus conspirantes, adsiscunt florum « opifices aut auri fusores, tum pigmentarios, « textores, phrygiones, qui ne ullum qui- « dem tempus viro relinquunt a sumtibus « respirandi. Nulla opum copia est quæ mu- « liebribus cupiditatibus sufficiat, etiamsi « fluminum instar inundet, quippe quæ « simul aveant barbarorum unguentum, « perinde ac si esset oleum in foro venale; « præterea flores marinos, sive conchylia, « sive pinnas, multo magis quam gregum « vellera; aurum autem constringit gem- « marum quasque pretiosas; quorum pars « frontis est ornamentum, pars vero cer- « vicis; alia sunt in amictu, alia in ma- « nuum pedumque redimiculis. Lætantur « enim quæ aurum inhiant manibus vinciri, « dummodo illis vinculum sit aurum. »

Ac specta mihi hic quoque quis propositus sit scopus. Ex hoc enim ars partim est indecora, nulliusque prorsus emolumenti, in eo quod ad turpia et futilia immensi sumtus projiciuntur, in quo ejus reprobationis causa patescit, neque demum ars ea dici jure permittitur. Quanta vero ejus honestas et utilitas bonusque et divinis in rebus usus, sacris eloquiis edocemur, ubi de veteris fœderis arca statuitur.

(1) Λέγων. *Opp.* t. II, p. 77. — (2) Νύκτες καὶ ἡμέραι ed.

Γέγραπται γὰρ κατὰ τὴν ἱερὰν τῆς Ἐξόδου Βίβλον ὡδί[1]·

« Καὶ εἶπε Μωσῆς τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ· « ἰδοὺ ἀνακέκληκεν ὁ Θεὸς ἐξ ὀνόματος τὸν « Βεσελεὴλ τὸν τοῦ Οὐρὶ υἱοῦ Ὄρ[2], ἐκ τῆς « φυλῆς Ἰούδα· καὶ ἐνέπλησεν αὐτὸν πνεῦμα « θεῖον σοφίας καὶ συνέσεως καὶ ἐπιστήμης « πάντων, κατὰ πάντα τὰ ἔργα ἀρχιτεκτονεῖν « τῆς ἀρχιτεκτονίας, ποιεῖν τὸ χρυσίον καὶ « τὸ ἀργύριον καὶ τὸν χαλκὸν, καὶ λιθουργῆ- « σαι τὸν λίθον, και κατεργάζεσθαι τὰ ξύλα, « καὶ ποιεῖν ἐν παντὶ ἔργῳ σοφίας. Καὶ προ- « βιβάσαι γε ἔδωκεν ἐν τῇ διανοίᾳ αὐτοῦ « αὐτῷ τε καὶ Ἐλιὰβ[3] τῷ τοῦ Ἀχισαμὲχ ἐκ « φυλῆς Δάν· ἐνέπλησεν[4] αὐτοὺς σοφίας δια- « νοίας[5], συνιέναι, ποιῆσαι πάντα τὰ ἔργα τοῦ « ἁγίου, τὰ ὑφαντὰ[6] καὶ τὰ ποικιλτὰ, ὑφᾶναι « τῷ κοκκίνῳ καὶ τῇ βύσσῳ, ἐν τῇ ὑακίνθῳ « καὶ ἐν τῇ πορφύρᾳ, καὶ ἐν τῷ κοκκίνῳ ἠλ- « λοιωμένῳ, καὶ τῇ βύσσῳ[7] ὑφᾶναι, ποιεῖν « πᾶν ἔργον ἀρχιτεκτονίας ποικιλίας. Καὶ « ἐποίησε Βεσελεὴλ καὶ Ἐλιὰβ, καὶ πᾶς ἀνὴρ « σοφὸς[8] τῇ διανοίᾳ, ὡς ἐδόθη παρὰ Κυρίου « σοφία[9] καὶ ἐπιστήμη ἐν αὐτοῖς, συνιέναι « ὥστε ποιεῖν[10] πάντα τὰ ἔργα τὰ καθήκοντα « κατὰ τὰ ἅγια[11], κατὰ πάντα ὅσα συνέταξε « Κύριος. » Εἶτα μικρὸν μεταβὰς ἐντεῦθεν οὕτω γεγραμμένον εὑρήσεις[12]· « Καὶ ἐποίησαν « τὴν σκηνὴν[13], δέκα αὐλαίας[14] ἐκ βύσσου κε- « κλωσμένης, καὶ ὑακίνθου καὶ πορφύρας καὶ « κοκκίνου κεκλωσμένου[15], Χερουβὶμ, ἔργον « ὑφαντοῦ ἐποίησεν αὐτάς[16]. » Καὶ μετά τινα ἀναγνώσῃ οὕτως[17]· « Καὶ τὸ κατακάλυμμα « τῆς πύλης τῆς αὐλῆς, ἔργον ποικιλτοῦ ἐξ « ὑακίνθου καὶ[18] πορφύρας καὶ κοκκίνου νενη- « σμένου καὶ βύσσου κεκλωσμένης. » Οὕτω[19]

Scriptum est enim in sacro Exodi libro his verbis :

« Et dixit Moyses filiis Israel : « Ecce re- « vocavit Deus ex nomine Beseleel filium « Uriæ, filii Or, de tribu Juda. Et imple- « vit eum spiritus divinus sapientia et in- « tellectu, et scientia omnium, ad omnia « quæ fabricantur architectonicæ opera, « facere aurum et argentum et æs, et in- « cidere affabre lapidem, et perficere « ligna, et operari in omni opere sapientiæ. « Et proficere in mente ejus dedit illi et « Eliab, filio Achisamech, e tribu Dan, et « implevit eos sapientia intellectus, ut sci- « rent facere omnia sanctuarii opera et tex- « tilia et vario distincta colore, texere cocco « et bysso, in hyacintho et in purpura, et « in coccino mutato, et cum bysso texere, « facere demum omne opus phrygionicæ « operæ. Et fecerunt Beseleel et Eliab, om- « nisque vir sapiens in intellectu, ut data « est a Domino sapientia et scientia in illis, « sciendi unde facerent omnia opera quæ « ad sancta pertinebant, juxta omnia quæ « præcepit Dominus. »

Deinde paululum abhinc progressus, sic scriptum invenies : « Et fecerunt taberna- « culum, decem tentoria e bysso neta torta, « et hyacintho, et purpura et cocco retorto, « Cherubim, opus acupictum fecerunt hæc « tentoria. » Et post pauca iterum leges : « Et velum ostii aulæ, opus phrygionis ex « hyacintho et purpura et cocco neto et « bysso retorta. » Ita etiam in alio loco id

(1) Ὡδί. Exod. XXXV, 30. Subinde vel tenuissimas varietates congerere placuit, nec iis displicebit qui indolem codicis sacri in ecclesia constantinopolitana ab alexandrina lectione satis diversam esse sciunt, et discrimen utriusque vel in minutissimis considerare amant. — (2) Οὐρίου, τὸν Ὢρ vulg. LXX. — (3) Διανοίᾳ αὐτῷ τε καὶ τῷ Ἐλιὰβ Ἀχισαμὰχ ib. — (4) Καὶ ἐνέπλησεν ib. — (5) Συνέσεως, διανοίας πάντα συνιέναι ποιῆσαι τὰ ἔργα ib. — (6) Καὶ τὰ ὑφαντὰ ib. — (7) A βύσσῳ ad hæc καὶ ἐποίησε, ubi incip. c. XXXVI, nihil in editis interponitur. — (8) Πᾶς σοφὸς ib. — (9) Ὧ ἐδόθη σοφία ib. Malim οἷς. — (10) Συνιέναι ποιεῖν ib. — (11) Κατὰ τὰ ἅγια καθήκοντα ib. — (12) Εὑρήσεις. Exod. XXXVI, 1-35. — (13) Τῇ σκηνῇ ib. — (14) Αὐλαίας. Post hæc multa in editis interjecta, nec tamen habetur in eo loco : ἐκ βύσσου κεκλωσμένης. — (15) Κοκκίνου νενησμένου ib. — (16) Ἔργον ὕφαντα Χερουβὶμ ib. nec plura. — (17) Οὕτως. Eod. cap. v. 35. — (18) Τὸ καταπέτασμα τῆς θύρας τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου ἐξ ὑακίνθου ib. — (19) Οὕτω. Locus sequens e libro Job; in nostra vulg. et in hebraico fonte aliter legitur ; sequitur Noster LXX, c. XXXVII, 36.

καὶ ἀλλαχοῦ παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ τὸ χρῆμα θαυμάζεται, ἡνίκα ὁ τῷ Ἰὼβ διὰ λαίλαπος καὶ νέφους χρηματίζων Θεὸς, τὰ τῆς οἰκείας δημιουργίας ἐκκαλύπτει μυστήρια· « Τίς « ἔδωκε γυναιξὶν ὑφάσματος σοφίαν, φησὶν, « ἢ ποικιλτικὴν ἐπιστήμην; »

Εἰ δὴ ταῦτα πνεύματος διαταγὴ καὶ νόμοι θεῖοι, τίς οὕτω τολμηρὸς καὶ αὐθάδης, ὃς ἐγκαλέσει κατὰ κριμάτων Θεοῦ; ἐξ ὧν πάλιν καὶ τῆς τέχνης τὴν εὐκληρίαν καὶ τοῦ διδασκάλου τὸν νοῦν ῥᾳδίως ἕλοιμεν, ὁποῖός τίς ἐστιν καὶ περὶ τίνος ἡμῖν τὰ εἰρημένα ἐμφανίζεται. Οὐκοῦν παρὰ τὴν χρῆσιν ἡ κρίσις τῆς τέχνης, οὐ παρὰ τὸ ἁπλῶς ἀποφαίνεσθαι· οὐ γὰρ ταῦτα ἠγνόει ὁ τὸν νοῦν πεφωτισμένος, καὶ τὸ πέλαγος τῆς θείας γραφῆς διανηξάμενος. Οὐδέ τις οὕτω μανείη καὶ καταψηφιεῖται αὐτοῦ τούτων τὴν ἄγνοιαν· πάντων γὰρ μάλιστα ᾔδει τά τε θεῖα, τά τε ἀνθρώπινα, διὰ δὲ τοὺς εἰρημένους τρόπους, τὰ τοιάδε διείλεκται. Ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν ποικιλτῶν καὶ ὑφαντῶν, ἐκ τῶν προτεθέντων λόγων, τὰ τῆς ἀληθείας ἀποχρώντως ἐξεύρηταί τε καὶ κέκριται, καὶ ὡς ἔχει τὰ πράγματα φύσεως διήρθρωται.

genus operis a divina Scriptura mirandum proponitur, quando Deus de turbine et nebula Job alloquutus, quædam creationis suæ revelat arcana : « Quis dedit mulieri« bus, ait, textilis operis sapientiam et « phrygionicam scientiam ? »

Hæc igitur si Spiritus mandata sunt Deique leges, quis tantæ erit fiduciæ et audaciæ ut Dei judicia in causam adducat ? Ex his rursum et quæ sit artis bona conditio et quæ Magistri mens, facile eruerimus, quid nempe sentiat, et qua de re nobis dicta illa exhibeat. Ab usu ergo stat de arte judicium, non a simplici appellatione; haud ignoravit hoc ille mentis illuminatæ Pater, qui in Scripturæ sacræ mari magno vela usquequaque fecerat. Neque quisquam adeo amens erit ut illi harum rerum inscitiam tribuat. Is enim in primis omnium sciebat et divina et humana; verum propter indicatos utendi modos, hæc talia disputata sunt. Denique quod ad textoriam et phrygionicam artes pertinet, e præmissis hactenus sermonibus vera rerum ratio satis superque inventa fuit et judicata, et quamnam quæque naturam habeant, singulatim demonstratum est.

CAPUT XIII.

Περὶ δὲ τῆς ζωγραφικῆς τέχνης ἐνστήσαιτο ἄν τις φάσκων· ÷ Τὸ ζώδια γίνεσθαι ÷ ἐν ἱματίοις, ἢ τοίχοις, ποῦ χρήσιμον. ÷ Φημὶ τοίνυν ὅτι, ἐπειδὴ συνημμένως περὶ ἀμφοῖν τῶν τεχνῶν, ταύτης τε καὶ τῆς ποικιλτικῆς διείλαβεν, ὃ περὶ τῆς ἑτέρας τῶν συνεζευγμένων ἀποδέδοται, τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ θατέρας ἀκολούθως συναποδοθήσεται· τὸ περιττὸν γὰρ τῆς δαπάνης καὶ ἐπ' αὐτῆς τὸ αἴτιον πρόκειται. Διαιρήσει τοίνυν εἰκότως κἀνταῦθα τὸν λόγον, καὶ οὕτως καταλήψεται τοῦ διδασκάλου τὴν ἔννοιαν, οὐ κατὰ τὴν προφορὰν τῶν ῥημάτων ἀνεπιστήτως ἐκδεχόμενος· ζώδια[1] μὲν γὰρ οὐδὲ πάντα κατονομάζει τὰ

Quod ad picturam attinet, aliquis consurget, suggerens illud : « Figuras rerum effigiari in vestibus et parietibus, quid prodest? » Ego igitur dico, quoniam conjunctim utriusque artis, picturæ nempe et phrygionicæ, mentio injecta est, idem omnino quod de ambarum altera jam expositum est, hoc etiam alteri aptissime ascribendum : superflua videlicet impensa etiam in picturæ accusationem proponitur. Igitur hic quoque aliquis non incommode sermonem dividet, sicque magistri sententiam intelliget, haud quidem juxta rudem verborum sensum imperite accipiens : neque enim figuras (ζώδια) vocat omnia penicillo ad vivum

(1) Ζώδια. Inde in subobscurum locum incidimus : cui primum ut aliqua lux offundatur, ζώδια intelligimus figuras pictas (ζωγραφίας), id quod Nicephorus inde, ut supra, usurpabit, sensu plerumque ironico. Græcis vero ἱστορεῖσθαι, perinde ac latinis sequioris ævi *historiam scribere*, idem esse ac *pingere*, jam non ambiguum. Huc refer quæ Niceph. habet de vestium sacrarum picturis in *Antirrh.* III, l. l. p. 121.

ἱστορούμενα, οὐδὲ πάντα τὰ γραφόμενα ἀποπέμπεται, ἀλλ' ἐκεῖνα ἅπερ εἰς τέρψιν καὶ ὥραν καὶ διάχυσιν τῶν ἐμπαθῶς ὁρώντων γίνεται πρὸς ἐξαπάτην τῶν ὀφθαλμῶν, ἐξ ἀπειροκαλίας καὶ μικροπρεπείας ἐξευρημένα, καὶ οὐδὲν ἀναγκαῖον καὶ χρειῶδες κατὰ τὸν βίον ἐπεισάγοντα, οὕτω λέγεσθαι ἀξιοῖ. Ἐξ ὧν καὶ τέχνην καλεῖσθαι διακωλύει, καὶ τὰ πολλὰ περικόπτειν διακελεύεται. Τίνα δὲ ταῦτά ἐστιν; ἃ δὴ πολλάκις τινὲς ἐπ' ἄγρας[1] ζώων χερσαίων καὶ πτηνῶν καὶ ἐναλίων 60. διαγράφουσι, καὶ εἴ τι παραπλήσιον, εἰς παρηγορίαν τῆς ἰδίας μικροψυχίας ἐπιτηδεύοντες, καὶ ὅσα ἐπὶ τοῖς[2] τῶν ἱππικῶν ἀγώνων τελούμενα οἱ φιλιππόται, ἢ καὶ οἱ φιλοκύνηγοι ἐπὶ ταῖς ὁρμαῖς τῶν κυνηγετούντων γάννυνται διὰ μιμήσεως φέρουσι· καὶ ἄλλως, ὡς ἂν ἐφήδοιτό τις ἐνωραϊζόμενος, καὶ τῆς θήρας τοῦ ποθουμένου μὴ ἀποτεύξαιτο· οὐ μὴν περί γε τῶν ἱερῶν ἐκτυπωμάτων ταῦτα ἀποφανεῖται· οὐδ' οὕτως τῇ κλήσει τῇ τοιαύτῃ κατεφαύλισεν ἄν, ἢ ἐξευτέλισεν, ἃ πρὸς τὴν εὐαγγελικὴν ἡμᾶς ἀνάγει θεωρίαν καὶ μνήμην, οἷς τὸ τίμιον καὶ σεβάσμιον νέμει, ὡς μετὰ ταῦτα δειχθήσεται, καὶ ὅπως τὴν γραφικὴν τέχνην ἠγαπηκὼς εἴη[3].

Πῶς δὲ εἰς τὸ ἄδυτον[4] εἰσελαύνων (οὐχ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, καθὰ τῷ ἐν τῷ νόμῳ τῷ πάλαι ἀρχιερεῖ εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ἀνεῖτο, ἀλλὰ καὶ πολλάκις καὶ διηνεκῶς ἐξῆν αὐτῷ, καὶ βατὸν ἦν καὶ εἰσιτητὸν τὸ θυσιαστήριον, οὐ θυσίας ἐναίμους προσφέρειν, ἀλλ' ἱερουργεῖν ἀναιμάκτως τὸ σεπτὸν καλλιέρημα), πῶς εἰς τὰ ἱερὰ κειμήλια τὸν τῆς Ἐκκλησίας ἐνητένιζε κόσμον, ἐν οἷς τὰ τῆς εὐαγγελικῆς ἱστο-

expressa, neque totam picturam proscribit, sed eas modo picturas ita vocari vult, quæ in voluptatem et venustatem atque dissolutionem cupidius spectantium fiunt ad oculorum fallaciam; eas inquam, quæ ab inscitæ et abjectæ mentis hominibus inventæ, nihil necessitatis aut utilitatis ad vitam habent. Inde etiam artem hæc vocari non patitur, ac plurima jubet inde resecari. Quænam illa sunt? Quæ nonnulli persæpe ob capturam describendam animalium terrestrium, volatilium et aquatilium pingunt, et si quid his simile est, quo futilis ingenii lenocinia captent; qualia etiam sunt illa equorum concertantium spectacula, aut venantium canum incursus, quæ equorum canumque amatores per simulamenta sibi repræsentare delectantur. Cæterum quemadmodum, si cui forte volupe sit his uti spectaculis, eumque juverit inter ferarum venationes versari, nihil inde quisquam in sacras imagines intulerit : sic neque Pater per hanc pictorum animalium appellationem ea vilia videatur reddidisse aut dehonestavisse, quæ nos ducunt ad rerum evangelicarum contemplationem et memoriam; quibus quippe venerationem cultumque religiosum vindicat, uti mox ostendetur, ibique simul quale ipsius fuerit in picturam studium.

Quomodo is autem in adytum ingressus (non semel toto anno, uti lege prisca pontifici ad sancta sanctorum ire permissum erat, sed sæpissime et perpetuo hoc ei licebat, cui pervium erat atque accessibile sanctuarium, non ut cruentas inferret hostias, sed ut perficeret incruentam venerandi sacrificii perlitationem), quomodo, inquam, intentis oculis spectabat sacros illos thesauros, Ecclesiæ ornamenta, quæ evangelicæ

(1) Ἐπ' ἄγρας, sic diserte codd. ubi libenter legam : ἐπ' ἄγραις, iterumque res ipsa pro re picta usurparetur. Hæc præludere videntur ad ea quæ mox e Nili ad Olympiodorum epistola Noster dicturus est. Inde certe clariora fient. Præpositio ἐπὶ hic sensum causalem habet, perinde ac bis infra; per me enim in hoc ejusdem, sed impeditæ nimium periodi decursu leges : Ἃ δὴ πολλάκις τινὲς ἐπ' ἄγραις (sic enim correxerim)... διαγράφουσι, καὶ ὅσα ἐπὶ ταῖς τῶν ἱππικῶν ἀγώνων [ὁρμαῖς subaudi] τελούμενα, οἱ φιλιππόται ἢ καὶ οἱ φιλοκύνηγοι ἐπὶ ταῖς ὁρμαῖς τῶν κυνηγετούντων γαννύνται [ἑαυτοῖς] διὰ μιμήσεως φέρουσι. — (2) Τοῖς τῶν ἱππικῶν α. τ. Malit Dübnerus ἱππικῶν ἀγῶσι, inque fine Φέροντες. Sed et gravius malum aliud latere putat : etenim, nisi medela detur, aliquid in utroque codice excidisse dicendum erit. — (3) Εἴη. Habetur enim infra p. 277. — (4) Εἰς τὸ ἀδύνατον E, ἄδυτον A, uterque si ne dubio, sine correctione.

ρίας πλήθουσιν ὑπομνήματα, ἐν ᾧ μάλιστα καὶ εἰδώλων ἐπωνυμίᾳ οἱ πάντα θρασεῖς καὶ δυσάντητοι ταῦτα ἠτίμωσαν; Πῶς πάντα κατορθωκὼς, ὅσα εἰς Θεοῦ δόξαν καὶ ὠφέλειαν καὶ οἰκοδομὴν ἀνθρώπων στέλλει, ταῦτα μόνα ἐπὶ χώρας διαμένειν ἀφῆκεν, εἴπερ οὕτω περὶ αὐτῶν εἶχεν ὡς οὗτοι φαντάζονται; Οὐ γὰρ εἰπεῖν ἔχοιεν, ὡς τὸ τηνικάδε οὐκ ἦν οὔτε γέγονεν. Ἤδη γὰρ διὰ τῶν φθασάντων δέδεικται, καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν διδασκάλων αὐτῶν, ὅτι τὸ ἐξ ἀρχῆς καὶ ἀνέκαθεν, ἔν τε τῷ θείῳ θυσιαστηρίῳ καὶ ἐν ἑτέροις πλείοσιν τόποις διέπρεπε. Καὶ γὰρ οἱ ἱεροὶ σηκοὶ ἐκ τοίχων κατεσκευασμένοι ἑστήκασι, καὶ τὰ τῶν ἱερῶν ἀμφιέσματα ἐξ ἱματίων σηρικῶν ἐξύφανται καὶ πεποίκιλται, καὶ τῶν ὑφαντῶν καὶ ποικιλτῶν τὰ ἔργα περιστολίζονται.

Κατὰ ταῦτα δὴ καὶ χρυσοχοϊκὴ καὶ αἱ τέχναι αἱ ἄλλαι δοκιμασθήσονται. Ἐπεὶ καὶ χρυσοχόος ἕως μὲν ἐπὶ τῆς τέχνης καθέζεται [1], καὶ τὴν ὕλην ἐπὶ τισὶ φαύλοις πρὸς τὸ ἐμπαθὲς καὶ τῆς ψυχῆς λυμῶδες διασκευάζων, καὶ πρὸς τὰ λεγόμενα κοροκόσμια κατατρίβεται, ἀφορμὴν ἀνευλαβείας καὶ εὐηθείας τοῖς κατεβλακευμένοις καὶ χρυσοφορεῖν ἡδομένοις πορίζων, εἰς κενὸν καὶ μάτην διαπονεῖσθαι λέγεται. Ὁπότε δὲ πρὸς ἀναθήματα θεῖα καὶ ἱερὰν διακόσμησιν ἐπαφήσει τὰς χεῖρας, καταγλαΐζει τὴν τέχνην, καὶ τὸ ἐπαινετὸν καὶ ἀξιέραστον ἀποφέρεται. Ὑπεράγανται γὰρ αὐτὸν τῆς εὐτεχνίας οἱ φιλοθεάμονες, καὶ τῆς καλλίστης ἐργασίας καὶ προαιρέσεως· διά τοι ταῦτα οὐ μεμπτέον τὴν τέχνην, οὐδὲ περιοπτέον.

historiæ referunt commentaria, illa nimirum quæ idolorum nomine fœdaverunt isti nebulones infestissimi? Quomodo is plane orthodoxus doctor, qui peregit quæcumque in Dei laudem hominumque salutem et ædificationem ducunt, illas imagines solas in loco suo permanere sivisset, si de illis ea sensisset quæ hi somniant? Non enim reponere poterunt eas tunc temporis non fuisse, nec exstitisse. Jam enim supra ostensum est, et ipso testimonio eorum quos illi sibi magistros habent, obtinuisse imagines a principio et antiquitus tam in Dei sanctuario quam in cæteris plerisque locis. Etenim ædes sacræ parietibus instructæ stant, et sanctuarii cancelli velis sericis intextæ sunt et variatæ, eademque textili ac phrygionico opere circumtenduntur.

Sed ecce in his etiam auraria cæteræque artes probabuntur. Auri enim fusor, dum in arte sua humilia sectatur, dum metallum fingit in vilia quædam, ad passiones et mentis perniciem, ac pupis quæ dicuntur insudat, confovendæ proterviæ stupiditatisque ansam nonnullis male feriatis præbens, in vanum et frustra operi vacare dicitur. Quum vero erigendis Dei monumentis et instruendæ sacræ supellectili manum admoverit, arti suæ decus et honorem conciliat, laudemque capit et admirationem. Ei namque congratulantur quicumque bonarum artium spectaculis delectantur, ob eximiam æque et operis et consilii præstantiam. Propter ea demum artem neque missam fieri, neque despici oportet.

CAPUT XIV.

Ἀλλὰ καὶ νῦν ἕτερος τῶν τοιούτων λόγων κριτὴς συνεφαπτόμενος ἡμῖν τοῦ πόνου, καὶ τὸν ἀγῶνα συνδιαφέρων διαιρήσει τε καὶ διαιτήσει καλῶς· ὁ ἱερὸς δ' οὗτος Νεῖλός ἐστιν, ὁσιότητι καὶ βίῳ ἀρίστῳ τεθαυμασμένος, παιδείᾳ δὲ τῇ ἔξωθεν καὶ τῇ καθ' ἡμᾶς λελαμπρυσμένος. Προκείσθω [2] γὰρ αὐτοῦ

Nunc vero succedet alius talium sermonum judex, nobiscum operam navare paratus et certamen inire, qui sane rem discernet et pulchre dijudicabit. Is sacer Nilus est, tam innocentia quam vitæ nobilitate spectatissimus, externaque scientia simul et nostra æque commendabilis. Afferatur illius

(1) Καθέζεται. Vitiari hanc vocem suspicari lubet. — (2) Προκείσθω. Cf. Mansi *Conc.* t. XIII, col. 35.

ἡ πρὸς Ὀλυμπιόδωρον τὴν τοῦ ὑπάρχου διέποντος ἀξίαν ἐπιστολή. Ἐξ ἧς [1] τὸ διάφορον τῆς τέχνης εἰσόμεθα, ἐν οἷς τε τὸ ἀνόνητον[2] καὶ ἄχρηστον, ἐν οἷς τε τὸ χρήσιμον καὶ ἀξιεπαίνετον, εὐσύνοπτον καὶ ἐπιδηλότερον καθίστησι, καὶ τὴν Ὀλυμπιοδώρου νηπιώδη φρένα στηλιτεύων, καὶ τὴν οἰκείαν καὶ θεόφρονα δόξαν ἐμφανίζων, ὅπως τῷ εὐαγγελικῷ συστοιχεῖ κηρύγματι, καὶ δι' ἀκριβείας ἁπάσης παρομαρτεῖ[3]· περιέχει γὰρ ἡ ἐπιστολὴ κατὰ τόνδε τὸν τύπον·

ad Olympiodorum, eparchiæ munere fungentem, epistola. Ex qua noscere erit variam artis conditionem, quum ab una parte quid habeat inutile aut inane, ex altera quid utile et laudabile idem exponat sub uno intuitu et Olympiodori quidem puerilem mentem clariorem in lucem traducens, propriam vero suam esse divo homine dignam sententiam ostendens, ut qui dogma illud evangelicum presse sequatur exactissimeque referat. In hunc enim modum epistola digeritur :

Ἐπιστολὴ τοῦ ἁγίου Νείλου πρὸς Ὀλυμπιόδωρον ἔπαρχον [4].

Epistola Sancti Nili ad Olympiodorum Eparcham.

÷ Γράφεις μοι, εἰ ἄρα πρεπωδέστατον εἴη
÷ μέλλοντί σοι κατασκευάζειν σηκὸν μέγι-
÷ στον πρὸς τιμὴν τῶν ἁγίων μαρτύρων καὶ
÷ τοῦ ὑπ' αὐτῶν διὰ μυρίων[5] ἄθλων καὶ πό-
÷ νων καὶ ἱδρώτων μαρτυρηθέντος Χριστοῦ,
÷ εἰκόνας τε ἀναθεῖναι, καὶ[6] ἐν τῷ ἱερατείῳ
÷ θήρας ζώων παντοίας τοὺς τοίχους πλῆσαι·
÷ τούς τε ἐκ δεξιῶν, τούς τε ἐξ εὐωνύμων[7],
÷ ὥστε βλέπεσθαι κατὰ μὲν τὴν χέρσον ἐκτει-
÷ νόμενα λίνα καὶ λαγωοὺς καὶ δορκάδας[8],
÷ καὶ τὰ ἑξῆς φεύγοντα ζῶα, τοὺς δὲ θηρᾶσαι
÷ σπεύδοντας σὺν τοῖς κυνιδίοις, καὶ ἐκθύ-
÷ μως[9] διώκοντας· κατὰ δὲ τὴν θάλατταν
÷ χαλώμενα δίκτυα καὶ πᾶν γένος ἰχθύων,
÷ ἁλιευομένων[10] καὶ εἰς τὴν ξηρὰν ἐξεργομέ-
÷ νων[11] χερσὶν ἁλιευτικαῖς, καὶ προσέτι
÷ γυψοπλασίας[12] πᾶν εἶδος ἐμφᾶναι[13], δεικνύ-
÷ μενον πρὸς ἡδονὴν ὀφθαλμῶν ἐν τῷ οἴκῳ
÷ τοῦ Θεοῦ· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν κοινῷ οἴκῳ
÷ χιλίους πήξασθαι σταυροὺς καὶ ἱστορίας
÷ πτηνῶν καὶ κτηνῶν καὶ ἑρπετῶν καὶ βλα-
÷ στημάτων παντοδαπῶν. ÷

« Scribis ad me an forte tibi perma-
« gnum templum ædificaturo, tam ad sancto-
« rum martyrum quam in Christi honorem,
« cujus illi per sexcenta certamina, perque
« labores et sudores infinitos testes fuere,
« decentissimum erit imagines in sacrario
« ponere et variis venationibus animalium
« opplere parietes a dextris et a sinistris :
« ut hinc quidem in terra cernantur extensi
« casses leporesque et capræ et cætera ani-
« malia fugam capessentia, tumque prope-
« rare venatores et catellis urgentibus
« alacriter insistere; hinc vero in mari la-
« xari retia et omne piscium genus capi
« piscatorumque manibus in arenam extra-
« hi : ad hæc e gypso figmenta cujuscumque
« rei ostentari ad oculorum oblectamenta
« in domo Dei : enimvero etiam in ædibus
« cuique patentibus mille strui cruces et
« volucrum pecudumque et repentium ac
« plantarum omne genus appingi. »

(1) Ἐξῆς A, per E corrigendus. — (2) Ἀνόητον A. — (3) Συστοιχῇ, παρομαρτῇ prima manu in A, E. — (4) Ἔπαρχον. Contulimus edita in concilio nicæno II (Mansi XIII, 15 A-D), et in epistolis S. Nili lib. IV, 71 (ed. Possini p. 491) non solum cum duobus codd. A et E; sed et cum D, et duobus aliis ejusdem E locis, ubi eamdem epistolam Nicephorus adducit, tum in ψευδωνύμου ὅρου ἀνατροπῇ (is vero secundus locus codicis E designabitur per E*, stellula præfixa), tum in *Antirrhetico adversus Epiphanidem*, cujus vide varietates paulo infra. Porro editio Mansi per M, Possini vero per Π significabitur. — (5) Διὰ μαρτυρίου E*. Μαρτυρικῶν M, Π. — (6) Καὶ ibi deest in M, Π, qui mox habent καὶ θήρας. — (7) Ἐξ εὐωνήμων M. — (8) Καὶ δορκάδας omisit E*. — (9) Κυνιδίοις ἐκθύμως D, E, E* M. — (10) Ἀλιευόμενον E*, ἁλιευόμενα Π, M, Π. — (11) Ἀγόμενον E*, ἐξαγόμενα D, M, Π. — (12) Γυψοπλασίαις E*, D. — (13) Ἐκφᾶναι E*, M, Π.

Ἰδοὺ τὰ καλούμενα ζώδια[1]· ἰδοὺ τῆς νηπιώδους φρενὸς τὰ ψελλίσματα· ταῦτα φώρα καὶ θρίαμβος τῆς Ὀλυμπιοδώρου[2] κουφότητος· ταῦτα κακοτεχνίαν τὴν τέχνην ἀπειργάσατο. Ἐπακούσωμεν λοιπὸν καὶ τῶν ἑξῆς συνημμένων ὁποῖα ἐστιν· γράφει γὰρ οὕτως·

÷ Ἐγὼ δὲ πρὸς τὰ γραφέντα λέξαιμι, ὅτι ... νηπιῶδες ἂν εἴη καὶ βρεφοπρεπὲς τὸ τοῖς λεχθεῖσι[3] περιπλανῆσαι τὸν ὀφθαλμὸν τῶν πιστῶν, στεῤῥοῦ δὲ καὶ ἀνδρώδους φρονήματος οἰκεῖον, τὸ ἐν τῷ ἱερατείῳ μὲν κατ' ἀνατολὰς τοῦ θειοτάτου τεμένους, ἕνα καὶ μόνον τυπῶσαι σταυρόν. Δι' ἑνὸς γὰρ σωτηριώδους σταυροῦ τὸ τῶν ἀνθρώπων διασώζεται γένος, καὶ τοῖς ἀπηλπισμένοις μὲν[4] ἐλπὶς πανταχοῦ κηρύττεται· ἱστοριῶν δὲ παλαιᾶς καὶ νέας διαθήκης πληρῶσαι ἔνθεν καὶ ἔνθεν χειρὶ καλλίστου ζωγράφου τὸν ναὸν τῶν ἁγίων[5]· ὅπως ἂν οἱ μὴ εἰδότες γράμματα, μηδὲ δυνάμενοι τὰς θείας ἀναγινώσκειν γραφὰς, τῇ θεωρίᾳ τῆς ζωγραφίας[6] μνήμην τε λαμβάνωσι[7] τῆς τῶν γνησίως τῷ ἀληθινῷ Θεῷ δεδουλευκότων ἀνδραγαθίας καὶ πρὸς ἅμιλλαν διεγείροιντο[8] τῶν εὐκλεῶν καὶ ἀοιδίμων ἀριστευμάτων, δι' ὧν τῆς γῆς τὸν οὐρανὸν ἀντηλλάξαντο[9], τῶν βλεπομένων τὰ μὴ ὁρώμενα προτιμήσαντες. ÷

Ταῦτα τῆς Νείλου μεγαλοφυΐας τὰ κυήματα, ταῦτα τῆς τελειότητος· ἐπειδὴ τὴν σωματικὴν ἐνδημίαν τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ πρὸς ἡμᾶς διασημαίνει, τά τε πάθη καὶ θαύματα, καὶ τῶν ἁγίων καλλινίκων μαρτύρων τοὺς ἄθλους, ταῦτα καὶ τιμῆς ἁπάσης καὶ ἐπαίνου ἄξια. Ἐξ ὧν καὶ ἡ τέχνη εὔχρηστος, εἴπερ τέχνη ἐστιν σύστημα ἐκ καταλήψεως συγγεγυμνασμένων[10] πραγμάτων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ· ἐπὶ δὲ τῶν θυμελικῶν παιγνίων, εἴτε ἐκ μακρᾶς μελέτης καὶ συντονίας γιγνομένων, εἴτε τῷ τάχει τῆς εὐφυΐας κλεπτόντων καὶ λανθανόντων τὴν

En quæ vocamus ζώδια[1], en puerilis animi balbutiem; hic deprehenditur, hic triumpho ducitur Olympiodori fatuitas; hæc artificium in maleficium verterunt. Audiamus nunc reliquum, et qualia sequutura subinde sint. Hæc vero scribit :

« Ego quidem ad hæc dixerim puerile hoc esse et infantium plane, sic oculos eludere fidelium ; viri vero fortis et masculi ingenii id potius proprium : in sacrario quidem ad orientalem sacrarum ædium partem, unam solamque efformare crucem : per unam quippe salutiferam crucem salvatur hominum genus et desperatis spes undecumque asseritur; ex historia autem veteris et novi testamenti hinc et inde manu optimi pictoris repleto sanctorum ædem ; ut litterarum rudes legendisque divinis Scripturis impares, picturæ aspectu memoriam rerum fortiter a veri Dei servis gestarum teneant, et ad eorum æmulanda gloriosa et memoranda facinora erigantur, per quæ videlicet terram cum cœlo commutaverunt et iis quæ non videntur, visibilia posthabuerunt. »

Hæc magnanimum Nili ingenium edidit, hæc perfecta ejus anima : quoniam inhabitavisse nobiscum in corpore Christum et Deum significat, præterea ejus passiones et prodigia, sanctorumque et illustrium martyrum labores, hæc sunt omni religione et commendatione digna. Ex his fit ut ars non sit inutilis, siquidem ars proprie est coagmentatio rerum quæ juxta præconceptum consilium rite componuntur ad finem aliquem vitæ utilem. At scenicos illos apparatus, sive quos longa meditatio et operosa cura producunt, sive quæ raptim ex alacri ingenio erumpunt prodigia, ut

(1) Ζώδια, id est aperte, futiles animalium picturæ. — (2) Ἡλιοδώρου A et E ante corr. — (3) Προλεχθεῖσι D. — (4) Μὲν deest in D, E*, M, H. — (5) Τὸν ἅγιον H. (6) Τῇ θεωρίᾳ τῆς ζωγραφίας non habent D, E*. — (7) Λάβωσι E*. — (8) Διεγείρωνται M, H. — (9) Ἀπηλλάξαντο ib. — (10) Ἐγγεγυμνασμένων E.

ὅρασιν τερατευομένων, τῶν ὁρώντων [1] πρὸς ἔκπληξιν, καὶ τοῖς πολλοῖς θαυματοποιεῖσθαι δοκούντων, ματαιοτεχνία ἂν μᾶλλον ῥηθείη· τυμβωρυχία δὲ καὶ τοιχωρυχία, γοητεία τε τὸ κάκιστον, καὶ ἥτις ἄλλη τῶν ἀπηγορευμένων τοῖς νόμοις, κακοτεχνίαι ἂν εἰκότως καλοῖντο. Τούτων γὰρ τὸ τέλος, ψυχῆς καὶ σώματος ὄλεθρος.

spectatorem fallant et lateant, multisque intuentium demirantibus portentosa videantur, rectius esse dixeris vanum artificium, fœdam autem sepulchrorum et parietum effossionem, artemque magicam et scelestissimam aut quæcumque alia legibus vetita,maleficia merito appellaveris. Horum quippe finis est animæ corporisque excidium.

CAPUT XV.

Οὐκοῦν διὰ πάντων συνάγεται καὶ δέδεικται ὅτι πανταχοῦ τὴν ἀμετρίαν κολάζει ὁ θεοφόρος οὗτος, καὶ τὸ δαπανηρὸν καὶ πολυτελὲς καὶ τῆς δεούσης χρείας ἐκβαῖνον καὶ μυρίαν ταῖς ψυχαῖς τῶν εὐηθεστέρων ὠδῖνον [2] λώβην· ὅπως τε πρὸς τὸ ὕψος τῆς ἐλεημοσύνης πάντα κατόπιν ἔρχεται παρίστησι, τῆς τῶν πενομένων εὐεργεσίας καὶ προστασίας κηδόμενος, καὶ τοὺς πλουτοῦντας πρὸς οἶκτον τῶν δεομένων χειραγωγῶν, καὶ τὴν φύσιν πρὸς ἑαυτὴν καταλλάσσων, τήν τε ἀνωμαλίαν τῶν ἀνθρωπείων διευθετίζων πραγμάτων, καὶ τὴν καθ' ἡμᾶς ἐξομαλίζων τραχύτητα.

Οἱ δὲ τῆς ἐναντίας μοίρας τῆς διανοίας τοῦ διδασκάλου πόῤῥω ἀπῳκισμένοι, ταῦτα οὐκ ἔγνωσαν, οὐδὲ συνῆκαν, ἀλλὰ πρὸς τὴν ψιλὴν τῶν ζωδίων ὀνομασίαν, οἷά περ ἄλογα ζῶα ἀποπλανώμενοι, προσεσχηκότες, τὸ ἐμπαθὲς καὶ δοῦλον ἐπιτρέφουσι φρόνημα. Διὰ δὴ ταῦτα τὸν μὲν ἔλεον ἐν οὐδενὶ μέρει τὸ φαιδρὸν καὶ ὑπερτεροῦν ἔχειν τίθενται· ἀπανθρωπίᾳ δὲ καὶ ὠμότητι συζῶντες, ἀμείλικτον καὶ ἀτίθασον πρὸς τὸ συγγενὲς καὶ ὁμόφυλον τὴν γνώμην καθιστῶσι· τὴν ὀψαρτυτικήν τε καὶ καρυκευτικὴν τοσοῦτον προστετιμηκότες ἐπηύξησαν, εἰς τὸ τρυφηλὸν καὶ ἁβρότερον ἐπιδεδωκότες, ἐπὶ πολυτελεστέραις ταῖς στιβάσιν ἐμπλατυνόμενοι· κατὰ δὴ τὰ συσσίτια καὶ πανδαίσια ὑπερευωχούμενοι, πρός τε τὴν διαῤῥέουσαν τρυφὴν ἐπιδαψι-

Itaque plane jam colligitur et ostensum est, divum hunc Chrysostomum reprehendisse picturæ enormitatem, nimios sumtus et ambitiosos, ac superflua præter ûtilitatem excedentia, et cætera quotquot mala quæ simpliciorum animis perniciem creant. Tum ut omnia ad eleemosynæ sublimitatem sint secundaria, exponit; beneficia et patrocinium in pauperes commendat, divitesque ad piam in egenos misericordiam quasi manu pellit; tum naturam pene pugnantem secum concilians, humanarum rerum inæqualitatem in commodum ordinem redigit et asperitates exæquat.

Qui vero stant ab adversa parte, longe a magistri sententia abeuntes, nec agnoverunt hæc, neque intellexerunt. Sed nudæ zoographiæ appellationi adhærentes, irrationabilia veluti jumenta errabundi, animi sui impotentiam et abjectionem exaggerant. Propterea nimirum statuunt misericordiam nulla ex parte habere splendorem et eminentiam; verum in sua inhumanitatis et immanitatis adipe grassati, immisericordem et asperrimum animum adversus consanguineos et contribules exserunt; quippe culinariæ et condimentorum artibus deditі, sese in delicias et luxuriam ad cumulum immergunt, stibadiis incumbunt sumtuosissimis, interque convivia dapesque opiparas ad satietatem superque depascuntur, tot impensis in lautitiarum fluenta

(1) Ὅρων τῶν A. — (2) Ὠδῖνον. Codices ὠδίνων.

λευόμενοι, ὅσον καὶ τῷ λαιμῷ ἀκρατέστερον σπένδεσθαι καὶ τῇ γαστρὶ τὴν θεραπείαν ἐμμανῶς καὶ ἀκολάστως προσφέρεσθαι.

exhaustis quot licet impotentissimæ ingluviei litare, ventrisque in immane servitium et immoderatum corrogare.

CAPUT XVI.

Τί χρὴ λέγειν περί γε τῶν ὑφαντῶν καὶ ὑποδηματοῤῥάφων, πρὸς δέ γε καὶ οἰκοδομικῆς τέχνης; Ποῖος λόγος ἐφίκοιτο τῆς περὶ
A 362. ταῦτα περιπαθείας, καὶ ὅποι ἐντεῦθεν ἐπὶ τὸ βάναυσον ὡς ἀληθῶς ἐξεκυλίσθησαν, τὸ μαλακὸν καὶ τὴν βλακείαν διὰ τῆς θρύψεως ἐκπομπεύοντες; Ὡς δὲ περὶ τὴν ποικιλίαν καὶ δαπάνην τῶν σηρικῶν ὑφασμάτων φιλοτίμως ἐγκαλλωπίζονται, ποία γλῶσσα ἐξειπεῖν ἢ παραστῆσαι δυνήσεται; τινὲς δὲ οἱ τὰς βαφὰς τῶν ὑποδημάτων μεταχρωννύντες, καὶ τὸ λαμπρότερον μᾶλλον ἢ τὸ μελάντερον προτιμώμενοι χρῶμα, καὶ τοσαύτην σπουδὴν καὶ φιλοτιμίαν τοῖς κατὰ τὸ ὑποπέζιον μέρος ἀποτεταγμένοις κατατιθέμενοι, καὶ περὶ τὴν εὔχροιαν τῶν πεδίλων, μετὰ τῆς ἐπαλειλημμένης ἱππείας[1] θελγόμενοι καὶ ζηλούμενοι· ὡς οὐ μᾶλλον τοῖς χριστιανικοῖς ἔθεσιν ἢ τοῖς βαρβαρικοῖς ταῖς σφῶν αὐτῶν καινοτομίαις χαίροντες· ὡς οὐδαμοῦ τινα τῶν περὶ τὸν βασιλέα πεζεταίρων, ἀσπιδηφόρων τε καὶ δορυφόρων, ἢ τῶν ἐκ τοῦ στρατιωτικοῦ, τῆς ἐκ τῶν ὑποδημάτων ἐπιτετηδευμένης αὐτοῖς βλακείας καὶ εὐηθείας ἀπολιμπάνεσθαι, κατὰ μόνης δὲ τῆς ζωγραφικῆς τέχνης δεινὸν πνεύσαντες, τὰς ὀργὰς ἐπαφῆκαν καὶ μήνιδας, καὶ τίνι τρόπῳ; ὅτι ζώδια ποιεῖ.

Τί οὖν πρὸς ταῦτα ἀποφανεῖταί τις, καὶ τὸ ἠλίθιον αὐτῶν καὶ τὴν διεφθαρμένην ὁμοῦ κρίσιν ὑπερεκπληττόμενος; πῶς ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων πικρὸς κατήγορος, ὁ δογμάτων θεοστυγῶν ἀρχηγὸς[2] προέρχεται τὸ ἀπευκτὸν καὶ ἀπηχὲς ἐπιγράφων, περὶ δὲ τῶν ἑαυτοῦ ζωδίων οὐδὲν ὅ τι ἀπηγορευμένον καὶ ἀπώμοτον νομοθετεῖ; Καὶ σκοπεῖν ἔξεστι κἀνθάδε τὸ ἐπισφαλὲς τοῦ νοὸς καὶ εὐεπίληπτον. Ἵνα γὰρ τὸ ἔχθος καὶ τὴν δυσμένειαν, ἣν πρὸς τὸ ἐμ-

Quid plura addere de textorum et sutorum, immo et de architectorum arte? Ad hæc quis sermo assequatur eorum effrenationem, et ostendat quousque inde in superfluorum gurgite, neque fallor, se involutaverint, ducta per luxuriam quasi in triumphum eorum mollitie et socordia? Quali vestium sericarum varietate quove pretio superbiant, an ulla lingua edisserere aut explicare sufficiet? Sunt qui calceorum tincturas variare student, solliciti ut splendidioris potius quam fuscioris coloris sint, in rebus sub pede positis eam diligentiæ et æmulationis copiam adhibentes, ut eodem solearum decore quo vel equitatus splendidi apparatus, nitescant oculosque demulceant: adeo ut his novitatibus minus christianos mores quam barbaricos affectent, nec ullus sit in imperatorio comitatu sive miles pezetarius, sive clypeatus, sive lanceatus, sive ex alia exercitus classe, qui non illis cesserit in hac affectata calceorum forma et elegantia; iidem tamen in solam picturam dira quæque vomunt, iram et rabiem conjiciunt. Quorsum autem hæc? Quia zoographiam facit.

Ad hæc ergo quid nonnemo reponet, quo traducatur eorum stultitia pravaque sententia exhauriatur? Quomodo iste, cæterorum adeo amarulentus accusator, impiorum dogmatum dux et antesignanus, de suis animalium picturis, nihil sanxit, ac si incusare ea aut tangere nefas esset? Sed et hic cernere licet lubricam vesanamque mentem. Ut enim iram et furorem suum adversus exhibitum honorem corporeæ Christi formæ, immo adversus ipsum-

(1) Ἱππείας. An intelligitur *lunula* in calceis, equitum et senatorum insigne? — (2) Ἀρχηγός. Copronymum respicit, forte et Leonem Isauricum, quem infra carpit apertius.

φερὲς τοῦ σεβασμίου τοῦ Χριστοῦ σώματος εἶδος, μᾶλλον δὲ αὐτὸν Χριστὸν ἔφερεν, ἀποπλήσειεν, καὶ αὐτὴν τῶν γραφέων τὴν τέχνην κακίζειν βουλόμενος, τὰ ἐν τοίχοις καὶ ἱματίοις ζώδια ἐκ τῶν ἐρανισθέντων αὐτῷ χρήσεων ἐφ' ὕβρει τοῦ Χριστοῦ παραλαμβάνων, ἔλαθεν ἑαυτὸν πλέον καὶ ἄκων συνεξυβρίσας ταύτης κατάρξας τῆς ὕβρεως. Ἐφ' ᾧ ἁρμόσειέ τις εὐστόχως καὶ νῦν· Ἡ αἲξ τὴν μάχαιραν[1], ἥ φασὶν οἱ παροιμιαζόμενοι· εἰς τοῦτο γὰρ σκαιότητος καὶ δυσβουλίας καθίκετο. Εἰ μὲν οὖν τὰ θεῖα μόνον τοῖς γραφεῦσιν ἀναστηλοῦν ἐφεῖτο, ἔσχεν ἂν ἀφορμήν τινα ἐνδείξασθαι τὸ μανιῶδες καὶ πεφενακισμένον τῆς γνώμης ὁ λόγος αὐτῷ. Εἰ δὲ καὶ πρὸς ἕτερα πολλὰ καταγίνεται ἡ τέχνη, πῶς οὐχ ἑάλω, ταῖς οἰκείαις ἀμαθαίνων καὶ ἀλαζονείᾳ πολλῇ κατειλημμένος πάγαις; Εἰπὲ γάρ μοι· τίς τῇ τέχνῃ τὸ πλέον ἐχρήσατο; τίνων ζώδια ἐν τοίχοις καὶ ὑφάσμασιν ἀνεστήλωνται; Ἆρ' οὐχὶ διὰ τῶν ζωδίων τούτων πολέμων ἀναγράφεται τρόπαια, καὶ βαρβάρων ἧττα, καὶ ὑπὸ πόδας δυσμενὲς κείμενον; Ἆρ' οὐχὶ κυνηγέσια διασημαίνεται, ἐν οἷς οἱ ἱππαζόμενοι πρὸς τὴν τῶν διωκομένων ζώων θήραν τὰς ἐπελάσεις ποιοῦνται; Ἆρ' οὐχὶ προόδων ἐπιδείξεις καὶ τακτικῶν στρατηγήματα διάδηλα γίνεται, καὶ ἄλλαι μυρίαι πράξεις τῶν τοῦ κόσμου ἀρχόντων μάλιστα ἐν τούτοις[2] πανταχοῦ διαφαίνονται;

met Christum expleret, ipsam pictorum artem calumnians, dum nescio quas figuras parietibus aut vestibus inscriptas ex corrasis textibus in causam adduxit ad Christi insultationem, ipse se multo magis, licet invitus, contumelia opplevit, injuriæ primus auctor. Cui aptissime accommodaret aliquis tritum illud : « Capra ensem [prodidit], » ut aiunt qui proverbia cuderunt. Simili enim scævitate ruit et incogitantia. Si igitur divina dumtaxat liceret pictoribus proponere, occasionem ostendendi ipsum esse furore percitum et exanimem sua ipsius verba præberent. Sin autem ad alia complura ars pertinet, quomodo non involveris retibus tuis, in tua implicitus inscitia et jactantia? Dic, quæso, mihi : quis arte abundantius usus est? Cujus sunt hæ figuræ parietibus et vestibus appositæ? Annon his picturis bellorum inscribuntur tropæa, et barbarorum clades, substratique pedibus hostes? Annon his significantur venationes in quibus equitantium turmæ, fugitivas feras venantium, exhibentur? Annon expeditionum signa instructorumque militum agmina hic conspicua fiunt? Anne demum sexcenta alia principum hujus mundi negotia in his potissimum et ubivis terrarum distinguuntur?

CAPUT XVII et XVIII.

Οὕτω γὰρ μεγαλοφρονοῦσι καὶ βρενθύονται ἐπὶ τῇ περικοσμίῳ δόξῃ, ὡς οὐχ ἑαυτοὺς μόνον, ἤδη δὲ καὶ τὰς ἰδίας εἰκόνας προσκυνεῖσθαί τε καὶ δοξάζεσθαι νόμος αὐτοῖς, καὶ κίνδυνος οὐ μικρὸς τῷ παραβαίνοντι ἡ ζημία γίνεται, ὡς εὔκαιρον καὶ εἰδώλων προσηγορίαν ἀποφέρεσθαι, ὅτι γε προσεκυνήθησαν παρὰ παντὸς τοῦ ὑπὸ χεῖρα λαοῦ. Ἐξ ὧν ἔδει αὐτοὺς ἐπαισθάνεσθαι, ὅτι πρὸς αὐτοὺς ὁ πατὴρ τοὺς λόγους τοὺς τοιούτους ἀποτείνεται. Καὶ

Adeo enim illi, ob mundanam gloriam, grandes animos superbosque præ se ferunt, ut lege definierint, non solum semet, sed proprias ipsorum imagines adorandas esse et honore cumulandas; sitque periculum non modicum nec pœna levis legem offendenti : ideoque abs re non est ut his etiam idolorum appellatio applicetur, quum hi adorati fuerint ab universa ipsis subjecta plebe. Hinc illi debebant intelligere ad ipsos allata doctoris verba pertingere. Zoogra-

(1) Μάχαιραν. Quibus παροιμίαι in deliciis sunt, id notent Corinthiis eleganter tritum. — (2) Ἐν τοῖς E.

ταῦτα ζώδια καλεῖν αὐτὸν οἰητέον, ἐν οἷς τάχα περιττὴ καὶ ἀνόνητος ἡ τέχνη καὶ ἡ χρῆσις ἀνεύθετος. Οὐ γὰρ πρὸς τὰ ἅγια ἐφ' ὕβρει τι εἶδεν[1] ὁ θεοφόρος· μὴ γένοιτο. Ἀλλ' ἐκεῖνοι, ἔνθα μὲν ἀπεχθάνονται, τὰς προκειμένας ῥήσεις εἰς κατηγορίαν ἐπάγονται· ἔνθα δὲ ἥδονται, ὡς τέχνην εὔχρηστον ἀποδέχονται, οὐδὲ εἰς συναίσθησιν ἐρχόμενοι, ὅ τι καὶ λέγουσιν, ὥστε ἐξ ὧν ᾤοντο τὸ κλέος καὶ τὸ ἀγέρωχον αὐχεῖν, ἐκεῖθεν τὸ ἄδοξον καὶ δυσ-
A 363. κλεὲς ἀπηνέγκαντο, ὅτι γε κατὰ τῆς οἰκείας δόξης ψηφηφοροῦσιν· δόξα γὰρ αὐτῶν καὶ σπουδὴ τό τε εἶδος ἀναγράφειν τὸ ἑαυτῶν καὶ ἅτινα πέπρακται αὐτοῖς καὶ κατώρθωται. Ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἀπέχρησαν αὐτοῖς οἱ τοῖχοι, πρὸς τὸ φιλότιμον, καὶ τὰ ἱμάτια· ἤδη δὲ καὶ ἐν τοῖς κατὰ τὰς βαρβαρικὰς[2] καὶ λαμπρὰς τραπέζας[3] ὑπηρετικοῖς σκεύεσιν, ὅσα τε χρυσεότευκτα καὶ ὅσα ἐξ ἀργύρου πεποίηται, τὰς οἰκείας πολυτελῶς καὶ ποικίλως προτομὰς ἐνετυπώσαντο. Ἐφ' οἷς μάλιστα ἐν ταῖς πανδήμοις ἑορταῖς καὶ πανηγύρεσιν, οἷα γεγαυρωμένοι εὖ σεμνύνονται, καὶ ὡς ἐν κοινῷ θεάτρῳ θριαμβεύοντες, ἐν μέσαις ταῖς βασιλείοις στοαῖς προτιθέασι προσεπίδειξιν μὲν καὶ κόμπον τῆς ἐξουσίας, κατάπληξιν δὲ τῶν θεωμένων καὶ θαῦμα.

Εἰ δὲ ὁ τῆς κακίας σπορεὺς[4] τοῖς ἑαυτοῦ ἁλίσκεται κακουργήμασι, καὶ εἰς τὸν ὕστατον τῆς ἀφροσύνης ὅρον ἐκπέπτωκε, πῶς οὐχὶ μᾶλλον οἱ ἐκείνῳ μαθητευθέντες καὶ ὑπαχθέντες καὶ ταῖς τοιαύταις εὑρεσιλογίαις ἐπακολουθοῦντες, ἀφρονέστεροι[5] λογισθήσονται; Οὐκ οἶδα, εἴ ποτε μεταμελήσει αὐτοῖς τῆς ἐπισφαλοῦς καὶ ἀλόγου φιλονεικίας τε καὶ ἐνστάσεως. Καὶ τί χρὴ ἐκ τῶν ἔξωθεν καὶ παρ' ἑτέρων τῷ παρόντι συνίστασθαι λόγῳ; παρὸν ἐκ τῶν οἰκείων τοῦ θεοφόρου φωνῶν, ἣν περὶ τὰ εἰρημένα δόξαν ἔσχε, περιαθρεῖν, κἀκεῖθεν δημοσιεύειν τῶν ἀνοήτων τὸ ἀλλόκοτον. Ἐκ γὰρ τῶν ἀναμφιβόλων τὰ δοκοῦντά τισιν ἀμφισβητήσιμα εἶναι διαρθρωθήσεται. Ἀψευ-

phias dici ab illo existimandum est picturas plane superfluas, futiles et ad usum ineptas. Sacras enim nullo verbo flocci fecit sanctus ille vir, absit! At illi patribus, ubi eorum sententiæ adversantur, dicam scribunt; ubi placent, eas ut commodum artificium amplexantur, eo nondum progressi ut intelligant quod dicunt, adeo ut unde sibi gloriam et decus læti ominabantur, inde ignominiam et turpitudinem comparaverint: calculum quippe in suam gloriam ipsi mittunt. In eo enim suam laudem studiumque constituunt, ut quæ egerunt fausteque perfecerunt, ea cum sua ipsorum forma repræsententur. Sed illi nec pro sua laude contenti sunt parietibus uti et vestimentis; quin immo præsto sunt imposita barbaricis et splendidis mensis vasa quæque pretiosissima, quotquot auro fusa vel argento confecta sint, in quibus proprias effigies cum omni pictorum phrygionumque solertia formandas curarunt. Eo apparatu, maxime in solemnibus omnium et publicis festis superbiunt, quum se alto incessu præbent venerabundis et quasi in communi theatro triumphantes, per medias imperatorum aulas ostentant tam potentiæ suæ pompam, quam spectatorum stuporem et admirationem.

At si malitiæ hujus seminator istis ipsius captus est maleficiis et in extremum insipientiæ usque terminum excedit, quomodo ejus discipuli et sequaces, figmentisque similibus post eum abrepti, non multo dementiores censebuntur? Ego vero nescio an usquam pœnitentiam acturi sint tam lubricæ ipsorum et insulsæ pugnacitatis et stoliditatis. Quid opus est se in extranea ferre aut hunc producere sermonem, quum liceat ex propriis sanctissimi doctoris verbis conspicere, quænam per hæc dicta intellexerit, indeque insipientium absurdam publicare vesaniam? Ex his enim quæ certa et perspicua sunt enucleabuntur quæ quibusdam ambiguitatem injiciunt. Verissimum

(1) Εἶδεν ambo codd.; sed corrigendum videtur εἶπεν. — (2) Συβαριτικάς E. — (3) Προταγάς E. — (4) Σπορεύς. Hic de Copronymo, manifestissime. — (5) Ἀφρανέστεροι A.

δὲς γὰρ κριτήριον, ἡ τῶν ὁμολογουμένων ἀσφάλεια..

Ἥκω λοιπὸν ἐπὶ τέλει τὰ ὑπεσχημένα ποιήσων, ὅπως ἐν τοῖς προσήκουσι τόποις καὶ τρόποις μετ' εὐσεβείας καὶ τοῦ ἐπωφελοῦς καὶ χρησίμου ἕνεκεν παρειλημμένη τε γραφικὴ τέχνη, καὶ ἡ ἀνδριαντοποιητικὴ θαυμάζεται παρ' αὐτῷ, ἐφ' ᾗ χαίρει καὶ γάνυται. Τοιγάρτοι ἐν τῷ εἰκοστῷ λόγῳ ἢ δωδεκάτῳ, ὡς ἔν τισιν ἀντιγράφοις φέρεται, τῆς εἰς τοὺς ἀνδριάντας βίβλου, οὗ ἡ ἀρχή· « Τῶν πρώην εἰρημένων πρὸς τὴν ὑμετέραν ἀγάπην, » διέξεισιν τοιάδε[1]·

÷ Καθάπερ οὖν ἐπὶ τῶν ζωγράφων γίνεται, ÷ οὕτω καὶ νῦν γινέσθω· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι τὰς ÷ σανίδας προθέντες, καὶ λευκὰς περιάγοντες ÷ γραμμὰς, καὶ τὰς βασιλικὰς ὑπογράφοντες ÷ εἰκόνας, πρὶν ἢ τῶν χρωμάτων ἐπάγειν τὴν ÷ ἀλήθειαν, μετ' ἐξουσίας ἁπάσης τὰ μὲν ÷ ἐξαλείφουσι, [τὰ δὲ ἀντεγγράφουσι,][2] καὶ ÷ διορθοῦνται τὰ ἡμαρτημένα, [τὰ] μετατι- ÷ θέντες καὶ κακῶς ἔχοντα. Ἐπειδὰν δὲ τὴν ÷ βαφὴν λοιπὸν ἐπαγάγωσιν, οὐκ ἔτι εἰσὶ ÷ κύριοι πάλιν ἐξαλεῖψαι καὶ ἀντιγράψαι· τῷ ÷ κάλλει[3] γὰρ τῆς εἰκόνος λυμαίνονται, καὶ ÷ ἔγκλημα τὸ πρᾶγμα γίνεται. ÷

Καὶ ἔτι ἐκ τῆς αὐτῆς βίβλου λόγου δεκάτου περὶ ἐπαίνου ἀνδριάντος[4]· ÷ Ἀλλ' ἢ βού- ÷ λει[5] μαθεῖν ὁποῖον ἐξ ἀρχῆς τὸ σῶμα ἡμῖν ÷ ἔπλασεν ὁ Θεὸς, ἐπὶ τὸν παράδεισον ἔλθω- ÷ μεν, καὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς γενόμενον ἄνθρωπον ÷ ἴδωμεν. Οὐ γὰρ οὕτω τὸ σῶμα ἐκεῖνο ÷ φθαρτὸν καὶ ἐπίκηρον ἦν· ἀλλ' ὥσπερ τις ÷ χρυσοῦς ἀνδριὰς ἀπὸ χωνευτηρίου προελ- ÷ θὼν ἄρτι καὶ λαμπρὸν ἀποστίλβων, οὕτω ÷ πάσης τοιαύτης φθορᾶς[6] ἐκεῖνο τὸ σῶμα ÷ ἀπήλλακται[7]. ÷

Καὶ μετά τινα περὶ τῆς κτίσεως καὶ τοῦ ἀνθρωπείου σώματος[8]· ÷ Τὸ γὰρ εὐτελὲς τῆς ÷ οὐσίας τοῦτο δείκνυσι μάλιστα τῆς τέχνης ÷ τὸ εὔπορον[9] καὶ εὐμήχανον, ὅτι ἐν πηλῷ καὶ

enim criterium, consentientium sibi rerum certitudo.

Restat porro ut sub fine testimonia promissa referam, quomodo pictura quæ convenientibus locis et modis, pietatis intuitu et utilitatis, fructuose adhibetur, et ipsa ars fingendi statuas hunc patrem in admirationem rapit, lætitiaque perfundit et exsultatione. Etenim in vigesimo vel duodecimo, ut in quibusdam exemplaribus fertur, sermone *de Statuis*, cujus initium est : « Nuper dictorum apud charitatem vestram, » talia persequitur :

« Sicut igitur in pictoribus accidit, sic « et nunc fiat : etenim illi tabulas propo- « nentes et albas circumducentes lineas, « et regias depingentes imagines, prius- « quam colorum veritatem superinducant, « cum omni libertate hæc quidem delent, « [illa vero repingunt,] errata tum corri- « gunt, male se habentia transponentes. « Postquam vero jam colorem induxerint, « non amplius libertatem habent rursum « delendi et repingendi, quoniam imaginis « pulchritudini nocerent, nec sine culpa « fieri posset. »

Et in ejusdem libri sermone X, de statuæ laudibus : « Sed si vis discere quale « nobis ab initio Deus finxerit corpus, in « paradisum eamus, et ab initio factum « hominem videamus : non enim sic erat « corpus illud corruptibile et mortale, sed « tamquam aurea statua, de fornace edu- « cta recenter et splendide fulgens, sic « omni hac corruptione illud corpus ab- « solutum erat. »

Et post pauca, ubi de creatione et de humano corpore : « Materiæ enim vilitas « magis demonstrat artis copiam et facul- « tatem, quoniam in luto et favilla tantam

(1) Τοιάδε. Opp. t. II, p. 234, ed. nova BB., ubi XX oratio incipit; locus vero noster desumitur e p. 238 B, vel 199 ol. — (2) Ἀντεγγράφουσι. Quæ inter uncos, editi; deinde : καὶ διορθοῦντες τὰ ἡμαρτημένα καὶ μετατιθέντες τὰ κακῶς. E omisit καὶ. Hæc videntur a codicum nostrorum scriptoribus vexata.—(3) Καὶ ἀντεγγράψαι, ἐπεὶ τῷ κάλλει τῆς ed.— (4) Ἀδριάντος. Ib. 136 C, vel 116, serm. XI. — (5) Εἰ βούλει ed. — (6) Πάσης φθορᾶς ib. — (7) Ἀπήλλακτο ib. Consentit E. — (8) Σώματος. Ib. 138 E, vel 118 A. — (9) Τέχνης εὔπορον E.

: τέφρα τοσαύτην ἐνέθηκεν ἁρμονίαν, καὶ
: τοιαύτας αἰσθήσεις οὕτω ποικίλας καὶ
÷ παντοδαπὰς καὶ τοιαῦτα δυναμένας φιλο-
÷ σοφεῖν. Ὥστε ὅσωπερ ἂν κατηγορῇς τοῦ
÷ τῆς οὐσίας εὐτελοῦς, τοσούτῳ μᾶλλον
÷ θαυμάσῃ[1] τὸ μεγαλεῖον τῆς τέχνης. Ἐπεὶ
÷ καὶ ἀνδριαντοποιὸν οὐχ οὕτω θαυμάζω τὸν
÷ ἀπὸ χρυσοῦ καλὸν ἀνδριάντα ποιοῦντα, ὡς
÷ τὸν ἀπὸ πηλοῦ τοῦ διαπίπτοντος τῇ τῆς
÷ τέχνης εὐπορίᾳ δυνάμενον κάλλος ἐπιδεῖξαι
÷ πλάσεως θαυμαστὸν καὶ ἀμήχανον· ἐκεῖ
÷ μὲν γάρ τι καὶ συντελεῖ ἡ ὕλη τῷ πλάτ-
÷ τοντι· ἐνταῦθα δὲ γυμνὴ τῆς τέχνης ἐστὶν
÷ ἡ ἐπίδειξις. ÷

Ἔτι ἀπὸ λόγου ἐνκαιδεκάτου[2]· ÷ Οὐ ταῦτα
A 364. ÷ δὲ μόνον ἀπὸ τοῦ πειρασμοῦ τὰ καλὰ
÷ ἐκαρπωσάμεθα, ἀλλὰ καὶ πολλὴν σωφρο-
÷ σύνην, πολλὴν ἐπιείκειαν. Καὶ μοναστήριον
÷ ἡ πόλις[3] ἐξαίφνης ἐγένετο· οὐκ ἄν τις αὐτὴν
÷ οὕτως ἐκόσμησε, καὶ[4] χρυσοῦς ἀνδριάντας
÷ ἀνέστησεν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς, ὡς νῦν ἐστι
÷ λαμπρὰ καὶ περιφανὴς, τοὺς καλοὺς τῆς
÷ ἀρετῆς ἀνδριάντας παρασχομένη, καὶ τὸν
÷ οἰκεῖον ἐπιδείξασα πλοῦτον. ÷

« posuit harmoniam et tales sensus tam
« varios et omnimodos et tantum philoso-
« phari valentes. Itaque quanto magis
« substantiæ tenuitatem accusas, tanto ma-
« gis Dei artis magnitudinem admirare.
« Quoniam et statuarium admiror, non
« tam ex auro pulchram facientem statuam,
« quam ex luto dilabente mirabilem et
« inexcogitabilem figmenti pulchritudinem
« artis facultate exhibere valentem. Illic
« enim fingenti materia quoque confert,
« hic nuda est artis ostentatio. »

Tum e sermone XI : « Neque hos tantum
« fructus jucundos ex hac tempestate col-
« legimus, sed et multam sapientiam ani-
« mique multam modestiam. Monasterium
« enim civitas repente facta est, nec eam
« aliquis tali condecoraret honore, licet
« aureas statuas in foro erigeret, quali
« nunc enitet et coruscat, pulchris instructa
« virtutum imaginibus, propriamque sibi
« nacta divitiarum copiam. »

CAPUT XIX.

Ἐπὶ τούτοις προάγουσι φωνὰς Μεθοδίου
τοῦ Μύρων ἢ Πατάρων τῆς Λυκίας γεγονότος
ἱερομύστου, ἐκ τοῦ συγγεγραμμένου αὐτῷ περὶ
ἀναστάσεως λόγου, ἐχούσας ὧδε[5]· ÷ Οὐκοῦν
÷ πάντας τοὺς τῶν ἑτεροδόξων σοφιστὰς μι-
÷ μητὰς εἰδώλων ἀληθείας εἶναι λέγομεν,
÷ ἀλήθειαν μὴ γινώσκοντας, καθάπερ ζωγρά-
÷ φους· καὶ γὰρ οὗτοι μιμεῖσθαι μὲν ναυπη-
÷ γοὺς καὶ πλοῖα καὶ κυβερνήτας ἐπιχειροῦσι,
÷ ναυπηγεῖν καὶ κυβερνᾶν μὴ γινώσκοντες.
÷ Οὐκοῦν ἀποξέοντες τὰ[6] χρώματα, πείθο-
÷ μεν[7] αὐτῶν τὰ θαυμάζοντα τὰς τοιαύτας
÷ γραφὰς παιδία, ὅτι οὔτε τὸ πλοῖον τοῦτο
÷ πλοῖόν[8] ἐστιν, οὔτε ὁ κυβερνήτης, κυβερνή-

Post hæc producunt verba quædam Methodii Myrorum vel Patarensium in Lycia antistitis, ex ejus inscripto *de Resurrectione* libro, quibus hæc continentur :
« Proinde cunctos extraneæ doctrinæ so-
« phistas simulacrorum veritatis imitatores
« esse dicimus, veritatem vero non magis
« assequi quam pictores. Hi namque na-
« vium fabricatores, gubernatoresque et
« cymbas imitari tentant, sed fabricanda-
« rum navium gubernandique sunt impe-
« riti. Itaque delendo colores, solemus
« pueros has picturas demirantes persuasos
« facere cymbas illas non esse cymbas, nec
« gubernatores illos, gubernatores, sed

(1) Θαύμασον τό ed. — (2) Ἑξ-καὶ-δεκάτου E. Ed. p. 206 vel 175 c, ex hom. XVII. — (3) Ἡμῖν ἡ πολ. ed. — (4) Κεὶ legendum, vel εἰ καί. Ed. Εἰ χρυσοῦς. — 5) Ὧδε. Methodius apud Epiphan. t. I, p. 564, *Hæres.* 64, n. 41 : Οὐκοῦν πάντως τῶν. Nihil negligendum : tam enim Methodii quam Epiphanii rara sunt exemplaria. — (6) Ἀποξέοντες θέλεις τά ib. — (7) Πείθωμεν ib. — (8) Πλοῖον, πλοῖόν ἐστιν ib.

÷ της· ἀλλὰ τοῖχος ἔξωθεν πρὸς τέρψιν ÷ χρώμασι καὶ γραφαῖς κεκοσμημένος. ÷

Καὶ ἡ μὲν χρῆσις τοιαύτη· ὅπερ δὲ πολλαχοῦ πάσχοντας ἔστιν εὑρεῖν αὐτοὺς, τοῦτο κἀνταῦθα συνιδεῖν ἔξεστιν· οὐδὲν γὰρ παρ' αὐτοῖς ἀδιάβλητον ἢ ἀκακούργητον καταλέλειπται, ἐν οἷς οὐδὲ ζωγράφων καὶ ἧς μετίασι τέχνης κατηγορεῖν ἀπολήγουσιν· ἐπειδὴ περὶ τὴν τῶν πραγμάτων ἀκριβῆ κατάληψιν ἀσθενοῦντες, καὶ ὥσπερ ἐν σκοτομήνῃ τῆς ἀσεβείας περιαλώμενοι, οὐκ ἴσασιν ὅτι οἱ ζωγράφοι μιμοῦνται τῇ τέχνῃ τὴν φύσιν, καὶ κεραννύντες χρώματα, τὴν οἰκείαν ἐπιδείκνυνται εὐφυΐαν, ἐναργῶς ὑπ' ὄψιν ἄγοντες τῶν πραγμάτων τὴν δήλωσιν, καὶ ἃ μὲν εἰς εὐπρέπειαν καὶ χάριν οἴκων καὶ τέρψιν τῶν ὁρώντων καὶ ὡραϊσμὸν διαγράφουσιν (ἃ δὴ καὶ εὐχερῶς, εἰ τύχοι, ἀποξέεται, καὶ τὸ ἀκίνδυνον ἔχει)· ἃ δὲ εἰς δόξαν Θεοῦ καὶ μνήμην καὶ τῶν ὁρώντων ἀναστήσουσιν ὠφέλειαν, ὅσα Θεοῦ δηλαδὴ σημαίνει τὴν πρόνοιαν, καί τινων εὐεργεσιῶν καὶ θαυματουργιῶν περιέχει ὑπόθεσιν, καὶ οἷα μάλιστα τῆς σωτηρίου τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς ἀνθρώπους ἐπιφανείας τὸ μέγα διακηρύσσει μυστήριον. Ταῦτα δὲ καὶ ἀθετεῖν ἐπισφαλὲς ὡς ἀληθῶς, καὶ ἀπαγρειοῦν κινδυνῶδές τε καὶ ἀνόσιον· ὥστε παρὰ τὴν τῶν ζωγράφων γνώμην ταῦτα κριτέον, πῇ μὲν τὸ ἐπαινετὸν, πῇ δὲ τὸ μὴ οὕτως ἔχον φερόμενα· ἐν οἷς οὐδεμία διαφορὰ τοῖς ἀνοήτοις, ἢ τὸ διηλλαγμένον ἐμφαίνεται. Ἐν ἴσῳ γὰρ πλοίων γραφαῖς καὶ ναυπηγῶν, καὶ ὡς ἐπὶ σκηνῆς, εἴποι τις, θεωροῦντες, τὰ Χριστοῦ καὶ παρὰ χριστιανοῖς σεβάσμια τιθέασιν, ἵνα μηδὲν μηδὲ ἐπὶ τῶν ἀρχετύπων διαφέρειν δόξωσιν, ὅπερ δὴ τῶν ἀτοπωτάτων ἐστὶ τὸ ἱερὸν πρὸς τὰ κοινὰ παραβάλλεσθαι, καὶ οὐδὲν μέσον τούτων δίδοσθαι. Ἐξ οὗ καὶ εἴδωλα καλεῖν τὰ ἅγια παρανόμως ἐπιθρασύνονται, ἵνα ὥσπερ τὰ γεγραμμένα πλοῖα ἀποξεόμενα, οὔτε πλοῖα, οὔτε κυβερνῆται καταλιμπάνονται, οὕτω καὶ τὰ Χριστοῦ εἰκονίσματα ἀποξέοντες, μήτε εἶναι Χριστὸν, μήτε μνήμην αὐτοῦ ἐμφανίζε-

« parietem solum extrinsecus ob oculorum « lenocinia coloribus picturisque deli- « butum. »

Hactenus Methodius : sed quod non semel invenimus iis accidere, hoc ipsum hic advertere licet. Nihil enim integrum relinquunt, nihil malitia ipsorum non infectum, ne a pictoribus eorumque arte criminandis abstineant : quum enim accurato rerum sensui assequendo impares sunt, ac veluti per noctem illunem impietatis circumvagantur, ignorant a pictoribus artificiosam referri naturæ similitudinem, e colorum commixtione, ut ingenii sui solertiam ostendentes egregia cum veritate expressum oculis porrigant rerum spectaculum : modo autem in ædium elegantiam et apparatum et in intuentium oblectamenta exquisitamque voluptatem alia adumbrant (quæ quidem facile, occasione data, deraduntur, ut nullum sit inde periculum); modo vero alia instituunt in Dei gloriam et memoriam, inque spectantium utilitatem, quæcumque nimirum Dei significant providentiam, aut aliquot beneficiorum vel miraculorum perennant argumentum, eaque potissimum quæ salutiferi Dei Verbi inter homines manifestati magnum profitentur sacramentum. Hæc porro subvertere, damnosum profecto est; hæc periculosum et impium antiquare. Unde seclusa pictorum mente, ea judicanda sunt modo laude digna, modo secus : verum ibi his hominibus mente captis differentia nulla cernitur, qua ostendatur quantum illa distent. Nam quæ in Christo et apud christianos venerationi sunt, hæc habent ut picturas navium et naviculariorum; ac per me dixeris eos spectare velut in scena, ut nullum omnino censeant interesse in archetypis discrimen : stolidissimis quippe solemne est sacrum cum re communi confundere, nihilque hinc et hinc concedere differentiæ. Unde idola dicere sacras icones nostras immaniter audent, ut, quemadmodum pictæ naviculæ si expunguntur, nec cymbæ, nec nautæ ulli supersunt, ita quoque statim ut Christi repræsentationes deleverint, aliquatenus efficiant ut nullus Christus exstet,

σθαι πώποτε κατασκευάσωσι, καὶ ψευδῆ τὴν οἰκονομίαν τοῦ Σωτῆρος ἀποφήνωσι· τὸ παράδειγμα χρησιμεῦον ἐπάγονται[1], ἀμέλει ταύτης τῆς δόξης ἐχόμενοι.

Καὶ γὰρ οὐκ ἀπέπλησεν αὐτῶν τὴν δυσμένειαν ἡ κατὰ τῶν σεπτῶν εἰκόνων μανία, καὶ τοὺς τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ τύπους, ἐπειδὴ τὰ χρώματα τυγχάνει εὐαπόβλητα, ὁμοῦ ταῖς ἱεραῖς εἰκόσιν συνεξηφάνισαν. Ταύτῃ δὴ καὶ τῶν θείων εὐαγγελίων τὰς βίβλους συναπηχρείωσαν, ἔτι καὶ τὰ ἱερὰ κειμήλια φλογὶ πυρὸς παραδοῦναι, καὶ αὐτὰ τὰ τοῦ Θεοῦ θυσιαστήρια διορύξαι οἱ δείλαιοι οὐ κατενάρκησαν, ὅτι ἐκ τοίχων καὶ χρωμάτων κατεσκευάσθησαν. Πλὴν καὶ τοῦτο διασκοπεῖσθαι ῥάδιον, ὡς οὐδὲ τὴν ἐπὶ τῷ παραδείγματι τοῦ Μεθοδίου ἔννοιαν θηρᾶσαι δεδύνηνται, οἱ τῆς φευκτέας ταύτης καὶ σαθρᾶς πλοιουργίας ἀρχιτέκτονες, καὶ τὴν ὁλκάδα τῆς πίστεως ὑποβρύχιον φέρεσθαι καὶ βαπτίζεσθαι, τὴν δὲ σώζουσαν ναυπηγίαν τῆς Ἐκκλησίας μετασοβεῖν μηχανώμενοι, καὶ ναυτιλίαν στειλάμενοι μυρίων ναυαγίων ὑπάρχουσαν πρόξενον, τεχνάσμασι δ' οὖν φαυλοτάτοις ἑαυτοὺς παρα- A 365 κρούονται· οὐ γὰρ προὔκειτο αὐτῷ ζωγράφοις, ἢ τῇ κατ' αὐτοὺς τέχνῃ, διαλοιδορεῖσθαι· οἶδε γὰρ αὐτῶν καὶ ἐπαίνους, ὡς ὕστερον ἐρεῖ.

Ἀλλ' ὡς εἴ τις ὑποκρίνοιτο τὸν μηδὲν ἠδικηκότα ἀμύνεσθαι, ἵνα τοὺς ἀδικεῖν βουλομένους χειρῶν ἀδίκων κατάρχειν ἀπείρξειεν, οὕτω κἀκεῖνος ὑποθέσεως λόγῳ τοὺς ζωγράφους εἰς μέσον παρήγαγε, καὶ τὰ χρίσματα[2] ξεόμενα, καὶ ταῦτα κατὰ μηδὲν καθ' ἑαυτὰ βλάπτειν δυνάμενα, ὅπως τοὺς σοφιστάς, μιμητὰς εἰδώλων ἀληθείας εἶναι λέγων, ἀλήθειαν μὴ γινώσκοντας, τῶν σοφισμάτων αὐτῶν διὰ τοῦ παραδείγματος τοὺς παραλογισμοὺς ἐξελέγξειεν. Ὅμως δ' οὖν ὁποίους δὴ ζωγράφους, καὶ τίνα γράφοντας, αὐτὸς ἐπὶ λέξεως διαῤῥήδην βοᾷ, καὶ φανερὰν τὴν οἰκείαν γνώμην καθίστησιν· ὅτι γε φησὶ τοὺς ἐπὶ τέρψει καὶ κόσμῳ κατὰ τοίχων χρωματουργοῦν-

nulla ipsius memoria appareat usquam, mendacemque declarent Salvatoris incarnationem. Sane exemplum hoc ipsis utile afferunt, hanc sibi gloriam vindicare non piget.

Etenim furorem eorum minime explevit vesania in sacras imagines : etiam salutiferæ crucis figuras, quando quidem abolere colores in promtu fuit, una cum sacris imaginibus e medio sustulerunt. Inde etiam factum ut sacrorum evangeliorum libros corraserint, quin immo leipsanas sacras igni tradere, ipsiusque Dei altaria eruere scelestissimi sustinuerint, eo quod coloribus et parietibus instruerentur. Jam vero arduum non erit dignoscere cur expiscari methodiani exempli sensum non valuerint illi caduci istius et ruinosi navigii fabricatores, qui fidei cymbam in imum mare invehere et submergere, Ecclesiæ nempe vivificam navem dispellere moliuntur, qui navigationem ineuntes sexcentis naufragiis frequentatam, ipsi se fraudibus pessimis decipiunt. Multum enim abest quin Methodius sive pictoribus, sive eorum arti maledicat; quin vide illum eos laudantem, uti dicturus ulterius est.

Verum ut si quis simularet se innocentis agere causam, ut alios nocere volentes a malis suis consiliis ineundis deterreat, ita ille, hypothetico usus argumento, pictores in medium adduxit eorumque expuncta lineamenta, et alia quæ per se nocere nullatenus possunt, ut quum a sophistis induci simulacra veritatis, veritatem autem ignorari dixerit, sophismatum eorum falsas deductiones hoc exemplo evinceret. Enimvero apertissime et conceptis verbis ille clamat quales pictores intelligat, qualesve picturas, et perspicuam ipsius sententiam profitetur, eosque respicit qui oblectamenti gratia et decoris parietes coloribus im-

(1) Ἐπάγοντες E. — (2) Χρώματα E.

τας, καὶ ἐπὶ ἀχρήστοις τὴν τέχνην καταβαλλομένους καὶ πλοῖα καὶ κυβερνήτας γράφοντας, ἅπερ ἤδη καὶ παρὰ παίδων, ἀλλ' οὐκ ἀνδρῶν ἐχεφρόνων θαυμάζεται.

Ταῦτα δὲ ὡς ἐφάμιλλά ἐστι τοῖς τοῦ μεγάλου Ἰωάννου λόγοις, ἐν οἷς περὶ ζωδίων τῶν ἐν ἱματίοις καὶ τοίχοις ἐγγεγραμμένων διελάμβανε, διαμφισβητήσειε τῶν νοῦν ἐχόντων ὅστις οὐδείς, καθὰ πρόσθεν εἴρηται· οὐ μὴν ἐπί γε τῶν ἱερῶν καὶ τὰ ἱερὰ γραφόντων παραλαμβανομένων αὐτὸν χαμαιπετές τι καὶ ἀπειρόκαλον φρονεῖν τε καὶ γράφειν οἰητέον· σφαλερὸν γὰρ καὶ ἀπαίσιον· ὅτι μηδὲ παίζειν τὰ θεῖα θέμις, σοφόν γε ὄντα καὶ πιστὸν ἐς τὰ μάλιστα, καὶ τοὺς μέχρις αἵματος ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἄθλους διενέγκαντα.

Ταῦτα καὶ παρὰ τῶν πολιὰν ἐχόντων τὴν φρένα σεμνύνεται καὶ θαυμάζεται· καὶ πρὸς ὄνησιν γὰρ τῶν θεωμένων ἀναγέγραπται οἷά τε ὄντα ἐπὶ τὰ θειότερα χειραγωγεῖν καὶ ὑψηλότερα.

buunt, artemque in inutilia consumunt spectacula, ac navigia et gubernatores depingunt, qualia videlicet pueri, non sensati viri demirantur.

Atqui hæc ipsa cum magni Joannis eloquiis consentanea esse, ubi zoographiam vestibus et parietibus appictam traducit, nemo hominum sui compos ambigeret, sicut supra dictum est; minime vero de sacris picturis aut sacra pingentibus hæc accipiendo, sordidum quicquam aut lutulentum sensisse eum et scripsisse, velim existimes. Periculosum est enim et inauspicatum hoc putare (quum jocari in divis nefas sit) de illo viro qui quum maxime sapiens fidelisque, labores pro fide usque ad sanguinem exantlavit.

Picturas hujusmodi et hi qui canis sensibus potiuntur, venerari solent et mirari, quippe quæ in spectantium profectum describuntur, et animos ad diviniora sublimioraque speculanda ducere valent.

CAPUT XX.

Ἀλλὰ ÷ ἀποξέοντες τὰ χρώματα, φησί, ÷ πείθομεν αὐτούς, ὅτι οὐ πλοῖον τοῦτο οὐδὲ ÷ κυβερνήτης οὗτος. ÷

Καὶ τί τοῦτο τῇ τῶν πραγμάτων ἀληθείᾳ λυμαίνεται; Πῶς οὐχὶ ἐξεστηκότων καὶ παραφρονούντων ὁ λόγος; οὐ γὰρ παρὰ τὸ ξέεσθαι τὰ χρώματα παρά τισι, μεμπτέος πάντως ὁ γραφεὺς ἢ ἡ τέχνη· διαμένει γὰρ ἡ τῶν πραγμάτων ἀλήθεια, κἂν τὰ γράμματα ἀποξέηται[1]· οὕτως οὐδὲ οἰκοδόμος, οὐδὲ ἡ οἰκοδομικὴ κατεψεγμένη, εἴ τις[2] οἰκίαν ἢ ὁποιονοῦν τινα δόμον καθέλοι· οὐδὲ εἰ εὔθραυστος ἡ ὕαλος, διὰ τοῦτο καὶ ἡ τέχνη καὶ ὁ ὑαλουργὸς ἐξωσθήσεται, καὶ εἴ τι τούτοις ἐστὶ προσόμοιον.

Εἰ δὲ ἄλλως ἔχειν ταῦτα ἐννοεῖν καὶ λέγειν ληρωδίας καὶ ἀφροσύνης ἐπίμεστον, πολλῷ ἀφρονέστερον καὶ ληρωδέστερον ἐκ τῆς τῶν χρωμάτων ξέσεως τὸ θεῖον καθυβρίζεσθαι κήρυγμα. Ἆρ' οὖν τέλεον ἀποπέμπονται τὴν

Verum, inquit, « colores expungendo, eos persuasos facimus illud nec cymbam esse, neque gubernatorem. »

Sed quid ex hoc rerum veritas labefactatur? Nonne amentium ac delirantium is sermo est? Esto, aliqui colores abstergant : at non ideo mittantur oportet pictores et pictura; nam rerum subsistit veritas, etiamsi lineamenta deleantur : similiter nec ædes, neque ars ædificandi in contemtum cadit, si quis forte tectum aut quamlibet domum subverterit; neque quia facile frangitur vitrum, idcirco et ars et vitriarius ipse contemnuntur; et ita, si quæ sint id genus exempla.

At si aliter se res habere nec cogitari nec dici potest citra ineptiam et insaniam, longe insanius erit et ineptius, ex eo quod colores deleantur, in vituperium vertere omnem religionem. Num ergo penitus mis-

(1) Ἀποξέεται E. — (2) Ἤ τις A.

γραφικὴν τέχνην, καὶ ἐν οὐδενὶ χρησίμην ἑαυτοῖς συνεπίστανται; οὐδαμῶς· ἀλλ' ἐφ' ὧν μὲν τῆς θείας καθυλακτοῦσι δόξης, τοῦτο δρᾷν οὐκ ἀποκνοῦσιν, ἐπὶ δὲ τῶν οἰκείων εἰδώλων οἱ ἀλάστορες καὶ παλαμναῖοι, τὸ περιφανὲς τῆς δόξης κρατύνοντες, πολλοῦ ἂν τὴν τέχνην καὶ τοὺς γραφεῖς ἐτιμήσαντο. Χριστιανοὺς μὲν οὖν νήφοντας ἐν Κυρίῳ καὶ τὰ πρὸς Θεὸν εὐσεβεῖν εἰδότας, ὑγιᾶ τε καὶ ἄρτιον τὸν λογισμὸν λαχόντας, οὐκ ἐκ τῶν χρωμάτων κρίνειν τὰ ἅγια οἴεσθαι δεῖν· οὐκοῦν οὐδὲ ἐκ τῆς περιῤῥεούσης τοῖς ἄνθεσιν αὐγῆς τε καὶ λαμπρότητος, οὐδ' αὖ πάλιν κἂν ῥᾳδίως ἀποξέηται καὶ παλαιούμενα, χρώματά γε ὄντα καὶ ὕλη γεώδης, ταῖς ποιότησιν ὁμοῦ συνδιαφθείρηται· ἀλλ' ἐκ τῆς τῶν ἀρχετύπων ἐπιλαμπούσης μνήμης καὶ χάριτος, κἂν διαῤῥυῇ τὰ χρώματα, οὐδεμία ὕβρις τοῖς ἀρχετύποις προσγίνεται. Οὐδὲ γὰρ εἰ παλαιωθείη καὶ διαφθαρείη τὸ διατυποῦν τὸν σταυρὸν ξύλον, ἢ ἐξ ἑτέρας ὕλης ἐσκεύασται, ὕβρις τῷ σταυρῷ καὶ ἀτιμία προσφθαρήσεται. Διὸ οὐδὲ ἐνταῦθα τῆς σφετέρας γνώμης ἀπόνασθαι δυνήσονται, οὐδὲ πρὸς κατηγορίαν τῆς ἐκκλησιαστικῆς διακοσμήσεως καὶ παραδόσεως κατασκευάσαι τι κατισχύσουσιν. Ἀνόητον οὖν κομιδῇ καὶ A 366. σκαιὸν τὸ προκείμενον τῶν γεγραμμένων πλοίων παράδειγμα ἐπὶ τὰ καθ' ἡμᾶς ἱερὰ ἐφαρμόζειν ἢ ἀναφέρειν, κἀκ τούτου [1] ἐμπαροινεῖν εἰς τὰ ἅγια· τοσούτου δέουσιν οἱ ἀμύητοι τῆς καθ' ἡμᾶς ὁμολογίας εἰδέναι τὴν δύναμιν.

Ἄλλως τε δὲ οὐδὲ ἴσασιν οἱ χρωματομάχοι, μᾶλλον δὲ χριστομάχοι, ὅ τι ποτέ ἐστιν εἴδωλον ἢ ὁποίων δὴ εἰδώλων τὴν μνήμην ἐνταῦθα Μεθόδιος πεποίηται. Οὐδὲ γὰρ πάντως ἢ πανταχῇ τῶν ἐν σεβάσματι Ἑλλήνων καὶ ἐθνῶν κειμένων ἀνδροειδῶν ἢ κτηνομόρφων, φέρε εἰπεῖν, ἡ δήλωσις τούτων ἐστίν. Πῶς γὰρ οὕτως εἴδωλον λόγων [2] ἀληθείας ἢ δόξης ἀληθοῦς ῥηθείη, ὅτι μὴ ἐν ὑποστάσει καὶ

sam picturam faciunt, nec eam sibimet quidquam emolumenti daturam constituunt? Minime rerum. Sed dum, ut divinæ allatrent gloriæ, ita agere non desistunt, jam pro suis propriis idolis illi hominum scelestissimi ac spurcissimi, superbiæ suæ pompam amplexi, maximo honore prosequuntur hanc artem simul ac pictores. Sane christiani in Domino vigilantes, pietatemque in Deum probe sectantes, casta utentes et integra agendi ratione, minime oportet opinentur sancta e coloribus dijudicari, neque ob illud decus et splendorem e floribus derivatum, etiamsi interim levi manu hæc linimenta deleantur ac promte veterascant, utpote colores terrenaque materies, quidquam in rerum proprietatibus corrumpi existiment; [sacras vero picturas probant] ex illucescente archetyporum memoria et gratia, licetque diluantur colores, nihil archetypi detrimenti capiunt. Neque enim, etsi vetus putridumque fiat lignum, quo crux figuratur, aut ex nova materie aptetur, ulla cruci erit contumelia, ullum dedecus inuretur. Igitur nihil vel hinc in sententiæ suæ tutelam proficient, nihil argumenti adversus ecclesiarum ornamenta et traditiones inde possunt astruere. Insulsum ergo est et perversum illud e pictis cymbis exemplum adversus sacras icones nostras accommodare, aut hinc inferre furoris in sacra exercendi prætextum : tantopere absunt illi nondum initiati, ut sciant nostræ confessionis vim et potentiam.

Adde quod et nesciunt illi χρωματομάχοι seu potius χριστομάχοι, quid sit idolum aut quorumnam idolorum memoriam Methodius hic indiderit. Non enim quæcumque alicubi in Græcorum et gentilium cultu occurrunt, sive anthropomorpha sint, sive, ut ita dicam, κτηνόμορφα, hæc erunt idolorum manifestatio. Quomodo enim dici posset « simulacrum verborum veritatis » vel opinionis veræ, nisi per suppositionem et

(1) Τοῦ codicis A corrector inducit. — (2) Λόγον A, quod E aptissime emendat.

θέσει, καὶ οὐδὲ ἐκ φαινομένης ὕλης καὶ εἴδους; ἢ πῶς καὶ πόθεν εἴδωλον πλοίου νοηθήσεται; Ἀρχαιότητι γοῦν καὶ παλαιᾷ δόξῃ προερχόμενος[1], λογικώτερον ἐφ' ἕτερον σημαινόμενον τὴν λέξιν ἰοῦσαν ἐπίσταται. Καὶ γὰρ ἀποσκιάσματά τινα καὶ ἰνδάλματα οἶδεν οὕτω προσαγορεύεσθαι· ταύτῃ δὴ οὖν καὶ τοὺς ζωγράφους εἰσφέρει, οὕτω ποιεῖν τὰ γραφόμενα, ὡς ἔχει ἀληθείας καὶ φύσεως· ἃ δὴ τῶν τεχνιτῶν ἑκάστῳ ἀνήκει ἐκ τῆς οἰκείας τέχνης, τὸ ἑκάστῳ τῶν δημιουργουμένων τὸ ἐπιβάλλον διατυποῦν σχῆμα καὶ μέγεθος· ἀλλὰ τὸ εἶδος μιμεῖσθαι τῇ τέχνῃ, ὅπερ αὐτὸς ἐκάλεσεν εἴδωλον, καθ' ὃν τρόπον καὶ τοὺς ἑτεροδοξοῦντας σοφιστὰς, εἰδώλων ἀληθείας, οὐκ αὐτῆς τῆς ἀληθείας μιμητὰς εἶναι ἀποφαίνεται. Ἢ γὰρ ἂν οὐκ εἶεν μέμψεως ἄξιοι;

minime ex materie et specie in sensus cadente? Aut quo pacto vel undenam navigii idolum cogitabitur? Nimirum veteri loquela et prisca sententia usus, Methodius scit hanc dictionem in alium significatum transire. Etenim sic nuncupari noverat imitamenta quædam et simulacra. Propterea pictores introducit effigiem ita describentes, ut fert veritas naturaque rerum. Quod sane artificibus quibusque incumbit, juxta artis suæ regulas, singulis operibus dare formam et mensuram convenientem; sed speciem imitari hujus artis est, id quod ille vocavit simulacrum; quo modo declarat extraneos sophistas esse « idolorum veritatis, » non veritatis ipsius » imitatores. » Inde nonne erunt contemtu digni?

CAPUT XXI.

Ἐπεὶ οὖν καὶ αὐτοὶ ἀβούλως καὶ ἀφρονέστατα τοῖς Μεθοδίου λόγοις πρὸς καθαίρεσιν τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ διακόσμου ἐχρήσαντο, ἐκ τῶν Μεθοδίου λόγων μεθοδευέσθωσαν, ἐξ ὧν προϊόντες καὶ ἡμεῖς εὐκαίρως μάλα πρὸς αὐτοὺς ἁρμοσόμεθα, καὶ ἐκ τῶν ἔναγχος αὐτῷ προβεβλημένων ῥήσεων πρὸς τοὺς πάλαι σοφιστὰς καὶ τῆς ἀληθείας ἀντιπάλους, τοὺς περὶ τὴν κοινὴν καὶ παρὰ πᾶσι χριστιανοῖς προσδοκωμένην ἀνάστασιν διαμφισβητοῦντας, ἐπισφαλῶς τε καὶ ἀσυνέτως τὰ τῆς θεοπνεύστου Γραφῆς ῥήματα ἐξειληφότας, πρὸς τοὺς νῦν κυβιστὰς ἀμαθέστερόν τε καὶ ἀνοητότερον τὸ προκείμενον τῶν πλοίων παράδειγμα κατὰ τῆς Ἐκκλησίας ἐκδεξαμένους, καὶ τὴν σωτήριον τοῦ Λόγου σάρκωσιν διασαλεύειν πειρωμένους προχειρησώμεθα, ἵνα, ὅθεν κατηγορεῖν τῆς ἀληθείας ἐπειράθησαν, ἐντεῦθεν τοὺς ἐλέγχους τῆς ἀμαθίας καὶ κακουργίας δέξωνται. Ἐπειδὴ καὶ αὐτοὶ οὐχ ὡς ἀληθείας ἔχει τὸ παράδειγμα ἐξειλήφασιν, ἀλλ' ἐπὶ ἀληθείας εἴδωλα καὶ φαντάσματα ἀσκόπως

Quoniam igitur satis inconsiderate et quam ineptissime Methodii tractatus in subversionem ornamentorum Ecclesiæ usurpaverunt, ex Methodii sermonibus jam methodice refutantor: ex quibus profecti nos, bonis avibus in istos accingemur, nec alia quam quæ modo præmissa sunt illius verba, adversus veteres sophistas veritatisque inimicos, eos scilicet qui de communi et ab omnibus christianis accepta resurrectione disputabant, sed et divinæ Scripturæ oracula fraudulenter et inscite deflorabant; ea porro adversus hos nuperrimos urinatores, qui inscitius et protervius adductam cymbarum comparationem in Ecclesiam contorserunt, salutaremque Verbi incarnationem concutere tentaverunt, dirigere moliemur; ut, unde dicam veritati nisi sunt scriptitare, inde ipsorum ignorantiæ et perfidiæ confutationem adipiscantur. Quandoquidem non veritatis exemplum, uti in Methodio est, adhibuerunt, sed in veritatis simulacra et larvas fatue, si unquam, et indecore impegerunt, id

(1) Προσεχόμενος legere non dubitavi et vertere.

πως καὶ ἀσέμνως ἀπηνέχθησαν, εἰς συμμαχίαν τοῦτο τῆς ἰδίας ἀλογιστίας ἔχειν οἰόμενοι, φέρε δὴ λοιπὸν, καὶ ἡμεῖς ὡσαύτως τοῖς σοφίσμασι καὶ πλάσμασιν αὐτῶν ἀντιπαρατattόμενοι[1], λέγωμεν· ÷ Καὶ γὰρ οὐδὲν αὐτοῖς[2] ÷ ὑγιὲς, οὐδὲ πάγιον, ἀλλὰ φαντασία μόνον ÷ εὐπρεπὴς ῥημάτων, πρὸς κατάπληξιν τῶν ÷ ἀκουόντων καὶ πειθὼ κατεσκευασμένη· οὐ ÷ τῆς ἀληθείας καὶ τοῦ συμφέροντος[3] χάριν, ÷ ἀλλὰ τοῦ δόξαι[4] τοῖς παροῦσι σοφοὺς τοὺς ÷ λόγους καὶ πρὸς τὸ ἀρέσαι, καὶ εὐημερίσαι, ÷ καθάπερ οἱ σοφισταὶ, οἳ μισθὸν ἄρνυνται ÷ τῶν[5] λόγων, ἐπευωνιζόμενοι σοφίας ἐπαίνοις, ÷ πλησθέντες οἰήματος· περὶ τὸ λογικεύσα- ÷ σθαι[6] δὲ προσκαλλωπιζόμενοι[7], ὡς πάντα ÷ γινώσκειν ὑπάρχοντες δεινοὶ, διδάσκεσθαι ÷ μὲν ὁμολογεῖν χρῄζειν αἰδεσθέντες, φιλονει- ÷ κεῖν δὲ μᾶλλον καὶ προπηδᾷν ὡς διδάσκα- ÷ λοι θρασυνθέντες· καὶ καθάπερ[8] γυναῖκες ÷ ἔξωθεν[9] ὡραϊζόμεναι πρὸς ἀπάτην ἐντέχνως, ÷ ἐὰν μή τις πεφυλαγμένως τῶν ἔτι νεωτέρων ÷ καὶ ἁπλουστέρων προσβλέψῃ[10] τῇ πίστει, καὶ ÷ νηπτικῶς[11], ὅθεν εὐλαβητέον πρὸ τοῦ κατα- ÷ μαθεῖν ἀσφαλῶς εἰς τὴν καρδίαν εἰσδέξα- ÷ σθαι τοιοῦτον λόγον. Καὶ γὰρ φθάνουσιν[12] οἱ ÷ ἐξαπατῶντες πολλάκις τοὺς διδάσκοντας, ÷ καθάπερ δὴ καὶ αἱ Σειρῆνες τοὺς φεύγοντας ÷ αὐτὰς κρύπτουσι[13] μακρόθεν τὸ μισάνθρω- ÷ πον τῇ καλλιφωνίᾳ. ÷

Ταῦτα οὖν συμβαίνει καὶ αὐτοῖς, οὐκ εὐαγῶς, οὐδὲ οἰκείως τὸ Μεθοδίου παράδειγμα παραλαμβάνουσι. Πρὸς δόξαν γὰρ ἑαυτῶν, οὐ πρὸς ἀλήθειαν τὴν ἅμιλλαν ἐνεστή-
A 367. σαντο, μικρὰ τῆς ἀληθείας φροντίζοντες, τοῦ ψεύδους δὲ παντὶ σθένει ἀντεχόμενοι, τοῦ παντὸς ἐξέπεσον. Ἀλλὰ τοὺς ἐπὶ τοῖς ἐλέγχοις λόγους ἀφέμενοι, ἐπὶ τὰς Μεθοδίου φωνὰς

esse rati quoddam suæ propriæ absurditatis auxilium : age demum, hisce eorum sophismatibus et figmentis ut resistamus, dicere est : « Etenim nihil in illis sanum, « validum nihil : sed verborum dumtaxat « ambitiosus apparatus ad audientium « admirationem persuasionemque captandam, at minime ad veritatem utilitatemve aliquam instructus; scilicet, ut solertia præsentibus verba videantur, ut ipsi « placeant plaususque concilient, uti so- « phistæ solent qui mercedem sermonum « venantur, vili laudum stipendio sapien- « tiam venditantes, sui opinione tumefa- « cti : argutandi vero arte ad cumulum glo- « riabundi, quasi rerum omnium scientia « prodigiosi; erubescentes vero se confiteri « discendi necessitati obnoxios, sed magi- « strorum more ad litigandum et prosilien- « dum alacres; tum etiam, quemadmodum « mulieres externo cultu nitent ut callide « decipiant quemcumque adolescentiorum « et minus prudentium, nisi vigilanter, re- « ligiose et caste oculos tenuerint, ita sum- « mopere cavendum ne antequam cuncta « probe excutiantur, ejusmodi sermones « pectori sinamus inseri. Præveniunt nam- « que hi deceptores frequenter magistros, « sic ut sirenes iis qui eas fugiunt, a « longe occultant sub eleganti voce suum « in homines odium. »

Hoc igitur ipsis quoque accidit, qui nec solerter, nec apte methodianum paradigma accipiunt. Propter suam enim gloriam, non veritatis gratia certamen instituerunt, parvi facientes veritatem, mendacia vero pleno pectore amplexi, e toto exciderunt. Sed ab his revincendis supersedentes, ad Methodii verba accedemus, quibus suam ipse sententiam propriam

(1) Ἀντιπαρατattόμενοι. Alludit ad hæc Methodii : Ἄγε οὖν ἀντιπαραταξώμεθα τοῖς σοφίσμασιν αὐτῶν, apud Epiph. t. II, p. 562. — (2) Οὐδὲν ἐν αὐτοῖς. Ib. — (3) Οὐδὲ τοῦ συμφέροντος. Ib. p. 563, n. 40. — (4) Τοῦ δεῖξαι ib. — (5) Τὸν λόγον corrector E, fere ut editi : τοὺς λόγους. Tum plura ibidem interjecta, deinde καὶ πρὸς τὸ ἀρέσαι καὶ εὐημερῆσαι (quomodo corrigas apud Niceph.). Item post ἐπαίνοις non pauca Nicephorus resecuit; sed dum brevis esse laborat, obscurus fit. — (6) Λογικεύεσθαι ib. — (7) Προέκοψαν καλλωπιζόμενοι, ὡς οἱ διδάσκαλοι ib.— (8) Καθάπερ usque ad finem, Epiph. p. 564, n. 41. — (9) Αἱ ἔξωθεν ib. — (10) Αὐτοῖς τῶν ἔτι νεωτέρων προσβλέψῃ ib. — (11) Τῇ πίστει καὶ νηπτικῶς videtur corruptum. Equidem τῇ πίστει deletur in A. — (12) Pro φθάνουσι legam φθειροῦσιν, facili compendiorum mutatione : stare tamen φθάνουσι potest, i. e. πρὸ τοῦ καταμαθεῖν. — (13) Κρύπτουσαι E.

ἄπιμεν, καθ' ἃς τὴν αὐτὸς αὑτοῦ δόξαν παρίστησι, καὶ ἄγοντες[1] εἰς μέσους, παρ' αὐτῶν τὰ προκείμενα ἐπιγνωσθησόμεθα, καὶ ὡς τὴν τέχνην ταύτην τούς τε γραφεῖς καὶ ἀνδριαντοποιοὺς θαυμάζει καὶ οὐκ ἀποτρέπεται· ἐφ' οἷς ἐπιστῆσαι ἢ ἑλεῖν τῶν γεγραμμένων τὸν νοῦν οὐκ ἠβουλήθησαν οἱ ἀσύνετοι, ἐπὶ τὴν ἑαυτῶν διάνοιαν, ἢ παράνοιαν εἰπεῖν δικαιότερον, ἀεὶ τὰ πράγματα μεθαρμόζοντες. Ἕκαστος γὰρ τῶν συγγραφέων πρὸς τὴν προκειμένην αὐτῷ ὑπόθεσιν τὰ παραδείγματα καὶ τὰς ἀφορμὰς μεταχειρίζεται, πῇ μὲν ἐκ τῶν ἐλαττούντων, πῇ δὲ ἐκ τῶν πλεονεκτούντων, τὴν διασκευὴν τοῦ λόγου ποιούμενοι· ἢ ἐκ τοῦ κάλλους, εἰ τύχοι, ἢ αἴσχους ὑπόντος, ἢ πράξεως ἀρίστης ἢ χειρίστης, ἢ ὁπωσοῦν, πρὸς τὰ ἀναφαινόμενα τοῖς ζητουμένοις ποικίλα θεωρήματα· ἐφ' ὧν μὲν ἐγκώμια πλέκοντες, τὴν τῶν ἐπαίνων αὔξησιν ἐκ τῶν προσόντων ἀγαθῶν ἐξυφαίνοντες, ἐφ' ὧν δὲ τὸν ψόγον, τὴν τῶν μεμωμημένων ἐπίδοσιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων κακῶν διεκπεραίνοντες, καὶ οὐδὲν παρὰ τοῦτο μεμπτέοι. Κἂν γὰρ περὶ τοῦ αὐτοῦ διαλαμβάνοιεν ζητήματος, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸ αὐτὸ συμβαῖνον κεφάλαιον, ἢ τὸ περιϊστάμενον πρᾶγμα· διαφόρως γὰρ θεωρεῖται, καὶ εἰς διαφόρους ὑποθέσεις καὶ κεφάλαια διαιρεῖται ὡς τὰ πολλὰ ἕκαστον, καὶ οἷς ἂν ἐφαρμόζοιτο, οἰκείως καὶ ἀναλόγως παραλαμβάνεσθαι· οὕτω τὸ τῶν ζωγράφων καὶ ἀνδριαντοποιῶν παράδειγμα διαφόρως προήγαγεν, ἵνα ἐκεῖθεν ἐκ τῶν ἀποξεομένων πλοίων καὶ τῶν κυβερνητῶν τὴν τῶν σοφιστῶν συναποξέσῃ καὶ συνεξαφανίσῃ πανουργίαν.

proponit, eaque in medium ferentes, quid sibi velint superius citata, dignoscemus, et quantum is artem ipsam et pictores et statuarum fabricatores admiretur et minime aversetur; in quibus scriptorum sensum advertere aut capere noluerunt hi insipientes, secundum suam mentem, vel, ut rectius dicam, amentiam, quæque semper accommodantes. Solet enim unusquisque auctor proposito sibi argumento comparationes et exempla coaptare, instruendoque sermoni nunc ea quæ minuunt, nunc quæ augent, inserere; tam e bella re, pro occasione data, quam e probrosa, si occurrat; tam ex optime quam e pessime gestis, quacumque demum ratione quæ rei inquisitæ inserviat, variare demonstrationes; nunc quidem encomia texere, ut laudem exaggeret insitis bonis consertam; nunc vero vituperia, ut reprehensæ rei censuram ex annexis malis absolvat; et ob hoc non sunt vituperandi : nam ut de eadem quæstione agunt, non agunt tamen secundum idem accidens aut eamdem circumstantiam. Fit enim quasi varia consideratio, et pro diversis argumentis diversa capita distinguuntur, ut singula tamen, quibuscumque demum rebus aptentur, propria et singulari relatione sumantur. Sic ille hos pictores statuarumque conditores diversum in exemplum adduxit, ut a comparatione cymbarum et gubernatorum evanidorum evanescere quoque ostendat et expungi sophistarum omnia artificia.

CAPUT XXII.

Ἐνταῦθα δὲ ἐφ' ἕτερον παράδειγμα προερχόμενος, ἵνα τὴν τοῦ Θεοῦ κηδεμονίαν, ἣν περὶ τὸ οἰκεῖον πλάσμα ἐνδείκνυται, παραστήσειεν, ὅπως περὶ τῶν αὐτῶν διαλήψεως ἔχει, σαφῶς ἐξηγήσεται, καὶ ταῦτα περὶ εἰδώλου τινὸς καὶ τῆς ἑλληνικῆς ἀθεΐας καὶ

Hic rursus ad alterum accedit exemplum, ut quanta Dei providentia in suum figmentum eluceat, ostendatur, in quo manifeste declarabit quo consilio id genus argumenti tractet : et hæc quidem idolum quoddam et gentilem impietatem et infidelitatem respi-

(1) Ἀπάγοντες E.

ἀπιστίας. Καὶ γὰρ περὶ τῆς κατὰ τὸν πρῶτον ἄνθρωπον διαπλάσεως προσδιαλεγόμενος, ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ τοιάδε τινὰ φησίν[1]·

÷ Ἐποίησε γὰρ ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, κατ' εἰκόνα Θεοῦ ἐποίησεν αὐτόν· διὸ καὶ ἐμέλησεν αὐτῷ τοῦ σφετέρου ἀγάλματος τῆς διαμονῆς[2], ἵνα μὴ εὐάλωτον ᾖ πρὸς διαφθορὰν, καθάπερ καὶ τῶν ἀνδριάντων τοῖς δημιουργοῖς· οὐ γὰρ μόνον κάλλους τῶν ἀγαλμάτων αὐτοῖς καὶ τῆς εὐπρεπείας αὐτῶν πεφρόντισται, ὅπως ὦσι περικαλλῆ μεγαλοπρεπῶς[3], ἀλλὰ καὶ τῆς εἰς τὸ δυνατὸν σφίσιν αὐτοῖς ἀθανασίας τῶν δημιουργημάτων ποιοῦνται[4] [πρόνοιαν] εἰς τὸν μακραίωνα χρόνον διασώζεσθαι μὴ λυόμενα, καθάπερ καὶ Φειδίας· οὗτος γὰρ μετὰ τὸ κατασκευάσαι τὸ Πισαῖον εἴδωλον (ἐξ ἐλέφαντος δὲ τοῦτο ἦν), ἔλαιον ἐκχεῖσθαι προσέταξεν[5] ἔμπροσθεν τοῦ ἀγάλματος, ἀθάνατον εἰς δύναμιν φυλάσσων αὐτό[6]. Καὶ τοίνυν εἰ τῶν χειροκμήτων[7] οὕτως οἱ δημιουργοὶ[8], ὁ Θεὸς ὁ ἀριστοτέχνας, ὃς πάντα δύναται καὶ ἐξ οὐκ ὄντων ποιεῖν, οὐ μᾶλλον τὸ ἄγαλμα τὸ λογικὸν ἑαυτοῦ, τὸν ἄνθρωπον, ἀνώλεθρον καὶ ἀθάνατον εἶναι τὸ παράπαν ἐξ ἁπάσης ἀνάγκης ἐμηχανήσατο; ἀλλ' εἴασεν οὕτως ἀτιμότατα λυόμενον ὀλέθρῳ παραδοῦναι καὶ φθορᾷ, ὃ διαφερόντως ἠξίωσε ταῖς ἑαυτοῦ ποιῆσαι χερσὶ, κατ' εἰκόνα μορφοποιήσας αὐτὸ, καὶ καθ' ὁμοίωσιν τὴν ἑαυτοῦ, τὸν κόσμον τοῦ κόσμου, δι' ὃν καὶ ὁ κόσμος[9] ἐγένετο; οὐκ ἔστιν εἰπεῖν. Ἀπείη γὰρ[10] εἰς ἀφροσύνην ἐπαρθέντα φρονῆσαι τοῦτο. ÷

Ἀμφότερα οὖν παραδείγματά τινα[11] τοῦτό τε καὶ τὸ παρ' αὐτοῖς προβεβλημένον, ἅπερ

ciunt. Quum igitur de protoplasti conditione disseruisset, in eodem libro hæc superaddit :

« Fecit enim Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum. Unde conservandæ statuæ suæ curam adhibuit, ne caduca per corruptionem fieret, ut suis quique artifices statuis consulunt; qui non modo simulacrorum suorum pulchritudini ac decori student, ut quam eximia specie superbiant, sed etiam immortalitatem, quoad possunt, iisdem opificiis vindicant, ut prolixum in ævum permaneant minime dissoluta : exemplo sit Phidias. Hic enim pisæam statuam quum ex ebore formasset, oleum ante statuam effundi jussit, quo immortalem illam pro virili conservaret. Quum igitur in iis operibus humanis sic provideant artifices, nonne præstantissimus ille opifex Deus, qui vel ex nihilo omnia valet efficere, multo magis omni ope necessarioque intendit ut suam illam ratione præditam effigiem servaret sibi incorruptibilem et immortalem? An potius per eum licebit illam ignominiosissime dissipatam in interitum pessumdari et putredinem, illam scilicet quam singulari quadam opera dignatus est suis perpolire manibus, ad imaginem et similitudinem suam, illum mundi mundum alterum, cujus denique gratia factus mundus est? Dici hoc omnino nequit; proxime enim accederet ad insaniam quicumque talia excogitaret. »

Hinc igitur et inde quædam exempla sunt : quum idem sit argumentum in eo

(1) Φησίν. Cf. Epiph. *adv. Hæres.* c. LXIV, n. 18, t. I, p. 542. — (2) Ἀγάλματος διαμονῆς ib. — (3) Περικαλλεῖς ἢ μεγαλοπρεπεῖς ib. — (4) Δημιουργημάτων πρόνοιαν ποιεῖσθαι εἰς τόν ib. Unde supplevi vocem apud Nostrum omissam. — (5) Προσέταξεν ἀμφὶ τοὺς πόδας ἔμπροσθεν ib. Glossema videtur. Cf. infra Photium. — (6) Φυλάσσειν· αὐτὸ ib. Stellula Petavius de mendo monet et lectionem nostram in margine suspicatur. Photius sic locum expilabatur : ὅτι, φησὶ, Φειδίαν τὸν ἀγαλματοποιὸν, τὸ Πισαῖον εἴδωλον ποιήσαντα ἐξ ἐλέφαντος, προστάξαι ἔλαιον ἔμπροσθεν τοῦ ἀγάλματος ἐκχέειν, ὥστε ἀθάνατον εἰς δύναμιν αὐτὸ φυλάσσεσθαι. Cod. 234, p. 907. De qua olei virtute audi Plinium XV, 17 : « Existimatur oleum vindicando a carie utile esse. Certe simulacrum Saturni Romæ latum oleo repletum est. » Sed mirare Photii interpretem a supra citatis hæc sibi fingentem, Phidiam imperasse *ut oleum interius infusum semper ex statua promanaret.* — (7) Χειρομήτων ib. — (8) Οὕτως δημιουργοί ib. — (9) Δι' οὗ κόσμος ib. — (10) Ἀπήει γάρ ib. — (11) Ἄτινα A male.

ἢ ὁμοῦ παραδέχεσθαι, ἢ ὁμοῦ ἀποπέμπεσθαι δίκαιον, οὐκ ἔτι δὲ τοῦ ἑνὸς ἀντέχεσθαι, καταφρονεῖν δὲ τοῦ ἑτέρου· ἠλίθιον γὰρ τοῦτό 368. γε καὶ ἀνούστατον, ἐπεὶ καθ' ὃ παραδείγματα, οὐδὲν ἀλλήλων διενήνοχεν. Κἂν τὸ ἀπεοικὸς περὶ τὴν φύσιν τῶν πραγμάτων ἔχῃ, ἐν οἷς ἐφιστάνειν προσῆκεν, ὅτι οὐκ εἶπεν ἐνταῦθα, Ἀποξέομεν, καὶ περιαιροῦμεν, ὁ συγγραφεὺς, τὰ χρώματα· οὐ μὴν οὐδέ γε, ὡς περὶ τὴν φιλοτιμίαν τοῦ ἀγάλματος ἐνδαψιλευόμενον, διαμωμεῖται τὸν δημιουργὸν καὶ καταμυσάττεται. Οὐ γὰρ παρ' ὃ εἴδωλον θαυμάζει τὸ τεκτόνημα, ἀλλ' ὥσπερ τὴν σπουδὴν τοῦ εἰργασμένου μετρῶν, πρὸς τὸ παριστάμενον ἐπὶ τῷ παραδείγματι προηνέγκατο.

Ἔτι μετά τινα, περὶ τοῦ ἐκ τῆς ἁμαρτίας παρὰ Θεοῦ τοῖς ἀνθρώποις συμφερόντως τοῦ διὰ θανάτου ἐπαχθέντος κατακρίματος διασκεπτόμενος, τοιαῦτα διέξεισιν, διὸ[1] καὶ τῶν βασκαινόντων τὴν εὐσέβειαν ἡ κακόνοια στηλιτεύεται·

÷ Διὸ δὴ καλῶς ταύτην σωτηρίαν πρὸς ἄμφω
÷ καὶ ψυχῆς καὶ σώματος φαρμακευτικῆς τρό-
÷ πον καθάρσεως, τὸν θάνατον ὁ Θεὸς εὕρετο[2],
÷ ἵνα πανάμωμοι καὶ ἀσινεῖς οὕτως ἐξεργασθῶ-
÷ μεν. Φέρε γὰρ, ἐπειδὴ[3] πολλῶν δεῖ τῶν περὶ
÷ τὰ τοιαῦτα παραδειγμάτων, ἐντεῦθεν αὐτὰ
÷ μάλιστα σκεψώμεθα μὴ ἀφιστάμενοι πρὶν ἂν
÷ εἰς εὐδηλοτέραν ἑρμηνείαν ἀποτελευτήσῃ[4]
÷ καὶ ἀπόδειξιν ὁ λόγος. Φαίνεται τοίνυν,
÷ ὥσπερ τις[5] δημιουργὸς ἄκρος, ἄγαλμα καλὸν
÷ ἀπὸ χρυσοῦ κατεσκευασμένον ἢ ὕλης ἑτέρας
÷ αὐτῷ, καὶ πάντα τὰ μέλη συμμέτρως εἰς
÷ κάλλος διακεκοσμημένον, πάλιν χωνεύοι,
÷ λελωβημένον ἄφνω θεασάμενος ὑπό τινος
÷ ἀνθρώπου πονηροτάτου, ὃς οὐκ ἐνεγκὼν,
÷ ὑπὸ βασκανίας, εὐπρεπὲς εἶναι τὸ ἄγαλμα,
÷ ἐσίνατο, ματαίαν ἡδονὴν καρπούμενος τοῦ
÷ φθόνου· πρόσχες γὰρ[6], ὦ σοφώτατε Ἀγλαο-
÷ φῶν, ὅτι, εἰ βούλοιτο μὴ εἶναι σεσινωμένον
÷ ὅλως ὁ δημιουργὸς καὶ ψεκτὸν τὸ μετὰ

quod ab his propositum est, utrumque necesse est aut excipiatur simul aut simul amoveatur : nec licet unum quidem repudiare, alterum vero suscipere : id quippe fatuum esset et incongruum, quum quatenus exempla sunt, alterum ab altero non differat. Esto quod re quidem vera quædam hinc et inde pugnant, illudque non prætermittatur, in hoc scilicet loco scriptorem non dixisse : « Colores expungimus penitusque tollimus. » Verum neque subsannat neque censura mulctat artificem quasi in ornanda immodice statua nimis sibi indulgentem. Non enim opus ut idolum miratur, sed opificis diligentiam metiens ex opere, argumenti gratia id in exemplum attulit.

Accedit et illud post pauca, ubi propter peccatum a Deo fuisse justa sententia homines morte mulctatos disserit; hisce verbis nimirum, quibus calumniantium fidem nostram improbitas traducitur :

« Idcirco bene est quod illud salutare
« remedium, quo utrumque, corpus et
« anima sanarentur, mortem scilicet inve-
« nit, ut innocui simul et illibati evadere-
« mus. Age enim, quoniam multis ad id
« exemplis opus est, hinc potissimum ista
« consideremus, neque prius inde disceda-
« mus, quam in clariorem explicationem ac
« probationem nostra desierit oratio. Vi-
« dere enim videor peritissimum quempiam
« artificem, qui quum egregiam sibi ex
« auro aut alia materia statuam condidit,
« ac membris omnibus concinne adornatam
« perpolivit, iterum conflet eam, eo quod
« subinde fœdatam deprehenderit ab ne-
« quissimo aliquo homine, qui præ invidia
« statuæ pulchritudinem non ferens, labe-
« fecit eam, inanem ex invidia percepturus
« voluptatem. Animadverte enim, sapien-
« tissime Aglaophon ! Si integram omnino
« statuam et illibatam habere voluit artifex,
« quam tanto studio elegantiaque elabora-

(1) Δι' ὧν E. Locum sequentem habet Epiphanius, l. c. n. 27. p. 549. Cf. Galland Bibl. PP. III, p. 774, ubi minus integrum est.

(2) Εὕρατο E. — (3) Ἐπειδάν ib. — (4) Ἀποτελευτήσει ib. — (5) Εἴ τις δημιουργός ib. — (6) Πρόσεχες γάρ E.

÷ τοσαύτης αὐτῷ σπουδῆς τε καὶ φροντίδος πεποιημένον[1], πάλιν προτραπήσεται χωνεύσας[2] αὐτὸ τοῦτο ποιεῖν οἷον καὶ πρόσθεν ἦν· Εἰ δὲ μὴ ἀναχωνεύοι, μηδὲ ἀνασκευάζοι[3], ἐῴη δὲ μένειν[4] θεραπεύων αὐτὸ καὶ ἐπανορθούμενος, ἀνάγκη δὴ πυρακτούμενον καὶ χαλκευόμενον τὸ ἄγαλμα, μηκέτι δύνασθαι διατηρηθῆναι τὸ αὐτὸ, ἀλλὰ διηλλαγμένον ἔσεσθαι καὶ ὑπεσπασμένον. Διὰ τοῦτο εἰ βούλοιτο[5] ὅλον καλὸν αὐτῷ καὶ ἄμωμον εἶναι τὸ ἔργον, ἀναθλάσαι αὐτῷ καὶ ἀναχωνεῦσαι δεῖ, ὅπως τὰ μὲν αἴσχη καὶ τὰ ἀλλοιώματα πάντα, τὰ ἐξ ἐπιβουλῆς[6] αὐτῷ καὶ φθόνου ὑπάρξαντα, αὐτὰ μὲν διὰ τῆς ἀνασκευῆς καὶ ἀναχωνεύσεως ἀπόληται[7], τὸ δὲ εἰς τὸ ἑαυτοῦ εἶδος ἀσινὲς καὶ ἀκίβδηλον αὖθις τὸ ἄγαλμα ὁμοιότατον ἑαυτῷ κατασταθῇ[8]· τῷ μὲν γὰρ ἀγάλματι ἀπολέσθαι μὲν οὐκ ἔστιν[9] ὑπὸ τῷ αὐτῷ τεχνίτῃ, κἂν πάλιν εἰς ὕλην χυθῇ[10], ἀποκατασταθῆναι δὲ ἔστι· τοῖς δὲ αἴσχεσι καὶ λωβήμασιν ἀπόλλυσθαι μὲν ἔστιν· τήκονται γάρ· ἀποκατασταθῆναι δὲ οὐκ ἔστι· διὰ τὸ ἐν πάσῃ τέχνῃ τὸν ἄριστον δημιουργὸν μὴ πρὸς τὸ αἴσχιον ἢ ἐπὶ τευχθησόμενον ὁρᾷν, ἀλλὰ πρὸς τὸ σύμμετρον καὶ εὐθὲς τοῦ δεδημιουργημένου. ÷

Καὶ τὰ μὲν ὅσα παρ' Ἕλλησι τελούμενα τοιαῦτα, καὶ οὕτως ἔχοντα· ἐκπλαγείη δ' ἂν τις καὶ λίαν εἰκότως ἐννοῶν, ὡς οἱ μὲν τῶν εἰδώλων προσκυνηταὶ τοσοῦτον ἐπὶ τοῖς σφετέροις ἀγάλμασι τὸ ἐπιμελὲς καὶ σπουδαῖον ἐνδείκνυνται, καίπερ ἐπὶ ψευδέσι καὶ ἀπατηλοῖς, καὶ ἐπὶ θεραπείᾳ τῶν βδελυρῶν δαιμονίων τετεχνημένοις· οἱ δὲ νομιζόμενοι χριστιανικοὶ, καὶ μόνῳ τῷ ὀνόματι κεχρωσμένοι, ὅπως οὐ περιέπουσιν, οὐδὲ τετιμήκασι τὰ ἅγια ἀληθείας τε ἐχόμενα, καὶ εἰς δόξαν τούτων ὅλων Θεοῦ ἀνακείμενα, ἀλλὰ καὶ καθεῖλον αἰσχρῶς καὶ ἠτίμωσαν δυσσεβῶς. Φαίην δ'

« vit, rursus animum intendet ut conflatam « eam qualis erat antea, reficiat. Quod si « fundere denuo et ab integro restituere « nolit, placeat vero emendatam eam cor« rectamque, uti se habet, relinquere, ne« cesse est ut igni candefacta et fabrili arte « retractata effigies, non jam eadem con« servetur, sed commutata ac veluti sub« ducta videatur. Quare si pulchrum omni « puncto et integrum opus esse voluerit, « iterum oportet confringat illud et conflet: « ut quæcumque turpia et innovata intule« rit malevoli fraus et invidia, ea instau« ratione et conflatione tollantur; simula« crum vero ipsum, in eadem jam specie, « labis ac vitii expers, sibi quam simılli« mum reddatur. Inde quidem fit ut non « pereat artifici suo statua, tametsi in « suam materiam solvatur; immo suo loco « restituatur, labes autem ac fœditates in « igne diluantur : absumuntur enim, ne « umquam instaurentur. In omni enim arte « quisque præstantissimus opifex non id « quod in opere suo fœdum est aut inter« polatum sibi proponit, sed quod aptis« sime modulatum et affabre factum est. »

Atque talia erant gentilium opera sicque habebantur. Jam per me obstupefiet aliquis, nec modicum, uti par est, secum reputabit, qui fiat, ut hi quidem idolorum cultores suis simulacris tantum studium et curam adhibuerint, mendacia licet erant et falsa, atque ob spurcorum dæmonum superstitionem fabricata, isti vero qui christiani esse putantur, sed solo nomine fucati, nec tueantur, nec ullo prosequantur honore quæ veritatis imagines sunt, quæ in magni omnium rerum Dei gloriam exstant, verum illa propudiose subverterunt ac impiis prosciderunt contu-

(1) Πεπονημένον ed. — (2) Συγχωνεύσας ib. — (3) Μηδὲ ἀναγκάζοι Petav. — (4) Ἐᾷ δὲ οὕτως μένειν ib. — (5) Βούλοιτο καλὸν καὶ ἄμωμον ὅλον αὐτὸ εἶναι, ἀναθλᾶσθαι καὶ ἀναχωνεύεσθαι δεῖ ib. ἀναθλάσαι αὐτὸ E. — (6) Τὰ ἐκ ἐπιβουλῆς ib. et E. — (7) Ἀπόλλωνται ib. ἀπολῆται E. — (8) Εἰς τὸ αὐτὸ εἶδος αὖθις τὸ ἄγαλμα ὁμοιότατον ἑαυτοῦ ἀσινὲς καὶ ἀκιβδήλευτον κατασθῇ ib. — (9) Ἀπολέσθαι μέν ἐστι ib. — (10) Χυθῇ, ἀποκατασθῆναι δὲ οὐκ ἔστι, διὰ τό E. Excidit protasis ex ὁμοιοτελευτοῖς.

ἂν ἔγωγε, ὡς ἴσην τὴν ἅμιλλαν ἐπὶ τοῖς ἀντικειμένοις πράγμασιν, ἑκάτεροι ἐνεστήσαντο· οἱ μὲν ἐπὶ τὸ σεμνύνειν, οἱ δὲ ἐπὶ τὸ κακύνειν φιλεριστοῦντες.

meliis. Ego vero dixerim quamdam ex oppositis studiis interesse utriusque partis cum altera æmulationem, ut hi quidem de honore, isti vero de contumelia decertent.

CAPUT XXIII.

Καὶ αὖθις ἕτερον κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον 69. διαγράφει παράδειγμα, ἐκ τῆς γραφικῆς παραλαβὼν τέχνης πρὸς συνηγορίαν τοῦ οἰκείου λόγου, ἐν ᾧ πέντε στοιχείων καὶ τῆς ἐπὶ τῷ ἐκ γενετῆς τύφλῳ παρὰ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ καὶ Θεοῦ γεγενημένης θαυματουργίας διεξερχόμενος, φάσκει ταῦτα οὕτως [1]. ÷ Ὕδατος καὶ ἀέρος καὶ γῆς καὶ πυρὸς ÷ συμμίξας ὁ Θεὸς, ἃ καὶ αὐτὰ πρόσθεν ÷ οὐκ ὄντα εἶναι θελήσας, ἔκτισεν ἐξ ἁπάν- ÷ των, σύμφωνον ὄργανον τὴν σάρκα τῇ ÷ ψυχῇ συνεστήσατο, μέγιστον δὲ τούτου ἡ ÷ γραφικὴ μαρτύριον τέχνη. Οἱ γ' οὖν προ- ÷ εστῶτες αὐτῆς τὰ τῆς ἡμετέρας ἐκμιμού- ÷ μενοι φύσεως δημιουργήματα, οὐκ ἄλλοις ÷ τισὶν ἢ τοῖς τέτρασι χρώμασιν ἀπὸ τῆς ÷ διαφόρου μίξεως τῇ ποίᾳ παραθέσει, τὴν ÷ ἑνὸς ἑκάστου μορφὴν διαγράφοντες, ἐκμι- ÷ μοῦνται. ÷

Καὶ ὡς μετὰ ταῦτα πάλιν εὕροις, ἡνίκα περὶ τῆς συστάσεως τοῦ ἀνθρωπείου σώματος διαλαμβάνει, φησίν· ÷ Εἰ μὴ πολυποίκιλος ÷ τοῦ Θεοῦ σοφία καὶ διὰ πάντων φοιτῶσα ÷ καὶ πάντα πρὸς τὸ βέλτιον μετασκευάζουσα ÷ καὶ διακοσμοῦσα εἰς τὸ τῆς φύσεως ἀορά- ÷ τως πολλάκις εἰσελθοῦσα ἐργαστήριον τὴν ÷ μήτραν, εὐπρεπέστατον μᾶλλον τῶν ὑπὸ ÷ τοῦ Φειδίου διαγεγλυμμένων ἐκ χρυσοῦ καὶ ÷ ἐλέφαντος ἄγαλμα καὶ ὡραῖον διετυπώ- ÷ σατο. ÷

Παρασημαντέον κἀνταῦθα, ὅτι ὁ τῶν εἰδώλων καθαιρέτης καὶ τῆς Τριάδος προσκυνητὴς καὶ γνήσιος λάτρις οὐκ εἶπεν, ἀποξέομεν, ἢ, καθαιροῦμεν· καίτοι γε τὸ εἴδωλον βδελυκτὸν μᾶλλον καὶ ἀποτρόπαιον, ἤπερ τὰ γεγραμμένα πλοῖα καὶ οἱ κυβερνῆται, ἀλλὰ

Ecce iterum aliud exemplum in eodem libro Methodius descripsit, in quo de pictura sumit tuendæ sententiæ suæ calculum, ubi discurrens de quinque elementis et de cæco a nativitate quem Salvator noster Christus Deus miraculo sanavit, in hunc modum edisserit : « Deus igitur aquam et aera ter- « ramque et ignem commiscens, eaque esse « volens quæ prius non erant, ex omnibus « elementis creavit hominem, carnemque « ut consonum organum cum anima com- « posuit, cujus quidem rei locupletissimum « testimonium pictura est. Qui enim hujus « artis principes sunt, modum quo natura « nostra condita est, imitantes, non aliis « utuntur quam coloribus quatuor, quibus « varie commixtis et pro singularum rerum « proprietate positis, uniuscujusque for- « mam, lineis expressam, imitantur. »

Tum ubi paulo post inveneris quomodo de coagmentatione humani corporis disputet, ait rursus : « [Cujus quæ causa erit], « nisi artificiosissima Dei sapientia, quæ per « omnia transmeat, et cuncta melioris ar- « chetypi intuitu construit et exornat, quæ « persæpe in arcanum illud accedit naturæ « matricisque claustrum, longe elegantius « elaboratura quam quum Phidiæ vario « opere ex auro et ebore statua illa illudque « miraculum cœlatum est. »

Hic te considerare velim ab illo idolorum flagello, Trinitatisque cultore et vero adoratore, non dici : Expungimus, aut, Tollimus. Et etiamsi idolum longe impurius sit et abominandum magis quam picta navigia aut gubernatores, attamen tantæ fabricæ

(1) Ταῦτα. Inde jam nova erunt, quæ tum Epiphanio, tum Gallandii collectaneis desunt.

τὸν καλλωπισμὸν τοῦ τεχνουργήματος καὶ τῶν τεκτηναμένων καὶ ἐνωραϊζομένων τὸ φιλότιμον ἀναθεωρῶν, ὡς ἐν παραθέσεως τρόπῳ, τὸ θεῖον ἄγαλμα τὸν ἄνθρωπον ὑπεραγάμενος, ὅσον τοῦ Πισαίου ὑπερηκόντισε κάλλει καὶ ὡραιότητι, ἀποφαίνεται.

magnificentiam, operumque et ornamentorum eximiam sumtuositatem suspiciens, instituta quadam comparatione, divinam hanc statuam, nempe hominem, longe præstantiorem, quantumvis excelluerit pisæum idolum, pulchritudine et splendore esse demonstrat.

CAPUT XXIV.

Ἐντεῦθεν προσιὼν, εὕροις ἂν ἐν τοῖς μετέπειτα, ὁπότε πρὸς ἀνθρώπους, ὡς δημιουργὸν εἰσφέρει τὸν τῶν ὅλων Θεὸν διαλεγόμενον οὕτω πάλιν τῶν αὐτῶν ἕνεκεν φράζοντα· φησὶ τοίνυν ὁ Θεὸς ὧδέ πως[1] · ÷ Ὦ ψυχαὶ ÷ ἀνθρώπων, ὧν ἐγὼ πατὴρ δημιουργός τε ÷ σαρκὸς, ἣ ἐπείπερ ἐξ ὕλης ἐγένετο, ἀθάνα- ÷ τος μὲν οὐκ ἔσται, οὐ μὴν ἀπολείψει[2], οὐδὲ ÷ τεύξεται θανάτου διηνεκοῦς, δυνάμεώς τε ÷ καὶ μοίρας μείζονος· ἔτι καὶ κυριωτέρου ÷ δεσμοῦ τῆς ἐμῆς βουλῆς τε καὶ εἰκόνος ÷ λαχοῦσα· αὐτίκα γοῦν τῶν τῇδε βασιλέων ÷ αἱ εἰκόνες, κἂν μὴ ἀπὸ τῆς πολυτιμιωτέρας[3] ÷ ὕλης, χρυσοῦ τε ἠλέκτρου τε καὶ ἀργύρου ÷ ἢ ἐλέφαντος ὦσι κατεσκευασμέναι[4], τιμὴν ÷ ἔχουσι πρὸς ἁπάντων. Οὐ γὰρ τὰς μὲν ἀπὸ ÷ τῆς πολυτιμιωτέρας τετεχνασμένας ὕλης ÷ θεραπεύοντες, ἐξολιγωροῦσι τῶν ἄλλων οἱ ÷ ἄνθρωποι[5], ἀλλὰ πάσας ἐπίσης[6] τιμῶσι, ÷ κἂν ἀπὸ γύψου[7] ἢ χαλκοῦ ὑπάρχωσι[8], καὶ ÷ ὁ δυσφημήσας εἰς ὁποτέραν, οὐχ ὡς χρυσὸν[9] ÷ ἐξευτελίσας κρίνεται, ἀλλ' ὡς εἰς αὐτὸν ÷ ἀσεβήσας τὸν βασιλέα[10]. ÷

Ταῦτα ἐκ πολλῶν ὀλίγα παρεθέμεθα, τοῖς φιλοπόνοις γὰρ ἐξερευνᾶν τὰ πλείω παρήκαμεν. Δι' ὧν πάντων ἡ τοῦ προτεθέντος παραδείγματος ἔννοια εὔληπτος τοῖς ἐμμελῶς καὶ

Inde progressus, per me licet subinde cum invenias quando universorum Deum introducit homines quasi Demiurgum alloquentem, eadem rursus eodemque sensu dixisse.

Sic igitur loqui Deus videtur : « O hominum animæ, quarum pater ego sum, « carnisque opifex, quæ etiamsi e materie « facta sit, nec futura immortalis est, non « tamen destruetur, neque mortem obibit « perpetuam, virtutis quippe conditionis- « que melioris est, utpote potentiorem in « mea voluntate et imagine sortita nexum. « Protinus ergo terrenorum imperatorum « imagines, quamquam ex pretiosa admo- « dum materie, auro vel electro, argen- « tove aut ebore non efficiantur, omnium « tamen honorem sibi comparant. Nec enim « si quæ ex opulentiore metallo elaboratæ « sunt, tantum eas homines honorant, dum « aliunde conflatas vilipendunt, sed omnes « æqualiter colunt, tametsi ex gypso vel « ære constent ; quisquis vero earum qua- « lemcumque maledicto petit, non quasi « aurum sperneret, condemnatur, sed velut « in ipsum imperatorem contumeliosus. »

Hæc pauca de multis apposuimus, curam diligentibus committentes ampliora eruendi. Qua quidem oratione propositi exempli significatus perspicuus cuique sedulo et sane legenti exhibebitur, simulque adver-

(1) Πῶς. Hæc etiam partim inedita sunt. — (2) Ἀπολήψει E. — (3) Πολὺ τιμιωτέρας Damascenus, apud quem nostra ab hisce : αὐτίκα γοῦν. Orat. *de imaginib.* inter opp. t. I, p. 389, cf. Galland. t. III, p. 781. — (4) Ὕλης deerat in cod. Damasc.; tum : Χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου ὦσι κατεσκευασμέναι. — (5) Πολὺ τιμιωτέρας θεραπεύοντες οἱ ἄνθρωποι, ἐξολιγωροῦσι τῶν ἐξ ἀτιμιωτέρας, sic Combefisius. Τῶν ἐξ ἀτίμων τιμιωτέρας Lequienius et Galland. — (6) Ἀλλὰ πᾶσαν ἐπὶ γῆς ib. — (7) Εἰ καὶ ἀπὸ γ· ib. — (8) Ὑπάρχουσι ib. — (9) Ὁποτέραν, οὔτε ὡς εἰς πηλὸν ἀφίεται, οὔτε ὡς χρυσὸν ib. — (10) Βασιλέα. Iidem addunt : καὶ κύριον· τὰς μὲν ἀπὸ χρυσοῦ κατεσκευασμένας εἰκόνας τῶν αὐτοῦ ἀγγέλων κ. τ. έ. *Et dominum : quas quidem Angelorum Dei, principatuumque et potestatum imagines ex auro conflamus, eas ad ipsius honorem gloriamque conficimus.*

ὀρθῶς ἐπιβάλλουσι καθίσταται, τῶν δι' ἐναντίας δὲ ἡ παράνοια ὡς ἐμπαθῶς πρὸς τὸ σαρκικὸν φρόνημα ὑφελομένων καὶ κεχρημένων θριαμβεύεται· τοῦ συγγραφέως δὲ οἷα ἀνδρὸς παναρίστου ἡ γνώμη σαφηνίζεται, ὅπως πρὸς τὰ ἀπαντῶντα τῷ καιρῷ τοῖς πράγμασι τὸν οἰκεῖον λόγον διαποικίλλων καὶ μεθοδεύων, εὐσεβῶς καὶ λογικῶς διετέλει.

sariorum amentia carnali sententiæ misere mancipatorum et addictorum in triumphum agetur. Scriptoris denique doctrina, qualis profecto virum decet peroptimum, sole clarior erit, quomodo nimirum rebus secundum eventa opportune electis orationem suam variare et methodice tractare cum pietate et recta ratione perrexerit.

Ἐνταῦθα τελειοῦται τὸ πρῶτον βιβλίον τῶν Ἀντιῤῥητικῶν δύο βιβλίων τοῦ ἁγίου Νικηφόρου [1].

HIC EXPLICIT PRIMUM E DUOBUS ANTIRRHETICORUM LIBRIS SANCTI NICEPHORI.

(1) Νικηφόρου. Solus E hac coronide libellum absolvit, unde nonnihil creatur ambiguitatis. Primum enim videtur hac nota ipse codex E dividendus esse in duos *Antirrheticorum* libros, quorum prior erit ex omnibus quæ ibidem præcedunt, id est : 1° *Testimonia de Christo circumscripto*, etc., fol. 1-19 (*Spicil.*, t. I, p. 336-370); 2° *Antirrheticus adversus Eusebium*, fol. 19-79 (*Ib.*, p. 371-503) ; 3° *Antirrheticus adversus Epiphanidem*, fol. 79-125 (proxime sequitur) ; 4° *Libellus de Magnete*, fol. 126-140 (t. I, p. 302-335) ; 5° *Libellus alter adversus Iconomachos*, fol. 140-179, idem qui nunc absolvitur. — Posterior autem Antirrheticorum liber totus erit in illo spisso et amplissimo tractatu *Adversus pseudosynodum Iconomachorum*, fol. 179-332, quem tomo sequenti reservamus. Sed quum ipsa *Testimonia* quibus hic elenchus incipit, aperte requirant alios Nicephori tractatus *De immaculata fide* et *Adversus Mamonam* libros III, qui in codice E desiderantur, jam neque prioris, neque posterioris *Antirrheticorum* libri recensio satis integra ibidem remansisse censebitur. Sed hactenus hæc.

S. NICEPHORI CP.

ANTIRRHETICUS LIBER ADVERSUS EUSEBIUM ET EPIPHANIDEM.

Ἀντίῤῥησις καὶ ἀνασκευὴ τῶν Εὐσεβίου καὶ Ἐπιφανίδου λόγων, τῶν κατὰ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ σαρκώσεως ληρωδηθέντων.

Refutatio ac eversio Eusebii simul et Epiphanidis sermonum, adversus Salvatoris nostri Jesu Christi incarnationem nugatorie jactatorum.

PARS POSTERIOR.

PSEUDO-EPIPHANII SIVE EPIPHANIDIS CONFUTATIO.

SUMMA ARGUMENTI. — Nicephorus, semel a capite iterumque in calce nervose contractis præcipuis argumentis quæ magnum Epiphanium a causa penitus eximunt [c. I-III, XXIX], — Aciem in varios fidei hostes instruxit et insidias detexit multiplices, in primis vero e pseudo-Epiphanii seu Epiphanidis vitiato *testamento* [IV, V]; — E spuria ejusdem *oratione de imaginibus* [VI-XIII], — E falsa *ad Theodosium imperatorem epistola* [XIV-XXIV]. — Deinde obiter explicata S. Nili *Epistola ad Olympiodorum* [XXV]; — Alteram Basilii Seleuciensis *epistolam ad Leonem imperatorem* carpsit [XXVI]. — Denique hæreticum quemdam Leontium a Leontio Cypriorum antistite orthodoxo diversum statuit [XXVII, XXVIII]. — Tum demum non paucas veterum hæreticorum laciñias ultimæ coronidi attexuit [XXX].

ACCEDUNT EO ORDINE AC LAUDANTUR :

S. EPIPHANIUS.
THOMAS SIDETES EPISCOPUS.
S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.
S. CYRILLUS ALEXANDRINUS.
S. GREGORIUS NYSSENUS.
S. GREGORIUS NAZIANZENUS.
S. NILUS.
S. BASILIUS.
EPIPHANIDES.
BASILIUS SELEUCIENSIS.
EUDOXIUS CP.
LUCIUS ALEXANDRINUS.
MANES.
APOLLINARIS.
DIOSCORUS.
TIMOTHEUS.

VETUS CAPITULORUM ELENCHUS [1].

α'. Ὅτι Ἐπιφανίδης τῆς αἱρέσεως τῶν Δοκητῶν καὶ τῆς ἀθεΐας τῶν Μανιχαίων ἦν.

β'. Ὅτι ὁ μέγας Ἐπιφάνιος ἐπίσκοπος Κύπρου κατὰ πάσης αἱρέσεως συνεγράψατο θρίαμβον.

I. Epiphanidem e Docetarum secta fuisse, exque Manichæorum impietate.

II. Magnum Epiphanium Cypri episcopum ab omni hæresi per scripta sua triumphum egisse.

Ex quinque codicibus Parisiensibus, qui priorem partem habent, sub his numeris in Bibliotheca imperiali asservati, 911, 910, 909, 1250, Coislin. 93, hisque deinceps siglis designati A, B, Γ, E, Δ; quibus adde Sorbon. Ϛ fragmenta.

(1) *Elenchus.* A fere solus hæc lemmata in capite codicis retinuit; alia enim Δ subdit in marginibus; quas quidem varietates plerasque collegi et sub oculis hic posui. Neutras vero notitias a Nicephoro oriundas facile æstimabit quisquis eas legerit, videritque earum ruditatem non semel ἀσυστάτων, ἀλλοτρίων, neque raro a Nicephori textu oscitanter vagantium.

B'. Ὅτι ὁ μ. ἐ. τὰς αἱρέσεις ἐστηλίτευσε, sic Δ, plerumque multo brevius, quando non omittit omnino hos titulos.

γ'. Ὅτι ὁ ἱερὸς μητροπολίτης Σίδης μαρτυρεῖ νόθην εἶναι τὴν λεγομένην ἐπιστολὴν Ἐπιφανίου.

δ'. Κατὰ τῆς διαθήκης Ἐπιφανίδου.

ε'. Ὅρος δόγματος Ἐπιφανίδου.

ζ'. Κατὰ τῶν λεγόντων μὴ ποιεῖν εἰκόνα Χριστοῦ καὶ τῆς ἁγίας Θεοτόκου.

ς'. Εἰς τό· «Ὅταν φανερωθῇ, ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα.»

η'. Τοῦ ἁγίου Ἐπιφανίου κατὰ Κολλυριτῶν καὶ περὶ τῶν ἐν Ἀραβίᾳ γυναικῶν.

θ'. Πῶς εἰκονίζονται ἄγγελοι χρήσεις προφητῶν.

ι'. Περὶ ἀκαταλήπτων καὶ ἀπεριγράπτων.

ια'. Κατὰ τῶν λεγόντων· Ποῦ διέταξεν ὁ Χριστὸς ποιεῖν εἰκόνας καὶ προσκυνεῖν;

ιβ'. Περὶ Ἀβάρου [sic] καὶ τῆς ἀχειροποιήτου εἰκόνος Ἐδέσσης καὶ Ῥώμης.

ιγ'. Κατὰ τῶν λεγόντων ὅτι αὕτη ἡ διάταξις τοῦ πονηροῦ ἐστίν.

ιδ'. Κατὰ τῶν λεγόντων ὅτι τὴν εἰδωλολατρείαν πάλιν Διάβολος ἐν τῷ κόσμῳ ἐνέβαλεν.

ιε'. Ἐκ τῆς γενεαλογίας αὐτῶν δείκνυται Ἐπιφανίδης ψευδόμενος.

ις'. Ὅτι Ἐπιφανίδης ὁμόφρων ἦν Βάλεντος.

ιζ'. Κατὰ τῶν λεγόντων ὅτι πάλιν ὁ Διάβολος τοὺς ἀνθρώπους εἰς εἰδωλολατρείαν εἵλκυσεν.

ιη'. Κατὰ τῶν λεγόντων· Τίς τῶν πάλαι εἰκόνα Χριστοῦ ἐζωγράφησεν;

ιθ'. Κατὰ τῶν λεγόντων γέροντας γράφεσθαι τοὺς ἀποστόλους καὶ κόμην ἔχοντα τὸν Χριστόν.

κ'. Κατὰ τῶν αὐτῶν λεγόντων ὅτι εἰ κό-

III. Quod sacer Sidetum metropolita testatur spuriam esse quæ circumfertur Epiphanii epistola.

IV. Adversus Epiphanidis testamentum.

V. Definitio dogmatis ejusdem.

VI. In eos qui dicunt nec Christi faciendam esse imaginem, neque sanctæ Deiparæ.

VII. Super hoc: «Quum apparuerit, similes ei erimus.»

VIII. E sancto Epiphanio adversus Collyritas et de quibusdam in Arabia mulieribus.

IX. De modo pingendi angelos testimonia prophetarum.

X. De iis quæ nec comprehendi possunt neque conscribi.

XI. Adversus eos qui dicunt: Ubi mandavit Christus fieri imagines et adorari?

XII. De Abgaro et icone non manu facta, Edessena et Romana.

XIII. In eos qui aiunt hanc institutionem esse a maligno invectam.

XIV. Adversus eos qui asserunt idololatriam a Diabolo in mundum esse iterum inductam.

XV. Ex Epiphanii et Epiphanidis parentibus, falsus hic ostenditur.

XVI. Ejusdem esse sententiæ Epiphanidem et Valentinum.

XVII. In eos qui asseverant homines in idolorum cultum a Diabolo esse rursus intrusos.

XVIII. Contra eos qui sciscitantur quis veterum imaginem Christi pinxerit.

XIX. Respondet effutientibus apostolos solere pingi vetulos, Christum vero comatum.

XX. Tum iisdem argutantibus unde fieri

Γ'. Περὶ τοῦ Σίδης Δ. Hic peropportune nobis succurrit B, tam inexspectatam quam pretiosam notitiam in margine subdens, docti cujusdam et diligentis notarii manu: Περὶ Θωμᾶ τοῦ ὁσιωτάτου μητροπολίτου Σίδης καὶ ὁμολογητοῦ. Sed plura infra. — Δ'. Ἀρχὴ τοῦ Ἐπιφανίδου ἐκ τῆς διαθήκης B. Omittit D, ut alia lemmata. — E'. Ὅρος δόγματος Ἐπιφανίδου τοῦ τρισκαταρίστου Δ. Et de hoc iterum infra. — Ιδ'. Περὶ τῶν Χριστιανοκατηγόρων Δ. Ita ad cap. XVII. Vocabulum idem et eorumdem hæresin fuse descriptam vide in appendicula *Antirrh. III adv. Mamon.* apud Maium *Bibl. nov.* t. V, p. 143.

Ιε'. Περὶ τῆς ψευδογενεαλογίας Ἐπιφανίδου Δ. — Ιη'. Τίς τῶν παλαιῶν Δ. — K'. Περὶ τῶν αὐτῶν Δ fere constanter, sed levius id quam ut plus semel notetur. Tum infra: Πῶς τὸν Ἰούδαν ἐξώρητο [?] παραδοῦναι αὐτόν.

μην εἶχεν ὁ Σωτὴρ, τίνι λόγῳ οἱ Ἰουδαῖοι τὸν Ἰούδαν εἰς τριάκοντα ἀργύρια εἵλκυσαν.

κα΄. Ὅτι Ἐπιφανίδης τῆς αἱρέσεως ἦν Μαρκίωνος καὶ Μάνεντος.

κβ΄. Περὶ τῶν βήλων ὧν διετάξατο δοθῆναι εἰς ταφήν.

κγ΄. Κατὰ τῶν λεγόντων ὅτι δεῖ νηστεύειν τῷ σαββάτῳ, καὶ ὅτι ἡ ἁγία Θεοτόκος διὰ ῥομφαίας ἀνῃρέθη δυσφημούντων.

κδ΄. Ὅτι ὁ ἅγιος Ἐπιφάνιος πάσας τὰς αἱρέσεις ἐστηλίτευσε.

κε΄. Περὶ τῆς ἐπιστολῆς Νείλου.

κϛ΄. Περὶ τῆς εἰκόνος τῆς ἁγίας πρωτομάρτυρος Θέκλας.

κζ΄. Περὶ Λεοντίου αἱρετικοῦ.

κη΄. Περὶ Λεοντίου Κυπρίου ὀρθοδόξου.

κθ΄. Ὅτι ἐκ διαφόρων αἰτιῶν δείκνυται ὁ ψευδώνυμος Ἐπιφανίδης ἀλλότριος τοῦ μεγάλου Ἐπιφανίου.

λ΄. Δόξα Ἀρειανῶν καὶ Μάνου καὶ Ἀπολιναρίου καὶ Διοσκόρου καὶ Ἀκεφάλων.

potuerit, si Christus comam nutrierit, ut Judæi XXX argenteis Judam attraxerint.

XXI. Quod Epiphanides erat e Marcionis et Manetis hæresi.

XXII. De velis quæ idem jussit in pauperum sepulturam dari.

XXIII. Adversus eos qui docent jejunandum esse die sabbati, praveque opinantur Deiparam fuisse gladio interemtam.

XXIV. Quod divus Epiphanius omnes hæreses traduxit.

XXV. De Nili epistola.

XXVI. De imagine sanctæ ac protomartyris Theclæ.

XXVII. De Leontio hæretico.

XXVIII. De Leontio Cyprio orthodoxo.

XXIX. Diversis argumentis ostenditur pseudonymus Epiphanides alius a magno Epiphanio esse.

XXX. Doctrina Arianorum, Manetis, Apollinarii, Dioscori et Acephalorum.

Argumentum. I. Velitatione quadam prævia in eos Nicephorus excurrit, qui spuria cuderunt sub falsis nominibus Gregorii, Athanasii, Julii, quin et Epiphanii [1], — II. Septemque argumenta, quasi levia jacula, in antecessum mittit in pseudo-Epiphanii larvam [2, 3, 4, 5, 6, 7, 8], — III. Tum fraudis originem e nacoliano quodam codice in evanido Epiphanidis nomine, sed sublucentibus tituli apicibus servato, callide deprehendit [9, 10, 11].

CAPUT .

Cod A. f. 294.

Τῶν οὐ παρενηνεγμένων [1] ἡ μὲν ἐπιγραφὴ τὸν θεοφόρον ἡμῖν Ἐπιφάνιον, τὸν τῆς Κυπρίων Ἐκκλησίας καθηγησάμενον, ἐμφανίζει· τὸ δὲ τοῦ λόγου σῶμα τῶν Δοκητῶν τινα τῆς πεπλανημένης αἱρέσεως καὶ τῶν Μανιχαίων τῆς ἀθεΐας περιφανῶς εἰσφέρει ὄντα τὸ

1. Eorum quæ nondum apposuimus [testimoniorum in nos adductorum], titulus quidem præ se fert Epiphanium, illum Cypriorum ecclesiæ antistitem; verum ipse sermonis tenor aliquem e falsa Docetarum secta, aut Manichæorum impietatis alumnum

Κα΄. Ὁμόφρων supplevit Δ. — Κβ΄. Περὶ τῶν βήλων διάταξις Ἐπιφάνιος [forte Ἐπιφανίου, ὡς διετάξατο] δοθῆναι εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις Δ. Hinc et inde vulnera non desunt. Sed tanti non est. — Κγ΄. Δεῖ omittit Δ et ultimam resecat dictionem, quæ forte abundat. — Κθ΄. Ὅτι διαφόρως γινώσκεται Ἐπιφανίδης ἀλλότριος τοῦ μεγ. Ἐπιφ. Δ.

(1) Τῶν οὖν παρενηνεγμένων E. Sed A rectius et consequentius cum his quæ proxime præcedunt, quæ legesis edita in tom. I, p. 503.

φρόνημα· καὶ οὐ θαυμαστὸν, εἴγε τοῖς αἱρετίζουσιν φίλον καὶ σύνηθες, ἀλλότρια μὲν ὑποδύεσθαι πρόσωπα, ὑποκρίνεσθαι δὲ τὴν εὐσέβειαν, ἵνα τῷ ἀξιοπίστῳ τῶν προσώπων τοὺς ἁπλουστέρους ἢ ἀμαθεστέρους ἐπάγοιντο. Καὶ γὰρ οὖν οἵ τε ἀπὸ τοῦ παράφρονος καὶ ἀνουστάτου Ἀπολλιναρίου, καὶ μὲν δὴ καὶ οἱ τοῦ θεοστυγοῦς Εὐτυχοῦς, οὕτω τινὰς τῶν ἁγίων Πατέρων φωνὰς παραποιήσαντες πρὸς σύστασιν τοῦ βδελυκτοῦ αὐτῶν δόγματος ἐπικομίζονται· ὁποῖα δή ἐστι τοῦ μεγάλου Γρηγορίου τοῦ θαυματουργοῦ, Ἀθανασίου τε τοῦ ἀοιδίμου, καὶ μέντοι καὶ Ἰουλίου τοῦ τῆς Ῥωμαίων τὴν ἱεραρχίαν λαχόντος· ὧν τὸ ἐπίκλοπον καὶ πανοῦργον ῥαδίως παρὰ τοῖς θηρευταῖς[1] τῶν τοιούτων καταλαμβάνεται. Προτείνουσι δ' οὖν ὅμως διαθήκην πρὸς τοὺς πολίτας διατεταγμένην[2], [ἣ] μὴ ἀναφέρειν εἰκόνας ἐπ' ἐκκλησίας ἢ ἐν κοιμητηρίοις παρεγγυᾷ.

evidenter inducit : neque id mirum. Amant enim solentque hæretici alienas induere personas pietatemque simulare, ut honestæ personæ obtentu simpliciorem quemque imperitioremve alliciant. Ita namque vecordis istius et amentissimi Apollinarii, ita et exsecrandi Eutychetis asseclæ nonnulla sanctorum Patrum dicta ab ipsis immutata et adulterata, impuram ut tueantur suam sententiam, afferunt ; qualia sunt Gregorii Thaumaturgi, Athanasii quoque ore omnium celebrati, sed etiam Julii romanam olim hierarchiam adepti : in quibus fraudem et veteratoriam vafritiem facile deprehendunt qui talia venantur. Nihilominus quoddam Epiphanii testamentum etiam nunc prætendunt, ipsius civibus destinatum, quo eos dehortatur ab imaginibus sive in ecclesiis sive in cœmeteriis asservandis.

CAPUT II.

Α'. Ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔστιν Ἐπιφανίου, δῆλον· καὶ πρῶτον μὲν ἀφ' ὧν ἀκόλουθα Εὐσεβίῳ ὁ γράψας ἀρειανίζων δοξάζει· ὁ δὲ Ἐπιφάνιος ὡς μὲν κατὰ πασῶν αἱρέσεων, πολλῷ δὲ πλέον κατὰ τῆς Ἀρείου μανίας ἔστη, οὐδένα ἂν οἶμαι τῶν λόγου μετεχόντων λανθάνειν[3].

2. Verum illud Epiphanii non esse ea primum declarant quæ Arianus iste scriptor, plane cum Eusebio consentaneus, docet ; illum vero ut in omnes hæreses, sic etiam acrius in Arii furorem insurrexisse, neminem, puto, haud sensus expertem latet.

(1) Θηρευταῖς. Quasi digito Nicephorus suum monstrat Leontium Byzantium, quo diligentior nemo fuit in his mendaciis aucupandis, cujusque fere verba resumit quæ nuperrime nobis dedit cl. Maius. Audi pauca ab initio libri Leontii *adversus fraudes Apollinaristarum :* Τινὲς τῶν τὰ Ἀπολιναρίου νοσούντων, ἤτοι τὰ Εὐτυχοῦς ἢ τῶν ἀπὸ Διοσκόρου τὴν ἰδίαν αἵρεσιν κρατῦναι βουλόμενοι, τινὰς τῶν Ἀπολιναρίου λόγων, ὡς Γρηγορίου τοῦ θαυματουργοῦ ἢ Ἀθανασίου ἢ Ἰουλίου ἐπέγραψαν, τοὺς ἁπλουστέρους ἀπατῆσαι βουλόμενοι, ὃ δὴ καὶ πεποιήκασι· τῇ γὰρ ἀξιοπιστίᾳ τῶν προσώπων πολλοὺς ἑλεῖν τῶν τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας δεδύνηνται. *Spicil. rom.* t. x, p. II, p. 127. Hæc latine dederat post Canisium Galland. t. XII, p. 701. Quæ memorantur hic variorum spuria, sunt 1° Gregorii Thaumaturgi ἡ κατὰ μέρος πίστις quam idem Maius e tenebris primus feliciter transtulit in *Vet. Script. coll.* t. VII, p. 170; 2° Athanasii ἔκθεσις συμφωνοῦσα τῇ τῶν τιη', et alia quæ aut delitescunt aut per pauca innotuere fragmenta; 3° Julii epistolæ plures, nempe una *ad Dionysium* quam Muratorius edidit cum eleganti de hisce fraudibus dissert. inter *Anecd. græc.*, p. 341 sqq.; altera *ad Prosdocium* quam integram Lequienius e cod. anglicano accepit Custantioque tradidit inserendam in *Epist. SS. PP.* app. p. 71. Tertiam adde quam in arabico codice Renaudotius detexit, sed quæ v[a] inscribitur, nec nisi fragmento exstat ibid. p. 82, adjectis duorum opusculor. binis fragmentis. Simile ἀποσπασμάτιον Maius invenit in syriacis codicibus Severi Antioch. *Spicil. rom.* x, p. 194. Sed ad cumulum hæc idem auxit, novam Julii epistolam edendo græce, cum insigni parte duorum sermonum *De incarnat.* et *Adv. hostes incarn.* quæ lege in *Scr. vet.* t. VII, p. 130, 137, 165-169. Attamen idem ait omnia pseudepigrapha Julii scripta nondum esse inventa, quum Leontius septem Julio suppositas fuisse epistolas narrat. — (2) Διατεταγμένην, καθ' ἣν μὴ B. Δ. Sed frequentissime post ν omittitur η; unde voculam restituimus. Διαθήκη Epiphanii partim lecta est in act. conc. nic. II, Mansi t. XIII, fol. 292. — (3) Λανθάνει cod. A solus.

Β'. Δεύτερον δὲ, ὅτι Ἐπιφάνιος, ὡς τὰ κατὰ τὸν βίον αὐτοῦ[1] συγγεγραμμένα διασημαίνει, ἐκ Βύζαντος ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ καταίρων, ἐτελεύτα τὸν βίον. Τηνικαῦτα γοῦν πλοϊζόμενος, τοῖς μαθηταῖς ἐπέσκηπτε τὰ τῆς ἀρίστης αὐτοῖς πολιτείας ὑποτιθέμενος· ἐν οἷς οὐδὲν πρὸς τοὺς πολίτας αὐτοῦ ἢ ἕτερόν τι τῶν ἀπηγορευμένων τῇ Ἐκκλησίᾳ διατιθέμενος δείκνυται. Εἰ μὲν οὖν ὡμολόγηται, ὥσπερ οὖν καὶ ὡμολόγηται καὶ πεπίστευται παρ' ἡμῖν, ἐξαίρετον τοῖς ἁγίοις εἶναι παρὰ Θεοῦ δεδωρημένον χάρισμα τοῦ βίου τὸ τέρμα προειδέσθαι[2], ταῦτα ἡμῖν ἔσται δεκτέα. Εἰ δὲ ἄλλοτε διετίθετο, διημάρτηκε τοῦ χαρίσματος, ὅπερ καὶ λέγειν ἄτοπον, εἴγε θεοφόρος ἀνὴρ διὰ βίου καθαρότητα, καὶ σημείων ἐνέργειαν ἀναδέδεικται.

Γ'. Ἔπειτα, ὅτι οὐδαμοῦ ἐν τοῖς ἀληθῶς παραδεδομένοις ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ γνησίοις αὐτοῦ λόγοις τοιοῦτό τι παραθέμενος φαίνεται, καίτοι περί τε εἰκόνων καὶ εἰδώλων τῶν παλαιῶν, καὶ ἐν ἔθνεσιν ὅπως τὸ ἐξ ἀρχῆς εὕρηνται, οὐκ ὀλίγα γεγραφώς· ὡς εἴπερ οὕτως εἶχε φρονήματος, ἑώρα δὲ κατά τι γοῦν περὶ τὸ θεῖον σέβας τὴν Χριστοῦ Ἐκκλησίαν ἀποσφαλλομένην ἐπὶ τῷ τῶν θείων ὁμοιωμάτων σεβάσματι, σπουδὴν ἂν ὡς πλείστην καὶ πρό γε τῶν ἄλλων ἐν ἐκείνοις, ὡς ἂν ἐπανορθωθείη, γράφειν ἔθετο, καὶ μυρίους τοιούτους συντέταχε λόγους. Κάκιστον γὰρ καὶ δυσσεβέστατον καὶ πασῶν αἱρέσεων εἰς κακίαν τὸ ἔσχατον· ἀλλ' οὔτε, ὡς ὁ ἀληθὴς πρεσβεύει λόγος, τὰ τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας διέσφαλται, οὐδὲ τῷ τῶν εἰδώλων μύσει προσέσχε ποτέ. Καὶ αὐτὸς ᾔδει πάντων μᾶλλον σαφέστερον, ὡς οὐκ ἐνῆν ψευδοεπῆσαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ διὰ τῶν προφητῶν καὶ πάσης σχεδὸν τῆς θεοπνεύστου Γραφῆς ἐπήγγελται, τοῦ πάντων ἡμῶν Σωτῆρος Χριστοῦ τοῖς ἐπὶ γῆς διὰ σαρκὸς ἐπιφανέντος, μηκέτι προσκύνησιν εἰδώλων ἔσεσθαι, ἀλλὰ καὶ τὰ ὀνόματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν ἀπὸ τῆς γῆς

3. Adde quod Epiphanius, uti in scripta ejusdem vita significatur, e Byzantio in suam civitatem navi rediens, vita functus est. Verum eo ipso tempore quum navigaret, discipulis de optima vita ipsis agenda monita commendavit: in quibus nihil sive ad cives suos, sive de iis quæ ab Ecclesia prohibita sint, dictavisse deprehenditur. Verum in confesso si illud est, quod sane non negatur, neque non creditur apud nos, hoc munus peculiare sanctis a Deo concedi, vitæ suæ prævidendi terminum, id nobis de illo quoque accipiendum est. At si alio tempore testamentum suum mandavisset, ab illo dono excidisset, quod vel verbo dicere absurdum est, quum vir ille et vitæ innocentia et virtute miraculorum Deo plenus esse reperiatur.

4. Accedit quod in germanis ejus scriptis quæ per Ecclesiam circumferuntur, nihil simile apposuisse cernitur, tamen etsi de veterum imaginibus idolisque, et quomodo apud Gentiles ab initio obtinuerint, non pauca scripserit, adeo ut si hæc ipsius sententia fuisset, vidissetque vel paululum intercipi Dei honorem in Ecclesia Christi ob sacrarum imaginum religionem, impensiorem præ cæteris zelum exseruisset, scribendo ut talis error amandaretur, librosque hujusce argumenti sexcentos edidisset. Pessimum quippe illud et impiissimum ac nequissimarum hæresium culmen erat. Verum, teste Veritatis verbo, numquam catholica et apostolica Ecclesia in errorem cadit, neque idolorum flagitio adhæsit umquam. Atque idem ille omnium manifestissime scivit non potuisse Spiritum sanctum mentiri, quum a prophetis et ab omni prope Scriptura divinitus data, nuntiatum est fore ut, Salvatore omnium Christo demum in terra per carnem ostenso, nulla futura sit idolorum adoratio, immo vel nomina idolorum ab orbe exterminentur: id enim

(1) Βίον. Hic præ oculis Nicephorus certe habebat quæ etiam nunc legimus in Epiphanii vita, n. 63-65, *Opp.* tom. II, pag. 375-397. Sed hæc quidem scriptiunculæ dubio non carent. — (2) Προΐδεσθαι E.

ἐξαλειφθήσεσθαι, ὡς οἱ τῶν φωνῶν τῶν προφητικῶν εἰς πεῖραν ἀχθέντες ἴσασι.

Δʹ. Μάλιστα δὲ τοιαῦτα ἔδει γράφειν Ἐπιφάνιον, ἡνίκα κατὰ τῆς τῶν Καρποκρατητῶν διελάμβανεν αἱρέσεως, ἣ ἐν ἀρχαῖς τοῦ θείου κηρύγματος χειρίστη ἔφυ αἵρεσις, ἐν οἷς γράφει [1].

÷ Ὅτι ἐπίκλην ἑαυτοῖς ἔθεντο χριστιανούς· ÷ τοῦτο τοῦ Σατανᾶ παρασκευάσαντος πρὸς ÷ τὸ σκανδαλίζεσθαι τὰ ἔθνη καὶ ἀποστρέ- ÷ φεσθαι τὴν τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας ÷ ὠφέλειαν καὶ τὸ ἀληθινὸν κήρυγμα διὰ ÷ τῆς ἐκείνων ἀθεμιστουργίας [2]· ὅθεν ÷ (πιστούμενοι δῆθεν τὸ προσποιηθὲν αὐτοῖς χριστιανῶν ὄνομα) ÷ εἰκόνας Χριστοῦ ἔχουσιν ÷ ἐκ διαφόρων ὑλῶν, ἃς φασὶν εἶναι τοῦ Ἰη- ÷ σοῦ, καὶ ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου γεγενημέ- ÷ νας, ὅτε ἐπεδήμει τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει, ÷ εἶτα καὶ φιλοσόφων Πυθαγόρου καὶ Πλά- ÷ τωνος καὶ Ἀριστοτέλους καὶ ἑτέρων. Ἃς ÷ δὴ καὶ ἱδρυσάμενοι προσκυνοῦσι· καὶ τὰ ÷ ἐθνῶν ἐπιτελοῦσι μυστήρια. ÷

Ἀλλ' οὐδὲν οὐδὲ ἐν ἐκείνῳ τῷ γράμματι ἔφη, ὧν νῦν προχειρίζονται, Ἐπιφάνιος· οὐδὲ τῶν θείων οἴκων τὰς ἱερὰς εἰκόνας ἐκβάλλεσθαι ἐδογμάτισεν, ἢ αὐτοὺς οἴκους καὶ τὰ θεῖα θυσιαστήρια διορύττεσθαι. Ἀλλ' ἐκ τοῦ ἐναντίου, εἴ τις ἐνταῦθα ἐπιστήσειεν, ἴδοι σαφῶς ὡς οὐ μόνον οὐδὲν πρὸς ἀναίρεσιν τοῦ χριστιανικοῦ λόγου ἐγχειρεῖ, ἀλλὰ καὶ συνίστησι μᾶλλον· ἐπίκλην γὰρ ἑαυτοῖς χριστιανῶν θέσθαι εἰπὼν, συνηγορεῖ χριστιανῶν εἶναι [3] τὴν τῶν σεπτῶν γραφῶν [4] τούτων ἀναστήλωσιν· ὥσπερ κἀκεῖνοι, ἐπειδὴ χριστιανῶν ἴδιον καὶ τῆς

sciunt quicumque vocibus propheticis curam adhibuere.

5. Sed maxime omnium oportebat hæc tum scribere Epiphanium, quando adversus hæresin disputavit Carpocratianorum, qua pejor non emersit in primò divini nuntii ævo, ubi inter cætera ait : « Eos sibi christianorum nomen indidisse, id Satana pro- « curante, ut propter eos offensæ gentes ab « sanctæ Dei Ecclesiæ salute abhorrerent, « nuntiatamque repudiarent veritatem ob « illorum pessima scelera; idcirco » (fidem videlicet inde facientes assumpti sibi nominis christianorum) « habere eos Christi ima- « gines e diversa materie, quas esse volunt « Jesu effigies, easdemque a Pontio Pilato « fabricatas, quum Christus inter homines « degeret; pariterque philosophorum, ut « Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, aliorum- « que; et erecta simulacra adorant ritusque « perficiunt gentilium. »

Sed nec in illo tractatu quidquam ait Epiphanius eorum quæ nunc proferunt, nec ab ædibus sacris sanctas imagines extrudi præcepit, aut ipsa destrui templa divinave altaria. Immo, si quis huic loco mentem diligenter adhibuerit, videbit aperte nihil ibi disseri ad evertendam christianorum disciplinam, quæ potius indidem astruitur. Dum enim ille non negat ipsos sibi posuisse nomen christianorum, christianis simul vindicat hanc sacras imagines instituendi consuetudinem : quemadmodum et isti, quum viderent hæc esse Christianis pro-

(1) Γράφει. Epiph. *Opp.* tom. I, pag. 104 B. Quæ quidem satis audacter in usum suum refinxit Nicephorus, si eadem ac nos legit : Εἰσὶ δὲ ἐκ τοῦ σατανᾶ παρεσκευασμένοι καὶ προβεβλημένοι εἰς ὄνειδος καὶ σκάνδαλον τῆς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας· ἐπέθεντο γὰρ ἑαυτοῖς ἐπίκλην χριστιανοὶ, πρὸς τὸ σκανδαλίζεσθαι τὰ ἔθνη δι' αὐτῶν κ. τ. ἑ. E omisit ἑαυτοῖς, quod in marg. A additur altera manu. — (2) Ἀθεμιστουργίας. Inde multa ex editis omittuntur, quædam vero excerptoris sunt; cætera e p. 108 A pergunt. Sed iterum confer : Ἔχουσι δὲ εἰκόνας ἐνζωγράφους διὰ χρωμάτων, τινὲς δὲ ἐκ χρυσοῦ καὶ λοιπῆς ὕλης ἅτινα ἐκτυπώματά φασιν εἶναι τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ταῦτα ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου γεγενῆσθαι τὰ ἐκτυπώματα τοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ, ὅτε ἐνεδήμει τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει· κρύβδην δὲ τὰς τοιαύτας ἔχουσιν εἰκόνας· ἀλλὰ καὶ φιλοσόφων τινῶν Πυθαγόρου καὶ Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους καὶ λοιπῶν· μεθ' ὧν φιλοσόφων καὶ ἕτερα ἐκτυπώματα τοῦ Ἰησοῦ τιθέασιν, ἱδρύσαντές τε προσκυνοῦσι, καὶ τὰ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελοῦσι μυστήρια. — (3) Εἶναι om. et ποιοῦμεν addit A in margine, dum in textu legit : εἰπὼν ὅτι συνηγορεῖ. Sed post vocem ἀναστήλωσιν, rursus idem in margine scribit ποιοῦμεν, et legit : ἀναστήλωσιν ποιοῦμεν, ὥσπερ κἀκεῖνοι· ἐπειδὴ γὰρ χρ. — (4) Σεπτογράφων Δ; nisi mendum hoc, adde verbum lexicis. Sed hæc morosius scrutari inde negligimus, ut suo loco opportunius Nicephori onomasticon expoliatur.

χριστιανῶν θρησκείας ἤδεσαν σύμβολα, διὰ τούτων πιστοῦσθαι τοὺς πολλοὺς ἑαυτοὺς δεικνύειν χριστιανίζοντας ἐπειρῶντο· ὅθεν γνώριμον καὶ πᾶσιν ἐμφανὲς καθίσταται μὴ τὰ προκείμενα λόγια τοῦ θείου εἶναι Ἐπιφανίου, ἀλλά τινος τῶν τὴν θείαν σάρκωσιν ἀθετούντων, καὶ δοκήσει ταύτην γεγενῆσθαι ἀνοήτως δοξαζόντων. Οὐδὲ γὰρ ὁρᾶται τὴν τῶν ὁμοιωμάτων ἐν οἷς εἶπεν[1] ἀποπεμπόμενος ποίησιν, μᾶλλον δὲ καὶ διττὴν οἶδεν οὖσαν τὴν τῆς εἰκόνος σχέσιν· τὴν μὲν φύσει, τὴν δὲ διὰ χρωμάτων ἀπεικαζομένην, καὶ διὰ τοῦτο ἀποδέχεται ἔν τισι τὰ πρὸς ἀπεικασμοὺς καὶ ἀπεικόνισμα κατὰ μίμησιν θεωρίας ἐκτυπούμενα.

Ε'. Ἕτερον δὲ ὅτι οὐδαμοῦ μέχρι καὶ σήμερον ἐν τῇ κατ' Ἐπιφάνιον παροικίᾳ τὰ τῆς ἀνοσίας ἐκείνης διαθήκης ἐμφανίζεται, οὔτε ὁ τοιοῦτος παραδέδεκται λόγος[2].

Ϛ'. Ὃ δὲ μάλιστα εἰς βεβαίωσιν πάντων τυγχάνει, ὅτι ἐκ τῶν ἀνέκαθεν χρόνων, καὶ αὐτοῦ ἔτι κατὰ τὸν τῇδε περιόντος βίον Ἐπιφανίου, καὶ μέχρι τοῦ δεῦρο, πάντες οἱ τῷ Θεῷ ἱερωμένοι οἶκοι τῷ κόσμῳ τῆς ἱερογραφίας λαμπρύνονται περιφανέστατα. Οὔτε οὖν ἱερέων, οὔτε ὁστισοῦν ἀνθρώπων τὸ τοιοῦτον ἐκεῖσε λεχθὲν ἐπίσταται κήρυγμα.

Ζ'. Εἰ δὲ δὴ ἐκ τῶν ὁμολογουμένων τὰ ἀμφιβαλλόμενα κρίνεται, ἐπισκεψώμεθα οἷα περὶ τῆς τοῦ Σωτῆρος οἰκονομίας ὁ ἱερὸς διέξεισιν Ἐπιφάνιος, ἐν τῷ Ἀγκυρωτῷ αὐτοῦ καλουμένῳ βιβλίῳ, ὃ δὴ παρὰ πᾶσι συμπεφώνηται οἰκεῖον αὐτῷ καὶ τῶν γνησίων ὑπάρχον λόγων. Φησὶ τοίνυν ἐνταῦθα[3]· ÷ Ὅσα γὰρ ἐν ἀνθρώπῳ, ÷ καὶ οἷα ἄνθρωπος, καὶ εἴ τι ἐστὶν ἄνθρω- ÷ πος, ταῦτα ἦλθε[4] καὶ ἔλαβεν ὁ Μονογενής, ÷ ἵνα ἐν τῷ τελείῳ ἀνθρώπῳ, τελείως τὸ πᾶν ÷ τῆς σωτηρίας Θεὸς ὢν ἀπεργάσηται[5], μηδὲν ÷ ἀπολείψας[6] τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα μὴ τὸ ἀπο-

pria, hæc christianæ religionis signa, propterea per hæc symbola nitebantur multitudini se ostendere christianos. Unde clarum conspicuumque omnibus est allata argumenta non esse divi Epiphanii, sed alicujus eorum qui divinam tollunt incarnationem, eamque per phantasiam evenisse stolide statuunt. Epiphanius namque non cernitur in iis quæ dixit rejecisse ullam imaginum fabricam, sed duplicem potius iconi novit inesse rationem: alteram ex suapte natura, alteram colorum intuitu adumbratam; et idcirco admittit in aliquibus ea quæ sunt, ad imitationem consideratæ rei, effigie et similitudine expressa.

6. Adde quod in Epiphanii diœcesi numquam ad hunc usque diem, impium illud testamentum visum ullibi est, immo ne fando quidem auditum quidquam simile est.

7. Potissimum omnia inde confirmantur quod ab actis retro temporibus, perque superstitis ipsius Epiphanii vitam, usque nunc, quotquot fuerunt Deo dicatæ ædes, picturæ sacro splendore collustrantur manifestissime. Nemo igitur sacerdotum, nemo hominum ullus istius modi decretum illic editum novit.

8. Jam si ea quæ disceptantur, rebus certis et confessis judicantur, consideremus quænam divus Epiphanius de Salvatoris incarnatione disputet in suo libro qui inscribitur *de Anchorato*, quem consensu omnium proprium ipsi et germanum esse constat. Ait igitur: « Quæcumque « insunt in homine, et qua quis est homo « et quidquid homo est, hæc venit et « assumsit unicus Dei Filius, ut in perfecto « homine Deus ipse perfecte totum salu- « tis nostræ negotium procurare posset, « nulla hominis parte relicta, ne ea pars

(1) Ἦκεν A; aucto errore προσῆκεν B, Γ. — (2) Λόγος. Quid, quod Epiphanius diaconus palam in concilio Nic. II ait sancti Epiphanii discipulos in Cypriorum insula dedicavisse templum, ejusdem Patris vocabulo nominatum, ipsiusque imaginem cum multis aliis titularibus picturis in hoc templo collocavisse? Mansi XIII, col. 296 E. — (3) Ἐνταῦθα. Inter *Opp.* t. II, p. 81 C. — (4) Τοῦτον ἦλθε *ib.* — (5) Ἐργάσηται *ib.* — (6) Ἀπολῃφθὲν *ib.* male. Locus ille Nicephoro solemnis. Cf. *Spicil.* t. I, p. 356, ubi variare eadem notatur.

÷ λειφθὲν μέρος εἰς μέρος πάλιν γένηται ÷ βρώματος διαβόλου. ÷ Εἰ οὖν οὐδὲν μέρος ἀνθρώπου ἀπολέλειπται, μέρος δὲ ἀνθρώπου τὸ σῶμα, τῷ δὲ σώματι ἐκ παντὸς ἕπεται τὸ γράφεσθαι καὶ εἰκονίζεσθαι (εἰ γὰρ μὴ γράφεται, οὐδὲ σῶμα), ὁ Χριστὸς ἄρα σῶμα φέρων τὸ ἡμέτερον, ἀνάγκη πᾶσα, καὶ γραφήσεται κατὰ τὸ σῶμα [1] καὶ εἰκονισθήσεται [καὶ] κατὰ τοῦτον τὸν θεοφόρον διδάσκαλον.

Καὶ εἰ ταῦτα Ἐπιφανίου ὡμολόγηται, ἐκεῖνα πάντως ὡς ἐναντία τούτοις ἀλλότρια ἔσται· ἐπεὶ οὐδὲ σῶμα ἀληθῶς ὁ τοῦ συγγράμματος ἐκείνου πατὴρ τὸν Χριστὸν ἀνειληφέναι τίθεται, σχήματι δὲ καὶ δοκήσει μόνον φαίνεσθαι· ἐμφατικώτερον δὲ ταῦτα διὰ τῶν λόγων αὐτῶν προϊόντες δείξομεν. Ἐν οἷς γοῦν τὰ τοῦ χαρακτῆρος εἴ που κατὰ τὴν συγγραφὴν ὡμοίωται, οὐ προσέχειν τῇ φράσει δεῖ· πολλῷ γὰρ διήλλακται τῷ δόγματι.

« neglecta in partem diaboli pabulumque « iterum cederet. »

Si ergo nulla hominis pars a Christo exsulat, pars vero hominis corpus est, corpori autem omnino consentaneum est ut pingatur et figuretur (si quid enim non effingitur, neque corpus est), Christus igitur, corpus nostrum ferens, pingi valeat omnino necesse erit, qua corpus est, et figuretur; idque, consentiente divino illo magistro.

Jam si hæc esse Epiphanii declarantur, ista profecto, quia plane contraria sunt, erunt aliena : quandoquidem istius libelli parens minime verum fuisse corpus a Christo indutum asserit, nec nisi per speciem et aspectum visum eum esse, id quod luculentissime per ipsos ejus sermones in processu monstrabimus. In his igitur si dicendi modus alicubi per hæc scripta est similis, nulla plane ratio habenda phrasis aut styli; quippe maxima est in utroque doctrinæ diversitas.

CAPUT III.

Ὁποῖον δὲ πρὸς τούτοις καὶ ἕτερον πρὸς τὴν τῶν εἰρημένων πληροφορίαν (ὃ καὶ ταῖς ἁπάντων ἀκοαῖς παραθέσθαι, οὐκ ἄκομψον εἶναί μοι δοκεῖ, καὶ ταῖς μετέπειτα γενεαῖς παραπέμψαι) λέξων εἰμι. Ἀνήρ τις τῶν καθ' ἡμᾶς ἱερέων οὐκ ἄσημος, οὐδὲ ἀσήμου πόλεως ἀρχιερεύς, ὃς μέχρι τοῦδε περιλείπεται τῷ βίῳ, εἰς γῆράς τε βαθὺ εὖ ἥκων, καὶ πολιὰν αἰδέσιμος, οἶμαι θείας οἰκονομίας ἔργον, τῶν ἀσεβῶν στηλιτευούσης τὴν κακοήθειαν· τὸν Σίδης δὲ τῆς μητροπόλεως ἰθύνειν ἔλαχε θρόνον [2], ἤδη τοῦ καπνοῦ προανίσχοντος καὶ τῆσδε τῆς καθ' ἡμῶν ἐπιλαβούσης τυραννίδος προανακρουομένου τὸ πῦρ. Ἐπειδὴ πολλάκις

9. Præterea et aliud argumentum, quo dicta modo plene confirmentur quale sit, nunc dicturus sum : nam non illepidum mihi visum est illud omnium auribus commendare serisque deinceps committere ætatibus. Vir quidam, nostros inter pontifices non obscurus, neque obscuræ civitatis antistes summus, idem etiam nunc vita superstes, in altissimam quidem senectutem progressus feliciter, canisque venerandus (ita, opinor, divino numine procurante, ut impiorum nequitiam infami palo affigat), Sidæ metropolitano throno præfici sortitus erat, quum jam is fumus evolvi inciperet, ignemque tyrannidis super nos ingruentis

(1) Κατὰ σῶμα B, Γ. Mox deleam καί. — (2) Θρόνον. Nomen feliciter posuit scholion codicis Δ supra allatum, habemusque jam novum Orientis christiani episcopum, novumque Ecclesiæ confessorem, forte in SS. imaginum causa certantem strenue. Is Thomas Sidetes erit. Scholiastes enim ille hic voluit agi περὶ Θωμᾶ τοῦ ὁσιωτάτου μητροπολίτου Σίδης καὶ ὁμολογητοῦ, de cujus nomine silet *Oriens christianus*, etsi t. I, p. 999, Nicephorum brevi stylo Lequienius perstrinxerit; sed nec sine mendo : legit enim ἀρχιερεὺς ὤν, μέχρι... τὰ πῦρ... εἶτα ἐν μέσῳ, etc. Sed ipse corrigar, ad t. I, p. 380, not. 1, ubi pro *Nacoliæ* excidit *Natoliæ*.

ἡμῖν κατὰ συνόδους συνήδρευεν, ἐξαναστάς ποτε τῆς καθέδρας, ἔστη ἐν μέσῳ τῷ ἱερῷ συνεδρίῳ, καὶ ἔλεξε τοιάδε· «Ὡς δὴ κατὰ τὴν Νακόλειαν, τὸ Φρυγίας πολίχνιον, ἔνθα πάλαι ἡ πικρὰ τῆς ἀποστασίας παραφυεῖσα ἄκανθα εἰς μέγα κακίας καὶ πονηρίας τὴν βλάστην ἐπηύξησεν, τὰς διατριβὰς ἐκ μειρακίου ποιούμενος, μαθημάτων τε ἱερῶν καὶ πολιτείας πνευματικῆς ἕνεκεν, ἐπὶ τὸ κυριακόν ποτε κατὰ σχολὴν εὐξόμενος ἄπειμι· τὸ δὲ ἦν ἐκκλησία ἡ καθολικὴ τοῦ πολίσματος, καὶ αὐτοῦ δὴ βίβλῳ ἀνειμένῃ περιτυγχάνω κατὰ τὸ τέμενος, ἐν ᾗ τὰ βλάσφημα ἀναγνοὺς δόγματα, μικροῦ τῇ ἀσεβείᾳ ὑπάγομαι· ἐντεῦθεν δρομαῖος ἐπὶ τὸν καθηγεμόνα χωρῶ. Δαῦκος δὲ οὗτος ἐπεκέκλητο. Καὶ εἶτα οἷά μοι τῶν ἀναγνωσθέντων ἀπήγγελλον· ὁ δὲ ὡς ἂν μὴ τὸν νοῦν ἀποσυληθεὶς, ἅτε τὸ ἀκμαῖον τῆς ὥρας ἐπαγόμενος [1], καὶ τὸ βεβηκὸς οὐκ ἔχων πρὸς τὴν τῶν λυσιτελούντων ἐπίκρισιν, τοῦ ὀρθοῦ ἐκπέσοιμι λόγου, ἐκέλευεν ὅτι τάχιστα πρὸς τὸν ναὸν καὶ εἰσαῦθις ἀφῖχθαι, καὶ σπουδῇ τὴν ἐπιγραφὴν τῆς βίβλου ἀνερευνήσασθαι. Ἐγὼ δὲ μελλήσας οὐδὲν, ἀπῄειν αὐτίκα ἐκεῖσε, καὶ λαβὼν μετὰ χεῖρας τὴν βίβλον, καὶ εἰς τὸ ἀσφαλὲς διερευνώμενος, ὁποῖον τὸ ἐν τῇ ἐπιγραφῇ κακούργημα, εὐθὺς ἐπαισθάνομαι· εἶδον γὰρ οὐ μάλα εἰς τὸ ἀκριβὲς διεξεσμένον τὸν τόπον καθ' ὃν ἐγέγραπτο τοὔνομα, καὶ ἤδη τοὺς πρώτους τῆς γραφῆς ὑποφαίνοντας χαρακτῆρας τεθέαμαι, καὶ σαφῶς μοι τὸ πανοῦργον τοῦ δράσαντος διαγορεύοντας· ἔτι γὰρ ἡ Ἐπιφανίδου προσηγορία ἐν τῇ ἐπιγραφῇ παρεδείκνυτο ἀναγινωσκομένη σαφέστατα.» Ταῦτα οὐχ ἅπαξ μόνον, ἤδη δὲ καὶ ἐπὶ δυσὶ καὶ τρισὶν ἐντεύξεσιν, ὡς ὑπὸ Θεῷ μάρτυρι, εἰς ὑπήκοον τῶν συνειλεγμένων ἱερῶν ἀνδρῶν παραστὰς ὁ ἀρχιερεὺς, πληροφορίας τῆς Ἐκκλησίας χάριν, ἀνεπαισχύντῳ περιήγγειλεν συνειδότι· ὃς ἡμῖν ἀπό τε τῆς πολιᾶς, ἀπό τε τῆς ἱερωσύνης, καὶ τοῦ κατὰ τὸν βίον ἀνεπιλήπτου,

annuntiaret. Postquam non semel in synodis nobiscum consederat, die forte quadam, de sede exsurgens, in medio stetit, hæc profatus :

10. « Circa Nacoliam, Phrygiæ oppidulum, ubi olim hæc amarulenta apostasiæ « adnata spina est, quæ in prolixam improbitatis et nequitiæ crevit propaginem, quum forte studiis per adolescentiam « vacarem, tam ob sacras disciplinas quam « spiritualis vitæ intuitu, per vacationem, « orandi gratia, adii templum. Erat autem « ecclesia viculi catholica. Ibi porro incidi « in librum prope cancellos apertum, in « quo blasphemis lectis dogmatibus, impietate illa propemodum subigor. Quare « raptim aufugiens, me ad præsidem recipio. Daucus illi nomen erat. Cui ego « quæcumque legeram, renuntiare. Ille « autem (forte veritus ne ego animo destitutus, juventutisque abreptus æstu, « minusve idoneus ad utilia tuto secernenda, e recta exciderem doctrina), jussit « me quam citissime repetere templum, et « diligenter in inscriptionem libri inquirere. Nil ego moratus, huc festinare, ma« nibusque arrepto libro, indubia scrutari « indicia, quibus statim deprehendo qualis « in titulo fraus facta sit. Vidi namque non « valde diligenti cura arrasum esse locum « ubi nomen inscriptum fuerat, et jam « prioris scripturæ sublucentes apices in« tuebar, quibus splendide mihi malus fal« sarii dolus prodebatur. Adhuc enim « EPIPHANIDIS nomen, in titulo olim lectum, « emicabat apertissime. »

11. Hæc ille, non semel, sed iterum, iterumque, occasione data, Deo veluti teste, coram sanctorum pontificum synedrio stans archiepiscopus, quo certior penitus Ecclesia fieret, purissima conscientia palam pronuntiavit. Is igitur qui nobis erat tum a cana senectute, tum a dignitate pontificia, tum ab integritate vitæ fidem omnem con-

(1) Ἐπαγόμενος. Quæ forte Nicephori satis rara elegantia est, vix alibi invenienda. Sed alio loco plura.

τὸ ἀξιόπιστον ἐπιφερόμενος, μάρτυς τῶν ζητουμένων εἰσενήνεκται ἀπαράγραπτος.

Ἔδει λοιπὸν ἡμᾶς δείξαντας μὴ ὄντα Ἐπιφανίου τὰ γεγραμμένα, καταθέσθαι τὸν λόγον, οὐ γὰρ τὰ δογματιζόμενα, τοῦ παρεγγράπτου δὲ προσώπου τὸ ἐπίσημον εἰς τὸν κατὰ τῆς Ἐκκλησίας πόλεμον τοὺς ἐχθροὺς διανίστησιν· ὅμως οὐ παραιτητέον ἡμῖν τοῖς κενολογουμένοις ἀντεπεξέρχεσθαι. Τί οὖν φησὶν ὁ Ἐπιφανίδης; οὐ γὰρ ἔτι, τῶν τεχνασμάτων ἐκκαλυφθέντων, καλεῖν Ἐπιφάνιον θέμις.

ciliaturus, testis rerum quas inquirimus introductus est omni exceptione major.

Cæterum debebamus, postquam ostendimus Epiphanii non esse hoc scriptum, deponere calamum, nec plura scribere; quia non ipsa libelli doctrina, sed mentitum falsarii signum inimicos in bellum adversus Ecclesiam concitat. Nihilominus non est detrectanda nobis inaniter dictorum confutatio. Quid ergo ait Epiphanides? non enim, detectis fraudum involucris, Epiphanium dicere fas est.

CAPUT IV.

ARGUMENTUM. In Epiphanidis *Testamento* subodorari licet Docetarum phantasiam [n. 12], — Infidelitatem ethnicam [13], — Quin Eusebium ipsum [14, 15]. — In oratione vero *de Imaginibus*, etc., a titulo fraus vapulat [16]; — Tum ridetur stulta de angelorum ossibus opinio [17], — Et de pariete dealbato [18, 19]; — Tacta obiter falsarii hypocrisi [20], — Exponitur quid sit imago Christo conformis [21], — E Chrysostomo [22], — E Cyrillo [23], — Ex Apostolo [24]; — Tum ex aliis quid ipsa imago [25, 26]; — Quid illi cum libris et templis commune [27, 28]; — An muta sit et mortua [29]. — Epiphanium demum longe alia ac volunt, docuisse [30, 31].

÷ Οὐκ ἐξέσται χριστιανῷ δι' ὀφθαλμῶν ÷ μετεωρίζεσθαι καὶ ῥεμβασμῷ νοός· ἀλλ' ÷ ἐγγεγραμμένα καὶ ἐντετυπωμένα ἔστω ÷ πᾶσι τὰ πρὸς τὸν Θεόν [1]. ÷

Ὅλος φαντασιώδης ὤν, καὶ δοκήσει οὐκ ἀληθείᾳ τὴν τοῦ λόγου σάρκωσιν πεπρᾶχθαι οἰόμενος, εἰς ἔλεγχον δὲ τῆς ἑαυτοῦ παρανοίας καὶ ἀσεβείας τῶν ἱεροτυπιῶν τὴν γραφὴν καθορῶν, ἐναργῶς ταύτην καὶ κατὰ ἀλήθειαν γεγενῆσθαι δεικνύουσαν, μετριώτερόν πως τίθεται, καὶ τὴν τῆς γνώμης πονηρίαν ἐκ τοῦ προφανοῦς τέως οὐκ ἀποφαίνει. Προσποιεῖται δὲ τῇ Χριστιανῶν εὔνους εἶναι δόξῃ καὶ ὁμολογίᾳ, κατηγορεῖ δὲ τῷ ὄντι τῆς καθ' ἡμᾶς ὀρθῆς τε καὶ εὐσεβοῦς ὑπολήψεως, νομοθετῶν ὥσπερ μὴ ἐξεῖναι χριστιανῷ δι' ὀφθαλμῶν μετεωρίζεσθαι καὶ ῥεμβασμῷ νοός· 97. οὐ συνιεὶς ὁ ἀνόητος ὅτι οὐκ ἀποπλανᾷ ταῦτα τὸν νοῦν, ἐπὶ τὰς ἐκεῖθεν δὲ θεωρίας ἀνάγει μᾶλλον· ἐπεὶ καὶ τῶν λεγομένων καὶ ἀκουομένων τὰ δι' ὄψεως ἐμφανιζόμενα ἐναργέστε-

12. ÷ Illicitum est christiano viro oculorum lenociniis extolli aut animi oberratione; sed intus [*animis*] inscriptas et intus effictas omnes habeant res divinas. ÷

Totus in phantasia quum iste sit, ficteque non re ipsa Verbum esse carnem factum existimet, sed dementiam et impietatem suam confutari videat sacrarum imaginum picturis quæ evidentem et veram ostendunt incarnationem, moderatius incipit et sententiæ perversitatem nondum aperte patefacit. Simulat enim se favere christianorum fidei et confessioni, re autem vera impugnat quod apud nos sane est pieque receptum, dum lege definit illicitum esse christiano viro oculorum spectaculo extolli aut animi oberratione; non intelligens ille vesanus imaginibus mentem non decipi, immo potius per eas ad contemplationem assurgere. Ea enim quæ sub oculis expressa sunt, significantius quam dicta auditave, earum quæ exhibent rerum intellectus ani-

(1) Θεόν. Pauca quæ addunt acta conc. nic. II, l. c. col. 291, quo nostra integra sunt, huc accedant: Προσέχετε ἑαυτοῖς καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς παρελάβετε· μὴ ἐκκλίνητε δεξιᾷ μηδὲ ἀριστερᾷ... Tum quæ supra tetigit Nicephorus: Καὶ ἐν τούτῳ μνήμην ἔχετε, τέκνα ἀγαπητά, τοῦ μὴ ἀναφέρειν εἰκόνας ἐπ' ἐκκλησίας, μήτε ἐν τοῖς κοιμητηρίοις τῶν ἁγίων, ἀλλ' ἀεὶ διὰ μνήμης ἔχετε τὸν Θεὸν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν· ἀλλ' οὔτε κατ' οἶκον κοινόν· οὐκ ἔξεστι γὰρ χριστιανῷ δ. ο. μ. καὶ ῥεμβασμῶν τοῦ νοός. Nec plura ibi. — (2) Ἁπάντων E.

ρόν πως τῶν ἀπ' αὐτῶν δηλουμένων τοὺς λόγους ἐντυποῖ τῇ ψυχῇ, ὡς διαρκέστερον παραμένειν ἐν τῇ μνήμῃ παρακατατιθέμενα, ὅσῳ καὶ τὸ ὀπτικὸν τοῦ ἀκουστικοῦ μᾶλλον δραστήριον, καὶ πρὸς πίστιν τὸ ἐπαγωγὸν πλέον ἔχον. Εἰ μὲν οὖν τῷ ἐκείνου νῷ καὶ τῶν τῆς αὐτῆς ἐκείνῳ μεταλαχόντων ἀπάτης μετεωρισμὸς καὶ ῥεμβασμὸς τὰ ἅγια πρόκειται, τοῦτ' ἂν[1] καὶ Ἰουδαίοις καὶ Βαρβάροις καὶ Ἕλλησιν ἔσται. Οὕτω γὰρ καὶ Χριστὸς, ἡνίκα ἐσταυρωμένος κηρύσσεται, « Ἰουδαίοις ἐστὶ σκάνδαλον, ἔθνεσι δὲ μωρία· καὶ ὁ λόγος ὁ τοῦ σταυροῦ τοῖς μὲν ἀπολλυμένοις μωρία ἐστὶ, τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν δύναμις Θεοῦ ἐστίν[2]. »

Ὅτι δὲ, ἐν ᾧ ταῦτα λέγουσι, σκότους καὶ ἀπιστίας τὸν νοῦν ἐμπίπλανται, πρὸς τὴν ἐνοικοῦσαν τοῖς ἱεροῖς χάριν, ὧν χάριν εἰσὶ τύποι, τὰς νοερὰς ἐνεργείας ἐξαμαυρούμενοί πως καὶ ἀπομύοντες, καὶ μάλα ἰσχυρισαίμην· καὶ γὰρ « τὸ Εὐαγγέλιον ἡμῶν ἐν τοῖς ἀπίστοις ἐστὶ κεκαλυμμένον, ἐν οἷς ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοῖς τὸν φωτισμὸν τοῦ Εὐαγγελίου τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ· ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ[3]. » Εἰ τις γὰρ ἂν αὐτῶν διαπύθοιτο, ἐπειδὰν ταῦτα ὁρῶσιν, εἰς τίνος μνήμην προσάγονται· τί ἐροῦσιν ἢ πάντως Χριστοῦ; οὐ γὰρ ἂν ἑτέρου εἰπεῖν ἔχοιεν, εἰ μὴ παντελῶς ἔξω νοῦ καὶ φρενὸς καθεστήκασιν. Τί οὖν τὸ ἐντεῦθεν βλάβος αὐτοῖς; λέγειν θαῤῥείτωσαν. Ἀλλ' ἐκεῖνο ἀληθὲς εἰπεῖν ὅτι βαρὺς αὐτοῖς ἐστιν ὁ Χριστὸς καὶ εἰς μνήμην ἰὼν, καὶ ἐν εἰκόνι βλεπόμενος[4]. Χριστιανοῖς γὰρ (ἐπειδὴ ἡμεῖς ἐσμεν οἱ χριστιανοὶ τῇ τοῦ Θεοῦ σωζόμενοι χάριτι, καὶ ὃ βλέπομεν, οἴδαμεν· καὶ ὃ ἀκούομεν, συνίεμεν) οὐ μόνον οὐ τὸ μετεωρίζεσθαι ἢ ῥεμβασμὸν νοὸς παρέξει (πῶς γὰρ οἷόντε ἃ τὴν μνήμην Χριστοῦ

mo figunt, ut eo perennius memoriæ commendata immaneant, quanto visionis acies vegetior auditu est fidemque oculis subjecta elicuit abundantiorem. Si igitur in opinione illius, ejusdemque fraudis alumnorum sacra nostra sunt levitas et erratio, næ cum Judæis, barbarisque et Græcis facient. Ita enimvero Christus, ubi crucifixus esse nuntiatur, « Judæis scandalum est, gentibus « vero stultitia; sermo namque crucis his « qui pereunt, stultitia est, nobis autem « qui salvamur, virtus Dei est. »

13. Libenter equidem affirmaverim illos, dum hæc talia dicunt, tenebris et infidelitate animum repletum habere et mentis vim obtusam ac fere cæcutientem respectu ad gratiam sacris imaginibus inhabitantem, eo quod hæ imagines sunt sacrorum typi. Etenim « Evangelium nostrum infidelibus « opertum est, in quibus Deus hujus sæculi « obcæcavit cogitatus infidelium, ne illu- « cescat eis lumen Evangelii gloriæ Christi, « qui est imago Dei. » Si quis enim ab illis sciscitetur : quando hæc contemplentur, in cujusnam memoriam adducantur? quid aliud dicent, quam in memoriam Christi? Nullius quippe alius dicere poterunt, nisi omnino nec mentis sint, nec sensus compotes. Quid igitur hinc detrimenti capiant? Audacter dicunto. Verum enimvero illud reapse dicendum est, molestum istis esse Christum, etiam memoriæ subeuntem, etiam in imagine spectatum. Nobis vero christianis (christiani quippe ii sumus, qui gratia Dei salvamur, qui scimus quod vidimus, qui quod audivimus intelligimus), nedum Christi imago levitatem inducat aut animi vertiginem (quomodo enim hoc efficere possunt quæ Christi memoriam excitant evidentissime?), immo juxta rerum veritatem divinam ipsius incarnationem nobis delineat, quin et mirabiles virtutes

(1) Τοῦτ' ἄν. Ad hæc insolentiora hæsit ὁ γραφεύς; primum enim scripsit οὖν, quod melius mutatum fuisset in οὐ cum interrog. — (2) Ἐστίν. I Cor. I, 23, 24. — (3) Θεοῦ. II Cor. IV, 3, 4. — (4) Βλεπόμενος. Jam monuimus quam volupe sit Nicephoro dictum hoc in Iconomachos intorquere, ut quasi operum suorum tessera sit et peculiare criterium, quippe idem regessit in t. I, p. 378, 447, 463, 466, etc. Tum in Maianis opusculis *Bibl. N.* t. V, p. IV, p. 35, 38, 67, 109. Nota demum id illi venisse e θεοπνεύστου sapientis Σοφίᾳ, c. XI, 20, nec a simili sententia Ambrosium recedere multum in t. II, p. 93, ed. BB.

ἐμφανέστατα δηλοῖ;), ἀλλὰ ταῖς ἀληθείαις αὐταῖς τήν τε θείαν ἐνανθρώπησιν αὐτοῦ ἡμῖν ὑπογράφει, τῶν τε θαυμάτων καὶ παθημάτων ἅπερ ὑπὲρ ἡμῶν ἔδρασέ τε καὶ ἔπαθεν, εἰς ἀνάμνησιν ἄγει· ὡς δὲ [1] κατάνυξιν καὶ εὐλάβειαν τῶν ὁρώντων πιστῶν ταῖς ψυχαῖς ἐμποιεῖ, τί χρὴ λέγειν; διεγείρει τε γὰρ αὐτῶν τὰ φρονήματα πρὸς δοξολογίαν καὶ ἐξομολόγησιν ὧν πεπόνθαμεν διὰ τῆς μεγάλης καὶ φιλανθρώπου αὐτοῦ συγκαταβάσεως, μεγίστων καὶ ἀξιαγάστων εὐεργεσιῶν χάριν, αὐτῷ τὴν χάριν ἀνατιθέντων, οὐ τοῖς χρώμασι προσνεμόντων· οὐδαμοῦ γὰρ παρὰ χριστιανοῖς τοῦτο ὑπείληπται ἢ νενόηται. Καὶ τὰ μὲν τῆς εἰρημένης χρήσεως τοιαῦτα.

et ærumnas, quas et propter nos egit, et libenter sustinuit, commemorat. Quomodo autem compunctionem quoque et religionem intuentium animis fidelium præstet, quid opus est verbis exprimere? Eorum etiam excitat animos ut hymnis et laudibus celebrent ea quibus affecti sumus beneficia ob magnam ejus et humanissimam ad nos usque demissionem, utque propter hæc amplissima ac stupenda nimis munera, dignam gratiarum vicem illi rependamus, sed nihil meris tribuamus coloribus; non enim illud Christianis acceptum est umquam, aut cogitatum. Atque de prædicta particula hactenus hæc.

CAPUT V.

Ἔτι δὲ πρόσκειται ἑτέρα χρῆσις ἐκ τῆς δογματικῆς αὐτοῦ ἐπιστολῆς, ὧδέ πως ἔχουσα· ÷ Εἴ τις τὸν θεῖον τοῦ Θεοῦ Λόγου χαρακτῆρα ÷ κατὰ τὴν σάρκωσιν ἐξ ὑλικῶν χρωμάτων ÷ ἐπιτηδεύει κατανοῆσαι... ÷ Ταῦτα ὡς οὐκ ἔστι τοῦ θεοφόρου Ἐπιφανίου, παντί τῳ σαφές· ὅτι δὲ ἄλλος Εὐσέβιος διὰ τῶν λόγων τούτων ἡμῖν ἀναδέδεικται, οὐδένα ἂν οἶμαι τῶν νοῦν ἐχόντων πρὸς ἀμφιβολίαν ἰδεῖν. Ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνος ἐξ ὅλων ὅλην μεταβεβλῆσθαι τὴν τοῦ δούλου μορφὴν ἐδογμάτιζεν, ἐξ οὗ τὸ μηδὲ εἶναι σῶμα καὶ σάρκα, καὶ διὰ τοῦτο μηδὲ γράφεσθαι συνεπέραινεν· οὕτως οὗτος τὴν σάρκωσιν ἐπὶ Χριστοῦ παντελῶς ἀναιρεῖ, ἢ τὸ διηλλαγμένον πρὸς τὴν τοῦ δούλου μορφὴν ὅλως οὐδέν [2] καὶ ἀναιρεῖ τοσοῦτον, ὡς μηδὲ τὸ παράπαν ἐπὶ Χριστοῦ σαρκός τι παρακολουθεῖν γνώρισμα, μήτε μὴν χαρακτηρίζεσθαι αὐτὸν καθ' ὅντινα οὖν τρόπον ἐκ τῶν τῆς σαρκὸς ἰδιωμάτων· δι' ὃ Λόγου Θεοῦ μόνον χαρακτῆρα κατονομάζει, οὐδαμῶς τοῦ συνθέτου τῆς κατὰ Χριστὸν ὑποστάσεως μνήμην ποιούμενος. Εἰ γὰρ καὶ σάρκωσιν παρατίθεται, οὐχ ὡς ὑπάρχουσαν καὶ σωζομένην ὁμολογῶν, ἀλλ' ὡς οὐκ

14. Deinde additum est e dogmatica ejusdem epistola alterum lemma, his fere verbis : ÷ Si quis divinum Dei Verbi characterem secundum incarnationem ope ÷ materialium colorum affectaverit apprehendere... ÷

Hæc deiferi Epiphanii non esse, cuivis manifestum est. Immo alterum Eusebium per hæc verba nobis palam exhiberi, nemini, opinor, mente instructo ambiguum erit. Ut enim hic omnem omnino servi formam transmutatam fuisse in Christo asserebat, indeque nec corpus esse, neque carnem, nec idcirco pingendum esse colligebat: ita ille e Christo incarnationem funditus evellit, aut differentiam servilis formæ tollit penitus; adeo ut ne ullum quidem carnis in Christo vestigium supersit, unde ipse qualicumque modo e propriis carnis lineamentis possit exprimi. Hic igitur unum Verbi Dei characterem enuntiat, nec ullam compositæ Christi personæ mentionem subdit. Si enim incarnationem proponit, minime eam uti præsentem confitetur et incolumem, sed quasi non exsistentem; quo fit

(1) Ὡς δέ. Hic incipit prima pericope cod. Sorbon. ς de quo vide Proleg. — (2) Οὐδενοῖ forte melius.

οὖσαν· ἔνθεν καὶ τὴν τῶν ὑλικῶν χρωμάτων ἐπιτήδευσιν πρὸς κατανόησιν τοῦ χαρακτῆρος τοῦ θείου Λόγου ἀπαναίνεται, Λόγου μόνου λέγων χαρακτῆρα, ὡς ἀκοινωνήτου τῆς καθ' ἡμᾶς φύσεως, καὶ τέλεον τὴν τῆς σαρκὸς φύσιν παρωθούμενος.

Ἀλλὰ περὶ τούτων καὶ πρώην ἐν τοῖς A. 298. πρὸς Εὐσέβιον εἴρηται[1]. Τοῦτο δὲ μόνον ἐν τῷ παρόντι φαμὲν, ὡς οἱ καθ' ἡμᾶς θεολόγοι προεληλυθέναι Θεὸν μετὰ τῆς προσλήψεως ἓν ἐκ δύο τῶν ἐναντίων τὸν Χριστὸν ἐκπαιδεύουσιν[2]· καθ' ἃ δὴ καὶ ὁ τῆς ἀληθείας ἔχει λόγος. Εἰ οὖν κατὰ τὴν σάρκωσιν, ἤγουν καθ' ὃ τὴν σάρκα τὴν ἡμετέραν πεφόρηκε, καὶ ὤφθη ἀνθρώποις πλὴν ἁμαρτίας γεγονὼς ἄνθρωπος, δι' ὑλικῶν χρωμάτων τὸν χαρακτῆρα, ἤγουν τὴν ὑπόστασιν, οὐ κατανοηθήσεται, λείπεται πάντως κατὰ τὴν θεότητα, καὶ καθ' ὃ Θεοῦ Λόγος, διὰ τούτων κατανοηθήσεσθαι· ἐπεὶ πῶς καὶ ἐν τίνι τῶν ἐναντίων ὁ λόγος καὶ τὸ διάφορον σωθήσεται; Ἐξ οὖν ἀτόπου μείζονι ἀτόπῳ περιπεπτώκεσαν (τοῦτο πεπονθότες, εἰς ταὐτὸν λέγοντες σάρκα καὶ Θεὸν συνηνέχθαι φύσεως), ἢ μηδὲ τὸ παράπαν διασεσῶσθαι τὴν σάρκα, ἢ μηδὲ τὴν ἀρχὴν ἀνειλῆφθαι· ὧν τί ἀτοπώτερον, ἢ ἀθεώτερον! Διὸ πόῤῥω τῆς καθολικῆς Χριστοῦ Ἐκκλησίας τὰ ἔκθεσμα αὐτῶν καὶ ἀνόσια ἐξελαυνέσθωσαν δόγματα. Παρ' ἡμῖν γὰρ τοῖς τὴν ὀρθὴν καὶ ἀδιάβλητον κεκτημένοις πίστιν, « ὁ χαρακτὴρ τῆς τοῦ Πατρὸς ὑποστάσεως, » θεῖος Λόγος, εἷς καὶ ὁ αὐτὸς μετὰ τοῦ προσλήμματος, τοῦ καθ' ἡμᾶς γεώδους καὶ ὑλικοῦ, ὁμολογεῖταί τε καὶ πιστεύεται· διὸ καὶ ἐξ ὑλικῶν χρωμάτων γράφεται καὶ νοεῖται ὡς ἄνθρωπος· καθ' ὃ γὰρ Λόγος καὶ Θεὸς, ἄληπτος πάντη καὶ ἀκατανόητος, σώζων ἐν ἑαυτῷ καὶ τὸ διττὸν τῶν φύσεων, καὶ τὸ ἑνιαῖον τῆς ὑποστάσεως. Εἶτα, ἐπειδὴ καὶ ἀνάθεμα τοῖς εἰρημένοις τῷ πεφαντασιωμένῳ πρόσκειται, τί φαμὲν ἡμεῖς; ἡμέτερον μὲν οὐδὲν, τῶν ἡμετέρων δὲ, τῶν τε ἐν τῇ κατ'

ut materiales adhiberi posse colores quibus divini Verbi effigies apprehendatur, infitietur; uniusque Verbi commemorans characterem, cui nullum cum natura nostra sit commercium, carnis in ipso naturam prorsus excludat.

15. Verum hæc etiam antea, ubi adversus Eusebium, disputavimus. Sed satis erit impræsentiarum hoc unum cum theologis nostris dicere, scilicet Deum per incarnationem convenisse in aliquid unum ex duobus contrariis, Christum videlicet: sane sic se habet veritatis doctrina. Si igitur respectu incarnationis, qua scilicet carnem hanc nostram suscepit ac visus est hominibus absque peccato factus homo, ipse colorum ope visibilium in sua forma, sive in hypostasi, non apprehenditur, sequitur prorsus cum secundum divinitatem et qua Dei Verbum est, per illos esse percipiendum. Quomodo enim et in quo illa duorum contrariorum ratio et discrimen sarta tecta erunt? Ex absurdo igitur in longe absurdius inciderunt (id quod evenit iis, quia asseverant carnem et Deum in eamdem coivisse naturam): nimirum aut nullatenus remansisse suam carni integritatem, aut ne ab initio quidem eam fuisse susceptam. Hem! quid insanius! quidve irreligiosius! En causa cur procul ab catholica Christi Ecclesia expellantur nefaria et impia istorum dogmata. Nobis enimvero rectam et intemeratam fidem possidentibus, « figuram substantiæ « Patris » divinum Verbum, unum esse et idem post susceptionem carnis, terrenæ scilicet, uti nostræ et corporeæ, prædicatur atque creditur; propterea conspicuis coloribus exprimitur et innotescit, ut homo: qua enim Verbum est et Deus, quum incomprehensibilis plane sit et inexcogitabilis, in semet integram retinet naturarum differentiam et personæ unitatem. Jam vero quum prædicta Phantasiastarum doctrina anathemati Ecclesiæ subjaceat, quid dicimus nos? Nostrum quidem nihil est, sed nostrorum, et eorum qui convenerunt

(1) Εἴρηται. Cf. *Spicil.* t. I, p. 392 sqq. — (2) Ἐκπαιδεύουσιν. Respicit Nazianzenum in *epist. ad Cledon.*; quem locum inseruit in *Testim. Patrum.* Vide t. I, p. 481.

Ἔφεσον ἁγίᾳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, καὶ τῶν ἄλλων ὁσίων πατέρων ἡμῶν[1]. ÷ Εἴ τις οὐχ ÷ ὁμολογεῖ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ÷ περιγραπτὸν τῷ σώματι, προσθείη δ' ἂν ÷ αὐτῷ καὶ γραπτὸν ἀπερίγραπτόν τε καὶ ÷ ἄγραπτον τῇ θεότητι, ἔστω ἀνάθεμα. ÷

in sancta et œcumenica synodo ephesina, aliorumque venerabilium patrum : « Si quis « non confitetur Dominum nostrum Jesum « Christum esse corpore circumscriptum, « adjiciat vero in ipso aliquid finitum si- « mulque incircumscriptum et infinitum « ex divinitate, anathema sit. »

CAPUT VI.

Ἐφ' ἑτέραν δὲ χρῆσιν Ἐπιφανίδου ἴωμεν ἧς ἡ ἐπιγραφὴ πρόκειται οὕτως· ÷ Ἐκ τοῦ λόγου ÷ τοῦ ἁγίου Ἐπιφανίου, τοῦ κατὰ τῶν ἐπιτη- ÷ δευόντων ποιεῖν εἰδωλικῷ θεσμῷ εἰκόνας ÷ εἰς ἀφομοίωσιν τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς Θεο- ÷ τόκου καὶ τῶν μαρτύρων, ἔτι δὲ καὶ ἀγ- ÷ γέλων καὶ προφητῶν[2]. ÷

Ἔδει μὲν ἡμᾶς πρὸς τοιούτους ὕθλους καὶ λήρους τὴν σιωπὴν προτιμῆσαι· μὴ ἀποκρίνεσθαι γὰρ ἄφρονι κατὰ τὴν ἀφροσύνην αὐτοῦ[3] παρὰ τῶν ἱερῶν παιδευόμεθα Γραμμάτων. Ἀλλά γε διὰ τοὺς ὑπὸ τῶν ληρημάτων τούτων παιζομένους οὐκ ἀποκνητέον ἡμῖν τὸν λόγον. Ὅτι γὰρ ἐξ αὐτῆς τῆς ἐπιγραφῆς, ὥσπερ ἐκ βαλϐῖδός τινος τῆς δυσσεϐείας προϊὼν, κατὰ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας καὶ τῆς χριστιανῶν θεοσοφίας ἐπιλυττᾷ, οὐδὲ λόγου δεήσειν οἶμαι τοῖς γε τῶν πεφλυαρημένων ἐπῃσθημένοις· ἀθετῶν γὰρ τὸ τῆς θείας οἰκονομίας μυστήριον, ὁμολογεῖν οὐ βούλεται ὅσον ἐκεῖθεν ἡμῖν τῆς χάριτος καὶ τῶν εὐεργετημάτων τὸ μέγεθος, καὶ ὡς παντὸς εἰδωλικοῦ θεσμοῦ καὶ πάσης ἑλληνικῆς βδελυρίας ἡ Ἐκκλησία τῇ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφανείᾳ καθαρεύει τε καὶ ἀπήλλακται. Φανερὸν δὲ ἐκ τούτων, ὅτι τῇ κενοφωνίᾳ Εὐσεϐίου συμφθέγγεται, τῆς αὐτῆς ἐκείνῳ τυγχάνων συμμορίας. Ὥσπερ

16. Porro ad alium Epiphanidis locum accedamus, cui titulus præfigitur hicce : ÷ *Ex oratione sancti Epiphanii, habita adversus eos qui conficere moliuntur ex idolico ritu imagines in similitudinem Christi et Deiparæ et martyrum, sed et angelorum et prophetarum.* ÷

Oporteret enimvero ad nugas id genus et ineptias silentium præferre. Ne enim insipienti juxta ipsius insipientiam respondeamus, a sanctis docemur Scripturis. Verum ob illos qui per has nænias decipiuntur, non pudeat conferre sermonem. Quod enim inde ab ipso titulo, quasi e quodam excitus impietatis limine, adversus catholicæ Ecclesiæ et christianorum theosophiam furere incipit, hoc ne verbo quidem, opinor, indicandum est iis qui hæc inepte jactata audierunt. Parvi enim pendens divinæ dispensationis sacramentum, confiteri renuit quanta inde nobis effluxerit gratiæ copia et beneficiorum, et quam bene ab omni idolico ritu et cuncta Græcorum vesania, virtute Christi sese ostendentis, Ecclesia repurgata fuerit et plene sit immunis. Jam perspicuum inde est, Epiphanidem Eusebianæ nugacitati consonare, et earumdem imbui studio partium. Ut enim ille ethnicam consuetu-

(1) Ἡμῶν. Hunc canonem et alium quem tibi præstat *Spicil.* t. I, p. 343, frustra quæsieris in editis, ingentibus licet, ephesinæ synodi actis; me certe singulas actiones iterum iterumque diu relegentem uterque constanter fugit. Unde inquirendum superest utrum Nicephorus penes se habuerit canones tertii concilii, qui jam interciderint omnesque latuerint, an potius ex alio concilio accepta pro ephesinis decretis habuerit, aut diversa in unum conflaverit, ipso dicente : καὶ τῶν ἀ. ὁ. π. — (2) Προφητῶν. Titulum relegit Lequienius nonnullaque e codicibus nostris corrogavit in notam prolixam Damascenicæ editionis, t. II, p. 339; quæ collata censuit eadem esse ac Epiphanii spuriam ad Theodosium epistolam, cujus auctorem fuisse suspicatus est Xenaiam seu Philoxenum, impurum Hieropolitanæ ecclesiæ præsulem, aut saltem quemdam ipsius alumnum; quippe quem Manichæum sapuisse ferunt et bellum adversus imagines sub Anastasio movisse. Id quod alias diligentius erit excutiendum. — (3) Αὐτοῦ. Prov. XXVI, 4.

γὰρ ἐκείνῳ ἡ ἐθνικὴ συνήθεια, οὕτω τούτῳ ὁ θεσμὸς ὁ εἰδωλικὸς προβέβληται.

Τίς οὖν ἐπὶ τοσοῦτον σκαιότητος καὶ παρανοίας ἴοι, ὡς Ἐπιφανίου τοῦ θεοφόρου τὴν φλυαρίαν εἶναι ταύτην ὑποτοπῆσαι; Ἀλλὰ τά γε πλεῖστα τῶν μυθολογουμένων, καὶ ὥσπερ ἐν ἀγορᾷ μεθυόντων[1], ἀσεβῶς ἅμα καὶ ἀνούστατα ματαιολογουμένων παρέντες, τὰ ἐπὶ ποσὸν ἐλέγχων δεόμενα καὶ δὴ διασκεψώμεθα. Φησὶ γοῦν ἐκ προσώπου τῶν εὐσεβούντων τὸν λόγον προάγων· ÷ Ὅτι δὴ, φασὶ, τὰς εἰκόνας ÷ τῶν ἁγίων ποιοῦμεν εἰς μνημόσυνον καὶ ÷ τιμὴν αὐτῶν. ÷

Εἶτα οὐκ ἔδει τιμὴν καὶ μνημόσυνον ἀκούσαντα κατηρεμεῖν τὸν παράφρονα; οὐδὲ γὰρ παρ' ἑνὸς ἢ δύο ἢ πέντε ἢ δέκα ταῦτα ἀκήκοε, παρὰ δὲ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, τῆς ἀπὸ περάτων γῆς διηκούσης εἰς πέρατα. Καὶ
A 299. εἰ ὅπου εἰσὶ δύο ἢ τρεῖς ἐν τῷ ὀνόματι Χριστοῦ συνηγμένοι, ἐν μέσῳ αὐτῶν εἶναι ἐπήγγελται, πόσῳ μᾶλλον οἱ τὸν Χριστὸν ἐνδεδυμένοι καὶ πᾶσα ἡ Ἐκκλησία ἐν αὐτῷ συμφωνοῦσα καὶ εὐσεβοῦσα ἐν μέσῳ αὐτὸν ἕξει; Ψευδωνύμους δὲ ἐκάλει ἐνταῦθα τὰς ἱερὰς εἰκόνας, ἀναιρεῖν διὰ τούτου τῶν ἀρχετύπων τὸν λόγον πειρώμενος. Εἰ γὰρ ψευδῶς, ὡς ᾤετο, ὠνομάσθησαν, οὐκ ἔστι παράδειγμα πρὸς ὅπερ τις ταῖς ἀληθείαις αὐτὰς συμβάλοι, ἵνα τοῖς προσέχουσι τῶν εἰδώλων τῇ ματαιότητι τὰ χριστιανῶν παρατιθεὶς φασματώδη καὶ ἀνύπαρκτα, ὡσαύτως ἐκείνοις τό γε ἐπ' αὐτὸν τὰ καθ' ἡμᾶς ἀποφήνῃ μυστήρια· ὥστε καὶ τοὺς τῆς σαρκώσεως τοῦ Σωτῆρος λόγους καὶ τοὺς τῶν μαρτύρων ἀγῶνας κενοὺς καὶ εἰκῇ τῷ βίῳ προσᾳδομένους καταδεῖξαι. Πόθεν δὲ αὐτῷ ἐπὶ τῆς τοῦ ἀρχαγγέλου γραφῆς ὀστέα καὶ νεῦρα ἐνηρμοσμένα κατάδηλα ἐγένετο, τῆς ἐκείνου ἦν λέγειν συνέσεως. Ἐκ τούτων δὲ μανθάνομεν, ὡς οἱ ἐκείνου νῦν ἀναφαινόμενοι φοιτηταὶ, ἐκ τῆς αὐτῆς ὁρμώμενοι σκαιότητος, « Ἀνασκαφῇ τὰ ὀστέα τῶν εἰκόνων » σὺν ἀταξίᾳ καὶ οὐδενὶ κόσμῳ ἀναφωνοῦσιν· οὕτω γὰρ αὐτοῖς ἐπὶ λέξεως ἔχει τὰ προφερό-

dinem, ita hic idolicum ritum nobis objectavit.

17. Quis igitur eo usque sævitatis et dementiæ ierit, ut divo Epiphanio tam inepta vindicet? Immo pleraque horum fabulis infercita, ac veluti voces crapulantium in foro et tam impie quam insulse jactantium inania, omittamus, ut quæ confutatione opus aliquatenus habent, ea excutere non pigeat. Ait igitur sub piorum virorum larva, hunc proferens sermonem : « Et nos, inquiunt, imagines sanctorum in « eorum facimus monimentum et hono- « rem. »

Annon honorem et monimentum commemorari audiens, insanus ille quiescere debebat? Non enim ex unius ore aut duorum, aut quinque, aut decem hæc verba audiverat, sed a catholica Ecclesia, quæ a finibus usque ad fines terræ pertinet. Et si ubi duo vel tres in nomine ejus congregati sunt, Christum in medio esse renuntiatum fuit, quanto magis omnes qui Christum induerunt, et tota Ecclesia in ipso consentanea et pie degens, medium ipsum habebit! At iste dum ait falso nomine dici sacras imagines, eo tendit ut etiam archetyporum rationem auferat. Nam si ementito, ut opinabatur, nomine dictæ sunt, prototypum non est ad quod re omnino vera referat eas aliquis; christianos ergo cum his qui idolorum vanitati addicuntur, similes habet et phantastica pariter ac frustranea eorum sacra; proinde, ceu idola gentilium, sic nostra ille mysteria, ex sua quidem sententia, repræsentat : eo demum fine ut nostros de Salvatoris incarnatione sermones et martyrum certamina inania esse et temere inter homines decantari ostendat. Undenam vero illi in archangeli pictura ossa et nervi rite compositi comparuerint, ipsius acumine dignum erat exponere. Ex his autem discimus undenam qui nunc exsurgunt Epiphanidis asseclæ, ex eadem profecti ruditate, inepte clamitent et indecore : « Imaginum

(1) Μεθυόντων. Deesse hic aut vexari aliquid, suspicio non deest.

μενα. Εἰ δέ τις μὴ γράφεσθαι ἀγγέλους τῷ εἶναι ἀσωμάτους καὶ ἀθεάτους ἀξιοῖ, καὶ πρὶν μὲν ἐπὶ πλέον εἴρηται[1]· ὅμως δ' οὖν ἔν γε τῷ παρόντι βραχέα λεγόντων ἀκούσεται[2]· ὅτι καθ' ὃ τοῖς ἀξίοις, οἰκονομοῦντος τοῦτο τοῦ ἀποστέλλοντος Θεοῦ, ὤφθησαν, κατὰ τὰς παρούσας ἐπιστασίας τε καὶ διακονίας, τὰς μορφὰς ἐνδεικνύοντες, οὕτως καὶ ἐγράφησαν, ἵνα μὴ τῷ ὄντι ἐξίτηλα τῷ χρόνῳ τὰ φανέντα γένηται, ὡσαύτως δὲ τῇ ἐν βίβλοις γραφῇ καὶ διὰ τῆς ἱστορίας ταύτης οὐδὲν ἧττον δεικνύηται.

Εἶτα οὐκ ἔχων ὅθεν τοῖς ἁγίοις προσρίψει τὸ ἄγραφον, ὅπερ ἑτέρωθι τῇ τοῦ θείου Λόγου σαρκώσει προσένειμεν, ἐν φάσματι καὶ δοκήσει ταύτην γεγενῆσθαι ἐξαπατώμενος, ἐπ' ἀσυνέτους καὶ ἀνουστάτους[3] ἐννοίας ἵεται καὶ φησίν·

÷ Ὅτι οἱ νομίζοντες ἐν τούτῳ τιμᾷν τοὺς
÷ ἀποστόλους, μαθέτωσαν ὅτι ἀντὶ τοῦ τι-
÷ μᾷν, πλέον αὐτοὺς ἀτιμάζουσιν. Παῦλος
÷ γὰρ τὸν ψευδώνυμον ἱερέα ἐνυβρίσας τοῖχον
÷ κεκονιαμένον ἀπεφήνατο[4]. ÷

Ὡς λίαν θαυμαστὴ καὶ πάσης ἐμμελείας γέμουσα ἡ τοῦ λόγου συνθήκη καὶ τῶν νοουμένων ἡ δύναμις, ἐξ ὧν ἀνασκευάζειν πειρᾶται τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας τὴν ἀρχαιοτάτην παράδοσιν· εἰς παράστασιν γὰρ τῶν παρ' αὐτῷ δογματιζομένων ἡ κατὰ τὸν ἱερέα ὕβρις ἐπινενόηται. Ταῦτα οὐδ' ἂν ἐν Ἐκκλησίᾳ παίδων πρὸς ἡδονὴν καὶ παρηγορίαν τῆς νηπιώδους φρενὸς ἀθύρματα καὶ ψελλίσματα ἀκούσειέ τις παραφωνούμενα. Τί τῆς μανίας καὶ ἀσυνεσίας τοῦ εἰκαιόφρονος τούτων εἰς ἔνδειξιν γνωριμώτερον; Ὃς οὐδὲ προείδετο οἷα ἐντεῦθεν αὐτῷ παράλογα καὶ ἄτοπα ἀναφανήσεται. Εἰπὼν γὰρ ἐν τοῖς ἐπάνω· ÷ Ὅτι τὸν
÷ τοῖχον κονιάσαντες χρώμασι διηλλαγμέ-
÷ νοις τὰς εἰκόνας ἀνετύπωσαν, ÷ παρήγαγε τὴν εἰς τὸν ἱερέα παρὰ τοῦ Ἀποστό-

ossa disjiciuntor ! » Nam ita se habet ad verbum quod ab ipsis profertur. Si quis vero inde putet non pingi angelos, quod sint incorporei et invisibiles, de hoc pluribus ante dictum est. Verumtamen, vel in præsenti scripto, nos pauca hac de re exponentes audiet : nempe quum angeli justis, ita providente Deo a quo mittebantur, apparuerint, et secundum commissa illis mandata et ministeria induerint formas aspectabiles, hoc eodem modo picti sunt, ne evanida omnino fiant quæ visa suo tempore sunt, sed quales in scripta Bibliorum historia, tales et in pictura nihilominus ostendantur.

18. Deinde quum nihil ille habeat unde in sanctos intorqueat illud *indescriptum*, quod alibi divini Verbi humanationi attribuit (eam quippe in phantasia et vana specie peractam esse somniatur), ultra in insulsos et vecordes cogitatus progreditur et ait :

÷ Qui existimant per hoc honorari apo-
÷ stolos, noverint eos, nedum honorentur,
÷ ex hoc potius dehonestari. Paulus enim,
÷ ut falso dictum sacerdotem irrideret, eum
÷ parietem dealbatum nuncupavit. ÷

Stupendam admodum mirere et omni lepore consitam sermonis concinnitatem vimque illam sententiarum, ex quibus iste dejicere molitur hanc catholicæ Ecclesiæ vetustissimam disciplinam ! En ad sua placita tuendum, hunc a Paulo vapulantem sacerdotem excogitavit. At in Ecclesia ne ad infantium quidem ludum et puerilis animi oblectationem has aliquis audierit crepitare nænias et gerras. An ullum erit locupletius insaniæ et incogitantiæ istius maleferiati capitis argumentum ? Qui nec suspicatus est quot insulsa et ridicula inde sint emersura.

Quum enim superius dixit ÷ eos qui dealbavere parietem, imagines distinctis coloribus delineavisse, ÷ excurrit in sacerdotem ab Apostolo contumeliose vexatum, ut si-

(1) Εἴρηται. Non semel enim et fusius tractavit hoc argumentum, cf. *Antirrh. II in Mamon.* in Maii B. N. t. v, p. 73-76, ne multa de Cherubinis dicta in ipso *Spicilegio* recoluerim. — (2) Ἀκούσεται. V. infra p. 320 sqq. — (3) Ἀσυστάτους lego libenter, dissentientibus licet codd. — (4) Ἀπεφήνατο. Act. XXIII, 3.

λου ὕβριν, ἵνα ἐκ τοῦ τοιούτου λόγου συνεξυβρισμένας καὶ ταύτας, ἐκφήνειεν· ἀλλὰ τί τῆς ἀβελτερίας ταύτης αἰσχρότερον; τί γὰρ ἐντεῦθεν εἰς ὕβρεως λόγον ταῖς ἱερογραφίαις ἐφαρμοσθήσεται; ἄλλο γὰρ εἰκὼν καὶ ἄλλο τοῖχος κεκονιαμένος· οὐ γὰρ ἐν τοίχῳ μόνον εἰκών, ἀλλὰ καὶ ἐν πίναξιν καὶ ἐν ἑτέραις ὕλαις γινομένη θεωρεῖται. Ἔδει οὖν μᾶλλον, εἴπερ ἐξῆν αὐτῷ τὰ ἀνόσια καὶ ἄκοσμα φθέγγεσθαι, τοῖχον τὸν [1] κατὰ τοὺς ἱεροὺς ναοὺς, ἐπεὶ πάντες σχεδόν εἰσι κεκονιαμένοι, τὴν καθαίρεσιν ἐκ τοῦ λόγου νομίζειν προκαταγγέλλεσθαι. Οὐ γὰρ εἶπεν αὐτὸν ὁ Ἀπόστολος τοῖχον ἐζωγραφημένον, ἀλλὰ κεκονιαμένον· ὡς εἰ καὶ οὕτως ἁπλῶς εἴρητο, οὐδὲ ταύτῃ τῶν οἴκων αἱρήσει τῶν ἱερῶν τὸν διάκοσμον, εἰ μὴ προσέκειτο ὁποιωνοῦν καὶ τίνων;

Τί οὖν πρὸς ταῦτα ῥητέον; Ἐπειδὴ ὁ Χριστὸς ταλανίζων τοὺς Φαρισαίους τάφοις κεκονιαμένοις ἀφομοιοῖ [2], διὰ τοῦτο τοὺς τῶν ἁγίων τάφους ἅπαντας ἀνορύξομεν; ἢ ὅτι τυφλοὺς A 300. εἴρηκε τοὺς αὐτοὺς καὶ ὁδηγοὺς τύφλων [3], εἴπου εὕροιμεν τυφλὸν, διαφθείρομεν; ἢ ἐπειδὴ ἀσεβῶν τινων κατηγορεῖ Παῦλος σεβασθέντων καὶ λελατρευκότων τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα [4], ἤδη καὶ πάσης κατεξανίστασθαι κτίσεως δεῖ; ἀλλ' οὐκ, ἐπειδὴ κακῶς τινες εἰς τὰ τῆς κτίσεως ἀπεχρήσαντο, ἀντὶ Θεοῦ τὰ ποιήματα σέβοντες, καὶ ἡμῖν κατηγορεῖν ἐξὸν τῆς κτίσεως, ὡς εἰς τὸν κτίσαντα πάλιν τὸ ἄτοπον περιίστασθαι, καὶ οὐδὲν τῆς ἐκείνων ἀθείας διαφέρειν τὸ σύνολον. Εἰ δὲ καὶ τὰ τῶν ἐθνῶν σεβάσματα καὶ βδελύγματα λίθους καὶ ξύλα κατονομάζομεν καθυβρίζοντες, ἆρα καὶ πάντα λίθον καταβαλοῦμεν καὶ ξύλον; Καὶ ποῦ ἡμῖν οἶκος Θεοῦ στήσεται, ἢ θεῖος νεὼς προσκυνηθήσεται, ἢ τὸ σεβάσμιον τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ ξύλον τιμηθήσεται, εἴπερ ὁ ἐκείνου κρατοίη μάταιος λόγος; Ἆρ' οὖν διὰ τοῦτο καθυβριστέον τὰ ἅγια, καὶ [5] εἰδωλικῷ θεσμῷ, κατὰ τὴν ἐκείνου ἀφροσύνην, εἰς ἀφομοίωσιν τῶν εἰδώλων χρώμενοι νομισθεί-

mili convicio tactas imagines ostenderet. Verum quid ista stoliditate putidius? Quid enim convicii inde potest sacris iconibus jure conflari? Aliud profecto imago, aliudque paries dealbatus. Nec enim in muris tantum imago, sed et in tabellis, inque cætera materie spectatur. Satius igitur erat, quandoquidem eum non piguit impia et inhonesta effutire, autumare per albos in templis parietes (qui fere omnes dealbantur) quamdam destructionem ex ipso verbo divino significari. Non enim Apostolus eum appellavit parietem pictum, sed dealbatum. Nam etiamsi simpliciter ita dictum esset, minime hisce verbis sacrarum ædium ornatus auferret, nisi distincte adjecerit quarumnam et qualium?

19. Quid igitur ad hæc reponendum? Quoniam Christus Pharisæis maledicendo, dealbatis eos sepulchris assimilat, ideone sepulchra sanctorum omnia effodiemus? Aut quia cæcos vocavit eosdem ducesque cæcorum, cæcumne, si occurrerit, interficiemus? Et quum impios quosdam Apostolus redarguit, honorem et adorationem creaturæ potius dantes quam Creatori, jam contra omnem creaturam hostiliter insurgere oportebit? Verum enimvero ob eos qui male rebus utuntur conditis, Deique loco ejus opera colunt, nobis minime licet accusare conditum orbem. Sic enim in ipsum Creatorem hæc stultitia recideret, nihilque hoc differret omnino ab istorum impietate. Quid, si gentilium simulacra et idola appellamus lapides lignaque deridendo, indene lapidem lignumve quodvis exterminabimus? At ubinam gentium supererit Dei domus? aut ubinam Dei sanctuarium adorabitur? aut ubi sacrum vivificæ crucis lignum honorabitur, si futilis illius sermo invaluerit? Ergone eapropter dehonestanda sacra nobis sunt, et nos ritu idolico uti, quæ illius insania est, et idolorum figmenta imitari existimabimur? Ah! linguam im-

(1) Τῶν τοίχων τῶν κατὰ E. — (2) Ἀφομοιοῖ. Matth. XXIII, 27. — (3) Τυφλούς. Matth. XV, 14. — (4) Κτίσαντα. Rom. I, 25. — (5) Καὶ εἰδωλικῷ. Suspicabatur aliquis μὴ εἰδωλικῷ. Sed codex sensu non destituitur.

ημεν; Φεῦ τῆς ἀνοσίας γλώσσης! φεῦ τῆς κατὰ τῶν ἁγίων ὕβρεως! Οὔτε γὰρ ἃ λέγει, οὔτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦται ἐπίσταται. Τοιαῦτα μὲν τὰ ἐκ τῶν λόγων ἐκείνου προσαπαντῶντα ἄθεσμα καὶ ἀνόσια, καὶ τούτων ἔτι πλείω, εἴ τις βούλοιτο διερευνᾶσθαι ἰσχνότερον. Ἀλλ' οὕτω κενολογήσας καὶ φλυαρήσας ἐπάγει·

piam! ah! rerum sacrarum ludibria! Nec quid dicat novit, nec de quibusnam rebus affirmet. Hæc sunt quæ in sermonibus illius occurrunt nefanda et impia, atque his etiam plura, si quis subtilius inquisierit. Sed postquam talia jactavit inania et garrula, pergit eodem pede :

CAPUT VII.

÷ Οἴδαμεν γὰρ, φησὶν Ἰωάννης, ὅτι ὅταν ÷ φανερωθῇ, ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα[1]. Καὶ Παῦ- ÷ λος τοὺς ἁγίους συμμόρφους τοῦ Υἱοῦ τοῦ ÷ Θεοῦ ἐκήρυξεν[2]. Πῶς οὖν τοὺς ἐν δόξῃ μέλ- ÷ λοντας φαιδρύνεσθαι ἁγίους ἐν ἀδόξῳ καὶ ÷ νεκρῷ καὶ ἀλάλῳ θέλεις ὁρᾷν, τοῦ Κυρίου ÷ λέγοντος περὶ αὐτῶν· « Ἔσονται γὰρ, φη- ÷ σὶν, ὡς ἄγγελοι Θεοῦ[3]; » ÷

Σύνηθες τοῖς αἱρετίζουσιν, ἐπειδὰν βούλωνται τὴν ἑαυτῶν κατασκευάζειν ἀσέβειαν, πεπλασμένοις τισὶν καὶ εὐφήμοις ῥήμασι χρῆσθαι, καὶ φωναῖς γραφικαῖς πιθανεύεσθαι, ἐξ ὧν πειρῶνται κατακρύπτειν μὲν τὴν οἰκείαν πικρῶς μοχθηρίαν, καταγοητεύειν δὲ δολερῶς τῶν ἀκροωμένων τὰ ἤθη. Τοιοῦτον δή τι καὶ οὗτος ποιῶν ἐν τῷ παρόντι δείκνυται. Ἣν γὰρ πρὸς τοὺς ἁγίους ἀπέχθειαν κέκτηται ταμιευόμενος, σκιαγραφεῖ μὲν καὶ προτυποῖ τὴν ἐσομένην αὐτοῖς δόξαν, διὰ τῶν ἐκ τῶν ἱερῶν λογίων ῥήσεων τὸ πιθανὸν ἐπαγόμενος· ἐκ δὲ τῆς τῶν μελλόντων λαμπρότητος τὸ αἰσχρὸν αὐτοῖς ἐν τῷ παρόντι ἐπινέμει καὶ ἄδοξον. Εἰ μὲν γὰρ οὐ προσῆν αὐτῷ τὸ κατὰ τῶν ἁγίων μῖσος, ἐδείκνυ ἂν ἐκ τῆς τῶν ὁμοιωμάτων αὐτῶν τιμῆς τὴν πρὸς αὐτοὺς εὔνοιαν· ἐπεὶ δὲ ἄδοξα καὶ ἄλαλα ταῦτα, καὶ ὃ δὴ δυσφημότερον, εἰδωλικοὺς αὐτοῖς θεσμοὺς ἐπεισκρίνει, δῆλον ἑαυτὸν καθίστησι τὴν πρὸς αὐτοὺς ἀνελόμενον ἔχθραν.

Διὸ, ÷ Παῦλος, ἔφη, τοὺς ἁγίους συμμόρ- ÷ φους τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ἐκήρυξεν. ÷ Ἀλλὰ κἀνταῦθα ὁ τῆς ἀληθείας παραχαράκτης καὶ

20. ÷ « Scio enim, inquit Joannes, quod ÷ quando apparuerit, similes ei erimus. » Et ÷ Paulus sanctos conformes Filio Dei præ- ÷ dicat. Quomodo igitur sanctos qui in glo- ÷ ria splendebunt, tu in inglorio et mortuo ÷ et muto opere vis intueri, Domino de iis- ÷ dem aiente : « Erunt enim, inquit, sicut ÷ angeli Dei? » ÷

Consuetum est hæreticis, quoties suam volunt astruere impietatem, fallacia quædam usurpare verba et suavesonantia, graphicisque vocibus sententiam probabilem reddere, quibus et propriam improbitatem specie sub austera celare, et audientium animos dolose depravare enituntur. Sane simile aliquid ille hoc loco agere cernitur. Quod enim in sanctos alit odium blande temperans, penicillo videtur adumbrare et in antecessum effingere futuram illorum gloriam, e sacris eloquiis probabilitatem dictis suis concilians : verum e futuro illo splendore sanctorum hujus vitæ ipsis contumeliam invehit et ignominiam. Nam si odium in sanctos non insedisset ipsius animo, ostenderet ex ipso quem sacris ectypis præstaret honore, suam erga divos benevolentiam; verum quia « ingloria et muta hæc esse, » et, quod contumeliosius est, « ritus idololatricos » ipsis tribuit, profecto ostendit se odium in ipsos suscepisse et exercere.

21. Idcirco ait : ÷ Paulus sanctos con- ÷ formes cum Filio Dei prædicat. ÷ Atenim in hoc quoque loco veritatis ille adulte-

(1) Ἐσόμεθα. I Joan. III, 8. — (2) Ἐκήρυξεν. Rom. VIII, 29. — (3) Θεοῦ. Matth. XXII, 30.

τοῦ ἀποστολικοῦ γράμματος ἱερόσυλος, ὅμοιος ἑαυτῷ φαίνεται καὶ τὸν ἦχον αὐτὸν τοῦ ὀνόματος, ὡς ἀντικείμενον καὶ πολέμιον, ἀποτρεπόμενος· οὐ γὰρ οὕτως ὁ Παῦλος ἔφη, ἀλλ' ὅτι « οὓς προέγνω προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ. » Καίτοι οὐδὲν συντεῖνον πρὸς τὰ χειρόκμητα, ὅμως ὡς ἐναντίαν αὐτῷ τὴν φωνὴν τῆς εἰκόνος ἀπεσύλησεν. Ἀλλ' εἰ ἐδόκει αὐτῷ τὰ τῷ Ἀποστόλῳ εἰρημένα περὶ τῆς μελλούσης εἶναι καταστάσεως, πόῤῥω τῆς ἀποστολικῆς διανοίας κἀνταῦθα ἐκπέπτωκεν. Ὅτι γὰρ πρὸς τὸν παρόντα βίον ὁ λόγος αὐτῷ ἐστι, μηδὲ ἐξ ἄλλων, ἀλλ' ἐξ ὧν μάρτυρας ὁ Μαμωνᾶς συγκέκληκε, ῥᾳδίως πάλιν καταθρήσομεν, καὶ πάλιν ψευστὴν αὐτὸν καὶ ἀλαζόνα καὶ πάσης ἐκκλησιαστικῆς ἐπιστήμης ἀμαθῆ καὶ ἀλλότριον δείξομεν. Ἰωάννης γὰρ ὁ μέγας τῆς Ἐκκλησίας διδάσκαλος, ἐξηγούμενος τοῦτο δὴ τὸ ῥητείδιον, τοιάδε φησὶν ἐπὶ λέξεως[1]·

÷ Ὅπερ ὁ Μονογενὴς ἦν φύσει, τοῦτο καὶ ÷ αὐτοὶ γεγόνασι κατὰ χάριν, ὅ ἐστι σύμ- ÷ μορφοι καὶ συγγενεῖς ἀπεδείχθησαν ὡς ÷ ἀδελφοὶ τοῦ πρωτοτόκου· ταῦτα δὲ πάντα ÷ περὶ τῆς οἰκονομίας εἴρηται· καθ' ὃ γὰρ ÷ Θεὸς[2], μονογενής. Οὐ μόνον δὲ ἐκ τούτων ÷ τὴν κηδεμονίαν γινώσκομεν, ἀλλὰ καὶ τῷ ÷ ἄνωθεν[3] ταῦτα προτετυπῶσθαι οὕτως[4] ÷ A 301. (καὶ πρὸ τοῦ δῶμεν ἑαυτῶν πεῖραν, δι' ἧς) ÷ οἱ ἄνθρωποι πεῖραν λαμβάνουσι τῆς γνώμης ÷ ἀπὸ τῶν πραγμάτων. Τούτους δὲ ἐδικαί- ÷ ωσε διὰ τοῦ λουτροῦ· ἐνδόξασε δὲ διὰ τῶν ÷ χαρισμάτων καὶ τῆς υἱοθεσίας. ÷ Ταῦτα μὲν ὁ διδάσκαλος.

Ἔτι δὲ καὶ ὁ ἀοίδιμος Κύριλλος συνῳδὰ τούτοις φησίν[5]· ÷ Οὗτοι τετίμηνται καὶ μεμε- ÷ νήκασιν οἳ καὶ προεγνώσθησαν ὡς ἔσονται ÷ σύμμορφοι τῆς εἰκόνος τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ.

rator et sacrilegus apostolicæ scripturæ falsarius sibi utique similis esse cernitur, ipsum quippe nominis sonum, tamquam contrarium sibi et hostilem, abhorrens. Non enim sic loquitur Paulus, sed hoc dicit : « Quos præscivit, eos prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui. » At, licet inde nihil ad manufacta pertineat opera, is tamen hanc vocem « Imagini, » ut sibi contrariam furtim sustulit. Sin vero Apostoli dicta censuit ad vitam spectare futuram, longe a doctrina aberravit apostolica. Quod enim ibi hæc præsentis temporis vita respicitur, facile, nec aliis testibus quam quos ipse Mamonas ascivit, rursus perspiciemus, iterumque mendacem istum hominemque ventosum, omnisque expertem ecclesiasticæ scientiæ, ab eaque alienum ostendemus. Joannes enim, magnus ille Ecclesiæ magister, in hujus loci commentario, hæc dicit ad verbum :

22. « Quod Unigenitus natura erat, hoc « et illi secundum gratiam facti sunt, id est, « conformes et cognati palam effecti, uti « fratres illius Primogeniti. Hæc vero omnia « de incarnatione dicta sunt. Qua enim « Deus est, Unigenitus est. Non tamen hinc « solum piam ejus curam cognoscimus, sed « inde etiam quod jam olim hæc ita præfi- « gurata erant, et priusquam per nosmet ea « experiamur, ut solent homines ab effectu « rem probare. Justificavit autem eos ba- « ptismo, glorificavit autem gratiæ mune- « ribus et filiorum adoptione. » Hactenus hic magister.

23. Item et perillustris ille Cyrillus his consentit in hunc modum : « Honorati illi « sunt et permanserunt qui præsciti sunt, « ut fiant imagini Filii ejus conformes. Qui-

(1) Λέξεως. Chrysost. *Opp.* t. IX, p. 594, quæ tamen Nicephorus satis audacter refingit, suaque propemodum facit; sed ipse fortasse lectorem de eo monitum voluit per hanc notam in tribus codicibus A, B, Δ, ibidem positam : Ταῦτα ἐκ τῆς συντετμημένης ἑρμηνείας· πλατύτερον δὲ κεῖται ἐν τῷ ἐντελεῖ βιβλίῳ. — (2) Θεός. Editi : Κατὰ γὰρ τὴν θεότητα Μονογενής. Idem oppido Nicephorus, sed concinnius. — (3) Τὸ ἄνωθεν codd., id quod ab edito emendamus. — (4) Οὕτως. Hic addita quædam, neque satis video cur accesserint. — (5) Φησίν. Novum videtur hoc nobilissimum Cyrilli fragmentum. Certe Maio ignoratur a quo tam diligenter collecta habemus Cyrilli in Apostolum commentaria.

÷ Ὅσοι οὖν τῶν σαρκικῶν ὑπεράνω γεγό- ÷ νασιν, ἔχοντες ἐν οὐρανῷ τὸ πολίτευμα, οὗ- ÷ τοι τὴν εἰκόνα μεμίμηνται τοῦ Χριστοῦ, ÷ τουτέστι τὴν ἐν ἁγιασμῷ ζωὴν, τὴν ἀμώ- ÷ μητον εἰς ἅπαντα πολιτείαν. Ὅσοι οὖν ÷ προεγνώσθησαν μιμηταὶ τῆς Χριστοῦ πο- ÷ λιτείας κατὰ τὸ ἐγχωροῦν τῇ ἀνθρώπου φύ- ÷ σει, οὗτοι κέκληνται, καὶ ἐδικαιώθησαν καὶ ÷ ἐδοξάσθησαν, καὶ ἐκλήθησαν εἰς υἱοθεσίαν, ÷ καίτοι μήπω γεγονότες· καὶ ἐν τέκνοις ÷ κατελογίσθησαν, καὶ καυχῶνται ὡς ἐπὶ ÷ πρωτοτόκῳ Χριστῷ τῷ δι' ἡμᾶς καθ' ἡμᾶς, ÷ ἵνα χρηματίσωσιν ἀδελφοὶ, καίτοι δοῦλοι ÷ ὄντες, τοῦ πάντα ποιήσαντος Ἰησοῦ ὡς ÷ Θεοῦ, κατὰ πρόγνωσιν δὲ τοῦ πάντα εἰδό- ÷ τος ὡς παρόντα, καὶ ἐνεστηκότα βλέποντος ÷ τὰ ἐσόμενα, καίτοι μήπω γεγονότα· λέγομεν ÷ [οὖν] εἰς υἱοθεσίαν κεκλῆσθαι καὶ τοὺς ÷ μήπω γεγονότας. ÷ Τοιαῦτα τὰ τῶν πατέρων.

Τὰ μὲν οὖν ἄτοπα τῆς θεομάχου φρενὸς τοιαῦτα, καὶ τούτων ἔτι πλείονα, εἴπερ τις ἐθέλοι περιεργότερον τὰ τῶν βλασφήμων διερευνήσασθαι δυσσεβήματα· ἡμεῖς δὲ πρὸς τὸν τῆς ἀληθείας ἀπευθυνόμενοι σκοπὸν, λέγομεν πρῶτον μὲν ὅτι εἰ καί τισι τῶν ἁγίων προσκυνεῖσθαι ἀπείρητο, οὐ παρὰ τοῦτο οὐ προσκυνητέον ἡμῖν αὐτοῖς, ἀλλ' ἐπειδὴ μάλιστα προσῆκον ὅ τι καὶ δίκαιον, οἷα δὴ γνησίους Θεοῦ θεράποντας, διὰ τοῦτο μάλιστα τιμητέον. Ἔπειτα δ' ὅτι οὐδὲ νόμος μὴ τιμᾶσθαι ἁγίους τῇ Ἐκκλησίᾳ παραδέδοται, ἀλλὰ τοὐναντίον ἅπαν τὰ νενομισμένα ἔχει. Ἀλλ' ἐπιτηρεῖν χρὴ τοὺς τρόπους, καθ' οὕς τινες παρῄτηντο τὴν προσκύνησιν, καὶ θαυμάζειν αὐτῶν τὸ μέτριον καὶ σοφὸν καὶ εὐεπήβολον· ὡς οἱ μὲν πρὸς τὸ αἰδέσιμον τῶν προσιόντων εὐλαβῶς διετίθεντο. Ὁ μὲν γὰρ ἱερὸς ἀπόστολος τὸ πρόσφορον τῷ θείῳ ἀγγέλῳ σέβας ἐξένειμε, καὶ δι' ἃ μάλιστα διηκόνει παράδοξα· ὁ δὲ ἄγγελος ἅτε ὁμότιμον κρίνων τὸν Θεολόγον (ἠγαπημένον γὰρ ᾔδει τῷ τῶν ἀγγέλων δεσπότῃ καὶ οἰκειότατον, καὶ, ὃ δὴ θειότερον, ἐπὶ τὸ στῆθος ἀναπεσόντα τῆς Σοφίας καὶ κρείττονα ἢ κατὰ ἀγγέλους ἐκεῖθεν μυούμενον, καὶ θειωδῶς τὰ θεῖα βροντήσαντα) δεδυσώπητο τὴν

utriusque rei reciproca religio simul expellitur. Quid igitur amplius e vaniloqui gerris emicabit? Nempe, quum imago Christi colenda non sit, consequenter nec Christum honorandum esse. Eo enim usque impietatis prorumpent, quæ istiusmodi osor Christi promsit. Verum blasphemiam haud minorem invexerit locus alter, ubi Christus, quum a divite adolescente bonus magister diceretur, laudem detrectavit, eo quod, Præter Deum, nemo, ait, bonus est, humaniore nimirum modo adhucdum loquutus, ut suæ divinitatis majestatem occultaret: Christum igitur non esse vocandum bonum, quia semel hoc vocabulum repudiavit. Quo quid irreligiosius?

42. Ejusmodi sunt vesana ex hujus theomachi cerebro emissa; quin et auctiora, si quem non pigeat operosius blasphemiarum scrutari sacrilegia. Nos vero, ad veritatis metam cursum dirigentes, dicimus primum si per aliquos sanctos adoratio fuit interdicta, non ideo erga illos vetitam nobis esse, immo, quo magis decet quod est justum, eo magis eosdem, ut eximios Dei servos, adorari par est. Deinde nullam omnino legem Ecclesiæ dari quæ sanctos venerari prohibeat; immo prorsus e contrario, legitima est ea veneratio. Sed consideranda sunt momenta propter quæ a nonnullis adoratio detrectata fuit, et admiranda est eorum moderatio, sapientia et opportuna prudentia. Sic nonnulli erga accedentes sibi venerabundas personas verecundia animi utebantur. Sanctus enim apostolus honorem divino angelo congruum exhibuit, præsertim ob miracula quæ subministrabat; Angelus vero, quum dignum simili observantia æstimaret theologum, utpote quem noverat esse angelorum Domino dilectum et maxime familiarem, atque (quod etiam divinius) recubuisse in pectus Sapientiæ, ubi potioribus quam ullus angelorum initiatus erat, demumque

(1) Περισεσῶσθαι E.—(2) Ἀναφαίνεται E.—(3) Εἶναι. Matth. xix, 17.

προσκύνησιν, καὶ σύνδουλον, ὥσπερ φιλοφρονούμενος, ἀπεκάλει [1], καὶ τῶν ἀδελφῶν τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ· ἄλλως τε δὲ, ἵνα μὴ διὰ τὸ τῶν διακονουμένων λόγων ὑπερφερὲς δόξῃ πρὸς τὸ ἑαυτῷ κεχαρισμένον ἁρπάζειν τὴν τιμὴν, ὧδέ τε χρῆναι ᾤετο φάσκειν· Οὐκ ἐμοὶ οἱ ἐκκαλυπτόμενοι λόγοι, οὐδὲ τῆς ἐμῆς δυνάμεως τὰ προφητευόμενα· τοῦ Ἰησοῦ ἐστιν ἡ μαρτυρία, ἤτοι ἡ χάρις, καὶ τῶν ἀγγελλομένων ἡ πνευματικὴ δωρεά. Ἐγὼ δὲ τὴν τούτων λειτουργίαν μόνον ὡς οἰκέτης πεπίστευμαι, καὶ μεσίτης παρὰ τοῦ κοινοῦ δεσπότου πεμπόμενος, καὶ ἥκω τῶν ἐγκεχειρισμένων σε σηνετίσων τὴν ἔκφανσιν. Ὅρα οὖν, μὴ ἐμοὶ προσκύνει, μηδὲ ἐμοὶ τὰ ὑπὲρ ἐμὲ λογίζου· τῷ Θεῷ, φησὶν, προσκύνησον· τῷ ἐγκεχειρηκότι ἀνατίθει τῶν μυσταγωγουμένων τὴν χάριν. Οὐκοῦν αἰδοῖ τε τῇ πρὸς τὸν Θεολόγον καὶ πρὸς τὴν τῶν διαπορθμευομένων καὶ χρησμῳδουμένων λόγων εὐλάβειαν ἀνεβάλλετο τὴν προσκύνησιν· ἀλλ' ἡμεῖς γε οὐ διὰ τοῦτο τὴν ἐπὶ τοῖς ἁγίοις ἀπαναινόμεθα σεβασμιότητα, τῷ μεγάλῳ Ἰωάννῃ κἂν τούτῳ μαθητευόμενοι καὶ πειθόμενοι.

Ἄλλοι δὲ τὸ ἀσθενὲς τῆς φύσεως ἐπαισθανόμενοι, ἀπ' αὐτῆς διωθοῦνται τὴν τιμὴν, τὸ οἰκεῖον ὡς τὰ πολλὰ ὑπερορῶντες ἀξίωμα, καὶ ἥκιστα τοῖς χαρίσμασι τοῦ Πνεύματος κεκτημένοι τὴν γνώμην μετέωρον, τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων τὸ ἐπισφαλὲς καὶ τὸ πρὸς τὸ χεῖρον τῆς διανοίας ἐπιρρεπὲς εὖ ἐξεπιστάμενοι· κατὰ τὸ φάσκον λόγιον, ὅτι « ἔγκειται ἡ διάνοια τοῦ ἀνθρώπου ἐπιμελῶς « ἐπὶ τὰ πονηρὰ ἐκ νεότητος [2]. » Καὶ, « Ὁ δοκῶν « ἑστάναι βλεπέτω μὴ πέσῃ [3], » καὶ ἅμα ἔκδηλον τοῦ τέλους τὸ ἄδηλον ἔχοντες. Τοιγάρτοι τὸ ὁμοιοπαθὲς ἐπὶ Κορνηλίῳ ὁ Κορυφαῖος, οἷα τὴν αὐτὴν λαχὼν φύσιν, προϊσχόμενος, ἀνίστη πρὸ ποδῶν πεσόντα τὸν ἱκέτην. Πλὴν οὐδὲ οἷόν τε μέχρι πολλοῦ καταλελεῖφθαι τὸν κείμενον· τῷ ὄντι γὰρ ἂν ὑπωπτεύετο ὁ ἀπόστολος τῷ φιλοτίμῳ χαίρων, καὶ τὴν ἐκ τοῦ

divina omnia divino quodam tonitru eructavisse : idcirco angelus verecundatus est ejus adorationem et conservum se illius pro sua in eum benevolentia nuncupavit, simulque fratrum habentium Jesu testimonium. Alioquin, ne propter sublimitatem revelationum quas ministravit, videretur pro semet ipso exhibitum suffurari honorem, duxit esse necessarium hæc illi dicere : « Non mea sunt quæ revelavi eloquia, neque virtute mea hæc prophetavi. Christi Jesu est testimonium, sive gratia, et omnis enuntiatarum rerum largitio spiritualis. Ego tantum his ministrandis inservivi, ut minister et legatus, a communi hero missus ; et veni ut eorum quæ mihi commissa sunt intellectum tibi aperiam. Vide igitur, noli me adorare, neque de me altius quam par est sapere. « Deum, ait, adora; » Deo qui hæc commisit, acceptam refer traditorum mysteriorum gratiam. » Itaque et ob modestiam apostoli et ob reverentiam erga transmissa et cœlitus declarata oracula noluit adorari; nobis vero locus inde non est sanctis cultum denegandi, et magnus ille Joannes hic quoque nihil simile docet ac persuadet.

43. Alii autem, quam infirma natura sit probe conscii, propter ipsam honore se abstinent, propriam, ut plurimum, despicientes gloriam, obque dona Spiritus mentem minime altam gerentes; humanarum caducitatem rerum impetumque mentis ad quæque mala præcipitis bene noverant, juxta oraculum, quod dicit : « Prona cum impetu est mens hominis in malum ab adolescentia sua. » Et : « Qui stat, videat ne cadat. » Demum certum præ oculis habent finem, [cæteris] incertum. Hinc communem infirmitatem Cornelio coryphæus apostolorum professus, utpote non aliam sortitus ipse naturam, excitat provolutum coram se supplicem. Cæterum quidquid id erat, ne poterat quidem apostolus sinere eum diu jacere, ne videretur ea veneratione oblectari, aut ab adoratione longius prolata vanam ve-

(1) Ἀποκαλεῖ E. — (2) Νεότητος. Genes. VIII, 21. — (3) Πέσῃ. II Cor. x, 12.

παρέλκειν ἐπὶ τῇ προσκυνήσει τὸν κεκληκότα δόξαν θηρώμενος· ὅπερ τοῖς ἁγίοις ἀπώμοτον[1]. Ταύτῃ καὶ τοῖς συνιοῦσιν ἐπὶ τῇ θεραπείᾳ τοῦ ἐκ γενετῆς χωλοῦ ἐπέπληττεν, ὡς δὴ μὴ χρῆναι τοῖς τὸ σημεῖον εἰργασμένοις ἐνατενίζειν, ὡς ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ πεποιηκόσιν· ἀλλ' ἐπὶ τῇ τοῦ ἐνεργήσαντος ὀνόματος πίστει ἀνατιθέναι τὸ θαῦμα· ÷ Ἀλλ' ἐδίδασκε Πέτρος, φησὶ, μὴ ἑαυτὸν προσκυνεῖσθαι, ἀλλὰ τὸν Σωτῆρα Χριστόν. ÷ Ἀλλὰ διὰ τοῦτο μάλιστα τιμητέος, διὰ τοῦτο πολλοῦ τοῦ σεβάσματος ἄξιος· ἐπεὶ πῶς σωθείη τό[2]· « Τοὺς δοξάζοντάς με δοξάσω[3]; » Τοῦτο αὐτοῖς εἰς εὐδοξίαν μέγιστον, τὸ προηγεῖσθαι πάντων καὶ προτετιμῆσθαι τὴν διὰ τὸν ἀποστείλαντα προσκύνησιν.

Ἕτεροι ἐκ τῆς τῶν προσιόντων γνώμης τε καὶ ἐντεύξεως τὴν τιμὴν ἀπεπέμποντο, ὁπόταν παρὰ τῶν ἀθέων, ὡς ἄν τις εἴποι, ἀγνοίᾳ τοῦ κρείττονος ἀθεεὶ ἑωρᾶτο πραττόμενον· ὁποῖόν δή τι κατὰ Λυκαόνων δρώμενον, κἀν ταῖς ἱεραῖς τῶν ἀποστόλων Πράξεσιν ἱστορούμενον ἔγνωμεν[4], ὁπηνίκα οἱ θεῖοι κήρυκες τὸ τῆς θεογνωσίας αὐτοῖς ἐνήστραπτον φῶς καὶ τῶν σημείων τὸ μεγαλουργὸν ἐξειργάζοντο, ἐφ' οἷς ὑπερεκπλαγέντας ὡς τὸ εἰκὸς τῶν τεθεαμένων τὸ πλῆθος ἐπιβοᾷν τῇ φωνῇ τῇ πατρίῳ· « Οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις « κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς, » καὶ δὴ καὶ τὰς προσηγορίας αὐτῶν τοῖς περὶ Παῦλον καὶ Βαρνάβαν ἐπικληροῦν· αὐτῶν τε τὸν ἀρχιερέα ταύρους καὶ στέμματα φέροντα θύειν τοῖς ὄχλοις ἅμα ἐπιχειρεῖν· ἀχθομένους δὲ σφόδρα ἐπὶ τοῖς γινομένοις τοὺς κήρυκας, περιῤῥηγνύναι μὲν τὰ ἱμάτια, τῆς ἀλόγου δὲ καὶ ἀτοπωτάτης τοὺς πεπλανημένους ἐξείργειν ὁρμῆς, ἀνθρώπους τε ὁμοιοπαθεῖς αὐτοῖς εἶναι ὁμολογεῖν, τὸν σωτήριον δὲ λόγον εὐαγγελίζεσθαι καὶ τὴν ἐκ τῶν ματαίων ἐκδιδάσκειν ἐπιστροφήν· τὴν δὴ τοιαύτην τιμὴν καὶ πρόσκύνησιν διωθεῖσθαί τε καὶ ἐκτρέπεσθαι ἄμεινον.

Οὕτω γοῦν καὶ ἄλλοι τῶν ἁγίων, ἴσμεν, οἷα κανόνι τῇ μετριότητι χρώμενοι, πρὸς μὲν τὴν

nari gloriam, qua nimirum abhorrent sancti. Hinc etiam testes qui claudum a nativitate sanari viderant, increpat ne nimis cupide intueantur homines qui miraculum perpetrarunt, quasi propria eorum virtute aut pietate fecissent, immo ad fidem potius in Dei benefici nomen miraculum esse referendum. ÷ At docebat Petrus, ait, ipsum non esse ÷ adorandum, sed Salvatorem Jesum. ÷ Verum propterea maxime honorandus Petrus; propterea ampliori dignus veneratione. Aliter quomodo sarta tecta hæc sententia : « Glorificantes me glorificabo? » Cedit enim eis maximam in gloriam quod præ omnibus ponunt et omnibus præferunt quæ mittenti eos Deo debentur.

44. Alii ob præsentium opinionem et occursum tantum honorem declinabant, quando ab atheis (ut dixerim), propter ignorantiam potentioris numinis, atheo modo hoc cernebatur fieri : quale quid Lycaoniæ factum est, et relatum in sacris Actibus Apostolorum novimus, quando per divinos præcones lux divinæ agnitionis coruscavit, ac miraculorum stupenda virtus erupit, quibus in stuporem rapti, idque par erat, spectantium multitudo cœpit patria loquela clamare : « Dii hominibus si« miles facti ad nos descenderunt. » Et reapse deorum vocabula Paulo et Barnabæ indiderunt, cœpitque loci antistes tauros et vittas adducere, unaque cum plebe apparare sacrificium. Quæ vehementer detestati nostri præcones, sciderunt vestimenta, stolidumque et insanissimum ignaræ multitudinis impetum cohibuere. Tum confessi se homines esse consimili ipsis infirmitati obnoxios, nuntiatoque salutis sermone, ex hac vanitate docuerunt eos converti. Talem igitur cultum adorationemque repudiari et evitari præstat.

45. Sic etiam alios sanctos novimus, temperantia tamquam regula usos, nullo ad

(1) Ἀπότομον A. — (2) Σωθείη A, τὸ omisso. — (3) Δοξάσω. Is. LX, 7. — (4) Ἔγνωμεν. Act. XIV.

παροῦσαν εὐδοξίαν οὐκ ἐπεστρέφοντο, πρὸς τὴν μέλλουσαν ἐπειγόμενοι, ταύτης δὲ διαπεπράχασιν ἄξια, τῆς ἐπὶ τῷ πεπραχέναι καταφρονήσαντες δόξης. Ἐπ' ἀρετῇ δ' οὖν ἀγωνιζόμενοι, τὰ μὲν κατορθούμενα πολλάκις εἰώθασιν ἀποκρύπτεσθαι, δημοσιεύειν δὲ τὰ ἐλαττώματα. Διὰ τοῦτο πικρὸς ἑαυτοῦ ὁ Παῦλος κατήγορος γίνεται, τῶν πρώην εἰργασμένων οὐ σιωπῶν τὰ παράλογα· καὶ Ματθαῖος ἑαυτὸν κατευτελίζει ἀπὸ τοῦ προλαβόντος ἐπιτηδεύματος· καὶ ἄλλοι ἄλλως τὸ ταπεινὸν ἐνδείκνυνται φρόνημα, τὴν ὑποδεδειγμένην ἀρίστην ὁδὸν παρὰ τοῦ ταπεινοῦ καὶ πράου τὴν καρδίαν αὐτῶν διδασκάλου καλῶς ἐξανύοντες. Οἷοι δὲ καὶ ὅσοι τῶν ἀποῤῥήτων τῆς θείας οἰκονομίας οἱ τρόποι, ἴσασιν οἱ τῶν τοῦ Θεοῦ μυστηρίων ἐπόπται καὶ μυσταγωγοί. Εἰ δὲ Χριστὸς ἐλθὼν οὐ διακονηθῆναι ἠθέλησεν, ἀλλὰ διακονῆσαι [1], οὐ δεῖ Χριστῷ διακονεῖν, ὅσον [2] κατὰ τὸν λόγον τοῦ δυσσεβοῦς, καὶ μάτην αὐχεῖ Παῦλος, ὡς Χριστοῦ διάκονος [3], καὶ εἰκῇ τῆς διακονίας ἑαυτῷ τὸν κλῆρον ἐπικηρύσσει [4].

gloriam hujus ævi habito respectu, sed ad futuram properantes, digna quidem supernis fecisse, sed contemta nihilominus facinoris gloria. Pro virtute igitur certamen ineuntibus solemne erat præclare gesta sæpenumero occultare, dedecora vero evulgare tantummodo. Itaque sui ipsius fit Paulus acerbus accusator, dum quæ antea gesserat, immania non tacet. Et Matthæus semet ob prioris vitæ institutum traducit, et alii aliter humilitatem animi palam exhibent, excellentiorem viam ab humili et dulci corde magistro propositam pulchre et expedite terentes. Quotuplices vero et quam mirum in modum arcanæ sint viæ dispensationis divinæ, novere quotquot Dei mysteriorum initiatores sunt et hierophantæ. Quod si Christus, quum venit, « voluit non ministrari, sed ministrare, » ergo non oportet ministrare Christo, si quid valet impii illius argutandi ratio; et frustra gloriatur Paulus ministrum esse se Christi, et temere futuram ministerii sui mercedem proclamat.

CAPUT X.

Ἀλλὰ ποῦ πάλιν πέμπει τὴν γλῶσσαν ὁ θεομάχος, ὁ τοῖς μανιχαϊκοῖς ἐκβακχευόμενος φάσμασιν; Ταῦτα γὰρ ἐξυβρίσας εἰς τοὺς ἁγίους, εἶτά τινα μεταξὺ τὰ ἐκ μειρακιώδους φρενὸς παραληρήσας ψελλίσματα καὶ μυθεύματα, ἐπ' αὐτὸν τὸν τῶν ἁγίων Θεὸν ταῖς συνήθεσι βλασφημίαις πάλιν μετῴχετο, καὶ γράφει τοιάδε· ÷ Πῶς τὸν ἀκατάληπτον καὶ ÷ ἀνεκδιήγητον, καὶ ἀπερινόητον, ἀπερίγρα- ÷ φόν τε γράφειν λέγει τις, ὃν οὐκ ἴσχυσε ÷ Μωσῆς ἀτενίσαι; ÷

Προσέχειν ἐνταῦθα χρὴ, καὶ ἀκριβῶς ἐπιστάνειν τὸν νοῦν [5], τόν γε τῆς ἀληθείας ὑπεραθλεῖν προαιρούμενον καὶ τοῦ ψεύδους θριαμβεύειν τὸ ἔκθεσμον. Ἐν τούτοις γὰρ σαφῶς φωράσει τῆς βλασφημίας τοῦ ἐξαγίστου τὸ πᾶν· ἐν οἷς τρανῶς ἐκκαλύπτει πᾶσαν αὐτοῦ

46. Verum quonam iterum linguam pepulit osor ille Dei, ille Manichæorum phantasia bacchabundus? Etenim hæc in sanctos convicia jaculatus, deinde nugamenta quædam interjecit, ex puerili mente depromtas balbutiens fabulas, iterumque ut ipsum sanctorum Deum solitis lacessat blasphemiis, ait : ÷ Quomodo eum qui nec com- ÷ prehendi potest, neque exponi, neque ÷ intelligi, neque circumscribi, aliquis de- ÷ pinget, scilicet eum quem intueri Moyses ÷ non sustinuit? ÷

Erigat hic necesse est et diligenter intendat animum is qui pro veritate pugnare sibi proponit et de mendacii pravitate ducere triumphum. Hæc sunt enim in quibus pessimi hominis blasphemiam omnem manifeste deprehendet, in quibus totam

(1) Διακονῆσαι. Matth. xx, 28.—(2) Οὐ δὴ Χ. δ. ὅσον A. Placuit viro cuidam docto legere : Οὐ δὴ Χριστῷ διακονεῖν ὅσιον. A codicibus paulo minus recedimus.—(3) Διάκονος. Rom. xv, 16, etc. — (4) Ἐπικηρύσσει. I Tim. I, 12. —(5) Τὸν νοῦν. Toties hoc palmare Iconomachiæ *de circumscripto et incircumscripto* argumentum Nicephorus profligavit, ut loca hic revocare pigeat. Recole quæ supra p. 242, not. 2.

τὴν φαντασιώδη καὶ ἀπατηλὴν δόξαν. Τί γὰρ τούτων τῶν λόγων ἐναργέστερον ἢ τηλαυγέστερον πρὸς ἔνδειξιν, οἷον αὐτοῦ κατὰ τῆς σωτηριώδους τοῦ Χριστοῦ οἰκονομίας τὸ φρόνημα, ὥσπερ ἐν κοινῷ καὶ πανδήμῳ θεάτρῳ δημοσιεῦον καὶ μέγα σαλπίζον [1] τὴν ταύτης ἀθέτησιν; Ὅστις οὖν οὐκ ἀνόητος, οὐδὲ ἐσκοτισμένος περὶ τὸ φῶς, ἢ περὶ τὴν σοφίαν ἀπαιδεύτως καὶ ἀμαθῶς ἔχων, εἴ τις τὴν ψυχὴν οὐ πεπώρωται, καὶ τὰ τῆς καρδίας ὄμματα πρὸς τὴν αἴγλην οὐκ ἀποτυφλώττει τῆς ὀρθῆς πίστεως, κατασπάζεται δὲ τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὸ ψεῦδος καταμυσάττεται, τῶν κενολογουμένων κατὰ τοῦ θείου μυστηρίου συνήσει τὴν πλάνην, οἷς πᾶσα τῶν νῦν δογματιστῶν ἡ ἰσχὺς καὶ τὸ κλέος ἐμπεριείληπται.

Ἀκατάληπτον καὶ ἀνεκδιήγητον καὶ ἀπερίγραφον τίθεται· συγκαταβάσεως δὲ ἢ σαρκώσεως ἕνεκεν, τί χρὴ λέγειν; οὐδ' ὅτι ὤφθη ἢ πέπρακται ἀξιοῖ πώποτε. Τοῦτο γὰρ αὐτῷ βούλεται τὸ ἀπερίγραφον καὶ ἀπερινόητον ἐπ' ἀναιρέσει τῆς τοῦ Λόγου προβεβλημένον ἐνσωματώσεως, περὶ οὗ καὶ ἐν ἑτέροις πλείστοις ἡμῖν εἴρηται λόγοις. Διὸ ἀπὸ τῶν κατὰ Μωσέα καὶ τῶν παλαιῶν ἐκείνων προερχόμενος, ὡς ἐν σκιαῖς πάλιν καὶ τύποις, παχύτητος καὶ σαρκὸς δίχα τὴν τοῦ Λόγου εἰσηγεῖται εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίαν. Καὶ οὐκ οἶδα ὅπως αὐτῷ τὸ ὁμοιοπαθὲς ἡμῖν, ὅ τε τοῦ σταυροῦ λόγος καὶ τὸ σωτήριον τοῦ Χριστοῦ πάθος ἀπὸ τοῦ ἀκαταλήπτου καὶ ἀπεριγράπτου καταληφθήσεται καὶ πιστευθήσεται. Μωσέα μὲν γὰρ ὡς οὐκ ἰσχύσαντα πρὸς αὐτὸν ἀτενίσαι εἰσφέρει· τῶν λεγόντων δὲ, ὅτι « Ὃ ἦν ἀπ' « ἀρχῆς, ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς « ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ αἱ χεῖ« ρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν περὶ τοῦ Λόγου τῆς « ζωῆς, καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη· καὶ ἑωράκαμεν, « καὶ μαρτυροῦμεν, καὶ ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν, « καὶ ὅτι συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ [2], » καὶ ταῦτα μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, οὐδὲ εἰς μνήμην ἵεται. Ἄλλα τε ὅσα διὰ τῶν

(1) Μεγάλα σαλπίζον E.—(2) Αὐτῷ. I Joan. I, 1.

prodit suam de phantastica fallacia opinionem. Quid enim prælectis efficacius et luculentius ad demonstrandum qualis sit ejus erga salutarem Christi incarnationem despectus? Nonne hic quasi in publico et communi omnium theatro evulgatur, ac velut tubæ sono conclamatur incarnationem ab illo prorsus rejici? Si quis igitur non insanit, nec media in luce cæcutit; si quis omnino non est sapientiæ expers planeque rudis; si quis non induruerit anima et cordis oculos non occæcaverit, ne veræ fidei jubar excipiat, sed amplectitur veritatem et mendacium detestatur : is profecto quam inania in divinum mysterium hæc hæresis jactaverit, persentiet, quum reposita in his sit tota horum dogmatistarum virtus et celebritas.

47. Admittitur incomprehensum, inenarrabile, incircumscriptum : sed de Deo ad nos usque demisso et carne facto, quid dicendum erit? Nec visam, nec factam umquam esse incarnationem ille censet. Huc spectat enim quod incircumscriptum ait et incomprehensibile, id proponens ut Verbi incarnatio tollatur, qua de re etiam in aliis libris plurimis dictum a nobis est. Idcirco a Moysis aliorumque veterum memoria profectus, quasi adhuc umbris obsitus et figuris, tradit absque corpore et carne Verbum esse inter homines conversatum. Nec ego video quomodo illa Verbi cum infirmitate nostra communio et tota ratio crucis et salvifica Christi passio, ab illo comprehendi et fidei commendari possint ex hisce infiniti et incircumscripti terminis. Equidem ab illo Moses Deum intueri non valens introducitur : sed eorum qui dicunt : « Quod fuit ab initio, quod « audivimus, quod vidimus oculis nostris, « quod perspeximus et manus nostræ con« trectaverunt de Verbo vitæ, et vita mani« festata est, et vidimus, et testamur et « annuntiamus vobis, et quod comedimus et « bibimus cum illo, » et quidem post Christi a mortuis resurrectionem, eorum iste ne

εὐαγγελικῶν κηρυγμάτων οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ Λόγου ἡμῖν παρέδοσαν, ἐν οἷς κατὰ ἀλήθειαν καὶ οὐ δοκήσει καὶ φαντασίᾳ, κατὰ τοὺς λήρους ἐκείνου, ἡ μετὰ ἀνθρώπων ἀναστροφὴ καὶ ἐμπολίτευσις δεικνυμένη παρὰ χριστιανοῖς δέδεκται ὡς ἀληθῶς καὶ πιστεύεται, οὐδὲ τοῦ τυχόντος κρίνει λόγου· οὕτω διαφανῶς δηλοῦται παντάπασιν ἠρνημένος τῆς τοῦ Λόγου σαρκώσεως τὸ μυστήριον.

Καὶ τὰ ἐπὶ τούτοις ἔτι διαφανέστερα. Τί γὰρ ἐπάγει; ὅτι ÷ Φασίν τινες ὅτι ἐπειδὴ ÷ τέλειος ἄνθρωπος ἐγένετο ἐκ Μαρίας τῆς ÷ ἀειπαρθένου, διὰ τοῦτο ἄνθρωπον αὐτὸν ÷ ποιοῦμεν. ÷ Τί τούτων τῆς μανιχαϊκῆς καὶ φασματώδους λύσσης ἐνδεικτικώτερον; « Φασίν « τινές. » Αὐτὸς γὰρ οὐ λέγει, οὐδὲ μὴν ὁμολογεῖν ἀνέχεται. Εἶτα ἐπὶ τούτοις· ÷ Καὶ διὰ τοῦτο ÷ ἐνηνθρώπησεν, ἵνα τὸν ἀκατάληπτον, δι' ÷ οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, διὰ χειρῶν σου γράψαι ÷ δυνηθῇς. ÷ Τὸ· « διὰ τοῦτο ἐνηνθρώπησε, » κατειρωνευόμενος προτείνει· ὥσπερ γὰρ καταχλευάζων καὶ ἀποσκώπτων τὸν λόγον τοῖς οὕτω φρονοῦσιν ἐγκαλεῖ· ὅτι Ὑμεῖς μὲν, οἱ χριστιανοὶ, λέγετε ὅτι ἄνθρωπος γέγονεν. Ἐγὼ γὰρ, φησὶν, οὐ λέγω. Ἐπεὶ πῶς ἀκατάληπτος, καί σοι κατισχύειν διὰ χειρὸς αὐτὸν γράφειν κείσεται; Τῇ γὰρ τοῦ ἀγράφου φωνῇ παριστάμενοι, οὗτός τε καὶ ἄλλοι τῆς φαντασίας οἱ ἐξηγούμενοι, ἄνω καὶ κάτω τὸν τῆς σαρκώσεως τοῦ Σωτῆρος λόγον διασαλεύειν ἐκμηχανῶνται.

Εἶτα, ὥσπερ συμπεραίνων ἃ κακῶς καὶ ἀθέως συνελογίσατο, ἐπιφέρει· ÷ Οὐκοῦν οὐκ ÷ ἔστιν ὅμοιος τοῦ Πατρὸς, οὐδὲ ζωοποιεῖ ÷ τοὺς νεκρούς. ÷ Τί ταῦτα λέγων; ὅτι εἰ γράφεται, καταληπτός ἐστιν· εἰ καταληπτός ἐστιν, ἐνηνθρώπησεν· εἰ ἐνηνθρώπησεν, οὐκ ἔστιν ὅμοιος τῷ Πατρί. Καὶ πῶς οὐχὶ τοῦτο ἄτοπον; ὅμοιος γὰρ ὁ Υἱὸς τῷ Πατρὶ, καὶ ἐπεὶ ὁ Πατὴρ ἀκατάληπτος καὶ ἄγραφος [2], καὶ διὰ

meminit quidem. Item cætera quæ per evangelicum præconium ab initio oculati testes et comministri ipsius Verbi nobis tradiderunt, in quibus secundum veritatem, sed minime per apparentiam et phantasiam, ut iste delirat, Christi cum hominibus vita et conversatio in aperto posita a Christianis accipitur veraciter et creditur : hæc ille non ullam mereri mentionem judicat; unde manifeste convincitur plane negasse Dominicæ incarnationis mysterium.

48. Et sequentia sunt his etiam clariora. Quid enim addit? ÷ Aiunt quidam quod ÷ postquam perfectus homo factus est ex ÷ Maria semper virgine, inde hominem ÷ cum effingimus. ÷ Quid hisce, quæso, evidentius ostendit manichæam in illo et phantasticam rabiem? « Aiunt quidam ! » scilicet ipso non aiente, ipso fateri non sustinente. Tum accedit et illud : ÷ Propterea ÷ homo factus est, ut eum qui capi non ÷ potest, per quem omnia facta sunt, tuis ÷ manibus depingere posses. ÷ In quibus illud : « Propterea homo factus est, » deridendo prætendit, ac si more cavillantis et subsannantis ad eos qui talia autumant, hunc habeat sermonem : « Næ ! dicitis vos, « ait, Christiani, factum eum hominem esse. « At ego non dico. Quomodo enim stabit « ut is capi non possit, et penes te sit tuis « eum manibus pingere? » In hac enim voce *indepicti* [1] insistentes, tam iste quam cæteri phantasiæ magistri omnem incarnationis Dominicæ rationem susque deque concutere moliuntur.

49. Deinde tamquam conclusionem inferens ex iis quæ malitiose et impie disputaverat, subdit : ÷ Ergo jam non est Patri ÷ consimilis, nec mortuos vivificat. ÷ Quorsum hæc? Nempe si pingitur, circumscribi potest; si circumscribi potest, homo factus est; si homo factus, jam Patri non est similis. Quidni fatuum istoc erit? Sane similis est et Patri Filius. Et quia Pater imprehensibilis

(1) *Indepicti.* « Qui figurari nequit » solemne mysticis auctoribus, et passim apud Ludov. Blosium. In hac penuria latinitatis classicæ, quoties de re philosophica agitur, paulo insolentiora permittantur. —

(2) Ἄγραφος. Ita subdole quidem, at nobis satis opportune Ariani apud Augustinum (Ep. 174) dicebant « credere se Deum Patrem invisibilem, ingenitum, *incapabilem.* »

τοῦτο καὶ ὁ Υἱός. Οὐκ ἄρα ὁ Υἱὸς ἐνηνθρώπησεν, ἵνα μὴ καταληφθῇ· οὐ καταληφθήσεται δὲ, ἵνα μὴ γραφῇ. Οὕτως ἐκ τοῦ ἀγράφου δι' ἀναλύσεως φωράσει τις ἐκτυπώτερον τὴν βλασφημίαν · ÷ Οὐκ ἔστιν οὖν, φησὶν, ὅμοιος ÷ τῷ Πατρί. ÷ Οὐκοῦν, ἐπειδή σοι οὐ κατείληπται, οὐ δύνῃ διὰ χειρῶν σου γράψαι, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἐνηνθρώπησεν, οὐκ ἄρα ὅμοιος μητρί· ἢ μηδὲ[1] μήτηρ παρὰ σοί· ἀλλὰ μὴν ἔστιν αὐτῷ μήτηρ. Πῶς γὰρ οὔ; ἐνηνθρώπησεν ἄρα· διὸ καὶ κατείληπται, οὐκοῦν ἐκ παντὸς καὶ γράφεται, ἐπεὶ καὶ ἡ μήτηρ. Οὕτως ἄν τις ἀνθυπενεγκὼν εἴποι· δικαιότερον δ' ἂν μᾶλλον ῥηθείη ὅτι ἡ ἄμετρος τῶν λόγων αὐτῶν βλασφημία εἴη εἰς ἐκεῖνον, ἐπεὶ οὐδὲ μητέρα τῷ Χριστῷ διδόναι βούλεται.

÷ Ἀλλ' ὡς φατὲ ὑμεῖς, ἔπειτα οὐδὲ ζωο- ÷ ποιεῖ τοὺς νεκροὺς, εἰ γράφεται, φησί[2]. ÷ Ταυτὸν δὲ, « εἰ ἐνηνθρώπησεν, » ὡς ὁ λόγος συνήγαγεν, ὡς, « εἰ ζωοποιεῖ· » οὐκ ἐνηνθρώπησε[3] κατ' αὐτόν. Ἀλλ' ἴδωμεν πῶς ζωοποιεῖ· ἆρα οὐκ ἐπειδὴ νενέκρωται σώματι καὶ ἀνιστάμενος ἐξ ᾅδου, τοὺς ἀπ' αἰῶνος τοῖς τοῦ θανάτου βρόχοις κατειλημμένους ἐξανίστησιν; Εἰ τοίνυν νενέκρωται, πῶς οὐκ ἐνηνθρώπησεν; Πῶς οὐ καταληπτὸς κατ' αὐτό γε τὸ ἐνηνθρωπηκέναι; πῶς οὐ γράφεται; Ἀλλὰ ζωοποιὸν τὸ σῶμα Χριστοῦ· Θεοῦ γὰρ σὰρξ καὶ ζωῆς σῶμα, ὅπερ ἐκεῖνος ἀθετῶν τῆς ὄντως ζωῆς διημάρτηκε, καὶ ζῶν ἔτι τέθνηκε.

Τί οὖν αὐτῷ βούλεται ὁ λόγος; ἢ μὴ πιστευθῆναι ἀληθῶς καὶ κυρίως σεσωματῶσθαι τὸν Λόγον, τῇ τῆς δοκήσεως ὑπαγομένῳ ἐξαπάτῃ· ἢ εἰ τοῦτο δοθείη, ἠλλοτριῶσθαι αὐτὸν τῆς τοῦ Πατρὸς ὁμοιότητος. Ἐντεῦθεν ἔοικεν ὅλος φαντασιώδης ὢν, καὶ τῇ Μανιχαίων προσκείμενος δόξῃ, τὴν τοῦ Σωτῆρος σάρκωσιν ἀπαρνούμενος, καὶ ὅλον ἀποσκευαζόμενος τὸ τῆς οἰκονομίας μυστήριον.

indepictus, ideo etiam Filius. Itaque Filius non est homo factus, ne capi queat; neque capietur, ne pingatur. Ita rursus ex voce *indepicti* per analyticam methodum exsculpitur expressius illa blasphema vox : « Ergo non est Patri consimilis, » aiebat. Quando ergo tibi non capitur, tu manibus eum pingere non vales; et propter hoc homo non est factus; non igitur matri est consimilis. Ita apud te non est ei mater. Verumtamen illi mater est. Et quomodo non erit? Ergo factus homo est; ergo capitur; ergo pingitur absolute, eo ipso quod mater illi est. Sic per me aliquis contraria argumenta inferens disseruerit. Sed rectius forte dicetur immanem illius sophismatum blasphemiam in ipsum verti, quia ne matrem quidem vult Christo concedere.

50. Porro ait : ÷ Verum, si pingitur, ÷ exinde mortuos minime vivificat, id quod ÷ vos dicitis. ÷ At idipsum hoc incisum : « Si homo factus est, » attento universo sermone, sonat idem ac istud : « Si mortuos suscitat. » Ergo, ex opinione istius non factus est homo. Sed videamus quomodo mortuos vitæ restituat. Nonne, postquam Christus corpore mortuus est et ab inferis sese excivit, tunc ab ævo intricatos mortis laqueo excitat? Si igitur mortuus est, quo pacto non vixit homo? Qui non capitur eadem ratione qua homo fuit? et qui non pingitur? At enim vivificum corpus Christi est. Dei namque caro est atque vitæ corpus. Quæ quum ille sustulit, vera de vita excidit, vivensque mortuus est.

Quæris quid isti velit hic sermo? Sive nimirum ut ne credatur Verbum assumsisse vere ac proprie carnem; huc enim eum pepulit Phantasiastarum fallacia; sive, modo hoc ei concedatur, ut Christus avellatur a similitudine cum Patre. Ex his apparet totus esse Phantasiæ obnoxius, Manichæorumque alumnus, Salvatoris incarnationem negans, universumque disjiciens divinæ dispensationis sacramentum.

(1) Εἰ μὴ δὲ E. — (2) Φησί. Disjecta temere verba videntur, forte ut in ipsa Epiphanidis epistola, quæ alio ordine vertere necessarium habui. — (3) Οὐκουν ἐνηνθρώπησε legimus.

CAPUT XI.

311. Εἶτά φησιν· ÷ Ποῦ σοι διέταξε ταῦτα ÷ ἐλθὼν ἐπὶ γῆς ποιῆσαι ὅμοιον αὐτῷ καὶ ÷ προσκυνεῖν καὶ ὁρᾶν; ÷

Ὅπου τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ τἄλλα ὅσα παρ' ἡμῖν σεβάσμια, οὗ [1] διέταξε προσκυνοῦμεν· ἡμῖν γὰρ οἷς ἡ τοῦ εὐαγγελίου ἐπέλαμψε χάρις, οὐκ ἐκ διατάξεως μέτεστιν, ἀλλ' ἐκ πίστεως καὶ ἀγάπης κεκινημένοις τούτοις προσφέρειν τὰ γέρα· προφθάνει γὰρ ἡ πίστις τὴν πρόσταξιν· οὐδὲν γὰρ πίστεως ἰσχυρότερον, οὐδὲ ἀγάπης θερμότερον. Διὸ οὐκ ἔτι τοσαύτης κριθείη τὸ ἐκ προστάξεως προαγόμενον χάριτος. Πῶς δὲ οὐ δίκαιον ὑπὲρ [2] εὐνοίας ἠγμένοις, ὑπὲρ τῶν τηλικούτων λαμπρῶν καὶ ἀξιαγάστων δωρεῶν αὐθαιρέτως τὸν εὐεργέτην ἀμείβεσθαι; οὕτω γοῦν καὶ τοῖς εὐγνώμοσι δούλοις πάντα τὰ τῷ δεσπότῃ ἀνήκοντα τίμια καὶ σεμνὰ, οὐ δεομένοις τῆς παρ' ἑτέρων φωνῆς, ἀλλ' οἴκοθεν [3] ἔχουσι τὸν πρὸς τοῦτο κινοῦντα ἔρωτα. Μηδὲ γὰρ τῶν ἵππων τοὺς εὐγενεστέρους καὶ θερμοτέρους δεῖσθαι μάστιγος καὶ τοῦ πλήττοντος. Νήψει λοιπὸν καὶ ἀγχινοίᾳ ἐγρηγορότες πρὸς τὰ ποθούμενα καὶ τοῦ μακαρίζεσθαι εἶεν ἄξιοι· « Μακάριος γὰρ, φησὶν ὁ Κύριος, ὁ δοῦλος ἐκεῖνος, ὃν ἐλθὼν ὁ κύριος εὑρήσει γρηγοροῦντα [4]· » Σὺ δὲ ὁ πονηρὸς καὶ δυσγνώμων δοῦλος, ὥσπερ ὑπὸ ῥᾳθυμίας καὶ ὕπνου τῆς ἀπιστίας βεβαρημένος οὐδὲ κέντροις πληττόμενος. Ὁρᾷς γὰρ τὴν τῶν ἀγαθῶν δούλων εὐγνωμοσύνην πλήττουσαν διεγείρειν [5] πρὸς τὸν πόθον τοῦ κτίσαντος καὶ τὸ γνήσιον· βούλει δὲ ἅπαντας κατὰ σὲ πρὸς τὴν τοῦ Δεσπότου ἀπονυστάζειν εὔνοιαν, καὶ διὰ τοῦτο προστάξεις καὶ ἀπορίας προϊσχόμενος, προφασίζει προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις [6], ὑφ' ὧν δὴ καὶ ταλανίζεσθαι κριθήσῃ δίκαιος.

51. Deinde ait : ÷ Ubinam tibi Christus, ÷ quum huc venit, præcepit eum facere si- ÷ milem sibi et adorare et aspicere ? ÷

— Illic ubi crucem ejus, et cætera omnia quæ apud nos sine præcepto sacra habentur et adorantur. Nobis enim quibus illuxit Evangelii gratia, non ex mandato, sed ex fide et charitate permotis lubet honores offerre iis quæ sancta sunt. Promtior est enim præcepto fides; nihil quippe fide fortius, charitate nihil ferventius. Noli igitur id quod ex præcepto fit, tanti facere quanti quod charitatis est. Annon merito jure grata pietate ducti ultro respondebimus tot splendidarum et admirabilium largitionum auctori? Sic nimirum solent servi probi cuncta in herum observantiæ ac religionis officia præstare, non aliena monente voce, sed interno animi amore quemque immovente. Ut quid enim flagello et spiculatore opus est equorum cuique nobiliori et alacriori? Cum sobria demum et festina mente vigilique studio, eorum quæ desideras adipisceris beatitatem. « Beatus enim ille servus, ait Dominus, quem in adventu suo dominus invenerit vigilantem. » Tu vero es malus et ingratus servus, infidelitate tamquam socordia et veterno gravatus, nec ullis excitandus stimulis. Vides enim pia cum diligentia bonos servos te urgere, et ad amorem conditoris sanaque consilia te excitare. Sed vis eodem frigere quo tu, torpore omnium amorem erga Deum, et idcirco præceptiones ambagesque nectis « ad excusandas excusationes in peccatis, » per quas videlicet judicaberis dignus ejulatibus.

(1) Οὗ διέταξε sic A, sed sequentia οὐ διατάξει postulare videntur : hæc facillima explicatio, nisi gravior corruptela aut lacuna lateat. — (2) Ὑπέρ. — Sic codd. haud dubio lapsu ex sequentibus, pro ὑπ' εὐνοίας. — (3) Οἴκοθεν. Eleganter pro ἐνδοτάτω, ut supra, p. 255. — (4) Γρηγοροῦντα. Luc. XII, 37. — (5) Διεγείρει A; διεγείρῃ B, Γ; διεγείρῃ Δ. — (6) Ἁμαρτίαις. Ps. CXL, 4.

CAPUT XII.

Ἀρ' οὖν ὁ πιστῶς ἐρῶν κατιδεῖν τὸ ἀρχέτυπον, εἶτα τῆς θέας διαμαρτὼν, ἀπείρχθη καὶ τοῦ δευτέρου; Εἰ μὲν κεκώλυται, ἔσχεν ἂν ὁ λόγος τῷ ἄφρονι χώραν· εἰ δὲ μετ' εὐμενείας προσδέδεκται, καὶ αὐτόχειρ ὁ αἰτηθεὶς γέγονε τοῦ ἐρῶντος ἀποπλῆσαι τὸν πόθον, ποῖος λόγος διατάξεως ἐν χρείᾳ τοῖς πιστοῖς καταστήσεται; Εἰ δέ τισι τῶν νῦν ἀπειθούντων τῇ ἀληθείᾳ ὁ λόγος προσίσταται[1], μαρτυρείτω τὰ ὁρώμενα καὶ πειθέτω τὰ πραττόμενα· ἐξ ὧν καὶ εἰς δεῦρο ἥ τε τῶν Ἐδεσσηνῶν ἐνσεμνύνεται καὶ ἡ Ῥωμαίων πρεσβυτέρα ἐγκαλλωπίζεται πόλις[2]. Ἀλλ' ἠγνόησεν ὅτι ὁ λόγος τοῦ ἔργου δεύτερος καὶ ἡ ποίησις τῆς προστάξεως τὸ ἀξιολογώτερον καὶ πιστότερον

52. An igitur fidelis ille, percupidus videndi archetypum, ea tamen contemplatione non potitus, etiam altero imaginis visu frustratus est? Si ille [Abgarus nimirum] prohibitus est, nebuloni forte erat disputandi locus. Sed si idem benigne exceptus est, si is qui expetitus est sua ipsius manu fecit ut amanti desiderium expleretur, quænam præcepti verba necessaria erunt fidelibus? Quod si nonnullis hominum nunc a veritate discedentium disputandi ratio tædiosa est, his testes sint monumenta conspicua, suadeantque opera re confecta, quibus hodiedum et edessena civitas superbit, et antiquior urbs illa Romanorum se decorat. Sed nescivit ille alterum esse ab opere sermonem et ipsam rei exsequutionem jussu longe disertiorem esse et suadelæ aptiorem.

(1) Προΐσταται A. — (2) Πόλις. Exhaustum ab iis qui nobis præiverunt tam de edessena quam de romana Nicephori imagine argumentum, ut satis erit hinc et inde fontes ostendere rerum, et recentiorum judicia paucis absolvere. De ea igitur quæ ad Abgarum Edessenorum regem missa dicitur imagine, auctores sunt inter Græcos, præter Nicephorum hactenus omissum : Moyses Khorenens. edit. Venet. 1843, p. 299, 611; *Menolog.* ad d. XVII kal. sept.; Acta SS. mm. edessen. a. 306. Sur. XV nov. p. 356; Evagrius H. E. lib. IV, c. 27, edit. Vales. p. 400; Procop. *de Bello pers.* lib. II, c. 12; Elias cret. et Damascen. *de Fide orth.* l. IV, c. 17. Lequien. t. I. p. 282; Theophylact. Simocatt. l. II, c. 3, p. 70 ed. Bonn.; Constantin. Porphyrogenet. *Oratio de Imag. edess.* Galland. XIV, p. 120; Lipomani *Vitar.* lib. VI, p. 192; *Anal. gr.* PP. S. Mauri, p. 413; Cedren. *Compend. histor.* ed. Paris. p. 176, 179; Zonar. in *Roman. Lacap.* p. 152, ed. Ven.; Theophan. Ceram. *Orat. de SS. Imag.* p. 125. Inter Latinos : Gregorius pp. II, ep. I, ad Leon. Is. Mansi XII, p. 964; Adriani pp. I, epist. ad Car. M. Mansi XIII, p. 707; Haymo halberstad. *de Christ. rer. mem.* l. II, c. 5. Inter recentiores, præcipuos qui veterum testimoniis adhærent, habes Gretser. *Syntagma de sacr. imag.* c. 5, n. 12; Justinian. Nebbii *Annal. reipubl. Genuens.* l. IX, ad a. 1304 (*Antiq. ital.* t. I, p. 490); Baron. ad ann. 644; Trombelli Dissert. IX *de SS. Imag.* c. 30 p. 123 sqq.; Jos. Capellati l'*Armenia*, t. III. p. 24, 28; Malakias Samuelian, Mekitar. *Histor.-kritisch. Abhandlung über das Schöne im Beginn des Christenth.* p. 168, Wien 1847, in-12. Quorum testimoniorum summa hæc est : « Quum Abgarus Edessenorum rex pictorem misisset, qui Domini exprimeret effigiem, neque id pictor ob splendorem ex ejus vultu emicantem assequi posset; Dominus ipse admoto divinæ vivificæque faciei suæ pallio, imaginem suam in eo depinxit, quam ad Abgarum misit, ut hac ratione desiderio ejus satisfaceret. » Hæc Damascenus, quæ certe Nicephorus respexit, utroque referente imaginem hanc sæculis VIII et IX adhuc superstitem esse. Perstitit porro ad XI sæc. in eadem Edessena urbe, donec Romanus Lacapenus imperator ea Constantinopolim ditavit. Quæ quum civitas nondum Turcis subderetur, venerandam imaginem Leonardus de Montalto, Genuensium dux, ab imperatore CP. dono obtinuit. Sed certe aliquando deductam Romam fuisse eamque in ecclesia *S. Sylvestri in capite* adhuc servari asseverat Baronius. « Erat, inquit Trombellius, jam pridem in pacifica possessione hæc opinio, quum eam de sede sua ac loco disturbare studuerunt ii quorum argumenta dissolvere operæ pretium reor, » id quod strenue et bene assequitur adversus Casaubon. Exercit. 13 in Baron. ad an. 31, p. 257; Tillemont. t. I, in S. Thoma, p. 363; Baillet. *de Reliq. Dom.* t. IX, p. 272, ed. 1739; Dupin *Biblioth.* t. I, p. 2; W. Grimm *Die Sage vom Ursprung des Christusbildes.* Berl. 1843.

Quod romanam attinet imaginem ad quam Nicephorus non semel provocat, mihi non liquet, utrum ea sit omnium celeberrima, quam Veronicam seu Veronicæ appellant, an potius altera quæ etiamnum Oratorio prope Lateranum retinetur, et simpliciter ac per antonomasiam, teste Benedicto XIV (de canon. SS. lib. III, p. 2, c. 30), vocatur ἀχειροποίητος. De utraque cf. Trombelli, l. cit. c. 34 sqq. Sed nec omitte insigne scholion Eliæ cretensis in Damasc. l. c. Sanctas imagines Græci festo communi honorant in dom. prima XL[æ], sed peculiari ritu edessenam die 7 Jul.

κέκτηται. « Μακάριος γάρ, φησὶ τὸ εὐαγγελι-« κὸν λόγιον, ὃς ποιήσει καὶ διδάξει[1]. »

Εἰ γὰρ συνῆκε ταῦτα ὁ δείλαιος τὰ παρὰ τοῦ Σωτῆρος ἀχειρότευκτα ὁμοιώματα, πρὸς τὸ θεῖον ἐκτυπωθέντα κάλλος, τοῦ παντὸς ἂν ὡς ἱερὰ ἐτιμήσατο, προσίετο δὲ καὶ δεδυσώπητο καὶ τὰ ἐνταῦθα τελούμενα λαμπρὰ καὶ περιφανῆ θαύματα, ἃ δὴ διὰ πλειόνων μέχρι καὶ νῦν ἱστορούμενα ᾄδεται· ἐδέχετο δὲ τὸ ἔργον καὶ πρὸ τοῦ λόγου, εἴπερ τὸ ἔργον τοῖς λόγοις τὸ ἀσφαλὲς ἐπιτίθησιν, καὶ ὡς τὰ βλεπόμενα τῶν ἐξ ἀκοῆς προσπιπτόντων πιστότερα· καὶ οὐκ ἂν ἐπὶ τοσοῦτον μανίας καὶ ἀπονοίας ἀφῖκτο, ὥστε καὶ ὁρᾶν[2] τι πεπραγμένον καὶ παρὰ τοῦ δρῶντος αὐτοῦ γε τούτου, νόμους καὶ διατάξεις ἐπιζητεῖν περιεργότερον· ἐπέγνω δ' ἄν, ὡς οὐ παρέσχετο τοῖς αἰτοῦσιν ὁ Κύριος τὰ οὕτω σεμνὰ καὶ τριπόθητα ὕβρεως χάριν, ἀλλὰ σεβασμοῦ καὶ τιμῆς ἄξια.

Ἐπεὶ οὖν ἐπιφανείσης τῆς χάριτος, ἐπέγνωμεν χριστιανοὶ τὸν κτίσαντα, καὶ τῶν εἰδωλικῶν λελυτρώμεθα σεβασμάτων, κυρίως δὲ καὶ ἀληθῶς ἄνθρωπον καθ' ἡμᾶς τὸν τοῦ Θεοῦ Υἱὸν καὶ Θεὸν ἡμῶν πεφηνότα ἁμαρτίας δίχα, ὁμολογοῦμεν, καὶ τὴν δούλειον μορφὴν περιβαλόμενον, καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ φορέσαντα· ταύτῃ λοιπὸν καὶ εἰκονιζόμενον καὶ γραφόμενον ἐπιστάμεθα. Διὸ τὰ ἐκ τῆς χάριτος ἀφοσιουμένοις ἡμῖν οὐδὲν ἂν δεήσειεν ἐνταλμάτων καὶ προσταγμάτων· αὐτεπάγγελτοι γὰρ πρὸς τὸ καλὸν καὶ ὅσιον ὡρμημένοι, καὶ τὰ ἐκ τῆς ἀληθοῦς αὐτοῦ ἐνσωματώσεως ἡμῖν κεχαρισμένα δημοσιεύοντες, τὸν τύπον τοῦ παναγίου καὶ θείου σώματος, καθ' ἃ ὤφθη τοῖς ἐπὶ γῆς, διαγράφομεν καὶ προσκυνοῦμεν. Ὁ δὲ (τί γὰρ χρὴ περὶ ὁμοιωμάτων καὶ εἰκονισμάτων λέγειν;) αὐτὴν ἀθετῶν τοῦ ἀρχετύπου τὴν ἐπιφάνειαν, ὡς ἐν ψιλαῖς ἐπινοίαις ταύτην γεγενῆσθαι φαντασιοῦται.

Nam : « Beatus, ait evangelicum oraculum, qui faciet simul et docebit. »

At enim sceleratus homo, si nosset superesse ab ipso Salvatore imagines, juxta divini exemplaris pulchritudinem, nec ulla hominum manu elaboratas, eas profecto præ omnibus duceret honore colendas, quin admitteret ac etiam veneraretur peracta ibidem in tanta luce et celebritate miracula, quæ nimirum ad hunc usque diem multorum historicorum testimonio decantantur : admitteret, inquam, præ sermone opus ipsum, siquidem opus verbis præstat soliditatem, et majorem visa præcipiunt fidem quam quæ fando audiuntur. Neque jam eo usque amentiæ et incogitantiæ progressus esset, ut quum videat actum opus et ab ipso quidem hoc legislatore factum, legem insuper et præcepta requirat curiosius ; atque agnovisset Dominum non fuisse præbiturum rogantibus hujusmodi monumenta adeo augustà terque desiderabilia, eo ut conspuantur, sed quæ veneratione digna existimentur et religione.

53. Quum igitur, gratia jam manifestata, Creatorem noverimus christiani, et idolorum mundati simus superstitionibus, quumque proprie et vere Dei Filium apparuisse hominem perfectum, secluso peccato, et servilem formam induisse hominisque terreni speciem præ se tulisse confiteamur, hinc scimus denique lineamentis eum posse pingi ac describi. Idcirco nobis, vel leviter gratiæ initiatis, nihil opus est præceptis aut mandatis. Ultronei namque rapimur ad quodcumque pulchrum est et justum; et quæ ex vera Dei incarnatione ad nos derivantur munera evulgantes, effigiem sanctissimi ac divini corporis, quomodo visum est in terra, describimus et adoramus. At ille (quid enim opus est disputare de imaginibus et similitudinibus?) veram ipsius archetypi manifestationem excludit, quam inanibus larvis actam esse somniatur. Notandum est enim, dum ait : « Quum Christus huc ve-

(1) Διδάξει. Joan. XIII, 17. — (2) Ὁρῶν per me leges, aut mox refinges alia : Νόμους δὲ καὶ διατάξεις.

Προσεκτέον γὰρ, ὅτι εἰπὼν ÷ ἐλθὼν ἐπὶ τῆς γῆς ÷, οὐδ' ὅλως μνήμην σαρκὸς ἢ σώματος ὁ φασματώδης πεποίηται· ἢ γὰρ ἂν ἔστεργεν αὐτὸν εἰκονιζόμενον, καὶ εἰκόνι καθ' ὃ ἄνθρωπος προσκυνούμενον· ἔνεμε δὲ ὡς Θεῷ τὸ ἀκατάληπτον καὶ ἀπερίγραπτον· ἀλλ' ἐπειδὴ τῆς χριστιανῶν θρησκείας ἐτύγχανεν ἀλλοτριώτατος, τί περὶ τῶν παρὰ χριστιανοῖς τιμίων καὶ σεμνῶν καὶ ὧν αὐτουργὸς γεγονὼς κατῆρξεν ὁ πάντων ἡμῶν Σωτὴρ καὶ Θεὸς ἀποφαίνεσθαι τολμᾷ;

nit, » ab isto phantastico homine nullam omnino fieri sive carnis, sive corporis mentionem : quippe tum admitteret Christum effigie conspicuum, et in imagine, quatenus hominem, adoratum ; sed sicut Deo, tribuit illi [in terra versanti] incomplexam et indepictam naturam ! Verum enimvero, quoniam a christiana disciplina quam longissime exsulat, quo jure audet exponere illa christiani nominis sacra mysteria, quorum alius auctor non est quam omnium nostrum Deus et Servator?

CAPUT XIII.

Ὁρᾶτε γὰρ εἰς ὅσον καὶ ὅποι τὴν βλασφημίαν αἴρει· ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ τῆς θεομάχου καρδίας ἐκφέρει τὰ πονηρὰ[1], ἅπερ οὐδὲ ἡ ἐμφωλεύουσα ἐν αὐτῷ πονηρὰ δύναμις φάναι τετόλμηκε· δέος γὰρ μέγα καὶ ἐπὶ νοῦν βαλέσθαι.

÷ Αὕτη ἡ διάταξις, φησὶ, τοῦ πονηροῦ ÷ ἐστιν, ἵνα καταφρονήσῃς Θεοῦ. ÷

Ποῖον πρὸς τῇ ἀσεβείᾳ μωρίας τε καὶ κτηνωδίας μέτρον οὐχ ὑπεραίρει, τοῖς τὰ θεῖα σεμνῶς περιέπουσι Θεοῦ ἐπικαλεῖν καταφρόνησιν; Ἀντεπαπορῆσαι δὲ ἄξιον πρὸς αὐτὸν καὶ ἀνερέσθαι. Σοὶ δὲ ποῦ διέταξεν « ὁ ἐπὶ γῆς ἐλθὼν » καὶ σωματωθεὶς ὡς ἀληθῶς Θεὸς, καθάπερ ἡμῖν πιστεύεται, ὅμοιον αὐτῷ μὴ ποιεῖν, μηδὲ
A 312. προσκυνεῖν; ἢ ποῦ ποτε ἄρα[2] ἤκουσται τοῦτο, ἐναντία προστάττειν αὐτὸν ὧν πέπραχεν, ὃ καὶ λέγειν τῶν ἀτόπων εἴη ἂν ἀτοπώτερον; ἢ τοὺς εὐσεβῶς ποιοῦντας ἐξείργειν νόμοις ἐγγράφοις νομοθετοῦντα[3]; πόθεν δέ σοι, τοὺς ἱεροὺς ναοὺς καθαιρεῖν, καὶ τὰ θεῖα διορύττειν θυσιαστήρια, καὶ πᾶν ἱερὸν κειμήλιον τροφὴν πυρὸς ἀπεργάζεσθαι; ἢ οὐχὶ τοῦ ἐνοικοῦντος ἐν σοὶ τῷ ὄντι πονηροῦ καὶ ἀκαθάρτου δαίμονος αὕτη ἡ χριστομάχος πρᾶξίς τε καὶ διάταξις;

Εἰ δὲ τὰ διδάγματα τῶν ἀποστόλων διατάξεις ἴσμεν τοῦ διδασκάλου αὐτῶν καὶ πάντων ἡμῶν Σωτῆρος, πρὸς τοὺς ἐξ ἀπιστίας διατάξεις αἰτοῦντας οἷα κηρύσσοντες τὸν λόγον

54. Videte jam quousque et quam alte blasphemiam exaggeret. E malo thesauro antithei sui pectoris mala profert, quæ vel nefaria potentia, in animo ejus latitans, ausa non est effari : horrendum enim valde est vel in mentis cogitationem talia admittere.

÷ Hoc est, ait, spiritus nequam mandatum, quo contemnas Deum. ÷

Præter vero impietatem, quem non excedit furoris et stupiditatis belluinæ cumulum, scilicet religiosis sacræ disciplinæ cultoribus objectare contemtum Dei? Operæ pretium est argumentari contra ipsum et oppositis quæstionibus cum eo agere. Tibi vero ubinam, quæso, præcepit Deus, « ille qui in terram venit, » et qui corpus induit, uti nos firmiter credimus, ne facias eum similem sibi, neu adores? Ubi umquam auditum est præcepisse Deum alia fieri quam quæ ipse facit : quo verbo nihil inter inepta ineptius? Ubi scripta lege sanxit cohibere pietatis sectatores? Ubi mandavit tibi sanctas ædes subvertere, divina altaria effodere, et sacram omnem supellectilem flammis pabulo tradere? An non ab inhabitante tibi spiritu nequam et ex cacodæmone hæc tibi adversus Christum bella et decreta?

55. Verum si documenta apostolorum scimus esse leges magistri eorum ac omnium nostrum Salvatoris, jam qualia ipsi decreta his infidelibus mandatorum quæsitoribus

(1) Πονηρά. Matth. xii, 35. — (2) Ἆρα A. — (3) Νομοθετοῦντι A, B, Γ.

διέταττον, ἐν ἑτέροις σαφέστερον λέγεται[1].

Τούτοις ἑξῆς προστίθησι λέγων·

÷ Ὁ Θεὸς γὰρ ἐν πάσῃ τῇ παλαιᾷ καὶ ÷ καινῇ ταῦτα ἀναιρεῖ, ἀκριβῶς λέγων· ÷ « Κύριον τὸν Θεὸν προσκυνήσεις καὶ αὐτῷ ÷ μόνῳ λατρεύσεις[2]. » ÷

Ἐκνήψατε οἱ μεθύοντες ἐξ οἴνου τῆς ἀπειθείας καὶ ἀγνωσίας ὑμῶν, καὶ ἴδετε διὰ τούτων οὐκ Ἐπιφάνιον, ἀλλ' Εὐσέβιον ἤδη φθεγγόμενον. Ὁμοίως γὰρ Εὐσεβίῳ ὁ ταῦτα εἰρηκὼς Ἐπιφανίδης καὶ τῶν παλαιῶν καὶ τῶν νέων ἠγνόηκε τὴν δύναμιν, ἐπεὶ καὶ ὁμοίαν καὶ ἴσην ἐπ' ἀμφοτέρων τὴν λατρείαν ἀνεῖναι ἀμφότεροι τίθενται· ὡσαύτως καὶ τῆς νομικῆς λατρείας παρῄτηνται τὰ ἐντάλματα, καὶ τῆς ἐν πνεύματι τῶν χριστιανῶν θεοσεβείας ἀπήρνηνται τὸ μυστήριον, καὶ οὔτε Ἰουδαῖοι καθαρῶς, οὔτε μὴν χριστιανοὶ ἐμφανῶς χρηματίζουσιν· ἀναμέσον γὰρ ἁγίου καὶ βεβήλου οὐ διέκριναν, εἰς ταὐτὸν ἄγοντες δυσσεβῶς καὶ ἀθέως Χριστοῦ εἰκόνισμα καὶ δαιμονίων φάσματα, καὶ οὐδὲν τὸ διηλλαγμένον τῆς χριστιανῶν θεοσεβείας καὶ λατρείας τῆς ἐν πνεύματι πρὸς τὴν ἑλληνικὴν δεισιδαιμονίαν διδόντες, ἢ τὸ ἐν προσκυνήσει ὁπωσοῦν διάφορον εἰδότες, ἀλλὰ μιγνύοντες τὰ ἄμικτα, καὶ τῶν τῆς νέας εὐαγγελικῆς χάριτος συμβόλων, ἀπὸ τῶν παλαιῶν ὁρμώμενοι, ποιοῦνται τὴν ἀναίρεσιν. Ἐξ ὧν πρὸς τῇ ἀσεβείᾳ καὶ ἡ παραφροσύνη αὐτῶν ἐμφανῶς στηλιτεύεται. Πρὸς οἷς ἤδη καὶ πρὸς πᾶσαν τὴν παλαιὰν, ἐφ' ᾗ αὐχοῦσι καὶ μέγα φρονοῦσι, παντελῶς ἀποτυφλώττουσιν, ἀγνοήσαντες ὅτι οὐδὲ ταύτῃ ὁμοιωμάτων ἀμοιροῦσα ἐτύγχανεν· οἷα δὴ ἐκεῖνα ἴσμεν τὰ χρυσότευκτα Χερουβὶμ, ἃ προστάξει τοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ καθύπερθε τῆς κιβώτου ἵδρυτο ἐν τῇ σκηνῇ τε ἐκείνῃ[3] τῇ παλαιᾷ, ἔτι καὶ τοῖς εἰς ὕστερον δωμηθεῖσιν ἐπέπρεπε[4] ναοῖς.

Τὰ μὲν οὖν ἄλλα τὰ κατὰ τήνδε τὴν κρίσιν ἐῤῥέτωσαν νῦν ἡμῖν· φρενὸς γὰρ ἀλλο-

verbum prædicando statuerunt, in alio tractatu clarius enuntiatur.

56. In subsequentibus deinceps ait : ÷ Deus enim tam in veteri Scriptura quam ÷ in nova hæc tollit, disertissime dicens : ÷ « Dominum Deum tuum adorabis et illi ÷ soli servies. » ÷

Expergiscimini a crapula qui vino incredulitatis et ignorantiæ æstuatis, ac videte jam non Epiphanium, sed Eusebium in his fari. Similiter enim Eusebio Epiphanides eo loci ignoravit et veteris et novi Testamenti indolem, quum ambo in utroque parem eamdemque velint adorationem institui. Similiter etiam utrique veterem legis observantiam abrogarunt, et christianæ religionis in spiritu peragendæ infitiati sunt sacramentum, ut neque Judæi integre, neque christiani aperte sint. Nam sanctum inter et profanum non discernunt, quum in unum impie et sceleste congerant tam Christi imagines quam dæmonum ludicras effigies, nec ullum discrimen inter christianorum religionem cultumque spiritalem esse concedant et gentilem superstitionem; sive noverunt illi quidem qualitercumque differentiam adorationis, sed discordia inter se permiscentes, nova evangelicæ gratiæ symbola, veterum intuitu, subvertere moliuntur. Unde, præter impietatem, plena in luce etiam horum insania pendet affixa. Jam præterea vel in antiqua disciplina quam tantopere jactant et de qua sibi gratulantur, plane cæcutiunt, quum ignorent illam ne ab hac parte quidem caruisse simulacris : qualia scimus fuisse cherubim aurea, quæ ex præcepto Dei omnium conditoris super arcam sunt in hoc ipso fœderis antiqui tabernaculo instructa, eademque etiam templum postmodum ædificatum ornabant.

Nunc valeant nobis reliqua quæ ad hoc judicandum pertinent : sunt enim impoten-

(1) Λέγεται. Tum hæc margini A, B, Γ alleverunt : Ζήτει ἐν τῇ ἀνατροπῇ τοῦ ψευδωνύμου ὅρου. Quem quidem tractatum in tomo sequenti dabo, ubi non pauca de Apostolorum canonibus. — (2) Λατρεύσεις. Matth. IV, 10. — (3) Τῇ ἐκείνῃ A, fortasse valens τῇ ἐκεῖ. — (4) Ἐπέτρεπε A, E.

κότου καὶ παράπληγός ἐστι κυήματα[1], ἐφ' οἷς σιωπᾶν μᾶλλον ἢ ἀντικαθίστασθαι ἄμεινον· ἤδη δὲ ἐφ' ἕτερα βαδιούμεθα.

tis animi ingeniique delirantis fetus, eaque silere satius est quam confutare. Jam vero ad alia procedamus.

CAPUT XIV.

Argumentum. — 57. [illegible] Iconomachorum epistolam, *ad Theodosium* inscriptam, — 58-61. Quam Epiphanii non esse evicit ex ejus vita et scriptis; — 62. Auctorem vero esse e grege Gnosticorum, — 63-64. Quos idem calamo strenue insectatus est, — 65. Et dura severitate. — 66. Tum singula epistolii verba confutat. — 67-68. Idololatriam nempe non revixisse unquam; — 69. Quanto minus Theodosio Magno imperante, — 70. Et sub tantæ lucis ætate! — 71. Deinde in imagine Deum, qua Deus est, non coloribus pingi.

Εἰ γοῦν καὶ πάντα παρορᾶν διὰ τὴν ἐγκειμένην αὐτοῖς ἀφροσύνην ἑλοίμεθα, ὅμως τά γε ἐν τῇ πρὸς Θεοδόσιον τὸν βασιλέα ἐπιγεγραμμένῃ ἢ πεπλασμένῃ δηλούμενα ἐπιστολῇ οὐκ ἂν ἑκόντες ὑπερβησόμεθα, τὴν εἰς τὴν ἐναγῆ ἡμῶν θρησκείαν ὕβριν οὐ φέροντες. Ἃ δὴ τοιαῦτά ἐστιν: ÷ Τὴν εἰδωλολατρείαν ÷ ἐν τῷ κόσμῳ τῇ ἑαυτοῦ κακοτεχνίᾳ ὁ διά- ÷ βολος ἐμηχανήσατο· καὶ ἐν τῷ κόσμῳ ÷ ἔσπειρε τοῦτο καὶ ἐθεμελίωσε, καὶ τοὺς ÷ ἀνθρώπους ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀπέστρεψε[2]· νῦν ÷ δὲ πάλιν μετὰ τὰς αἱρέσεις καὶ τὰ εἴδωλα, ÷ εἰς ἀρχαίαν εἰδωλολατρείαν τοὺς πιστοὺς ÷ καθείλκυσε καὶ ἠπάτησε. ÷

Ταύτας τὰς ἐξαγίστους καὶ χριστομάχους φωνὰς οὐδεὶς, οἶμαι, τῶν συνέσεως καὶ ὑγιοῦς φρενὸς μεταλαχόντων, τοῦ θεοφόρου Ἐπιφανίου εἶναι ὑπολήψεται. Καὶ ὅπως διασκοπεῖσθαι πάρεστι, πρῶτα μὲν ἐκ τῶν κατὰ τὸν βίον αὐτοῦ συντεταγμένων. Ἱστόρηται γὰρ ὡς γράμμασι χρησάμενος Ἐπιφάνιος τὸν βασιλέα ἤτησε Θεοδόσιον τὰς φυείσας κατὰ τὴν Κυπρίων νῆσον ἀθεωτάτας αἱρέσεις βασιλικοῖς τυπώσαντα διατάγμασιν, ἐκεῖθεν ἐλαύνειν ὡς τάχιστα. Σιμωνιανῶν δὲ ἦσαν καὶ Βαλεντίνων, Σαβελλιανῶν, Νικολαϊτῶν τε καὶ Ὀφιτῶν καὶ πρός γε Βασιλειδιανῶν καὶ Καρποκρατιτῶν· ἃς ἀπαριθμησάμενος ὁ συγγραφεὺς, οὐδεμιᾶς ἑτέρας ἐμνήσθη αἱρέσεως· οἷς δὴ εἴξας Θεοδόσιος, αὐτίκα ἐπλήρου τὰ αἰτηθέντα[3]. Πῶς
A 313. οὖν οὐχ οἷα ἡ ἀνοσία περιέχει ἐπιστολὴ, τοῖς αἰτηθεῖσιν ἐνσημαίνεται; Καίτοι γε ἐχρῆν πολὺ

57. Tametsi cuncta missa facere non displiceret, adeo quippe insipienter conflata, nihilominus quæ in *Epistola ad Theodosium* scripta sive potius ficta, exponuntur, non lubenter ea prætermittemus; patienter enim ferre non possumus irrogari fidei nostræ illibatæ infamiam.

Eccilla : ÷ Idololatriam in mundo diabo- ÷ lus pro sua vafritie molitus est, eamque ÷ per orbem disseminatam instruxit funda- ÷ mentis, et homines a Deo avertit. Nunc ÷ vero iterum, post hæreses et idola profli- ÷ gata, in veterem idololatriam attraxit ÷ fideles et decepit. ÷

Hæc verba sane impiissima et ore blasphemo digna, nemo hominum, reor, modo sensu vegetaque mente constet, sancti Epiphanii esse reputabit. Sed quo jure? hoc discernere in promtu est. Primum ex scriptis de ejus vita commentariis : traditur enim Epiphanius litteras ad imperatorem scripsisse, quibus Theodosium rogabat ut impurissimas hæreses quæ apud Cyprios pullulabant, imperatoriis decretis configeret et deleret quam citissime. Sectæ erant Simonianorum, Valentinianorum, Nicolaitarum, Ophitarum et insuper Basilidianorum atque Carpocratistarum. Quas quidem postquam recensuit scriptor ille, nullius præterea hæreseos adjecit mentionem. Quæ Theodosius benigne excipiens illico petenti morem gessit. Quomodo igitur nihil eorum quæ continet impia illa epistola significatur in supplici libello Epiphanii? Verum et

(1) Κυήματος B, Γ. — (2) Ἀνέστρεψε ib. — (3) Αἰτηθέντα. Omnia recitantur cum Theodosii junioris rescripto in Epiphanii vita, auctore Polychronio, inter *opp.* t. II, p. 370 ed. Petav. Colon. 1682.

μᾶλλον καὶ πρὸ τῶν ἄλλων ἐντετάχθαι, εἴπερ εἰδωλολατρεία ἐδόκει Ἐπιφανίῳ. Τί γὰρ ταύτης ἀτοπώτερον ἢ βδελυκτότερον; καὶ τίνι λόγῳ τῶν ἡττόνων κακῶν κατανδριζόμενος, τῶν μειζόνων κατωλιγώρησεν;

Ἔπειτα δ' ὁρῶμεν ὅτι πᾶσαν αἵρεσιν Ἐπιφάνιος ἐστηλίτευσε, τῶν τε καταρξάντων αἱρεσιωτῶν τὰς προσηγορίας τιθέμενος, καὶ τόπους καθ' οὓς κεχώρηκεν ἡ αἵρεσις, ἔτι μὴν καὶ τοὺς παραδεδεγμένους τὸ βλάβος. Εἰ οὖν τὴν εἰς τὰ ἅγια τιμὴν εἰδωλολατρείαν ἔκρινε, πῶς ταύτην καίπερ χείρονα πασῶν οὖσαν ἀμνημόνευτον εἴασεν, ὅθεν τε ἤρξατο καὶ ὅποι παραδέδεκται οὐκ ἐνσημηνάμενος; Εἰ γάρ τι τοιοῦτον ὑπείληφε, βίβλοι ἂν ἄπειροι αὐτῷ συνεγράφοντο καὶ λόγοι προήεσαν[1] ἀριθμὸν ὑπερβαίνοντες.

Τοιγαροῦν ἐκ τῶν γνησίων Ἐπιφανίου συγγραμμάτων καὶ αὖθις ἀντεξανίστασθαι πρὸς ταῦτα καιρός· πολὺν γὰρ καὶ ἄπειρον, ὡς ἔφημεν, κατὰ πασῶν αἱρέσεων διαπεράνας λόγον, καὶ πάσας αὐτὰς ἱκανῶς στηλιτεύσας, τελευτῶν τὸ σύγγραμμα, οὐ πρὸς εἰδωλολατρείας λόγον ἐτράπετο, οὐδὲ πιστοῖς τοῦτο ἐπέγραψεν, ἀλλὰ πρὸς ἐγκώμια μεγάλα καὶ θαυμαστὰ τῆς Ἐκκλησίας ἔρχεται· καὶ δηλώσει αὐτὴ τοῦ λόγου ἐπιγραφὴ ἔχουσα οὕτως[2]· ÷ Σύντομος ÷ καὶ ἀληθὴς λόγος περὶ τῆς πίστεως τῆς ÷ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας. ÷

Καὶ κατάρχει τοῦ λόγου, « Τὰ μὲν πολυειδῆ καὶ πολύτροπα, » καί τινα μετὰ ταῦτα διεξιὼν ὅτι, « Δυνάμει Θεοῦ τὰς βλασφημίας αὐτῶν διηλέγξαμεν, καὶ τὸν κλύδωνα διανηξάμενοι, τοῖς τῆς ἀληθείας γαληνίοις ἐπλησιάσαμεν χωρίοις, τὸν τῆς εἰρήνης λιμένα θεώμενοι. » Καὶ ἔτι τούτοις προσόμοια ὑπειπὼν, ἐπάγει, ὅτι ÷ Ὁμοῦ τε πόλιν ὁρῶντες, ἐπ' αὐτὴν σπεύσωμεν, τὴν ἁγίαν Ἱερουσαλὴμ, καὶ τὴν παρθένον Χριστοῦ καὶ νύμφην, ἀσφαλῆ τε βάσιν καὶ πέτραν, σεμνήν τε μητέρα ἡμῶν, Χριστοῦ νύμφην, εὐκαιρότατα καὶ αὐτοὶ λέγοντες· « Δεῦτε, ἀναβῶμεν εἰς τὸ ὄρος τοῦ

multo magis hæc et præ cunctis oportuit interponere, si hæc Epiphanio videbantur esse idololatria; qua nimirum quid vesanius aut abominandum magis? Et cur præclara verba facere sustinuit de minoribus malis, majora vero prorsus neglexit?

58. Deinde videmus omnem hæresin ita fuisse ab Epiphanio nota inustam, ut a quibus singulæ inceperint, nomina auctorum posuerit et quibus in locis sedem habuerint, etiam a quibus pestis illa fuerit subinde suscepta. Si igitur honorem sacris iconibus exhibitum idololatriam esse judicavit, quomodo illam cæteris longe exitiosiorem pestem tacitam prætermisit, neque indicavit unde inceperit, nec ubi excepta fuerit? Nam si aliquid simile suspicatus fuisset, libros scripsisset infinitos, ejusque tractatus omnem numerum excessissent.

Καὶ μέντοι καὶ ὁ ἀοίδιμος Κύριλλος εἰς μάρτυρας λόγους συντιθείς, τοιαῦτα φραζέτω· ÷ Εἶδον κατὰ τοίχου γραφῆς ἐναθλοῦσαν τοῖς ÷ σκάμμασι κόρην, καὶ οὐκ ἀδακρυτὶ τὴν ÷ θέαν κατώπτευσα [5]. ÷

Ἐμφανιζέσθω καὶ αὐτὸς ὁ μέγας Βασίλειος, καὶ παρακελευέτω καὶ νῦν ζωγράφοις μαρτύρων ἁγίων λαμπρότερον ἀναγράφειν εἰκόνας, καὶ ὁμοῦ τοῖς ἐκείνων ἄθλοις, αὐτὸν τὸν τῶν μαρτύρων ἀγωνοθέτην Χριστὸν συνεγγράφειν τοῖς πίναξι [6]. Παρείσθω νῦν τὰ πολλὰ πρὸς τὸ μὴ μηκύνειν τὸν λόγον· πολλὰ γάρ ἐστιν εἴ τις συλλέγειν βούλοιτο. Τί λέγετε ὑμεῖς, οἱ τοῖς

« amavi linitam cera picturam, pietate re« fertam; vidi namque angelum in ima« gine abigentem barbarorum nubes; vidi « conculcari barbarorum agmina, et Da« vid vera cecinisse: « Domine, in civi« tate tua imaginem eorum disperdes. » Magnus hic est Joannes ore aureus, qui sanctorum quoque martyrum delineata certamina intuebatur; idemque similia declarat in iis quæ disseruit in magnanimum Job commentariis. Idem demum penes se divi Apostoli imaginem habeat et recolat.

76. Accedat et divus Gregorius, qui ardentissimo in magnum Basilium amori satisfacturus, icone dedicata, ei præstet honorem; cui imparia esse sermonum encomia professus, imaginem ejus heroicis metris et elegiacis adornavit, picto tamquam vivo verba faciens, quorum versuum ultimi sunt :

Vale, ó Basili, et licet nos reliqueris,
A Gregorio hoc tibi est epitaphium.
Hic sermo quem amabas, habeto tibi, ó Basili, pignus
Amicitiæ et tibi donum votis maxime contrarium.
Gregorius, Basili, ego tuæ imagini obtuli
Hanc epigrammatum seriem duodenam.

77. Neque interea desint præclari Cyrilli de martyribus sermones, ubi ait : « Vidi in parietis pictura decertantem in stadio virginem, neque sine lacrymis spectaculum intuebar. »

78. Prodeat et ipse Magnus Basilius, et jubeat etiam nunc pictoribus splendidiores sanctorum redhibere imagines, simulque cum martyrum præliis ipsum Christum certaminis præsidem in tabulis conscribere. Jam multa prætermittantur, ne nimium oratio crescat; erunt enim multa, si quis ea colligere velit. Quid vos, qui larvas inter

(1) Ἐξουδενώσεις. Ps. LXXII, 20. — (2) Εἰκόνα. Cf. anon. vita apud Savil. t. VIII; Damasc. I, p. 328. Dolendum excidisse comment. in Job. — (3) Sic A. Ἐφαίδρυνε B, Γ, E. — (4) Οἵδε Opp. t. II, p. 1158, v. 47.

V. 2. Τὸ δ' ἔστι γράμμα A ante correct. ut B, Γ, E.

V. 3. Μῦθος ὅδ', ὃν ed. χερὸς A post correct.

V. 4. Ἐπευκτότατον A prima manu.

V. 5. Τεῇ κονίῃ ἀνέθηκα ed., his varietatibus exceptis in marg. cod. reg. 998 : Τεῇ κόνει, τὴν δὲ ἀνέθηκα. Colb. Τεῇ κόνι τῇδ' ἀνέθηκα. — Noster A legit τε' εἰκόνι, ut elisum ῆ indicet.; deinde ῆι in rasura 4 litterar. Sed vix Gregorius in eodem versu tot hiatus admiserit. — V. 6. Θεῖε, δυοδεκάδα B, Γ, et sic, ut videtur, A ante correct. Addere non piget metricam versionem, hic illic e lectione nostra parce attemperatam :

O Basili, valeas; ut sint tibi nostra relicta,
Hoc tibi Gregorii funebre carmen habes,
Sermonem quondam tibi carum, debita amoris
Nempe soluta tibi, tristia dona mihi.
Gregorius, Basili, ecce tuæ sacravit iconi
Bissenis metris hæc epigrammatia.

(5) Κατώπτευσα. Homil. in Cyrill. Opp. non invenitur. — (6) Πίναξι. Orat. in S. Barlaam, t. II, p. 141.

φάσμασι τῶν φαντασιωδῶν ἐπαγαλλόμενοι; εἶδέ τις τῶν πατέρων τῶν πάλαι τὰς εἰκόνας Χριστοῦ τε καὶ ἀποστόλων καὶ τῶν ἄλλων ἁγίων; Πείθεσθε τοῖς συνηγόροις, ἢ τραχύνεσθε τῆς φαντασίας τοῖς κέντροις νυττόμενοι.

Ἔδει δὲ ἡμᾶς, ἓν ἀντὶ πάντων θέντας, λῦσαι τέλεον τὸ ζητούμενον· ἀκούετε λοιπὸν, οἱ τούτων περιεχόμενοι τῶν δογμάτων, τί φησιν ὁ καθ' ὑμᾶς Ἀστέριος[1], ὃν κράτιστον ἐν τοῖς ὑμετέροις λόγοις μάρτυρα ἐπιφέρεσθε· καθ' ἣν χρῆσιν τοῦ ὀρθοῦ καταφρυάττεσθε δόγματος, ἐκ τοῦ εἰς τὸν πλούσιον καὶ τὸν Λάζαρον λόγου ληφθεῖσαν· « ὄψῃ[2] τὴν ἁμαρτωλὸν τοῖς ποσὶ τοῦ Ἰησοῦ προσπίπτουσαν· » καὶ πάλιν· « Μὴ τὴν ἁμαρτωλὸν γυναῖκα ἐπιμελῶς ὅρα γονυπετοῦσαν τὸν Κύριον Ἰησοῦν· » καὶ Κύριον τὴν εἰκόνα τοῦ Κυρίου μηδενὶ παρακαλύμματι προσχρησάμενος, ἀλλὰ γυμνῇ τῇ φωνῇ Ἰησοῦν καὶ Κύριον τὸ ἐν σηρικοῖς ὑφάσμασιν ἀπεικόνισμα προσηγόρευσε, Χριστιανῶν ἔθεσιν προσομιλῶν ἑπομένοις[3], οὐκ ἐθνικῇ συνηθείᾳ, ὡς Εὐσεβίῳ δοκεῖ, ὑπαγομένοις· ὅς γε καὶ τῶν ἀρχαιοτέρων, τάχα καὶ ἀρχαιοτέρων τῶν ὑφασμάτων μέμνηται. Ἀλλ' εἴ πού γε ὑμῖν τοῖς αἱρετοῖς οὐ συναίρεται, οὐδὲ τοῖς παρ' ὑμῶν διδασκάλοις ὑπείκετε. Φιμούσθω οὖν πᾶ-
A 320. σα γλῶσσα καὶ ἐμφραττέσθω πᾶν στόμα κατὰ τῆς Χριστοῦ Ἐκκλησίας φθεγγόμενον ἄδικα.

Εἰ δὲ δὴ πρὸς βασιλεῖς καὶ περὶ βασιλέων ὁ λόγος, μάθετε οἷα ὁ πρῶτος ἐν βασιλεῦσι χριστιανῶν, τὰ πρὸς Θεὸν καὶ τὴν καθ' ἡμᾶς πίστιν εὐσεβῶν Κωνσταντῖνος πεποίηκεν, ὅπως τε τὰ Ἑλλήνων καθελὼν καὶ τὰ ἡμέτερα τιμήσας καὶ ἀναστήσας, τὰς ἱερὰς ταύτας γραφὰς πανταχοῦ ἀνεστήλωσε· καὶ τούτων ἐστὶ τὴν πίστωσιν δέξασθαι ἐξ αὐτῆς τε τῶν φαινομένων τῆς θέας καὶ ἐξ ὧν πάλαι περὶ αὐτοῦ ἐξιστόρηνται. Ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ μετ' ἐκεῖνον ἐκείνῳ τὴν εὐσέβειαν ἑρεπόμενοι περὶ τὰ θεῖα θεοπρεπῶς προτεθύμηνται· δι' ὃ καὶ ἀρχαιότητι διαφέροντα τίμιά ἐστι καὶ αἰδέσιμα. Εἰ δὲ ἀρχαιότητι οὐ πείθεσθε,

Docetarum exsultatis, aitis? Viditne aliquis veterum aut Christi aut apostolorum cæterorumve sanctorum imagines? Credite his defensoribus (quos adducitis), aut compungimini, phantasiæ spiculis confossi.

79. Per nos non erit quin unum pro sexcentis adducentes, quæstionem penitus solvamus. Audite demum, quicumque hæc dogmata tenetis, quid ipse vester dicat Asterius, quem potissimum in vestris libellis testem producitis, exque ipso loco unde in rectam doctrinam superbe irruitis, e sermone *in Divitem et Lazarum*: « Cernes, ait, « mulierem peccatricem, pedibus Jesu pro- « volutam. » Et iterum: « Ne adeo diligen- « ter intuere mulierem coram Domino Jesu « genibus flexam. » Et Dominum imaginem Domini absque ulla ambage appellavit, quin et liquida voce Jesum Dominumque nuncupavit effigiem in sericis vestibus impressam, respiciens Christianorum usus continuos, non ethnico se mori submittentes, uti vult Eusebius, qui tamen et vetustiorum hominum et antiquiorum vestium meminit. Verum si vel electi a vobis testes suppetias non ferunt, jam neque magistris vestris morem geritis. Sileat ergo omnis lingua et oppiletur os omne in Christi Ecclesiam iniqua proferens.

80. Quando quidem ad reges et de regibus sermo vertitur, scitote quid primus e christianis regibus, Constantinus, pro sua erga Deum et in nostram fidem pietate, perfecerit: quomodo ethnica dum aboleret, nostraque foveret et instauraret, ubique gentium sacras id genus picturas restituerit. Argumento quippe sunt et ipse exstantium imaginum conspectus et quæ de illo antiquitus narrantur. Sed pariter et hi qui post eum pietatis ipsius successerunt hæredes, cum debita religione sacras exceperunt imagines: quare a cana antiquitate sanctæ sunt et venerabiles. Sed si vetustati non creditis, nec nisi ægerrime fertis quæ vestris subjecta

(1) Ἀστέριος. Bibl. PP. Paris. 1624, t. II, p. 565 A, B. —(2) Ὄψει E, ut solet. Rara certe lectio A, B, Γ, quam ideo retinemus.— (3) Ἑπομένοις. Raptim alludendo, ut solet, forte quædam passim omisit desideranda.

οὐδὲ τὰ κατ' ὀφθαλμοὺς προκείμενα δυσωπεῖ[1], ἢ τὰ ταῖς ἱστορίαις παραδιδόμενα, οὐδ' ἂν ἐκ νεκρῶν τις κηρύσσων ἀναστῇ, ἡ ὑμετέρα σκληροκαρδία καὶ ἀδάμαστος[2] πεισθήσεται ψυχὴ, ἕως ἂν ὑμᾶς ἡ κραταία καὶ δικαία τοῦ Θεοῦ μετέλθοι δικαίως χείρ.

Ἀλλ' ὧδε μὲν ταῦτα ἐχέτω· ἐπὶ δὲ τὸν προκείμενον σκοπὸν ἴωμεν· ὡς γὰρ σαφῆ καὶ τετρανωμένην ὁ τῶν φασμάτων κατάπλεως τὴν ἑαυτοῦ πλάνην καὶ βλασφημίαν παρίστησιν, ἀκουσομεθα[3] ὁποῖά τινα τοῖς προλαβοῦσιν ἐπάγει.

sunt oculis aut historiis traduntur, jam etiamsi e mortuis præco aliquis exoriatur, adduci non poterit cordis vestri durities animaque indomabilis ut persuadeatur, donec magna et justa Dei manus juste super vos incumbat.

Sed hactenus hæc sunto. Ad propositum vero finem pergamus; quum enim ipse liquidam et perspicuam exhibeat iste phantasiæ qua scatet fallaciam et blasphemiam, audiamus qualia præmissis addat.

CAPUT XIX.

÷ Ἅμα δὲ καὶ ψεύδονται ἐξ ἰδίας αὐτῶν ÷ ἐννοίας, μορφὰς τῶν ἁγίων ἄλλως καὶ ἄλ- ÷ λως ἀνατυποῦντες, ποτὲ μὲν γέροντας, ÷ ποτὲ δὲ νεωτέρους τοὺς αὐτοὺς, ἃ μὴ ἑω- ÷ ράκασιν ἐμβατεύοντες· κόμην γὰρ ἔχοντα ÷ τὸν Σωτῆρα γράφουσιν ἐξ ὑπονοίας, διὰ τὸ ÷ Ναζωραῖον αὐτὸν καλεῖσθαι, εἴπερ οἱ ÷ Ναζωραῖοι κόμας ἔχουσι· σφάλλονται δὲ ÷ οἱ τοὺς τύπους αὐτῷ συνάπτειν πειρώμενοι· ÷ οἶνον γὰρ ἔπινεν ὁ Σωτὴρ, ὃν οἱ Ναζωραῖοι ÷ οὐκ ἔπινον. ÷ Ἀγάσαιτο ἄν τις αὐτὸν τῆς συνέσεως, ὡς οὐδὲ ἡβάσκειν ἢ γηράσκειν τοὺς ἁγίους ἀνέχεται, ἀλλ' ἐκ πρώτης γενέσεως ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἡλικίας ἵστασθαι, οὐδὲ δίδωσι νηπιότητος ἢ νεότητος ἢ γήρως διαφοράν. Ταῦτα δὲ τί ἄλλο ἢ γελᾶσθαι ἄξια, καὶ τοῖς ἐπὶ σκηνῆς ἀποπέμπεσθαι; Ὡς οὖν ἐπὶ τῶν ἁγίων οὐδεμίαν διαφορὰν ἐπί τε ἡλικίας καὶ σχήματος δίδωσιν, οὕτως οὐδὲ τὸν Χριστὸν κόμην ἔχειν βούλεται, δι' ὃ καταιτιᾶται τοὺς κομήτην αὐτὸν γράφοντας, ὥσπερ μὴ ἀληθῶς κομῶντα, κενεμβατοῦντας δὲ ἐν οἷς μὴ ἑωράκασι. Πρὸς δέ γε καὶ ἐξ ὑπονοίας διὰ τὸ Ναζωραῖον καλεῖσθαι· ἐπείπερ οἱ Ναζωραῖοι κόμας εἶχον, ἐξ οὗ καὶ σφαλλομένους ἀποφαίνεται, τοὺς τύπους αὐτῷ συνάπτειν πειρωμένους· ὡς τοῦ ἀσφαλοῦς κατ' αὐτὸν ἔχοντος, μηδαμόθεν αὐτῷ τοὺς τύπους προσήκειν· ὡς ἂν πρὸς τοῖς ἄλλοις μηδὲ τὰ ἐπὶ

81. ÷ Verum adde quod ex ingenio qui- ÷ que suo ficte quasdam componunt san- ÷ ctorum formas, aliosque alio more figu- ÷ rant, modo senes, modo juniores eosdem, ÷ unde in ea quæ non viderunt, impingunt. ÷ Instructum enim crinibus Salvatorem ÷ pingunt, scilicet ex conjectura quod Na- ÷ zaræus vocatur et Nazaræi comas nutriunt. ÷ Sed falluntur qui hujusmodi typos illi ÷ coaptare tentant : vinum enim Salvator ÷ bibit, quod Nazaræi non gustabant. ÷

Mireris hujusmodi conceptum, nempe nec juvenescere, nec senescere sanctos permitti, sed a prima statim nativitate in eodem usque corporis habitu constitui. Ideo sane nec pueritiæ iste, nec adolescentiæ nec senectutis ullum concedit iis discrimen. Verum quid hæc, nisi ridenda prorsus et ad scenicos mittenda? Ut igitur is nihil vult differre sanctorum ætatem et corporis habitum, ita displicet ei Christus crinitus, ideoque lacessit eos qui comatum eum pingunt, ac si falso comam illi dent, et misere impingant in ea quæ non viderunt. Accedit etiam illud quod dicit, « ex conjectura quod Nazaræus vocatur; » quandoquidem Nazaræi comas alebant, indeque is deprehendit pictorum sphalma, istiusmodi typos Christo accommodantium, perinde ac si id unum esset de eo exploratum, nullum ei convenire typum; adeo ut præter alia multa, ne Isaaci quidem

(1) Δυσωπεῖ. Ita codd. Suppleri possit ὑμᾶς, sed simplicius corrigetur δυσωπεῖτε. — (2) Ἀδάσμαστος A, sed evidenti scribentis mendo. — (3) Ἀκουσώμεθα, novo et communi codd errore.

τῇ θυσίᾳ τῇ κατὰ τὸν Ἰσαὰκ τυπικῶς πάλαι πραττόμενα πρόσοιτο[1]. Ὁ τοίνυν τοὺς τύπους ἐπὶ Χριστοῦ ἀναιρῶν, προδήλως τὴν θεόπνευστον ἀθετεῖ γραφὴν, καθ' ἣν ἐν πνεύματι προανεκηρύχθησαν· τοῦτο δὲ τί ἄλλο ἐστὶν, ἢ ὅλην τὴν θείαν ἠρνῆσθαι οἰκονομίαν; Εἰ γὰρ οἱ προσκιαγραφήσαντες τὴν ἀλήθειαν τύποι ἀναιροῦνται, ἀκόλουθον ἂν εἴη καὶ τὸν οὗ εἰσι τύποι, αὐτὴν φημὶ τὴν ἀλήθειαν, συνοιχήσεσθαι.

Πῶς οὖν σφάλλονται, ἐπάγει τὸ αἴτιον εὐθύς· ÷ Ὅτι οἶνον, φησὶν, ἔπινεν ὁ Κύριος[2], ὅνπερ οἱ Ναζωραῖοι οὐκ ἔπινον. ÷ Ὃ δὴ τεκμήριον τίθησι τοῦ μάτην ἐπὶ Χριστῷ τύπους προαγορεύεσθαι, συγκαταλελύσθαι δὲ καὶ τοὔνομα· καὶ τοῦτο παρὰ τοὺς λόγους αὐτοῦ ἀναφαίνεται, ψευδεῖς εἶναι τοὺς θείους χρησμοὺς καὶ τὰς προφητικὰς προῤῥήσεις, αἳ πόῤῥωθεν Ναζωραῖον αὐτὸν κεκλῆσθαι προανεφώνησαν, ὧν τύποι τῶν μελλόντων ἦσαν τὰ πρὶν ἱστορούμενα· ψευδῆ δὲ καὶ τὰ θεῖα τυγχάνειν εὐαγγέλια, αὐτούς τε τοὺς εὐαγγελισαμένους ἀπατεῶνας δεδεῖχθαι, ὡς ἅ γε οὐκ εἶδον οὐδὲ ἔμαθον τηνάλλως ἀναγράψαντας· ἢ γὰρ ὡς οὐκ εἰδότας οἶνον πεπωκέναι τὸν Χριστὸν διακρούεται καὶ ὑψηλότερόν τι αὐτὸς γινώσκειν φαντάζεται, ἢ εἰδότας, σφαλλομένους καὶ αὐτοὺς Ναζωραῖον καλεῖν, καὶ ἀπαξάπλῶς ἐς προὖπτον τῷ ἐκκλησιαστικῷ φρονήματι ἀπομάχεται. Ἀφ' ὧν οὖν θαρσεῖ λέγειν ἐσφαλμένους τοὺς ἀκειρεκόμην τὸν Χριστὸν γράφοντας, ἀπὸ τούτων δείκνυται, ὁποίαν περὶ τοῦ κυριακοῦ σώματος ἐκέκτητο φαντασιούμενος τὴν διάληψιν. Εἰ γὰρ κόμην οὐκ εἶχεν ὁ Σωτὴρ, οὐκ οἶδα ὅθεν αὐτῷ καὶ τἄλλα ὁμολογηθήσεται· ἀπὸ οὖν τοῦ κυριωτάτου τῶν τοῦ σώματος μελῶν,
A 321. τῆς κεφαλῆς ἤτοι τῆς κόμης, εἰκότως καὶ τὰ λοιπὰ τοῦ σώματος συναναιρεῖ μέλη, καὶ τοῦτο φανερὸν ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς ποιεῖ·

÷ Οὐ πρέπον, λέγων, ἐστὶ Θεὸν ἔχειν ἡμᾶς ÷ ἐν χρώμασι καὶ μέλεσι ζωγραφούμενον. ÷

Ἐν οἷς πάλιν ὁρῶμεν Εὐσέβιον τὸν δυσσεβῆ

immolationem olim typice factam iste admittat. Qui igitur spectantes ad Christum typos aufert, is manifeste Scripturam a Deo dictatam subvertit, per quam in Spiritu futura prædicta fuerunt. Quid autem hoc est, nisi omnem abjurare divinam incarnationem? Tolle enim typos quibus veritas præviis umbris delineatur; consequens est eum quoque tolli, quem figuræ repræsentant; tolli, inquam, ipsam veritatem.

82. Cur autem fallantur, pergit mox dicere causam : « Quia vinum, ait, Christus « potavit, quod Nazaræi non bibebant. » Quo quidem argumento evincit ne Christi proponantur typicæ figuræ, eodem quoque ejus nomen expungit. Significatur enim his sermonibus et illud, falsa esse divina oracula et propheticas prædictiones quæ a longe eum vocatum esse Nazarenum prænuntiarunt, quarum rerum futurarum relatæ prius historiæ erant typi; falsa quoque evaderent sancta Evangelia, et ipsi evangelistæ impostores esse probarentur, qui temere ea retulissent quæ nec viderunt nec didicerunt : aut enim respuit illos quasi non sciverint Christum bibisse vinum, et ipse se aliquid insignius novisse somniatur; aut si scivisse id eos non negat, vult in eo erravisse quod Nazaræum appellaverunt, et in universum aperto marte pugnat contra Ecclesiæ sententiam. Ex eo igitur unde confidit eos aberravisse qui Christum depinxerunt cæsarie ornatum, indidem convincitur qualem circa Domini corpus opinionem Docetarum hauserit. Nam si Christus comam non habebat, nescio qui fiat ut cætera ei tanto assensu concedantur. Ab uno igitur singularissimo corporis membro, a capite nimirum aut cæsarie, par est inferre et cætera tolli corporis membra, idque manifestum ex consequentia efficit.

83. « Non decet, ait, Deum nobis esse coloribus membratim descriptum. »

Ecce iterum cernimus Eusebium, im-

(1) Πρόσοιτο. Quem typum eleganter a Nysseno e picturis ævi sui descriptum (t. II, p. 908) Damascenus pariter Iconomachis objicit, t. I, p. 324.

(2) Σωτὴρ B, Γ, E.

δογματίζοντα. Εἰ γὰρ γράφεσθαι οὐκ ἐδίδου Χριστὸν ἐν μέλεσι, σαφὲς ὡς οὐδὲ ἀνειληφέναι τὸ καθ' ἡμᾶς σῶμα τὸ παράπαν τὸν θεῖον Λόγον ἐδόξασε. Ταύτῃ τοι καὶ τὸ γραφόμενον τοῦ Χριστοῦ κατὰ τὸ ἀνθρώπειον εἶδος, ἐν εἰδωλολατρείας ἐκτυπώματι ἀπεικαζόμενον διϊσχυρίζετο. Ἀλλὰ καὶ ἃ μὴ ἑωράκασιν ἐμβατεύοντας τοὺς γράφοντας καὶ πλάσσοντας ἀπὸ ἰδίας ἐννοίας ἀποφαίνειν βούλεται, ὡς οὐδαμῶς ἐν πράγμασι καὶ ἀληθείᾳ τῶν παρ' ἡμῖν κηρυσσομένων καὶ πιστευομένων ὑπάρχειν τι οἰόμενος· οὕτως ἔξω τῆς ὑγιαινούσης πίστεως ἑαυτὸν καὶ τοῦ ἐντεῦθεν μακαρισμοῦ ἵστησι. Τῶν πεπιστευκότων γὰρ οἱ μὴ τεθεαμένοι ἐξ ὧν οὐχ ἑωράκασι τὸ μακάριοι ἀποφέρονται. « Μακάριοι γὰρ, ὁ Κύριος ἔφησεν, οἱ μὴ ἰδόν« τες καὶ πιστεύσαντες [1]. » Εἰ δὲ καὶ οἶνον ἔπινεν ὁ Χριστὸς, εἰ μὴ τῇ θείᾳ ἐξουσίᾳ συγχωρητέον, τῇ γοῦν συγκαταβάσει, μετὰ τῶν ἄλλων τῆς σωτηρίου οἰκονομίας, καὶ τοῦτο ἀναθετέον. Ἡμῖν δὲ εἰς πληροφορίαν καὶ πίστωσιν τῶν παρὰ χριστιανοῖς πρεσβευομένων ἀποχρώντως ἔχει ἡ ἀποστολικὴ παράδοσις, ἥτις ἔκ τε ἱστοριῶν καὶ τῆς κρατησάσης μέχρι καὶ νῦν κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν συνήθειαν κρατύνεται.

Καὶ τούτων οὕτως ἐξητασμένων, παρήχθω καὶ νῦν Ἐπιφάνιος καὶ δοκιμαζέσθω, εἰ συνῳδὰ τοῖς προκειμένοις διαγορεύει. Γράφει τοίνυν ἐν τῷ κατὰ Μασσαλιανῶν λόγῳ, ἡνίκα τισὶ τῶν ἐν τοῖς κατὰ τὴν μέσην τῶν ποταμῶν μοναστηρίοις κόμας ἐπιτρεφόντων ἐπέπληττε, τοιάδε [2]· « Ἀλλότριον γάρ ἐστι τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας σάκκος προφανὴς καὶ κόμη μὴ ἐκτεμνομένη [3], ἀπὸ τοῦ κηρύγματος τῶν ἀποστόλων· « Ἀνὴρ γὰρ [4] οὐκ ὀφείλει κομᾷν, εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχων [5]. » Τὸ δὲ χεῖρον [6] καὶ ἐναντίον οἱ μὲν τὸ γένειον τὴν μορφὴν τοῦ ἀνδρὸς ἀποτέμνουσι, τρίχας δὲ τῆς κεφαλῆς πολλάκις κομῶσι. Καὶ περὶ μὲν τοῦ [7] γενείου ἐν ταῖς Διατάξεσι τῶν ἀποστόλων

pium doctorem. Si enim pingere vetuit Christum membratim, jam non fuisse corpus nostro simillimum a divino Verbo assumtum, manifeste docuit. Inde siquidem Christum, ubi secundum humanam effigiem describitur, idolorum repræsentatione similitudinem exhibere, asseveravit. Sed et propterea pictores in ea quæ non viderunt impegisse et ex ingenio suo confinxisse contendit, quia nullatenus re ipsa exstare vereque consistere ea quæ prædicamus et credimus, existimat. Sic igitur sanam extra fidem et adipiscendam ex ea beatitudinem se constituit. Qui enim crediderunt, etiamsi non viderunt, eo ipso quod non conspexere, beati dici adipiscuntur. « Beati enim, ait Dominus, qui non viderunt et crediderunt. » Verum si vinum gustavit Christus (idque concedendum, sin minus divinæ majestati, certe demissioni ipsius humanæ) cum cæteris salvificæ incarnationis signis, hoc quoque tollendum est. Nobis autem ad ea confirmanda et credenda quæ apud Christianos præstantiora sunt, satis est apostolica traditio, tam scriptis consignata, quam perpetua usque etiam nunc Ecclesiæ consuetudine confirmata.

84. Quæ quum ita ventilata fuerint, adducatur iterum Epiphanius et interrogetur an cum præmissis consona ediderit. Scribit igitur in sermone adversus Massalianos, ubi eorum quosdam in Mesopotamiæ monasteriis degentes, qui comam nutriebant, increpat in huncce modum : « Abhorret ab Ecclesiæ catholicæ moribus « saccus ille conspicuus et coma non excisa, « juxta apostolorum præconia : « Vir ne « comam nutriat, quum imago Dei sit et « gloria Dei. » Sed deterius illud magis« que contrarium : siquidem isti barbam, « hoc est propriam viri formam resecant; « capillos vero capitis ut plurimum submit« tunt. Atqui quod ad barbam attinet, in « apostolorum Constitutionibus divino ser-

(1) Πιστεύσαντες. Joan. XX, 29. — (2) Τοιάδε. *Opp.* t. I, p. 1073 B, C. — (3) Κόμη ἐκτεμνομένη editor quoque conjiciebat pro ἐκτεινομένη. — (4) Ἀνὴρ γὰρ, φησί ib. — (5) Ὑπάρχων. I Cor. XI, 14. — (6) Τί δὲ χεῖρον Ed. — (7) Καί περ μὲν οὖν ib. Vix unus locus in vulgato Epiphanio medela non indiget.

φάσκει ὁ θεῖος λόγος καὶ ἡ διδασκαλία, μὴ φθείρειν, τοῦτ᾽ ἔστι μὴ τέμνειν τρίχας γενείου, μηδὲ ἐπιτηδευσμῷ κατακοσμεῖσθαι[1], μηδὲ ὑπερηφανίας ὑπόδειγμα δικαιοσύνης τὴν προέλευσιν ἔχειν· ἔπρεπε γὰρ Ναζωραίοις τοῦτο μόνον διὰ τὸν τύπον· τύπῳ γὰρ ἤγοντο[2] οἱ παλαιοὶ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι, ἔχοντες κόμην ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τὴν εὐχὴν, ἕως ὅτου ἦλθεν ἡ εὐχὴ τοῦ κόσμου καὶ ἐτελειώθη· κεφαλὴ δὲ πέφηνεν ὁ Χριστὸς ὁ μονογενὴς Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐγνώσθη τῷ κόσμῳ, ὁ ὢν ἀεὶ καὶ μὴ γινωσκόμενος παρὰ τῇ πάσῃ ἀνθρωπότητι, ἢ μόνον ἐνίοις τοῖς εἰς αὐτὸν πεπιστευκόσιν, ἵν᾽ ὅταν γνῶμεν τὴν κεφαλὴν, μὴ καταισχύνωμεν τὴν κεφαλήν. »

Ἀλλὰ μὴν αὐτὸς καὶ ἐν τῷ κατὰ Ἀντιδικομαριανιτῶν λόγῳ, τοὺς υἱοὺς Ἰωσὴφ Ναζωραίους ὄντας παραδίδωσιν· ὅθεν καὶ τὸν θεῖον Ἰάκωβον ἀδελφὸν τοῦ Κυρίου ἔφησε διὰ τὸ ὁμοδίαιτον καὶ σύντροφον[3]· ἔτι καὶ τοὺς υἱοὺς Ζεβεδαίου τῆς αὐτῆς ἐχομένους πολιτείας εἰσάγει. Ἤδη δὲ καὶ ὁ μέγας Ἰωάννης ὁ Χρυσόστομος Ναζωραῖον τὸν Χριστὸν οἶδεν, ἀπό τε τῆς ἀνατροφῆς καὶ ἐν Ναζαρὲτ διαγωγῆς[4].

Εἰ οὖν οἱ προτεθέντες λόγοι οἰκεῖοι, ὡς ἀληθῶς, καὶ γνήσιοι τοῦ θείου Ἐπιφανίου τυγχάνουσι, πῶς εἰς ταὐτὸν οἴσομεν τόν τε δριμέως καὶ αὐθάδως ἐσφάλθαι καθοριζόμενον τοὺς τῷ Χριστῷ τύπους πειρωμένους συνάπτειν, καὶ τὸν τοὺς τύπους βεβαιοῦντα καὶ θαρσαλέως ἀποφαινόμενον; ὡς· « Ἔπρεπε Ναζωραίους τοῦτο « μόνον διὰ τὸν τύπον· τύπῳ γὰρ ἤγοντο « οἱ παλαιοὶ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι, ἔχοντες « τὴν κόμην ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, » καὶ ἃ τούτοις ἕπεται. Ἠλίθιον οὖν καὶ μανίας τῆς ἀνωτάτω, κατὰ τοσοῦτον τῶν δοξῶν ἀντικειμένων καὶ ἀλλήλων διῳκισμένων, ἐκεῖνα τὰ δυσσεβῶς πεφλυαρημένα εἰς Ἐπιφάνιον ἀναφέρειν, ἢ ὡς αὐτοῦ τὸ σύνολον παραδέχεσθαι. Ἐπεὶ οὖν ἦλθεν ὁ Χριστὸς, ἡ κεφαλὴ τῶν τύπων, πληρώσων νόμον καὶ προφήτας, καθάπερ ὁ ἀληθὴς
A 322. ἔχει λόγος, ᾧ δὴ καὶ Ἐπιφάνιον συμφθεγγό-

« mone a didascalico præcepto scribitur, « ne ea corrumpatur, id est, ne barba ponatur, neve meretricio ornatu colatur, ac « ne per arrogantiam affectata justitia in « congressu ostentetur. Illud enim Nazaræis, « dumtaxat ob figuram, congruebat. Per « figuram enim futurarum rerum veteres « traducebantur, velut quum comam ex « voto promissiorem habuerunt, donec « mundi votum advenit et impletum est, « hoc est apparuit Christus Dominus, unicus Dei Filius, et innotescere mundo cœpit « ille, sempiternus quidem, sed ab omni « hominum genere nequaquam agnitus, verum a quibusdam tantum, qui in ipsum « crediderant, ut cognito capite Christo « nullam capiti ignominiam inferamus. »

Adde quod idem in suo tractatu adversus Antidicomarianitas, filios Joseph fuisse Nazaræos tradit; unde et divum Jacobum ideo fratrem Domini nuncupat, quod eadem disciplina, eodemque cibo utebatur. Sed et Zebedæi filios inducit eamdem vivendi formam usurpantes. Jam vero etiam magnus Joannes Chrysostomus Nazarenum dici Christum novit ex ejus in urbe Nazareth educatione et incolatu.

85. Si ergo modo laudati sermones genuini sunt, quod indubium est, eaque germana Epiphanii opera, quomodo eumdem esse feremus qui acerbe et petulanter definit illos aberrare qui Christo assignare typos moliuntur, et eumdem qui typos esse statuit et confidenter exponit? « Nazaræis, « inquit, dumtaxat ob figuram, hoc congrue« bat: in figura enim rerum futurarum ve« teres esse ducebantur comam capitis ge« rendo prolixam, » et quæ sequuntur. Insipientis est igitur et vehementissime furentis aut, sententiis usque adeo contrariis et inter se discrepantibus, tam impie conficta ad Epiphanium referre, aut eidem tribuere totum hoc quodcumque est. Quando igitur advenit Christus, summum typorum caput, ut legem et prophetas impleret, prout veritatis sermo habet, quocum Epiphanium videmus

(1) Κατακομεῖσθαι ib. recte Petav. conjiciebat ut codd. nostri. — (2) Ἤγουντο ib. eodem rursus corrigente. — (3) Ὁμοδιέτον καὶ σ. B. Γ. *Opp.* t. I, p. 1039, B. — (4) Διαγωγῆς. In Matth. hom. X, t. VII, p. 135.

μενον ὁρῶμεν· « Οὐκ ἦλθον γάρ, φησί, καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας, ἀλλὰ πληρῶσαι[1], » οἱ δὲ τύποι κατ' ἀλήθειαν ὑπῆρξαν. Καὶ γὰρ οἱ περὶ τὸν Σαμψὼν τὸν κριτὴν ἐκεῖνον, καὶ τὸν ἱερὸν Σαμουήλ, καὶ οἱ ἄλλοι ταῖς ἀληθείαις ἦσαν ἄνθρωποι, καὶ οὐ ψευδῆ καὶ ἀπατηλὰ τὰ τοῦ Πνεύματος λόγια, καὶ δὴ καὶ εἰς τύπον τοῦ πάντων ἡμῶν Σωτῆρος προὔκειντο. Καὶ Χριστὸς ἄρα ἀληθὴς ἄνθρωπος γεγονώς, ὥσπερ καὶ Θεὸς ἀψευδὴς ὤν, ὁ αὐτὸς τοὺς ἐπ' αὐτῷ προγεγραμμένους τύπους, καὶ καθ' ὃ Ναζωραῖος, πεπλήρωκεν, ἀληθὴς Ναζωραῖος καὶ γενόμενος καὶ λεγόμενος. Οὐκοῦν οὐ σφάλλονται οἱ τοὺς τύπους αὐτῷ συνάπτειν πειρώμενοι, ἢ δοκεῖ τῷ παράφρονι· σφάλλεται δὲ οὑτοσὶ ὁ ἐξάγιστος καὶ τῆς Ἐπιφανίου δόξης ἀντίθετος, ἠπατημένην καὶ πεφενακισμένην περὶ τὴν ἐνσωμάτωσιν τοῦ Χριστοῦ δόξαν ἔχων, καὶ τὰ Μαρκίωνος καὶ Μάνεντος ἡμῖν πνέων.

Τούτων ἱκανῶς ἐκβασανισθέντων, ἐπισκέψασθαι καιρὸς καὶ τῶν ἑξῆς τοῦ ἀνοσίου λόγων τὴν ἐμμέλειαν καὶ ἀκρίβειαν. Τοιαῦτα γὰρ ἐπάγει τοῖς φθάσασιν·

÷ Καὶ αὐτὸ γὰρ ὅπερ πλάσσουσιν ἀπὸ
÷ ἰδίας ἐννοίας διανοούμενοι, ψεύδονται· γρά-
÷ φουσι γὰρ Πέτρον τὸν ἅγιον ἀπόστολον
÷ οἱ πλάνοι γέροντα ἄνδρα, τὴν κεφαλὴν καὶ
÷ τὸ γένειον κεκαρμένον· γράφουσι δὲ καὶ τὸν
÷ ἅγιον Παῦλον, ἄλλοι μὲν ἀναφαλαντέα[2],
÷ ἄλλοι δὲ φαλακρὸν γενειήτην, καὶ τοὺς
÷ ἄλλους μαθητὰς ψιλῶς κεκαρμένους. ÷

Οὕτω μὲν[3] οὖν καταμωμεῖται καὶ τωθάζει τοὺς οὕτω τοὺς ἀποστόλους γράφοντας, ψευδολογοῦντας δὲ καὶ ἐξ ἰδίας ἐννοίας πλάσσοντας ἀποφαίνει· τί δοκοῦν αὐτῷ, πότερον ὀνόματα ψιλὰ σωμάτων χηρεύοντα, καὶ οἷα τὰ κατ' ἐπίνοιαν μόνην θεωρούμενα τοὺς ἀποστόλους τιθέμενος· ἢ ἑτέρας παρὰ τὴν ἡμετέραν μεταλαχόντας φύσεως, καθ' ἣν οὔτε γράφεσθαι, οὔτε τὸ γηραιόν, οὔτε μὴν τὸ κείρεσθαι διαφαίνεται; Ἡμᾶς δὲ προσέχειν τὸν νοῦν ἀκριβῶς προσήκει τοῖς λεγομένοις,

consonantem : « Non veni, inquit, solvere legem aut prophetas, sed adimplere, » jam typi re quidem vera exstiterant. Etenim Samson ille judex et sacer antistes Samuel et cæteri absque dubio homines erant, de quibus nec mendacia sunt neque fallacia Spiritus oracula, iidemque in figuram Salvatoris omnium nostrum propositi erant. Christus ergo ipse, verus homo factus, quemadmodum haud falsus Deus est, quoscumque de se superius assignatos typos, etiam quatenus Nazarenus, adimplevit, factus nimirum vere Nazarenus, uti jure dicitur. Non igitur falluntur qui ipsi typos assignare tentaverunt, quæ amentis sententia est. Immo fallitur vesanus iste et Epiphanii doctrinæ adversarius, quum erroneam et fallacem de Christi incarnatione teneat opinionem, et Marcionis aut Manichæi placita nobis insufflet.

86. Quæ quum abunde trita sint, considerare opportunum est quæ sit in cæteris quoque verbis stolidi illius diligentia et solertia. Præmissis enim hæc subdit :

÷ Et item in eo quod fingunt ex proprio
÷ ingenio excogitantes, decipiuntur. Pin-
÷ gunt enim erronei artifices Petrum, san-
÷ ctum apostolum, uti senem virum, capite
÷ et barba tonsum ; pingunt autem san-
÷ ctum Paulum, alii quidem calvum, alii
÷ vero cum calvitie barbatum, et cæteros
÷ discipulos radicitus tonsos. ÷

Sic igitur ille sannis eos incessit et dicteriis qui hoc modo pingunt apostolos, quos expolire mendacia tradit et de suo sculpere icones. Quid, quæso, maluerit, utrum per nuda nomina, corpore destituta, et qualia in mente tantum cernuntur, exhibere apostolos ; an eos in alteram, sed neque nostram commutatos naturam, quæ nec picturam, nec senium, nec calvitiem præ se ferre queat ? At animum decet his verbis intendere diligenter, ut magistri tam sapientis sermonem sciamus qualis sit, quo acumine,

(1) Πληρῶσαι. Matth. v, 17. — (2) Ἀναφαλαντίας E post correct. — (3) Οὗτος μὲν B, Γ, E.

ὡς ἂν εἰδείημεν τοῦ σοφοῦ διδασκάλου τοὺς λόγους, οἱοί περ ἂν εἶεν καὶ ὅπως ἀγχινοίας καὶ συνέσεως ἔχοντες, καὶ εἰς ὅ τι αὐτῷ εὐδοξίας ἐκβήσονται. Εἰ μὲν οὖν τὰ ἄτοπα διαφυγεῖν ἕλοιτο, ὡς ἂν μὴ εἰς τὸ ἀνύπαρκτον καὶ ἀνυπόστατον τοὺς ἀποστόλους περιστήσειε, τῶν πλαστογραφούντων δὲ τὸ ψευδὲς ἐξελέγξειε, τοῖς ἀντικειμένοις ἐκ παντὸς θέσθαι ἀναγκασθήσεται· καὶ ἡβῶντας αὐτοὺς καὶ κομῶντας ὁμολογήσειε, καὶ οὕτως ὡς ὑφεστῶτας δεχόμενος καὶ εἰ βούλοιτο [1] γράψειεν, ἵνα τὸ ὑπειλημμένον αὐτῷ ἀληθὲς καὶ πλασμάτων ἐλεύθερον βεβαιώσηται.

Ἴδωμεν λοιπὸν τίνα τὰ ἑξῆς ἐπαγόμενα καὶ εἰ τοῖς προειλημμένοις ἐστὶ σύνδρομα· νῦν μὲν γὰρ ψευδεῖς καὶ πλάνους τοὺς κεκαρμένους τοὺς ἀποστόλους γράφοντας διαθρυλεῖ· προϊὼν δὲ τοῖς αὐτοῖς περιπίπτων ὅσον οὔπω ἁλώσεται, δι' ὧν λοιπὸν κεκαρμένον καὶ οὐ κομήτην τὸν Χριστὸν καὶ ὅμοιον αὐτοῖς δεικνύειν πειρώμενος συλλογίζεται, καὶ φησίν·

qua intelligentia conspicuus, in quam demum probabilitatem exeat. Quod si elegerit vitare absurda, nimirum ne apostolos faciat substantiæ prorsus ac personæ expertes, artificum tamen mendacia coarguat, adversariis suis ab omni parte assentiri cogetur. Jam eosdem viros et adolescentia simul et canitie distinctos profiteatur, eosdemque ut exsistentes accipiens, pinxerit etiam, si voluerit, ut videlicet confirmet verum esse illud et fictione destitutum, quod [in principio argumentationis] assumserat.

Cæterum videamus an fortasse aliqua e subsequentibus cum præcedentibus cohæreant. Hactenus quidem mendaces et falsos dictitat eos qui calvos apostolos depingunt; ultra vero progressus, in eadem offendens, jam deprehendetur iis quibus subinde ipsum Christum ostendere nititur calvum et sine coma hominibusque cæteris similem, atque dicit:

CAPUT XX.

÷ Εἰ τοίνυν κόμην εἶχεν ὁ Σωτὴρ, οἱ δὲ
÷ ἄλλοι μαθηταὶ ἦσαν κεκαρμένοι, καὶ μὴ ἦν
÷ αὐτὸς κεκαρμένος καὶ ἴσος αὐτοῖς φαινό-
÷ μενος, τίνι λόγῳ Φαρισαῖοι καὶ οἱ Γραμμα-
÷ τεῖς τριάκοντα ἀργύρια ἐδίδουν τῷ Ἰούδᾳ
÷ μισθοῦ χάριν, ὅπως φιλήσας αὐτὸν ὑπο-
÷ δείξῃ αὐτοῖς, ὅτι Οὗτός ἐστιν ὃν ζητεῖτε;
÷ δυνάμενοι καὶ δι' ἑαυτῶν καὶ ὑπ' ἄλλων
÷ γνῶναι διὰ τοῦ σημείου τῆς κόμης, ὃν ἐζή-
÷ τουν εὑρεῖν καὶ μὴ μισθὸν δοῦναι. ÷

Ὄντως [2] διὰ τῶν δοκούντων αὐτῷ πρὶν ἐψευσμένων τὰ πλέον ἀπιστούμενα νῦν τῷ λόγῳ διασκευάζει· σκοπεῖν γὰρ δεῖ· ἵνα τὴν ἐπὶ Χριστῷ κόμην ἀνασκευάσῃ, τοὺς οἰκείους ὥσπερ ἐπιλαθόμενος ἀναιρεῖ λόγους· καὶ ἃ πρότερον κατὰ τῶν μαθητῶν Χριστοῦ ἐληρώδησεν ἠγνοηκὼς, ψευδεῖς καὶ πλάνους τοὺς κεκαρμένους αὐτοὺς ἀνιστοροῦντας διακηρύσσων, νῦν ἤδη ὁμολογουμένως κεκαρμένους λαβὼν, ἐπ' ἀνατροπῇ τῆς Χριστοῦ κόμης προ-

÷ Verum tamen si comans esset Salvator,
÷ cæteri vero ejus discipuli calvi, si in-
÷ tonsus, inquam, ipse et a cæteris fuisset
÷ dissimilis, qua ratione pharisæi et scribæ
÷ triginta argenti denaria dederunt Judæ
÷ in mercedem ut osculando eum ostende-
÷ ret illis : Hunc esse, dicens, quem quæ-
÷ ritis? Poterant quippe et a se ipsis et
÷ a cæteris inde illum dispicere, ex cri-
÷ nium signo, quæsitumque per se inve-
÷ nire, et a danda mercede abstinere. ÷

Re ipsa, per ea quæ superius ementita censuit, alia nunc astruit magis incredibilia. Advertere enim oportet animum : ut Christo comam componat, suos quasi per oblivium rescindit sermones, et quæ primum de Christi discipulis jactitavit oblitus, scilicet quum asseruit mendaces esse pictores et decipi eosdem calvos depingendo, nunc jam eos asseverando calvos esse, totus est in exterminanda Christi coma, et quam futilia

(1) Εἰ μὴ βούλοιτο B, Γ qui non viderunt Niceph. καὶ ad γράψειεν, non ad εἰ, retulisse, — (2) Οὕτως E.

χειρίζεται, καὶ εἰς ἀπόδειξιν τῶν εἰκαίων λόγων ἐπάγεται. Ὅμοιον γὰρ τοῖς μαθηταῖς βουλόμενος τὸν Χριστὸν ἐκδεικνύναι, τουτέστι κεκαρμένον καὶ αὐτὸν, τῇ ψιλώσει τῶν μαθητῶν συντίθεται. Εἰ μὴ γὰρ κεκαρμένους ἐδέξατο, οὐκ ἂν ἄλλως τὸ κενολογούμενον κατεσκεύαζεν· οὐδὲ γὰρ ἕτερόν τι εἰλῆφθαι ὑπελείπετο, ἐπεὶ οὐδὲν κομήτου καὶ ψιλοῦ μέσον. Ὅπερ πρότερον χαλεπαίνων οὐκ ἐδίδου· διὸ περιτέτραπται αὐτῷ εἰς τοὐναντίον τὸ ἐπιχείρημα, ἐπὶ κενοῖς δὲ κενώτερά[1] πως περινοῶν, τῷ ἐκ τοῦ Ἰούδα φιλήματος σημείῳ εἰς 23. σύστασιν τῆς παρανοίας αὐτοῦ καὶ κουφότητος προσεχρήσατο· ὃ πρὸς διάκρισιν τῆς τῶν μαθητῶν καὶ τοῦ Σωτῆρος ὁμοιότητος τοῖς Φαρισαίοις ἐχρησίμευσεν, ἵνα καὶ διὰ τούτου φανῇ κεκαρμένους τοὺς μαθητὰς νῦν εἰσφέρων[2] καὶ ἐναντία φρονῶν ἑαυτῷ. Ἐνταῦθα δὲ κόμας καὶ ἀποκάρσεις ἀκούοντες, καὶ ὑπὸ τῶν Φαρισαίων ζητούμενον τὸν Χριστὸν, καὶ τὸν προδότην ἐκμισθούμενον, μὴ ἀποθώμεθα[3], ὡς κυρίως καὶ κατὰ ἀλήθειαν ἄνθρωπον ὄντα καθ' ἡμᾶς τὸν Σωτῆρα εἰσάγει.

sint argumenta sua ostendere aggreditur. Similem quippe ubi vult Christum cum discipulis esse, id est omnino tonsum, ibi rasuræ discipulorum insistit. Nisi enim omnes tonsos dixerit, nequaquam dicta inepta probavit. Nihil enim illi supererat quod assumeret, quum crinitum inter et tonsum non detur medium: horum vero prius concedere nolebat: idcirco revoluta ipsi est in contrarium pugna, vanisque vaniora inde excogitans, osculo utitur Judæ proditionis in signum dato, ut insipientiam et nugacitatem suam fulciat (id quod ad discernendam similes inter se discipulos et Salvatorem, pharisæis profuit), ut hinc quoque videatur velle discipulos nunc inducere tonsos et contraria sibimet censere.

Hic vero ubi comas et tonsiones, et Christum a pharisæis quæsitum, et proditorem mercede donatum loquitur, ne dimittamus illud, quod Salvatorem proprie et vere hominem nobis similem inducit.

CAPUT XXI.

Ἀναμιμνήσκεσθαι γὰρ χρὴ τῶν ἔναγχος περὶ τῶν μελῶν εἰρημένων Χριστοῦ, ἔτι καὶ τῶν παρὰ τοῦ θεοφόρου Ἐπιφανίου παρατεθειμένων φωνῶν, δι' ὧν ἐλέγχει τοὺς εἰς μύθους τετραμμένους καὶ οὐχ οἵαν τὴν καθ' ἡμᾶς σάρκα καὶ τρίχας καὶ ὄνυχας ἔχειν τὸν Κύριον δοξάζοντας· οἵ εἰσιν οἱ περὶ τοὺς μιαροὺς καὶ ἐξαγίστους Βαλεντῖνον καὶ Μαρκίωνα καὶ Μάνεντα καὶ τοὺς λοιποὺς, περὶ ὧν ἤδη καὶ προεῤῥήθη[4]. Ἐμύθευον γὰρ ὁ μὲν [Βαλεντῖνος] δούλου μορφὴν ἀνειληφέναι τὸν Κύριον λέγων, οὐκ αὐτὸν τὸν δοῦλον· καὶ ἐν σχήματι γεγενῆσθαι, οὐκ αὐτὸν τὸν ἄνθρωπον προσειλῆφθαι, καὶ ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώ-

88. Operæ enim pretium est meminisse quæ modo dicta sunt de Christi membris, et quænam e cœlesti illo Epiphanio adduxerimus, quibus convincit eos qui in fabulas irruunt, docentque non similem ac nostram inesse Christo carnem, nec crines, neque ungues: qui porro sunt discipuli perversorum istorum et amentium Valentini, Marcionisque et Manetis, ac cæterorum de quibus jam actum superius est. Hæc quippe fabulati sunt; alius nempe « servi formam Christum « accepisse, ait, non ipsum servum; et in « specie venisse, neque ipsum ab eo homi- « nem assumtum; et in humana quidem si- « militudine, non ut hominem apparuisse. »

(1) Κενώτερα A, secunda manu, hic et alibi constanter, ut aliis quoque id genus vocabulis, ut in ἑώρακα; minutiora quidem hæc, sed notatu digna, quæ nimirum veterem nobis inducunt quorumdam grammaticorum canonem, non semel poetarum exemplo et usu confirmatum. — (2) Νῦν εἰσφέρων sic A, E; συνεισφέρων B, Γ. — (3) Ἀναθώμεθα B, Γ. — (4) Προεῤῥήθη D. Quæ deinceps uncis includimus, accepta e marginibus codicum sunt. Eadem mox in appendice hujus libri fusiora et integriora, quæ si lubet, vide p. 378 sqq. Cf. supra p. 341. Item et in tom. I, p. 397, 405, 434.

που, οὐκ ἄνθρωπον πεφηνέναι. Ὁ δὲ [Μαρκίων] δοκήσει Χριστὸν πεπονθέναι καὶ ταφῆναι· καὶ μηδὲ ἄνθρωπον ἀληθῶς, ἀλλ' ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπου γεγενῆσθαι. Ὁ δὲ [Μάνης] ὅτι τῶν Ἰουδαίων βουλομένων ποτὲ λιθάσαι τὸν Χριστὸν, καὶ τῆς παρανομίας αὐτῶν τὴν τόλμαν εἰς ἔργον ἀγαγεῖν, ἔδειξε σαφῶς τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν ὁ τοῦ ἀνωτάτου φωτὸς υἱὸς, καὶ μέσος αὐτῶν διελθὼν, οὐχ ὡρᾶτο. Ἡ γὰρ ἄϋλος μορφὴ συσχηματισαμένη τὸ εἶδος τῆς σαρκὸς, ὁρατὴ μὲν οὐκ ἦν· ἐψηλαφᾶτο δὲ οὐδαμῶς διὰ τὸ μηδεμίαν ἔχειν κοινωνίαν τὴν ὕλην πρὸς τὸ ἄϋλον· μία γὰρ φύσις τὸ ὅλον, εἰ καὶ σαρκὸς ὡρᾶτο μορφή. » Οἱ δ' αὖ τούτων ἀθεώτεροι τρανῶς τὸ ἀπερίγραπτον ἐπὶ Χριστοῦ πεφλυαρηκότες, ὡς τὸν ἄνθρωπον, ὃν ἐκ τῆς Μαρίας ἀνέλαβεν ὁ Κύριος, ποτὲ μὲν εἰς πνεῦμα μετέβαλε, ποτὲ δὲ εἰς σῶμα, καὶ ὅτι αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ἀπερίγραπτον ἦν, καθάπερ ἡ θεία φύσις. — Ἴσως τῆς τῶν Δοκητῶν [1] μοίρας τις πικρὸς ἡμῶν φανεῖται κατήγορος, [ὃς] ὑψοῦ διάρας τὴν κεφαλὴν καὶ τὴν ὀφρῦν καθ' ἡμῶν ἀνασπάσας, μέγα ἐπικομπάσειε· καὶ ὡς οὔπω ἐφικνουμένους τοῦ λόγου διαγελάσειεν· « Οὐ γὰρ ἠγνόησε, φησὶ, τοὺς ἑαυτοῦ λόγους ὁ διδάσκαλος, ἀλλ' ὅτι καθ' ὑμᾶς ταῦτα λέγων ἐπέξεισι τῷ σκοπῷ. » Πρὸς ὃν τί φήσομεν; Εἰ μὲν εἶχεν ἐγκαλεῖν λέγων· τίνος ἕνεκεν ὁμοίους ἀλλήλοις τὸν Χριστὸν καὶ τοὺς μαθητὰς γράφετε; εἴ που τοῦτο γινόμενον ἔτυχεν (οὐχ ὧδε γὰρ ἔχει τὰ γραφόμενα), ἦν ἂν αὐτῷ τοῦτο εἰς ἀνατροπὴν τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου ἰσχυρὸν, ἢ εἰ μέχρι [2] τῆς ἀποκάρσεως καὶ τῆς κόμης ἵστατο, εἶχεν ἂν τι [3] παραμυθίας φάρμακον ὁ λόγος αὐτῷ. Ἐπειδὴ δὲ ἐπήγαγε τὴν φονικὴν κατὰ Χριστοῦ τῶν Φαρισαίων γνώμην, καὶ τὸν προδότην εὐθὺς μισθαρνοῦντα μαθητὴν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ φιλήματος τεκμήριον, ὡς ἴδιον τὸν λόγον τῆς ἀποκάρσεως ἁλίσκεται λαβών. Ἄλλως τε δὲ οὐδεὶς τῶν νοῦν ἐχόντων τὸ ὅλον τῶν τιθε-

Alius vero : « Christum in specie passum « fuisse sepultumque, nec verum fuisse ho« minem, sed in hominis duntaxat imagine « factum. » Alius demum : « Quum Judæi « voluerunt Christum lapidibus obruere, et « impietatis suæ cumulum conficere, per« spicue ostendit essentiam suam excelsis« simæ lucis Filius : medius enim illorum « ibat, neque cernebatur. Forma enim ejus « materiæ expers, configurata in speciem « carnis, visibilis esse desierat, nec contre« ctari poterat ullo modo, quia materia cum « immateriali communicare nequit; una « enim natura totum erat, etiamsi carnis « forma conspiciebatur. » Porro Iconomachi jam his pejores sunt aperte, dum illud incircumscriptum in Christo somniantur, ita ut humanitatem quam de Virgine suscepit Dominus, modo mutarit in spiritum, modo in corpus, idemque hoc Domini corpus, æque ac divina natura, fuerit incircumscriptum.

89. Aliquis fortasse erit e Docetarum factione, acerbam nobis dicam scripturus, qui sursum erecto capite, contra nos grandi supercilio atque fastu tumeat, ac velut minus bene hæc verba assequutos effuse nos derideat, aiens : « Immo minime nescivit « magister ille verba quæ docuit; sed illud « sensu vestro dixit, sententiam suam ab« solvens. » Ad hunc quid dicemus? Si nimirum negotium facessere potuit dicendo : « Cur Christum et discipulos inter se simi« les pingitis?» (Fac enim id aliquando acciderit : re siquidem vera, ita se picturæ non habent); jam hoc erat egregium argumentum quo noster sermo everteretur. Aut si iste intra tonsuram et comam substitisset, quamdam solatii medelam secum ipsius verba ferebant. Verum quoniam statim subjecit exitiosum illud de Christo consilium pharisaicum, et discipulum promta mercede donatum, et illam ab osculo tesseram, de suo convincitur hunc circa tonsuram sermonem sumsisse et admisisse. Cæteroqui

(1) Ἴσως τ. τ. δ. A, tamque id mirum, quam totus hicce locus, in quo etiam post futurum insolens est sequi optativum φανεῖται. Sed notanda Nicephori consuetudo omittendi ἂν optativi copulam.— (2) Ἢ μέχρι A; εἰ μέχρι E. Ex utraque lectione juncta integram habes. — (3) Εἶχεν ἄν τινα B, E.

μένων εἰς ἀπόδειξιν λόγου προτάσεων σύστημα, ἐξ ἀμφιβόλων ἢ ἐξ ἀλλοτρίων ὅλων ὑποθέσεων παραλαμβάνει, εἴπερ μέλλοι τὴν οἰκείαν ὡς ἀληθῶς κατασκευάζειν καὶ συμπεραίνειν δόξαν. Ἀλλότριον γὰρ τοῦτο τῶν ἀποδεικτικῶν λόγων. Εἶτα, συγκεχωρήσθω ἐκεῖνο· τί οὖν πρὸς τὸ ἕτερον τοῦ λόγου ἀντειπεῖν σχοίη; Εἰ γὰρ ὡς ψευδῆ τὸν λόγον τῆς ἀποκάρσεως ἔλαβε, καὶ ὡς ἐξ ὑποθέσεως τυχὸν, εἰς ταυτὸν πάλιν τῆς ἀπονοίας περιπεσεῖται. Ἐξ ἀνάγκης γὰρ κομήτας δέξεται καὶ οὐκ ἐθέλων τοὺς μαθητάς· ἀμήχανον γὰρ κατ' ἀμφότερα τὸν αὐτὸν κατὰ ταὐτὸν ὑπάρξαι κομήτην τε καὶ ψιλόν. Καὶ τοῦτο οὐδεὶς τῶν σωφρονούντων εἴποι ἂν πώποτε. Τί οὖν τὸ ἐντεῦθεν συναγόμενον; Εἰ κομῆται ὑπῆρχον οἱ μαθηταὶ, ὅμοιος δὲ καὶ ἴσος αὐτοῖς ὁ Σωτὴρ κατὰ τὸν τοῦ διδασκάλου ὑμῶν λόγον ἐδείκνυτο, καὶ διὰ τοῦτο τοῦ Ἰουδαϊκοῦ πρὸς διάκρισιν αὐτῶν ἐδέησεν φιλήματος· κομήτης ἄρα καὶ ὁ Σωτὴρ ἦν, τῷ ὁμοίῳ καὶ ἀπαραλλάκτῳ τῶν μαθητῶν σχήματι ἤδη καθορώμενος· καὶ ψευδὴς πάλιν καὶ οὗτος αὐτῷ πεφώραται ὁ λόγος, δι' οὗ σφαλλομένους [1] καὶ ψευδεῖς τοὺς τὸν Χριστὸν κομῶντα γράφοντας δεικνύειν ἐπεχείρησεν. Ἑαυτῷ ἄρα ἐξ ἑνός γε τοῦ τρόπου ὁ σοφώτατος περιπεσεῖται· τοιοῦτον ἡ ἀσέβεια καὶ τὸ ψεῦδος ἑαυτῷ καὶ τῇ ἀληθείᾳ ἐς προὖπτον ἀντικαθίστασθαι.

Τὸ δ' οὖν ἐκ τῶν λόγων τοῦ σοφοῦ παριστάμενον, ὥσπερ τὸν Χριστὸν ἀδιάρθρωτόν τε καὶ μελῶν ἄνευ, καὶ τὸ πᾶν εἰπεῖν, ἀσώματον τερατεύεται (ἐξ οὗ δὴ καὶ ἄγραφον ἐπίσταται), οὕτω καὶ περὶ τῶν ἀποστόλων φαντασιούμενος διατίθεται. Εἰ γὰρ νεωτέρους μὴ γράφεσθαι, οὔτ' οὖν γέροντας· ἐψιλωμένους δὲ ὡς ἥκιστα, κομῶντας δὲ οὐδ' ὁπωσοῦν καταδεχόμενος, τί ποτ' ἂν ἄλλο ἐρεῖ, ἢ ὅτι οὐδὲ γεγόνασι τὴν ἀρχὴν ὑπέλαβεν ἄν; Λείπεται οὖν θεοὺς ζωγραφητοὺς καὶ αὐτοὺς ἀποδεικνύειν, καὶ ἤχοις κενοῖς τὰς τούτων τυποῦσθαι προσηγορίας. Ἔοικε γὰρ ὁ τὴν Χριστοῦ ἐξομνύμενος σάρκωσιν, μηδὲ πεπεῖσθαι Χριστῷ, ἐν ᾧ

(1) Δι' οὓς σφαλλομένους E.

nemo sensuum compos universam seriem adducendarum in demonstrationem asserti sui propositionum sumit ex hypothesibus ambiguis vel alienis, dum potest et debet suam vere astruere et juste concludere sententiam. Abhorrent enim hæc a demonstrationis ratione. Interim concessum illud esto : quid jam contra alteram dicti partem inferre possit? Si enim falsa reputavit quæ ad calvitiem spectabant, exque mera conjectatione creata, in eamdem rursus insipientiam ultro recidet. Velit enim, nolit, necesse est discipulos concedat crinitos. Fieri enim nequit ut utrumque de eodem et in eodem tempore stet, crinitum esse et calvum. Quæ profecto nemo ullus qui sapiat, dixerit umquam. Quid ergo inde colligitur? Si comam habuere discipuli, et similis nec ab eis diversus fuisse demonstratur Salvator, vestro etiam magistro confitente, atque ideo ad discernendum eum ab illis necessarium fuit Judæ osculum, comam igitur gerebat Salvator, in eodem cum discipulis et per omnia consimili habitu ipseque conspectus : iterum igitur falsa deprehenditur hæc quoque assertio, qua deceptos fuisse et mendaces evincere studuit eos qui Christum comantem depingebant. In semetipsum ergo unoque modo corruet vir sapientissimus. Sic nimirum solet impietas, uti et mendacium, secum et cum veritate apertissime pugnare.

90. Verum illud e sapientis viri loquelis efficitur; quemadmodum Christum articulis membrisque vacuum, verbo dicam, incorporeum prodigiose confecit (ex eo scilicet indepictum esse cognovit) : ita et apostolorum respectu fantasmata proponit. Si enim nec eos juniores pingere licet, neque senes ; si tonsos eosdem minime patitur, nec tamen quemcumque capillum concedit, quid dicere potest, nisi ex sua sententia eos numquam exstitisse ut homines. Restat igitur ut tamquam pictos deos exhibeat, et per inanes sonos eorum repræsentet cognomina. Apparet enim eum qui Christi reprobavit incarnationem, nec Christo credere, dicenti

πρὸς τὸν κορυφαῖον τῶν μαθητῶν ἀπεφαίνετο, νεώτερον μὲν ἑαυτὸν ἤδη ζωννύοντα, γηραῖον δὲ ὑφ' ἑτέρου ζωσθησόμενον. Καὶ τὰ μὲν τοιαῦτα ἐκείνῳ ἐφαρμοσθήσεται.

Ἡ δὲ καθολικὴ Ἐκκλησία κατὰ τὸ εὐαγγελικὸν κήρυγμα ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς μορφῇ τὸν Χριστὸν καὶ εἶναι καὶ ὁρᾶσθαι διὰ παντὸς δοξάζει, καὶ ὁμοιοπαθὲς ἡμῖν ἔχοντα σῶμα, καὶ τοῖς σωματικοῖς, ὅσα φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα, προσχρώμενον, βρώσεώς τε καὶ πόσεως ἀνεχόμενον· ὥστε καὶ φάγου καὶ οἰνοπότου δόξαν ἀπενέγκασθαι καὶ ὑπὸ τῶν ὄχλων συνεχόμενον καὶ ἀποθλιβόμενον, καὶ τὸ ἐμφερὲς κατὰ τὸ εἶδος καὶ τὸ σχῆμα τοῖς πολλοῖς διασώζοντα· ἀνθρώπων γὰρ πῇ μὲν ἐοικέναι ἀλλήλοις, πῇ δὲ ἀπεοικέναι· ἐξ οὗ καὶ ἐν χρείᾳ τοῦ σημείου γενέσθαι τοῖς κυριοκτόνοις συμβέβηκεν. Ἡμεῖς δὲ τῶν μετὰ ταῦτα καὶ δὴ ἀκολούθως ἁπτώμεθα. Μικρὰ οὖν τινα ἐν τῷ μεταξὺ βαττολογήσας καὶ φλυαρήσας, εἶτα ὑποτίθεται τῷ βασιλεῖ·

palam coryphæo apostolorum, fore ut qui junior sese accingebat, quum senuisset, ab alio cingeretur. Hæc quidem in illum congrue dicentur.

91. Catholica vero Ecclesia ad evangelici præconii normam perpetuo docet in hac nostra hominum forma Christum et esse et conspici, et sicuti nos habere corpus passioni obnoxium, et corporea certe, qua naturalia sunt et pura, usurpavisse, ciboque usum et potu, adeo ut fama fuerit manducatorem hominem vinique potatorem esse, turbisque inhibitum et circumcinctum, nostram demum similitudinem in habitu et forma per omnia asservantem. Hominum enim est modo similes esse, modoque dissimiles : inde evenit ut certo ad agnoscendum signo Deicidæ opus haberent. Nos vero jam ea quæ sequuntur, adoriamur; paucis quidem omissis ejusdem vesaniæ ac scurrilitatis, hoc deinde imperatori dat consilium.

CAPUT XXII.

÷ Ὅπως τὰ βῆλα τὰ ἔχοντα τοιαύτην ÷ γραφὴν συλλεγέντα εἰς ταφὴν τῶν πτωχῶν ÷ προχωρήσειεν, τὰ δὲ ἐν τοίχοις διὰ χρω- ÷ μάτων λευκανθῆναι. ÷

Εἶτα τὸ ἑαυτοῦ πάλιν φρενοβλαβὲς στηλιτεύων φησίν· ÷ Τὰ δὲ ἐν μουσαρίῳ προληφθέντα γραφῆναι, ἐπειδὴ δυσχερές ἐστι τὸ ÷ τοιοῦτον ἀνασκεύασμα, εἰ μὲν δυνατὸν ÷ ἀνασκευασθῆναι, καλόν· εἰ δὲ ἀδύνατον, ÷ ἀρκεσθῆναι τοῖς προγεγοόσι, καὶ μηκέτι ÷ τινὰ ζωγραφεῖν οὕτως. ÷

Τί οὖν πρὸς ταῦτα φήσει τις; ἢ ὅτι σοφία μωροῦ ἀδιεξέταστοι λόγοι; καθ' ἃ γέγραπται· «Καὶ ὁ μωρὸς μωρὰ λαλήσει, καὶ ἡ καρδία αὐτοῦ μάταια νοήσει τοῦ λαλεῖν πρὸς Κύριον πλάνησιν[1].» Πῶς οὐχὶ σκαιότητος καὶ παραφροσύνης ἐσχάτης; τοσαῦτά τοι περὶ τὴν τῶν ἱερογραφιῶν σπουδάσαι καθαίρεσιν, καὶ τὰ μὲν ἄλλα πάντα ἐκποδὼν γενέσθαι, τὰ με-

÷ 92. Jube ut vela his picturis instructa colligantur et in pauperum sepeliendorum usus conferantur, quæ vero in muris coloribus distincta sunt, dealbentur. ÷

Tum iterum palam suum exhibens stultiloquium, addit :

÷ Quæ vero musive picta deprehendentur, quum pigeret ea opere novo mutari, ÷ si renovari quidem possunt, bene est; ÷ sin fieri nequit, detur id majoribus, sed ÷ ne deinceps talia pingantur. ÷

Verum quid super his dicetur, nisi quod sapientia stulti confusi sunt sermones? Uti scriptum est : « Stultus stulta loquetur, et « cor illius vane cogitabit ad Deum dicere « fallaciam. » Ubi, quæso, tantus ruditatis et insipientiæ cumulus? Scilicet usque adeo excandescere zelo ad sacras picturas abolendas, ut alia quidem omnia velit tolli ra-

(1) Πλάνησιν. Is. XXXII, 6.

μουσουργημένα δὲ μόνα διὰ μικρὰν δυσχέρειαν ἐπὶ σχήματος ἵστασθαι συγχωρεῖν· καίτοι ταῦτα μᾶλλον λέγειν ἔδει περιαιρεῖσθαι, ὡς τὸ ἐπαγωγὸν καὶ ἔφολκον μᾶλλον ἤπερ τὰ δι' ἑτέρας ὕλης γεγραμμένα ἔχοντα· καὶ γὰρ καὶ ἐν θυσιαστηρίοις τὸ πλέον ὡς εἰπεῖν καθίδρυται, ἔνθα ἡ θυσία ἐπιτελεῖται ἡ ἀναίμακτος, ἐξ οὗ καὶ βεβηλοῦται, ὡς δοκεῖ τοῖς βεβήλοις, τὸ ἅγιον. Πῶς οὖν διὰ μικρὰν δυσχέρειαν τὸ πᾶν τοῦ πόνου ἀπώλεσε; πολλὰ γὰρ καμὼν, τοὺς εἰδωλικοὺς θεσμοὺς καὶ τοὺς ζωγραφητοὺς, ὡς ἐληρώδει, θεοὺς ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ καταλέλοιπεν. Ἄξιά γε ὡς ἀληθῶς τῆς ἑαυτοῦ καὶ πίστεως καὶ συνέσεως τὰ ὑποτιθέμενα· οὐ γὰρ πίστεως ὀρθῆς καὶ ἀκριβοῦς ταῦτά γε· οὐχ οὕτως ἡ τῶν χριστιανῶν ἔχει θεοσέβεια, τινῶν μὲν τῶν εἰς πίστιν ἡκόντων καταφρονεῖν, τινῶν δὲ ἀντέχεσθαι· ὁ καθ' ἓν γὰρ μέρος[1] διασφαλεὶς πάντων γέγονεν ἔνοχος, καὶ τοῦ παντὸς ἐκεῖθεν ἐκπέπτωκεν. Χωλεύων οὖν οὗτος περὶ τὴν ἑαυτοῦ πίστιν, περὶ τὴν καθ' ἡμᾶς οὐδ' ὅλως ὀρθοτομεῖ εὐσέβειαν, ἐπεὶ οὐχ οὕτω διάκειται τὰ ἡμέτερα· μέχρι γὰρ καὶ μνήμης αὐτῆς τὰ τῶν εἰδώλων παρὰ τῇ Ἐκκλησίᾳ ἠφάνισται. Τοιαῦτα τὰ τῆς χρήσεως φασματώδη καὶ ἄτοπα.

Ἴδωμεν δὲ εἰ τῷ ὄντι πρὸς Θεοδόσιον γέγραπται, καὶ εἰ κατήκοος τῶν τοῦ μεγάλου τούτου διδασκάλου λόγων γέγονεν. Ἀλλ' ὅτι μὲν οὐδὲ ὄναρ Θεοδοσίῳ πέπλασται[2], οἱ τὰ
25. ἐκείνου συγγεγραφότες μαρτυρείτωσαν· ὅτι δὲ ἐκ τῶν ἀπ' ἐκείνου χρόνων μᾶλλον ηὔξηται καὶ εἰς μέγα τῶν ἱεροτυπιῶν ἐπιδίδωσιν ἡ εὐπρέπεια, αὐτὰ κεκράξεται τὰ πράγματα περιηχοῦντα τοῦ ἀνδρὸς τὴν εὐσέβειαν, ὅσα τε ἐν θείοις σηκοῖς καὶ ἱεροῖς σκεύεσιν, ἀνατολή τε καὶ δύσις προβάλλει φιλοτεχνούμενα. Τίς δὲ τῶν ἐχεφρόνων πεισθείη Θεοδοσίῳ προσῆχθαί ποτε τοὺς περὶ τῶν ἱερῶν δόμων καθαιρέσεως λόγους; ὅς γε οὐδὲ τὴν κατὰ τῶν οἰκείων ἀνδριάντων ἤνεγκεν ὕβριν, τεκμήριον δὲ μικροῦ τὴν Ἀντιόχου πυρὸς ἀπέφαινε παρανάλωμα, εἰ μὴ ὁ τῆς πόλεως

(1) Καθ' ἐν μέρος E. Cf. Jacob. II, 10.

dicitus; quæ autem musivo confecta opere, solum manere permittit ob tenuem molestiam. Atqui hæc potissimum jubere exterminari oportuit, quum acrius animos trahant et alliciant quam cætera dissimili picta materie. Nam in sanctuariis hæc ut plurimum, fere dicam, constituuntur, ubi sacrificium perficitur incruentum; unde sordidatur, ut istis videtur sordidis vel ipsummet sanctum. Cur igitur parvum ob tædium rei incœptæ summam perdere? Quum enim multum æstuarit, ethnicos abusus et deos pictura, ut somniatur, expressos in sanctuario reliquit! Digna sane hujusmodi exceptio et fide et ingenio hominis illius! Hæc enim non capit recta exactaque fides. Non ita se habet christianorum religio, ut eorum quæ ad pietatem spectant, alia negligat, alia impugnet. Qui enim offendit in unum, omnium factus est reus, et inde a toto excidit. Claudicat ergo iste circa suam ipsius fidem; quoad vero nostram, non rectiori pede ambulat, quandoquidem nostra se aliter prorsus habent. Usque enim ad ipsam memoriam, in Ecclesia evanuit idololatria. Hæc sunt igitur hujus pericopes phantastica et insulsa argumenta.

93. Sed videamus an vere hæc ad Theodosium scripta fuerint, et an ille umquam tanti magistri verba exceperit. Verum has fabulas ne in somnio quidem ad Theodosium accessisse, testentur qui ejus gesta retulere : quin ab illius ætate tum maxime crevisse et in immensum auctam esse sacrarum picturarum magnificentiam, ipsa clamabunt opera quæ viri pietatem ubique personant; qualia et in divinis sacellis, et in vasa sacra, quæ tam Oriens, quam Occidens affabre ficta monstratur. Cui igitur sensato persuadebitur ad Theodosium perlatas fuisse illas de sacrarum ædium eversione litteras? Qui enim injuriam propriis suis statuis factam non tulit, et monumenti instar Antiochiam fere monstravit igne exstinctam, nisi civitatis antistes, quum ob alia, tum

ἱερουργὸς, καὶ γὰρ τἆλλα, ἁγιωσύνης καὶ ἀρετῆς εὖ ἥκων, καὶ τῆς ἐγκεχειρισμένης ποίμνης προκινδυνεύειν ὡς προθυμότατος, τὴν βασιλέως ὁρμὴν ἔστησεν. Αἰδοῖ γὰρ τοῦ ἀνδρὸς καὶ σεβάσματι, καὶ γὰρ μετὴν αὐτῷ πρὸς τοὺς ἱερωμένους Θεῷ εὐλαβείας τε καὶ μετριότητος, τῆς ὀργῆς καθυφίησι, τὴν πρεσβείαν τε καὶ τὸν ἱκέσιον οὐκ ἀποσεισάμενος λόγον. Εἰ δὲ ὁ ταῖς εἰκόσι τῶν ἐπὶ γῆς βασιλέων προσκρούων ὑπάγεται νόμῳ, καὶ ταῖς τῶν κατακρίτων ὑπενήνεκται ψήφοις, καὶ κίνδυνος ἐπῆρται[1] οὐ μικρὸς αὐτῷ ὡς αὐτὸν ἐνυβρικότι τὸν βασιλέα, ποίας οὐκ ἀξιωθήσεται τιμωρίας ὁ τοῦ βασιλέως τῶν βασιλευόντων καὶ τῶν ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων δεσπόζοντος καθυβρίζων καὶ καθαιρῶν τὸ εἰκόνισμα; Εἰ γὰρ μὴ παρὰ πόδας διὰ τὴν θείαν μακροθυμίαν ἡ ἀντίδοσις, ὅμως ὀψὲ γοῦν τῆς οἰκείας παρανομίας τἀπίχειρα δρέψεται.

ob sanctitatem et virtutem commendabilis, gregisque periclitantis quam studiosissimus, iræ regis non obstitisset. Cui viro enim venerationem præstans et religionem, sed et pro sua in quemque Deo sacratum observantia, animique moderatione, iram demisit, legationemque ac supplicia verba rejicere noluit. At si qui imaginibus regum terrenorum aliquis insultat, lege plectitur, et damnatorum subjicitur sententiæ, neque periculum minus obit quam qui in regem ipsum contumeliosus fuit, qualem pœnam is non merebitur qui regis regum, terrestriumque ac cœlestium Dominatoris honorem tollit, subvertitque imaginem! Quæ quidem vindicta licet non statim, ob Dei longanimitatem, irruat, sero tamen ex insania sua pœnas metet.

CAPUT XXIII.

Εἰ δὴ οὖν ἔτι τῇ ἀναισχύντῳ ἐπιμένοιεν γνώμῃ τῆς ἐπιστολῆς ταύτης ἀντεχόμενοι, ἐκβιασθήσονται καὶ τοῖς ἄλλοις οἷς περιέχει ἀτόποις ἐξακολουθεῖν, ὡς ἐξεῖναι αὐτοῖς καὶ τοῖς σάββασιν οὐ τῆς τεσσαρακοστῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις καιροῖς ἄχρις ἐνάτης ὥρας τὴν νηστείαν παραφυλάττειν, ὅπερ ἀλλότριον τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας καθίσταται[2]. Γνωρίζεται δὲ κἀνταῦθα οὐκ Ἐπιφάνιος, ἀλλὰ Μαρκίων ὁ μιαρὸς ἄντικρυς φθεγγόμενος, ὃν ἐν τῇ κατ' αὐτὸν αἱρέσει μετὰ τῶν ἄλλων βλασφημιῶν καὶ τοῦτο ληρωδοῦντα Ἐπιφάνιος στηλιτεύει λέγων· « Τὸ δὲ σάββατον νη-« στεύειν διὰ τοιαύτας αἰτίας φάσκει, ἐπειδὴ « φησί· Τοῦ Θεοῦ τῶν Ἰουδαίων ἐστὶν ἀνά-« παυσις τοῦ πεποιηκότος τὸν κόσμον καὶ ἐν « τῇ ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ ἀναπαυσαμένου ἀπὸ τῶν « ἔργων· ἡμεῖς νηστεύομεν ταύτην, ἵνα μὴ τὸ « βούλημα[3] τοῦ Θεοῦ τῶν Ἰουδαίων ἐργασώ-« μεθα. » Ὥστε καὶ ἐντεῦθεν φανερὸν ὅτι ἀλλότρια πάντα τοῦ ἀοιδίμου Ἐπιφανίου εὑρίσκε-

94. Nunc vero si adhuc hæreant quidam in probrosa ejusdem epistolæ doctrina, necessarium illis erit et cæteris quæ eadem continentur absurdis obtemperare, ut, inter alia, concedatur in sabbatis, vel extra quadragesimæ tempus, jejunium usque ad horam undecimam producere, præter solemnem Ecclesiæ catholicæ consuetudinem. Agnoscitur hic non Epiphanium, sed Marcionem illum impurum loqui manifeste, cui in eo loco, ubi de hac hæresi agitur, Epiphanius, inter alias blasphemias, tribuit pudendum illud, « sabbato jejunandum esse ob hujuscemodi causas : Judæorum Deo, ille ait, « hæc est requies, quum absolvit mundum « et in die septima ab operibus suis vacavit, « propterea nos in ea jejunamus, ne videa-« mur Dei Judæorum voluntatem agere. » Et ex eo loco patet alia prorsus esse cuncta quæ celeberrimi Epiphanii esse reperiuntur ac illa quæ vecors ille scriptor in Christi

(1) Ἐπήρτηται B, Γ, E. — (2) Καθίσταται. In marg. B : Κανὼν τῶν ἁγίων ἀποστόλων ξα' περὶ σαββάτου. Sed quæ re in editis can. LXXXVI. — (3) Τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ E.

ται, ὅσα κατὰ τῆς Χριστοῦ Ἐκκλησίας ὁ ἀνόσιος ἐκεῖνος πεφλυάρηκεν· ὅπου γε ὁρῶμεν καὶ ἕτερα τοιαῦτα μυσαρώτατα καὶ ἀλλότρια δόγματα τοῖς τοῦ Ἐπιφανίου λόγοις ἐγκαταμιγνύμενα, ὡς τὸ ÷ μηδαμῶς δύνασθαι ἄν- ÷ θρωπον ἁμαρτωλὸν διὰ μετανοίας γενέσθαι ÷ δίκαιον· καὶ ὅτι ἡ ἁγία Θεοτόκος διὰ ÷ ῥομφαίας ἀνῄρηται, κατὰ τὴν φωνὴν τοῦ ÷ ἱερέως Συμεών, ÷ καὶ τοιαῦτα ἄλλα.

Διὰ γὰρ τὸ ἁπλοϊκὸν τοῦ ἤθους τοῦ ἀνδρὸς καὶ τῆς φράσεως τὸ ἀπερίεργον καὶ τῶν συγγεγραμμένων τὸ πλῆθος, εὐεπιχείρητα καταλαβόντες αὐτοῦ τὰ συντάγματα τοὺς τοιούτους ἐξειργάσαντο δόλους. Διὰ τοῦτο ἐπιτηρεῖν χρὴ, ὡς εἴ τι εὐσεβείας καὶ ὀρθότητος δογμάτων ἐχόμενον εὕρηται ἐν τοῖς προηγουμένοις ἢ ἑπομένοις τῶν ἀναληφθεισῶν ἐκ τῆς ἐπιστολῆς χρήσεων, πρῶτον μὲν τὸ ἀσυνάρτητον καὶ ἀσύμφωνον ἐν τοῖς δόγμασι λογίζεσθαι, ἔπειτα ἐννοεῖν ὅτι ὁ ταῦτα δραματουργήσας τῶν δοκητῶν τις ὑπάρχων, τὸ πρόσωπον ὑποδὺς Ἐπιφανίου καὶ τῶν ἐκείνου τινὰς ἀναλεξάμενος λόγους, τοῖς ἰδίοις ἐπῳκοδόμησε πονηροῖς δόγμασιν (ὥσπερ οἱ τοῖς δηλητηρίοις ἐγκαταμιγνύντες τὸ τοῦ μέλιτος γλύκασμα), ἵνα τῆς φαντασίας τὴν κακουργίαν ἀποκρυψάμενος, πολλοῖς τῶν ἀστηρίκτων καὶ ἀμαθῶν τὸ ψυχοφθόρον ἐγκεράσηται φάρμακον. Εἰ γοῦν ὡς οἰκεῖα Ἐπιφανίου δέχοιντο, ὥρα αὐτοῖς καὶ τὰ ἐκ διαμέτρου
6. ἀντικαθιστάμενα ὡς Ἐπιφανίου δέχεσθαι προθυμότερον. Καὶ γὰρ ἀνθρωπολατρείαν ἀνθρώπου θεοφόρου οἱ ἀπὸ τοῦ ἀνοήτου Ἀπολλιναρίου εἰσηγεῖσθαι αὐτὸν διακηρύσσουσιν, ἔτι καὶ τὴν εἰς Θεὸν ἐλπίδα παραχαράττειν. Καὶ ταῦτα μὲν τὸ δυσσεβὲς τοῦ γεγραφότος μηνύει καὶ τὴν ἀπόνοιαν· τἄλλα δὲ τῆς ἐπιστολῆς πολὺ τὸ ἀπίθανον ἐνδείκνυται, εἰ πρὸς βασιλέα τοιαῦτα γέγραπται ἐκδιδάσκοντα; οἷα δεῖ τὸν ἄρτι κατηχημένον παιδεύεσθαι, καὶ τῇ τοῦ καθ' ἡμᾶς μυστηρίου μυήσει προσερχόμενον· πρὸς ἰδιώτην γὰρ καὶ ἰδιωτῶν τὸν ἔσχατον, καὶ βαναύσων τὸν ἀγροικότερον, μόλις ἂν γράφεσθαι ἄξια· τοιαῦτα ἡ θαυ-

Ecclesiam stulte excogitavit : ubi etiam videmus et alia id genus impurissima extraneaque dogmata Epiphanii sermonibus interpolata, quale illud : « Non posse « hominem per pœnitentiam justificari, et « sanctam Dei Matrem gladio interemtam « esse, secundum Simeonis sacerdotis vo- « cem, » et cætera istiusmodi.

95. Etenim ob sancti viri simplex scribendi genus, haud elaboratam dictionem, librorumque multitudinem, in promtu illis erat per ejus scripta has moliri fraudes. Idcirco sedulo notandum est, si forte aliquid pietatem et orthodoxiam spirans invenitur in quibusdam hujus epistolæ locis, sive præmissis, sive sequentibus, primum considerandam esse sententiarum inconcinnitatem et contradictionem; deinde cogitandum quod horum falsarius opifex, quum e Docetarum grege esset, personam Epiphanii induit, nonnullaque ipsius verba corrasit, quibus propria et pessima ipsius dogmata superstruxit, iisque similis qui pestiferis potibus dulcem mellis immiscent saporem, sic ille, ipsius phantastica hæresi celata, multis incautis et imperitis exitiosum propinavit venenum. Si ergo hæc Epiphanii germana opera habentur, oportet ut alia quoque his plane contraria tamquam genuina Epiphanii scripta promtius admittantur. Enimvero anthropolotriam fuisse a cœlesti illo homine assertam, Apollinarii delirantis discipuli disseminarunt, quin et spem in Deo expunxisse. Sed hæc quidem impostoris impietatem produnt et vesaniam. Quæ vero ejusdem epistolæ supersunt, rursus incredibilia videntur, si ad regem scripta dicuntur istiusmodi monita, qualia oportet catechumenum quam cito doceri, ubi ad nostrorum mysteriorum communionem accedit : ad imperitum enim quemque et imperitissimorum ultimum et rusticis rudiorem, vix talia scribendi locus esset. Ea

μαστὴ ἐκείνη καὶ παμφωροτάτη ἐπιστολὴ, καθ' ἣν ὁ Βοιώτιος κῆρυξ ἀδολέσχων ἀμουσότατα παραφθέγγεται, πέρας τῆς λέσχης καὶ τοῦ ταυτοεπεῖν [1] οὐκ εἰδὼς καὶ τῶν ἀκροωμένων ἀποκναίων τὰς ἀκοάς· ἀκοαῖς γὰρ ἀδολεσχία πολέμιον [2].

Πῶς οὖν ταῦτα Ἐπιφανίῳ ἀναθετέον; ὁρῶμεν γὰρ αὐτὸν κατὰ τῶν αἱρέσεων ἱστάμενον τοιαῦτα λέγοντα· « Ὅτι μία μετὰ τὰς « ὀγδοήκοντα αἱρέσεις ἡ τῆς ἀληθείας βάσις « ἅμα καὶ διδασκαλία καὶ σωτήριος πραγματεία καὶ Χριστοῦ νύμφη ἁγία Ἐκκλησία, « οὖσα μὲν ἀπ' αἰῶνος, διὰ δὲ τῆς ἐνσάρκου « Χριστοῦ παρουσίας, κατὰ τὴν διαδοχὴν τοῦ « χρόνου, μέσον τῶν προειρημένων αἱρέσεων, « ἀποκαλυφθεῖσα [3]. » Ἄλλα τε μυρία τούτοις ἐν τοῖς ἑαυτοῦ συγγράμμασιν ἐφάμιλλα, τῆς Ἐκκλησίας τὸ ἀσφαλὲς καὶ ἀνεπίληπτον δοξάζοντα, κατίδοι τις ἐναργῶς. Ποῦ ἐνταῦθα [4] εἰδωλολατρείας δευτέρας ἐπὶ τῆς Ἐκκλησίας Χριστοῦ παρ' Ἐπιφανίῳ μνήμη ἢ λόγος ὁπωσοῦν φαινόμενος; πῶς δὲ οὐχὶ πάντα πρὸς συνηγορίαν τῆς καθ' ἡμᾶς εὐσεβείας πρόκειται;

sane est prodigiosa illa et amplissima epistola de qua Bœotorum vates garriens invidiosa musis dixisset, ut finem garriendi cantandique non videret, audientiumque obtunderet aures; auribus enim loquacitas infensa est.

95. Quo igitur jure hæc Epiphanio imponere? Ipsum enim videmus contra hæreses insurgentem, hæc dicere: « Post octoginta « hæreses, una est veritatis basis, simulque « una doctrina et salutis disciplina ac sponsa « Christi sancta Ecclesia. Quæ quum ab ævo « sit, tum per corpoream Christi præsen« tiam, per temporum successionem, inter « medias hæreses supradictas revelata est. » At sexcenta alia his similia in ejusdem scriptis quæ, Ecclesiæ stabilitatem et integritatem vindicant, quisque per se aperte videat. Ubinam in his de reduce in Ecclesiam idololatria Epiphanius meminit aut uspiam verbum ullum edidit? Quid igitur? Nonne omnia potius in fidei nostræ defensionem conveniunt?

CAPUT XXIV.

ARGUMENTUM. — Coronidis loco sunt interpretationes in varia patrum loca quæ solent Iconomachi venditare, — 96-97. Videlicet Nazianzeni, — 98. Nili ad Olympiodorum, — 99. Basilii seleuciensis, — 100. Leontii ariani, — 101-103. Cui in primis opponitur Leontius neapolitanus. — 104, 105. Tum breviter et acerrime repetitis decem argumentis quibus Epiphanius ab Epiphanide secernitur, in appendice ponit hæretica fragmenta Eudoxii, Lucii, Manetis, Apollinarii, Dioscori et Timothei Acephalorum presbyteri.

Οὕτω μὲν δὴ ταῦτα· παράγουσι δὲ καὶ τοῦ μεγάλου Γρηγορίου τοῦ θεολόγου ῥῆσιν ἐκ τῶν ἐπῶν ἔχουσαν ὧδε· ÷ Ὕβρις πίστιν ἔχειν ÷ ἐν χρώμασιν [5]. ÷ Οὐκ οἶδα δὲ ὅ τι παθόντες εἰς τοῦτο ἀβουλίας καὶ ἀμαθίας ἐξώκειλαν, κατὰ τῶν ἱερῶν ἀπεικασμάτων ἀνοήτως ταῦτα ἐξειληφότες. Οὐ γὰρ τῶν ἐν χρώμασιν εἰκόνων χάριν ἐξείρηται τῷ θεοφόρῳ πατρὶ, ἀλλὰ τῆς μὴ ἐν καρδίᾳ καθιδρυμένης, στόματι δὲ μόνον ὁμολογουμένης πρὸς Θεὸν πίστεως· καθ' ἃ καὶ [6] τῷ πρώτῳ τῶν ἐπῶν λόγῳ ἐπιστήσας τις ἴδοι, ἐν οἷς φάσκει [7].

96. Hactenus hæc. Sed et objiciunt magni Gregorii theologi locum hunc ex ejus carminibus: « Fit fidei injuria ex coloribus. » Verum concipere non valeo quid eos in hanc imprudentiam et inscitiam præcipitaverit, ut illud adversus sacras imagines stolide torqueant. Siquidem hæc non de imaginibus pictis cecinit divus pater, sed de fide non in corde fundata, sed ore tantum confessa Deum, prout in primo ejusdem carminum libro legere est, ubi dicit:

(1) Του ταὐτὸ εἰπεῖν E. — (2) Πολέμιον. Respicit fortasse Pindar. *Pythic.* IX, v. 30: Εἰ μὴ δ' ἄσχολος ἀνάθεμεν —Πᾶσαν μακραγορίαν —Λύρᾳ τε καὶ φθέγματι μαλθακῷ, — Μὴ κόρος ἐλθὼν κνίσῃ. In edit. Boeck t. II, p. 109. — (3) Ἀποκαλυφθεῖσα, t. I, p. 1077. — (4) Ποῦ οὖν ἐνταῦθα B. — (5) Χρώμασιν. Exculitur idem locus in act. VII Conc. II Nic. Mansi XIII, col. 298. — (6) Καθ' ἃ κἂν B, Γ, E. — (7) Φάσκων. Fugit me locus in vasto Nazianzeni carminum corpore. Sed vide Mansi in *Concil.* l. c.

Τοῖς δ' ἄλλοισιν [1] ἔοιμι γέλως, ἐμὰ κήδεα βάζων,
Ὧν πίστις κραδίην ἄκρην ἐχάραξεν ἐλαφρὴ [2],
Οὐδὲ διὰ σπλάγχνων ἦλθ' ἵμερος ὀξὺς ἄνακτος,
Ζῶσιν δ' ἐνθάδε μοῦνον ἐφημέρια φρονέοντες.

Alii me meas ærumnas enarrantem derideant,
Quorum in pectore summo vix levis fides imprimitur,
Neque in imis visceribus insidet alta regis cupido,
Sed qui vivunt, tantum ea quæ in diem sunt cogitantes.

Δῆλον δὲ, ἐπειδὴ καθ' οὓς χρόνους ὁ μέγας οὗτος λαμπτὴρ τῇ Ἐκκλησίᾳ διηύγαζεν, ἡ τῶν Ἀρειομανιτῶν ἐπεκράτει λύσσα, καὶ τὸ πλέον τοῦ λαοῦ τῶν τε ἱερέων καὶ τῶν ἐν κοσμικοῖς ἀξιώμασι περὶ τὴν εὐσέβειαν ἔσκαζε, καὶ τοῦτο αὐτὸς σαφέστερον ποιεῖ. Ἐξ ὧν καὶ ἐν ἑτέροις λόγοις αὐτοῦ διδασκαλικῶς διαλέγεται· ἐν μὲν γὰρ τῷ εἰς τὰ ἐγκαίνια λόγῳ φησί· « Χθὲς « πίστιν εἶχες τὴν τῶν καιρῶν· σήμερον τὴν « τοῦ Θεοῦ γνώρισον [3]. » Ἐν δὲ τῷ εἰς τὸ βάπτισμα αὐτῇ λέξει κέχρηται καὶ διανοίᾳ λέγων· « Δεῖ δὲ μὴ σοφισθῆναι τὸν καθαρ« μὸν, ἀλλ' ἐνσημανθῆναι· λαμπρυνθῆναι « τελείως, ἀλλὰ μὴ χρωσθῆναι· μηδὲ ἐπι« κάλυψιν τῶν ἁμαρτιῶν, ἀλλ' ἀπαλλαγὴν « ἔχειν τὸ χάρισμα. » Ἐν ᾧ πάλιν παρεγγυᾷ· « Φύλασσέ μοι τὰ γεγραμμένα, ἐν καιροῖς « τρεπτοῖς ἄτρεπτος μένων περὶ ἀτρέπτου « πράγματος [4]. » Ὡς οὖν ἐνταῦθα ἀπὸ τοῦ τρεπτοῦ τῶν καιρῶν τοὺς ἀστηρίκτους καὶ ἀπαγεῖς πρὸς εὐσέβειαν, εὐπαρακόμιστον δὲ τὴν γνώμην ἐφ' οἷς ἡ τῶν καιρῶν βραβεύει ῥοπὴ, κεκτημένους καταιδεῖ· οὕτω καὶ ἐν τῷ προκειμένῳ νῦν ῥησειδίῳ, ἀπὸ τοῦ ἀλλοιωτοῦ τῶν χρωμάτων αὖθις κατονειδίζει, τὸ τῆς ὕβρεως αἶσχος ἐπιγράφων αὐτοῖς. Τί οὖν φησὶν, ἐπίμωμον καὶ ἐφύβριστον καὶ τοῦ κράτους τῆς καθ' ἡμᾶς εὐσεβείας ἀλλότριον; Ὥσπερ τὰ χρώματα, εὐαπόβλητά γε ὄντα καὶ εὐαλλοίωτα, ῥᾳδίως ἐκπλύνεται καὶ ἐκκρούεται τοῖς βουλομένοις περιαιρεῖσθαι· οὕτω καὶ ἡμᾶς εὐχερῶς πρὸς τοὺς καιροὺς περὶ τὴν πίστιν μετασχηματίζεσθαι, καὶ οἷον μεταχρώννυσθαι καὶ περιτρέπεσθαι· προσῆκον ἀεὶ ἐγκαθιδρύσθαι καὶ βεβηκέναι ὡς ἀσφαλέστατα, καὶ κατὰ τὰ ἀποστολικῶς εἰρημένα
17. ἐγγεγραμμένην ἔχειν « οὐ μέλανι, ἀλλὰ πνεύματι Θεοῦ ζῶντος, οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλ' ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκικαῖς. Καρδίᾳ μὲν γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ

Quod perspicuum est, quum in hac ætate quam magnum illud Ecclesiæ lumen illustravit, Arianorum pestis invalesceret, ac plerique plebis et sacerdotes et qui terrenis dignitatibus inhærebant, a recta pietate vacillarent, idque ipse luculentius declarat. Asseritur enim idem diserte in cæteris ejusdem orationibus. Ait in una quæ de Encæniis est : « Heri habebas fidem temporum ; hodie Dei fidem nosce. » Et in altera quæ est de Baptismo, ipsa hac dictione utitur et sententia : « Necesse est non fucata sit « purgatio, sed imprimatur ; tuque plene « ac perfecte splendescas, non leviter atque « a superficie illinaris, nec gratia demum « peccata tantum obducat, sed ab iis omnino « te vindicet. » Rursus in eodem sermone hæc præcipit : « Serva mihi quæ scripta sunt, « per temporum varietates, ipse immotus ob « indeclinabile fidei negotium permanens. »

Quemadmodum igitur hic pudere jubet eos qui ob varietatem temporum fluxi et instabiles pietate sunt, et promta se voluntate ferunt ad eos qui temporali aura potiuntur, ita et in lacinia modo relata, e colorum mutabilitate vituperat eosdem, quibus contumeliæ notam suis versibus inscribit. Quid igitur hic ait probrosi et contumeliosi et quod a confirmanda fide nostra abhorreat? Ut enim colores, utpote evanidi et mutabiles, facile eluuntur et dissipantur ab illis qui expungere eos volunt, sic, ait, et nos promte in fide mutamur ex temporibus et quasi colore variamur et circumvertimur : quum deceat potius semper esse stabilem et firmissime constantem, juxtaque Apostoli verba, inscriptam habere fidem, « non atramento, sed Spiritu Dei viventis, non in tabulis lapideis, sed in cordis tabulis carneis. Corde enim creditur ad justitiam,

(1) Ἄλλοις codd. — (2) Ἐλαφρὴν B, Γ, E. — (3) Γνώρισον. *Opp.* t. I, p. 841. — (4) Πράγματος ib. 717, B.

ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν[1]. » Ἀλλ' οὐκ ἤγαγεν εἰς ἔννοιαν τοὺς παχεῖς τὴν διάνοιαν τὸ εὐθὺς ἐπαγόμενον, ὅτι οὐ περὶ χρωμάτων οἵων αὐτοὶ ᾔδεσαν ὁ λόγος τῷ πατρί· ἐπιφέρει γάρ· « Βένθος ἐμοὶ φίλον, » ὅπερ αὐτοὶ ἔφασαν· ἡ ἐν βάθει τοῦ νοὸς, ἐκείνη μοι προσφιλὴς, ὃ πρὸς ἀντιδιαστολὴν ἐκείνης, τῆς οἷον ἐξ ἐπιπολῆς κεχρωσμένης καὶ ταχέως διαῤῥεούσης λέγεται· καθάπερ τὰ χρώματα τοῦ ὑποκειμένου μόνον περιχρώζει τὴν ἐπιφάνειαν. Ἀνόητον οὖν ἐκεῖνα καὶ ἀνάξιον περὶ τῆς θεολογικῆς οἴεσθαι ῥήσεως. Οὗτοι δὲ ἤτοι ταῖς ἁπλαῖς τῶν πατρικῶν λόγων ἐπιβολαῖς τῷ προφανεῖ καταπιστεύοντες τῆς αἰσθήσεως[2], διαμαρτάνουσι περὶ τὰ ἐκ τῆς διανοίας δηλούμενα· ἢ τὰ εὖ καὶ ὀρθῶς εἰρημένα παραχαράσσοντες, ἐπεὶ τοῦτο αὐτῶν τοῦ τρόπου τὸ ἰδιαίτατον, πρὸς τὸ οἰκεῖον περιέλκουσιν βούλημα. Εἰ δὲ δὴ καὶ περὶ χρωμάτων ταῦτα εἰρῆσθαι δοίη τις, τῇ ἀνοίᾳ ἐκείνων συγκαθιστάμενος, τίς ὀφθείη ποτὲ χριστιανῶν πίστιν εἰς χρώματα θέμενος, ἢ τὴν ἐλπίδα εἰς ὕλην φαινομένην κτησάμενος; Οὐχ ὕβρις οὖν ἐντεῦθεν χριστιανοῖς προσφύεται[3]· ἡ παράνοια δὲ τῶν κατηγορούντων καὶ τὸ ἀβέλτερον περιφανῶς διαδείκνυται.

ore autem confessio fit in salutem. » Sed horum mente pinguium animum illud fugit quod mox subsequitur, nempe non de iis coloribus quos ipsi noverunt, instítui hujus patris sermonem. Insuper enim habet : « Profunda me juvant, » id quod ipsi dixerunt : « Fides in profundo mentis sita, hæc me delectat. » Quod ait ad differentiam fidei quæ tantum a superficie illita est et cito dilabitur, sicut colores tantum emicantem rei subjectæ faciem circumfucant. Absurdum est igitur et incongruum hanc Theologi pericopen ita intelligere. Hi vero aut in simplicibus patrum propositionibus, obvio primum sensui nimium fidentes, aberrant in iis quæ ex interiore sensu significantur; aut et bene recteque dicta depravantes, id quod illorum indoli solemnissimum est, ad propriam illa sententiam circumtrahunt.

Sed etiamsi de coloribus hæc dicta esse aliquis concedat, eorum stoliditati assentiens, christianorum quis umquam conspectus est fidem in coloribus posuisse, vel spem in visibili materia sibi parasse? Nihil igitur contumeliosum inde christianis conflatur; sed accusatorum maleferiata mens et malitia palam manifestatur.

CAPUT XXV.

Τὴν δέ γε Νείλου τοῦ ἱεροῦ ἐπιστολὴν τὴν πρὸς τὸν ἔπαρχον γεγραμμένην Ὀλυμπιόδωρον, ὡς παραπεποίηται καὶ νενόθευται, τίς οὐκ ἂν ἐκπλαγείη; τίς οὐ θαυμάσεται γνοὺς, οὐκ ἔχων πότερον κωμῳδήσει τοῦ νενοθευκότος τὴν ἄνοιαν, ἢ ἐκτραγῳδήσειε τὴν ἀσέβειαν; ὅπως τοῦ μὲν Ὀλυμπιοδώρου τὸ φρόνημα προὔθετο, τοῦ Νείλου δὲ τὴν διδασκαλίαν δολερῶς ὑπετέμετο. Ὡς γὰρ ἐν συντόμῳ εἰπεῖν[4], Ὀλυμπιοδώρου πυθομένου, εἰ ἐπιτρέποι καθ' ὃν μέλλει κατασκευάζειν σηκὸν, ἐν τῷ ἱερατείῳ εἰκόνας ἀναθεῖναι, θῆράς τε ζώων παντοίας τοὺς τοίχους πλῆσαι· τοῦτ' ἐκ δεξιῶν καὶ ἐξ εὐωνύμων ὥστε βλέπεσθαι, κατὰ μὲν τὴν χέρσον ἐκτεινόμενα λίνα καὶ λαγωοὺς καὶ

97. Quod spectat ad sancti Nili epistolam ad Olympiodorum eparchum scriptam, usque adeo fuisse depravatam et vitiatam, quis non obstupesceret? Quis hæc non miraretur? inscius utrum comice nebulonis falsarii imperitiam, an tragice tractabit versipellis impietatem? qua scilicet arte Olympiodori quidem sensa proposuerit, Nili vero doctrinam fraudulenter suppresserit. Ut enim paucis perstringam, percunctante Olympiodoro utrum deceret in cujusdam templi sacello quod ornaturus erat, imagines ponere, venationibus ferarum omnimodis parietes cooperire, quæ dextrorsum et sinistrorsum cernerentur, et in terra pingere extensos casses, et lepores da-

(1) Σωτηρίαν. II Cor. III, 3. — (2) Αἰσθήσεως. Perspicua satis sententia, phrasis vero minus bene constat. — (3) Προσφέρεται E, ut A prima manu. — (4) Εἰπεῖν. Integram epistolam habes supra p. 271, 272.

δορκάδας καὶ τὰ ἑξῆς φεύγοντα ζῶα, τοὺς δὲ θηρᾶσαι σπεύδοντας μετὰ τῶν κυνιδίων διώκειν, κατὰ δὲ τὴν θάλασσαν χαλώμενα δίκτυα καὶ πᾶν γένος ἰχθύων ἁλιευόμενον καὶ εἰς τὴν ξηρὰν ἐξαγόμενον· καὶ προσέτι γυψοπλασίας[1] πᾶν εἶδος ἐμφᾶναι δεικνύμενον πρὸς ἡδονὴν ὀφθαλμῶν. Ὁ Νεῖλος ταῦτα διαγελάσας ἀντεπέστειλεν ὀνειδίζων· ÷ Ὅτι νηπιῶδες ἂν
÷ εἴη καὶ βρεφοπρεπὲς τὸ τοῖς λεχθεῖσι περι-
÷ πλανῆσαι τὸν ὀφθαλμὸν τῶν πιστῶν· στερ-
÷ ροῦ δὲ καὶ ἀνδρώδους φρονήματος οἰκεῖον,
÷ τὸ ἐν τῷ ἱερατείῳ μὲν κατ' ἀνατολὰς τυπῶ-
÷ σαι σταυρὸν, ἱστοριῶν δὲ παλαιᾶς καὶ νέας
÷ Διαθήκης πληρῶσαι ἔνθεν καὶ ἔνθεν, χειρὶ
÷ καλλίστου ζωγράφου τὸν ναὸν τῶν ἁγίων,
÷ ὅπως ἂν οἱ μὴ εἰδότες γράμματα, μηδὲ
÷ δυνάμενοι τὰς θείας ἀναγινώσκειν γραφὰς,
÷ τῇ θεωρίᾳ τῆς ζωγραφίας μνήμην λαμβά-
÷ νωσι[2] τῆς τῶν γνησίως τῷ Θεῷ δεδουλευ-
÷ κότων ἀνδραγαθίας, καὶ πρὸς ἅμιλλαν
÷ διεγείροιντο τῶν εὐκλεῶν καὶ ἀοιδίμων
÷ ἀριστευμάτων· ÷ καὶ ἃ τούτοις ἔφη παραπλήσια.

Οὗτος τοίνυν τὰ μὲν ἐρωτηθέντα παρὰ τοῦ Ὀλυμπιοδώρου, ὡς τοῦ Νείλου φωνὰς κακούργως παρέθετο, αὐτὴν δὲ τὴν γνώμην τοῦ Νείλου ἀπεκρύψατο. Ὅστις οὖν τῇ ὁλοκλήρῳ ἐντύχῃ[3] ἐπιστολῇ, ἐναργέστερον τὸ ἀναίσχυντον καὶ δύστροπον αὐτοῦ κατόψεται.

mulasque et alias feras fugientes, venatoresque in vestigia properantes cum canibus, tum in mari laxata retia et piscium quodcumque genus captum et in arenam adductum; et præterea omnem varietatem figmentorum in opere tectorio ostentari ad oculorum voluptatem. Quæ quum cavillando retulit Nilus, respondit vituperando, quia nimirum « infantium fuerit et parvulorum « ludus per ea quæ dicta modo sunt, dissipare fidelium oculos; viri vero fortis et « masculi ingenii id potius proprium : in « sacrario ad orientem quidem unam et solam crucem formare; historiis autem veteris et novi Testamenti hinc et inde manu « optimi pictoris replere templum sanctorum, ut litterarum rudes legendisque « scripturis impares, picturæ aspectu memoriam sumant rerum fortiter a veri Dei « servis gestarum et ad eorum æmulanda « gloriosa et memorabilia facinora erigantur. » Et cætera ibidem his similia.

Ita veterator ille quæsita ab Olympiodoro tamquam Nili propria verba, vaferrime citavit, ipsam autem Nili sententiam suppressit. Quicumque igitur in integram inciderit epistolam, sole clarius videbit istius impudentiam et improbitatem.

CAPUT XXVI.

Οὕτω γοῦν ἐπ' ὀνόματι τοῦ ἐκ Σελευκείας Βασιλείου χρῆσιν ἀπατηλὴν προάγουσι, περιέχουσαν ÷ μὴ δεῖν τοὺς ἁγίους διὰ τῆς χρωματουργικῆς ἐπιστήμης τιμᾶν, τῷ εἶναι, φησὶ, μυθοποιΐας ἑλληνικῆς ἀνάπλασμα, ἀλλὰ διὰ τῆς γραφικῆς θεωρίας εἰς ἀνάμνησιν ἕλκειν· μηδὲ γὰρ γίνεσθαι εὐεργεσίαν ἐκεῖθεν, γραφικὴν δὲ θεωρίαν. ÷ Ὁ ταῦτα δραματουργήσας ὑποκρίνεται, ἵνα περιφανέστερον τοὺς ἁγίους διὰ τῆς τῶν ὁμοιωμάτων αὐτῶν ἀτι-

98. Similiter sub Basilii Seleuciæ episcopi nomine fallacem afferunt pericopen, in qua legitur « sanctos non esse per picturæ artem honorandos, ideo quod, ait, græcanicas fabulas referat fictitium opus, sed a picturæ consideratione eliciendam esse rerum memoriam; non ullam enim exinde derivari utilitatem, sed tantum per picturam fieri contemplationem. » Hæc non sine fictionis solertia supposuit, ut sanctis ipsis

(1) Γυψοπλασίας. Jam vix putem respici figmenta e gypso fabricata, quæ sequioris ævi potius sunt : id quod per otium disquirendum. — (2) Μνήμην τε λαμβάνωσι B, E. — (3) Ἐντύχοι B, Γ, E.

μίας καθυβρίσῃ. Ἀλλ' εὔκαιρον οἵαν δόξαν περί γε τούτων ὁ ἀνὴρ ἐκέκτητο προθέσθαι, ὡς ἂν καὶ ἐντεῦθεν τῶν φαύλων στηλιτεύοιτο τὸ κακούργημα[1]. Γράφει γὰρ πρὸς τὸν βασιλέα Λέοντα περὶ τῆς ἁγίας πρωτομάρτυρος Θέκλας, ὡς ταύτην τῷ τῆς ἑλληνικῆς ἀπάτης ἱερεῖ, ἐφ' ἵππῳ ὄντι ποτὲ πρὸς τῷ Μυρσινῶνι, ἐπιφανεῖσαν, καθελεῖν τε αὐτὸν τοῦ ἵππου, καὶ αὐτοῦ ἡμιθνῆτα ἀπολιπεῖν· εἶτα ἀνανήψαντα καὶ ἑαυτοῦ γενόμενον μετακαλέσασθαί τε ζωγράφον καὶ παρεγγυῆσαι ἀναγράψαι αὐτῆς τὴν εἰκόνα, καὶ δὴ αὐτίκα τοῦτο γεγονέναι συνεργίᾳ τοῦ Κρείττονος· καὶ ἰδόντα τὸν ἱερέα ἐπεγνωκέναι καὶ ἀναῤῥωσθέντα περιπτύξασθαι τὴν εἰκόνα, καὶ τῷ οἴκῳ ἑαυτοῦ ἀποθησαυρίσαι καὶ πιστεῦσαι τῷ κηρύγματι τῆς ἀποστόλου, εἰς δεῦρο δὲ πεφυλάχθαι, καὶ ἀπ' αὐτῆς εἰς τὸ ἔπειτα πάσας μεταγεγράφθαι τῆς πρωτάθλου τὰς εἰκόνας.

insultaret ex imaginum eorum contemtu; sed ostendere opportunum est qualem de his vir ille sibi sententiam habuerit, ut iterum exinde malorum hominum fraudes ludibrio plectantur. Idem enim Basilius ad imperatorem Leonem de sancta protomartyre Thecla scribit, eam cuidam hellenicæ pravitatis sacerdoti, equo ambulanti prope Mursinonem, apparuisse, eumque equo dejecisse, ac semivivum reliquisse; deinde quum resipuisset sacerdos, ab illo accersitum pictorem et jussum imaginem illius facere; quod quidem statim factum, Deo cooperante; et ut conspexit, statim sacerdos agnovit; quumque convaluisset, eamdem deosculatum, in domo sua reposuisse, et credidisse prædicationi apostolicæ virginis, demum usque modo asservatam iconem fuisse et ex illa deinceps universas fabricatas fuisse protomartyris imagines.

CAPUT XXVII.

Ἔτι προκομίζουσιν ἀνοσίους καὶ μυθώδεις φωνὰς, εἰς Λεόντιόν τινα ταύτας ἀναφέροντες τῆς τῶν ἐξαγίστων Δοκητῶν μοίρας τυγχάνοντα, ὡς ἐκ τῶν λόγων αὐτοῦ συνιδεῖν ἔστιν· ὃς πρός τε ἑαυτὸν διαστασιάζει καὶ τὴν εὐσέβειαν. Τούτου δὲ πρὸς τὸ βλάσφημον[2], ἔτι καὶ τὸ παράλογον καὶ ἀλλόκοτον ἐν ἑτέροις θριαμβεύεται[3]. Καὶ τοίνυν κατασκιάζειν πειρώμενος τὴν ἀληθῆ τοῦ Σωτῆρος ἐνσωμάτωσιν, φησίν· ÷ Καλῶς οἱ ζωγράφοι μίαν εἰκόνα τοῦ Κυρίου ÷ γράφειν οὐ μεμαθήκασι. ÷ Καὶ βούλεται τοῦτο πιστοῦσθαι ἀπό τε τοῦ προσευχόμενον[4] τὸν Χριστὸν γεγονέναι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος, καὶ ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος τῷ ἰδόντα αὐτὸν φρίξαι τὸν Ἰορδάνην· πρὸς δέ γε καὶ ἀπὸ τῆς μεταμορφώσεως τῷ μὴ ἐνέγκαι κατανοῆσαι τοὺς ἀποστόλους· καὶ ἕτερα ἄττα προσθεὶς ἐφάμιλλα.

99. Rursus proferunt impias quasdam et fictitias fabulas, cuidam ascriptas Leontio, e secta pessimorum Docetarum, uti ex ipsius sermonibus comperire est: qui tam sibimet quam pietati contrarius est. Verum ejus blasphemia et sophistica ac prodigiosa oratio alibi traducitur. Is igitur obscurare veram Salvatoris incarnationem enixus, ait: « Bene est quod pictores unam Domini imaginem pingere non « didicerunt. » Idque inde persuadere vult, quod Christi, dum oraret, facies resplenduit ut sol, dumque baptizaretur, eamdem horruit Jordanus, demum ex eo quod post transfigurationem, cum apostoli non poterant agnoscere. Et alia quædam istiusmodi addidit.

(1) Κακούργημα in marg. B: Ἐν τῇ ἀνατροπῇ τοῦ ψευδωνύμου ὅρου πλατύτερον εἴρηται. Quam quidem refutationem in hoc quoque Spicilegio non diu exspectabis. — (2) Πρὸς τῷ βλασφήμῳ B, Γ, E. — (3) Θριαμβεύεται. Eadem enim fusius in *Confutatione Pseudosynodi Iconom.*, mox a nobis edenda. — (4) Προσευχόμενον. Ad hæc paulo inolentiora vid. addenda in calce volum.

CAPUT XXIX.

Ἀλλὰ καὶ αὖθις τῇ προαγούσῃ τάξει χρώμενοι, τὸν ἀληθῆ Λεόντιον, τὸν τῆς Νεαπολιτῶν ἐκκλησίας τῆς κατὰ τὴν Κυπρίων νῆσον προεδρεύσαντα, πρὸς Ἰουδαίους τὸν λόγον ὑπὲρ τῆς χριστιανῶν θρησκείας ποιούμενον, ἐνταῦθα καιρίως ἀντιπαραθησόμεθα, ὀλίγα τινὰ ἐκ τοῦ ὁλοκλήρου λόγου ἀναλεξάμενοι. Τοῖς προλεχθεῖσι γὰρ αὐτῷ πρὸς τὸν προσδιαλεγόμενον Ἰουδαῖον, ἐπάγων φάσκει τοιαῦτα [1]· « Διὰ τοῦτο Χριστὸν καὶ τὰ Χριστοῦ [2] « πάθη ἐν ἐκκλησίαις καὶ οἴκοις καὶ ἀγοραῖς « καὶ ἐν εἰκόσι καὶ ἐν σινδόσι καὶ ἱματίοις [3] καὶ « ἐν παντὶ τόπῳ ἐκτυποῦμεν καὶ διαζωγρα- « φοῦμεν [4], ἵνα διηνεκῶς ὁρῶντες ταῦτα ὑπομι- « μνησκώμεθα καὶ μὴ ἐπιλανθανώμεθα, ὡς σὺ « ἐπελάθου Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου. Καὶ ὥσπερ « σὺ προσκυνῶν τὸ βιβλίον τοῦ νόμου, οὐ τὴν « φύσιν τῶν ἐν αὐτῷ δερμάτων καὶ τοῦ μέλανος « προσκυνεῖς, ἀλλὰ τοὺς λόγους τοῦ Θεοῦ τοὺς « ἐν αὐτῷ κειμένους [5]· οὕτω κἀγὼ τὴν εἰκόνα [6] « τοῦ Χριστοῦ προσκυνῶν [7], οὐ τὴν φύσιν τοῦ « ξύλου καὶ τῶν χρωμάτων προσκυνῶ· μὴ γέ- « νοιτο! ἀλλὰ τὸν ἄψυχον χαρακτῆρα Χριστοῦ « κρατῶν, δι' αὐτοῦ Χριστὸν κρατεῖν δοκῶ καὶ « προσκυνεῖν. Καὶ ὥσπερ ὁ Ἰακὼβ [8] οὐ τὸ ἱμά- « τιον τοῦ υἱοῦ ἀγαπῶν ἢ τιμῶν, ἀλλὰ δι' αὐτοῦ « νομίζων τὸν υἱὸν Ἰωσὴφ [9] καταφιλεῖν καὶ ἐν « χερσὶ κατέχειν· οὕτω καὶ οἱ χριστιανοὶ [10] « πάντες εἰκόνα Χριστοῦ ἢ ἀποστόλου ἢ μάρ- « τυρος κρατοῦντες καὶ ἀσπαζόμενοι [11], τὸν Χρι- « στὸν νομίζομεν ἢ τὸν μάρτυρα [12] κατέχειν. »

Καὶ μετά τινα· « Καὶ σὺ μὲν τὴν σὴν « σύμβιον ἴσως καὶ ἄσεμνον ἀσπαζόμενος, οὐ « κατάγνωστος εἶ, καίπερ οὐδαμοῦ σοι τοῦ « Θεοῦ σωματικὸν ἀσπασμὸν γυναικὸς ἐντει- « λαμένου. Ἐμὲ δὲ ἐπὰν ἴδῃς εἰκόνα Χριστοῦ,
9. « ἢ τῆς παναμώμου [13] αὐτοῦ μητρὸς, ἢ ἄλλου

100. Sed agedum, ut præcedenti rerum ordine iterum utamur, verum Leontium, illum neapolitanæ ecclesiæ apud Cyprios præpositum, contra Judæos pro Christianorum fide disputantem, hic commode isti opponemus, cujus pauca quædam ex integro opere seligere juverit. Præmissis enim ab ipso contra Judæum una colloquentem argumentis, pergit hæc dicere:

« Idcirco Christum et Christi passionem « in ecclesiis et domibus et plateis, et in « tabulis, sindonibusque et vestimentis, et « in omni loco exsculpimus et pingimus, « ut continuo hoc spectaculo hæc comme- « moremus, nec perinde obliviscamur ac tu « Domini Dei tui es oblitus. Utque tu legis « volumen adorando, non membranarum « naturam aut superfusi atramenti, sed « verba Dei adoras quæ in libro jacent: ita « et ego imaginem Christi adorans, non ligni « et colorum materiem adoro (absit!), sed « inanimam Christi effigiem tenens, per eam « Christum mihi complecti videor et adorare. « Et sicut Jacob non tunicam filii cum amore « excepit et honore, sed in ea ipsum filium « putabat deosculari et manibus tenere: ita « et nos Christiani omnes imaginem Christi « aut apostoli aut martyris manibus con- « trectantes et osculis salutantes, ipsum « tenere Christum aut martyrem existima- « mus. »

Et post aliqua: « Et tu quidem conju- « gem tuam, fortassis inhonestam, osculans « non reprehenderis, quum certe nusquam « Deus tibi labiorum osculum mulieri dare « præcepit. Quando vero me vides iconem « salutarem Christi aut immaculatissimæ

(1) Τοιαῦτα. Vid. Mansi XIII, 46; Damasc. I, 374. — (2) Καὶ διὰ τὸν Χριστόν, Mansi, cui Anastasii favet vetus error. — (3) Ἐν ταμιείοις καὶ ἱματίοις ib. σινδόναις B. Male in Damasc. σινδόνι καὶ ταμείοις. Idem mox: ἐκτυπῶ καὶ διαγράφω, et cætera consequenter. — (4) Καὶ διαζωγραφοῦμεν deest in Mansi. — (5) Τοῖς λόγοις τ. θ. τοῖς ε. α. κειμένοις codd. nostri. — (6) Τῇ εἰκόνι ib. — (7) Χριστοῦ προσκυνῶ, οὐ τῇ φύσει ed. omisso deinde προσκυνῶ. — (8) Ὁ Ἰακώβ, deinde plura omittit Niceph. — (9) Τὸν Ἰωσὴφ καταφιλεῖν καὶ ἐν χερσὶν αὐτὸν ed. — (10) Καὶ χριστιανῶν παῖδες Dam. — (11) Ἀσπαζόμενοι τῇ σαρκὶ, τῇ ψυχῇ αὐτὸν, τὸν χρ. ed. — (12) Μάρτυρα αὐτοῦ ἀσπάζεσθαι Damascen. — (13) Πανάγνου ib.

« τινὸς δικαίου ἀσπαζόμενον[1], ἀγανακτεῖς εὐθέως, βλασφημεῖς, ἀποπηδᾷς, εἰδωλολάτρας ἡμᾶς ἀποκαλεῖς. Εἶτα οὐκ αἰσχύνῃ, εἰπέ μοι, οὐ φρίσσεις, οὐκ ἐρυθριᾷς ὁρῶν με καθ' ἡμέραν ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ ναοὺς εἰδώλων καταλύοντα, καὶ ναοὺς μαρτύρων οἰκοδομοῦντα; »

Καὶ μετ' ὀλίγα· « Ἀληθῶς πολλὴ τῶν Ἰουδαίων ἡ τύφλωσις[2], πολλὴ ἡ ἀναίδεια καὶ ἀσέβεια· ἐκ λειψάνων μαρτύρων καὶ εἰκόνων πολλάκις ἐλαύνονται δαίμονες, καὶ ταῦτα ἐνυβρίζοντες ἄνθρωποι μιαροὶ διαστρέφουσι καὶ διακλῶσιν[3]. Πόσαι, εἰπέ μοι, ἐπισκιάσεις[4], πόσαι ἀναβλύσεις, πολλάκις δὲ καὶ αἱμάτων ῥύσεις ἐξ εἰκόνων καὶ λειψάνων μαρτύρων γεγόνασι; » Τούτων δὲ καὶ ἕτερα ὅμοια πάμπολλα καὶ προηγεῖται καὶ ἕπεται, ἃ δὴ καὶ πρὸς τοὺς νῦν Ἰουδαίους εἰκότως ἐφαρμοσθήσεται.

Ἀμφιλοχίου δὲ, τοῦ τὴν Ἰκονιατῶν ἀρχιερωσύνην ἐπιτροπεύσαντος, εἴ που παραγάγοιεν οἱ τῶν ἁγίων ὑβρισταὶ λόγους ἐκ τοῦ πεποιημένου αὐτῷ εἰς τὸν μέγαν Βασίλειον ἐγκωμίου κατὰ τῶν ὁμοιωμάτων τῶν ἁγίων, ὡς οἴονται, προβεβλημένους, ἢ τοῦ ἐκ Γαλατίας Θεοδότου, μηδ' ὅλως ἀπ' αὐτῶν τῆς εὐσεβείας καταθρασυνέσθωσαν, ἀλλ' εὖ ἴστωσαν, ὡς οὐδὲν ἐντεῦθεν τῆς πρὸς τοὺς ἁγίους ὕβρεως ἀπόνασθαι ἔχοιεν· κατὰ χώραν γὰρ τῶν τοιούτων ἐξεταζομένων λόγων ἰσχνότερον, ὁποῖος ὁ σκοπὸς τῶν εἰρημένων προσώπων παρίσταται. Ἤδη δὲ καὶ ἐν τῷ παρόντι συντάγματι ὁποῖον αὐτῶν τὸ φρόνημα τῇ ὀρθῇ δόξῃ συναγορεῦον, ἐκ τῶν γνησίων αὐτῶν ἀναλεγὲν βιβλίων, μετὰ τῶν ἄλλων ἱερῶν πατέρων προαναγέγραπται[5]. Τεκμήριον δέ· ἐπειδὴ περιγραπτὸν τὸν Χριστὸν κατὰ τὸ ἀνθρώπειον εἶδος καὶ αὐτοὶ εὐσεβῶς δοξάζουσιν, οἱ δι' ἐναντίας δὲ τὸ περιγραπτὸν ταυτὸν τῷ εἰκονίζεσθαι εἶναι κηρύσσουσι, ἔδει καὶ αὐτοὺς εἰκονιζόμενον τὸν Χριστὸν

« matris ejus vel alterius cujuspiam justi, indignaris repente, blasphemas, exsurgis, idololatras nos esse clamitas. Deinde non verecundaris, dic mihi, non horrescis, non erubescis, videns me in toto terrarum orbe idolorum delubra abolere et templa ædificare martyrum? »

Et post pauca : « Certe multa est Judæorum cæcitas, multa impudentia et impietas. Per reliquias martyrum et imagines multoties effugantur dæmones : hæc tamen injuriis appetentes sordidi homines subvertunt atque comminuunt. Quot, quæso, vivificæ obumbrationes! quot scaturigines! quoties sanguinum effluxus ex imaginibus et reliquiis martyrum eruperunt! » His vero similia non pauca præcedunt et sequuntur, quæ ad hujus temporis Judæos non incommode aptabuntur.

101. Sed sive Amphilochii Iconiensium pontificis dicta forte quædam sanctorum detractores proferant, ex ejus in magni Basilii laudes libro, quibus sanctas imagines labefactari putant; sive laudent Theodotum Ancyranum : nullatenus ab illorum pietate stare sese præsumant; sed bene id potius teneant, nullam in sanctos contumeliam posse inde redundare. Eorum enim quæ memorantur verba, quum singula suis in locis pressius excutiuntur, quis utriusque scribendo finis fuerit, sub oculis ponitur. Sed jam in præsenti librorum serie, qua ratione cum sana doctrina cohæreant sententiæ, e genuinis illorum libris exceptæ, supra in cæterorum sanctorum patrum testimoniis descriptum est. Documento hoc est : quum circumscriptum esse Christum, secundum formam humanam, hi recte teneant, isti vero adversarii circumscribi idem esse ac pingi proclament, debebant igitur ipsi quoque Christum imagine expressum excipere. Rursus quum istorum

(1) Ἁγίου προσκυνοῦντα Dam. — (2) Ἀλλ' ὄντως πολλὴ τῶν ἀνόμων ἡ πώρωσις, πολλὴ τύφλωσις, ὦ Ἰουδαῖε ib. — (3) Διαγελῶσιν Mansi. — (4) Ἐπισκέψεις Anastasius legebat, et vertebat : *Visitationes*. Forte Leontius respicit Act. v, 15. — (5) Προαναγέγραπται. Vide quæ dedimus in t. I, p. 348, 368, 488 inter *Testim. PP.*

παραδέχεσθαι· καὶ ἐπεὶ νόμος αὐτοῖς, ὡς εἰ τὰ τοῦ Χριστοῦ διαπέσοιεν, καὶ τὰ τῶν ἁγίων συνοιχήσεται, ἀκόλουθον ἂν εἴη ἐκ τοῦ ἐναντίου, ἐπειδὴ παρ' ἐκείνοις τὰ τοῦ Χριστοῦ τιμᾶται καὶ στέργεται, ἐκ παντὸς συνομολογεῖν καὶ παρ' αὐτοῖς τὰ τῶν ἁγίων μορφώματα τιμᾶσθαι λοιπὸν καὶ στέργεσθαι. Πῶς οὖν ἐκείνους ἀπαγορεύειν ἀναστηλοῦσθαι ταῦτα νομιστέον, ἢ καλεῖν τὰ ἱερὰ ἐπ' ὀνόματι εἰδώλου[1]; ὃ καὶ ἐννοεῖν πάντῃ ἀθέμιτον. Καὶ πεπαύσθω ἡ κατ' αὐτῶν φλυαρία· οἱ δυσσεβεῖς γὰρ ἐπ' ἀναιρέσει τῆς τοῦ Λόγου σαρκώσεως μέθοδον τῆς πλάνης τὸ ἀπερίγραφον ἐφεῦρον, ἵνα ἀλλότριον Χριστοῦ τὸ φαινόμενον ἀπεικόνισμα θέμενοι, εἰδωλολατρείαν χριστιανῶν καταγορεύσωσιν· ὅπερ οἱ προτεταγμένοι ἄνδρες οὐδ' ὅλως φρονήσαντες εὕρηνται, ὅσον ἐκ τῶν συγγεγραμμένων αὐτοῖς λόγων εἰδέναι. Οὐ δεῖ δὲ ἐπὶ τῇ κακουργίᾳ θαυμάζειν τῶν ἐναντίων, ὅπου γε καὶ ἑτέρας τῶν πατέρων χρήσεις ἀνοηταίνοντες φέρουσιν· ὧν τινες οὐ μόνον εἰς οὐδὲν αὐτοῖς συνᾴδουσιν, ἀλλὰ καὶ συνηγοροῦσι τῷ ὀρθῷ δόγματι, περὶ ὧν συγγράφειν καὶ ἀντεπεξάγειν, μακρὸν ἂν εἴη καὶ ἄπειρον.

Καὶ ταῦτα μὲν οὕτως εἰρήσθω, καὶ πέρας τῶν πονηρῶν καὶ φευκτῶν τεχνασμάτων εἰλήφθω. Περιτέτραπται γὰρ ἅπαντα καὶ κατέῤῥιπται τῇ σφενδόνῃ[2] τῆς ἀληθείας βαλλόμενα, τό τε αἶσχος καὶ ἡ φαυλότης καὶ κεκρυμμένη τῶν δραματουργηθέντων ἀπάτη καὶ ἡ ἐκμεμηχανημένη μέθοδος τῆς πλάνης σαφῶς ἀνακεκάλυπται. Πολὺν δ' οὖν κάματον ἀνατλάντες οἱ δύστηνοι, καὶ εἰκῇ τοὺς πόνους ἐξαναλώσαντες, καὶ οὐδὲν ὁτιοῦν εἰς τὴν ἑαυτῶν δυσσέβειαν συνεργοῦν ἐκ τῶν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ γεγραμμένων καταλαβόντες, ἐπὶ δόλους καὶ κακουργίας ἐχώρησαν, τῶν μὲν ἱερογράφων λογίων τὸν νοῦν στρεβλοῦντες καὶ τὴν δύναμιν πρὸς τὴν ἰδίαν κακόνοιαν· τῶν δὲ πατέρων καὶ διδασκάλων τῆς Ἐκκλησίας παραχαράσσοντες τὰ ὀρθὰ δόγματα καὶ διδάγματα, ἃ μὲν παρανοοῦντες καὶ κακῶς

lex est, statim ut quæ Christi sunt, excidant, pessum simul ire quæ sanctorum, ita consequenti ratione contrariorum, quum ab iis patribus Christi decus egregie stabiliatur, omnino confitendum erit ab iisdem cultum in sanctorum effigies solide confirmari. Quomodo igitur opinandum erit eosdem prohibere quominus imagines sacræ erigantur, aut eas idoli nomine nuncupare? Id vel cogitare, iniquum est prorsus. Cesset igitur quæ lacessit icones petulantia. Improbi enim ut everterent Verbi incarnationem, hanc erroris instituendi methodum in voce *incircumscripto* invenerunt, ut, quum a Christo abhorrere visibilem imaginem statuissent, Christianos accusarent esse idololatras, id quod prælaudatos viros nullatenus censuisse repperimus, quantum ex ipsorum scriptis conspicere est. Non adeo tamen miranda est adversariorum callida improbitas, quum jam et alia patrum loca eadem inconsiderantia congerant, quorum aliquot, nedum cum illis concinnent, immo suppetias recto dogmati ferunt. De quibus scribere et in contrariam partem disputare longum esset et infinitum.

102. Dicta igitur hæc sunto, finisque perversarum ac fugiendarum adinventionum examini imponatur. Nam eversa hæc omnia sunt et prostrata, a veritatis funda percussa; indeque ignominia et nugacitas absconditaque scenicarum fraudium fallacia, instructumque mendacii artificium detecta oppido fuerunt. Miserrimi igitur illi, qui, multo labore vane exantlato, frustraque omni opera exhausta, nihil in suæ impietatis præsidium in paginis a sancto Spiritu et in veritate Dei scriptis invenientes, ad dolos et fraudes confugerunt, sacrorum oraculorum intellectum vimque in proprii sensus pravitatem deflectentes. Tum Patrum aut Ecclesiæ magistrorum sana dogmata instructionesque depravantes, alia secus audiunt et proterve interpretantur, aliorum vero aut

(1) Εἰδώλων B, Γ. Mox supplendum forte εἰκόνων. — (2) Τῇ σφενδόνι B.

παρεξηγούμενοι, ὧν δὲ τὰς ἐπιγραφὰς τῶν βίβλων ἐναμείβοντες, ὧν δὲ λέξεών τι μέρος ὑποσπώμενοι, ἢ λόγους ὑφαιρούμενοι ἢ προστιθέντες, ἢ τινα τούτων ὑφαρπάζοντες, τοῖς οἰκείοις προσοικοδομοῦσι καὶ συνείρουσι φάσμασιν, ἄλλα τε ἄλλως κατὰ τὸ δοκοῦν ἐκ περιέργου γνώμης διαφθείρουσιν· οἷς τὰ γνήσια καὶ οἰκεῖα τῶν πατέρων δόγματα καθ' ἕκαστον ἀντιπαραθέμενοι, ἢ καὶ τὰ κακῶς νοηθέντα διευκρινησάμενοι, τὴν τῶν ἐπιβουλευσάντων ἐναντιότητα καὶ τὸν δόλον, καθ' ἃ δὴ καὶ πρώην ἡμῖν ἐῤῥήθη, παρεστήσαμεν.

Τί χρὴ λέγειν ὅσοις ἐκ τῆς ἀρειανικῆς μανίας ἡρμόσαντο, ἢ ὅσα ἐκ τῆς φαντασιώδους μοίρας ἐρανισάμενοι, τὸ πᾶν τῆς τῶν δογματιζομένων παρ' αὐτοῖς ἰσχύος προσεκτήσαντο; ὧν τὸν γνησιώτατον εἰς ἀσέβειαν Ἐπιφανίδην καλούμενον, Ἐπιφάνιον τὸν ἱερὸν τῆς Κυπρίων ἀρχιερέα χρήσαντες, ὡς ἐπ' ἐξουσίας αὐτοῖς κειμένου διδάσκαλον καὶ εἰσηγητὴν A 330. τῆς κακίας προκεχειρίκασιν· ἐξ οὗ τὰ πλεῖστα κατὰ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐνανθρωπήσεως δύσφημα ἀναλεξάμενοι δογματίζουσιν, καὶ ἐν οἷς μάλιστα ἐπιθαρσοῦντες ἀκλεῶς ἐγκαλλωπίζονται οἱ ἀνόσιοι. Ἃ δὴ ἐν τοῖς φθάσασιν ἐθριαμβεύσαμεν, οὐκ ἄκαιρον δὲ ἡγησάμεθα κἀνταῦθα συγκεφαλαιωσάμενοι παραθέσθαι, ἃ ἐδείχθη ἀλλότρια τῆς τοῦ θεοφόρου Ἐπιφανίου καὶ γνώμης ὄντα καὶ πίστεως.

titulos libris inscriptos mutant, aut partem vocabulorum subducunt, aut verba demunt vel addunt, aut ex illis quædam arrodunt, propriis suis phantasii hæc astruentes aut illigantes; alia vero aliter, ut lubebat, ex sua mente male sedula adulterant : quibus genuina ac domestica patrum dogmata sigillatim opponentes, aut quæ secus intellecta melius discutientes, insidiantium hostilem indolem et technas, uti jam supra dictum a nobis est, demonstravimus.

Quid oportet dicere quammultis ex Ariano furore se accommodarunt, aut quanta e docetismo collegerunt, unde totum doctrinarum suarum robur sibi comparaverunt : sic quippe illum purissimum in impietate Epiphanidemque dictum, tamquam Cypriorum sacerdotem Epiphanium adhibentes, hunc uti penes ipsos magistrum et doctorem pravitatis suæ sistere tentaverunt. E quo fere omnes suas in Salvatoris nostri incarnationem blasphemias mutuati prædicaverunt, in quibus potissimum confisi, insipientes fœde congloriantur. Quæ quum in præcedentibus pleno traduximus triumpho, inopportunum minime duximus hic loci ea capitulatim resumta proponere, utpote quæ tam rerum quam fidei respectu ab Epiphanio prorsus aliena demonstrata sunt.

CAPUT XXIX.

Πρῶτον μὲν ἀπὸ τῆς γενεαλογίας, ἐξ ἧς τὸ ἑτεροῖον τῶν προσώπων παρίσταται· ἔπειτα δὲ τοῦ διαφόρου τῶν διαθηκῶν, ἀπὸ τοῦ μηδένα τῶν κατὰ τὴν Κύπρον οἰκούντων, παλαιῶν καὶ νέων, τὰ τῆς ψευδοῦς διαθήκης εἰδέναι, ὥσπερ οὐδὲ τὰ λοιπὰ ἀνόσια συγγράμματα, ἅπερ εἰς πρόσωπον Ἐπιφανίου ψευδῶς ἀνατιθέασιν· ἀπὸ τῆς νοθευθείσης ἐπιγραφῆς τῆς παλαιᾶς βίβλου· ἀπὸ τοῦ μηδὲν μηδαμοῦ ἐμφέρεσθαι ἐν τοῖς κατὰ αἱρέσεων λόγοις Ἐπιφανίου εἰδωλικοὺς θεσμοὺς δεδέχθαι τὴν Ἐκκλησίαν ποτέ· ἀπὸ τοῦ μη-

103. Primum argumentum est ex utriusque genealogia, qua duarum distinctio personarum probatur. Aliud ex diversitate testamentorum, eo scilicet quod nemo ullus Cyprum inhabitans, sive veterum, sive recentium, quidquam novit e spurio isto testamento, aut e cæteris libellis impiis, quos in Epiphanii persona subdole supposuerunt; aliud ex adulterata veteris libri inscriptione; ex eo quod nullibi reperitur in Epiphanii tractatibus adversus hæreses fuisse in Ecclesia acceptos ritus idololatriæ; ex eo quod

δαμοῦ νεκρὰ καλεῖν τὰ εἴδωλα, τῶν ἐναντίων νεκρὰ πανταχοῦ λεγόντων· ἀπὸ τῆς γραφείσης ἀληθοῦς ἐπιστολῆς πρὸς Θεοδόσιον τὸν βασιλέα, ἐν ᾗ οὐδὲν περὶ εἰδώλων ἐμφέρεται· ἀπὸ τῆς κατὰ τὸ σάββατον νηστείας· ἀπὸ τῶν τύπων τῶν Ναζωραίων καὶ τῆς Χριστοῦ κόμης· ἀπὸ τῆς τῶν Δοκητῶν αἱρέσεως, ἧς πλεῖστα κατηγορεῖ Ἐπιφάνιος, ὁ δι' ἐναντίας δὲ συμφθέγγεται· ἔτι καὶ ἀπὸ τοῦ τὰ ἱερὰ εἰκονίσματα ἐν ταῖς κατὰ Κύπρον ἐκκλησίαις τὸ ἐξ ἀρχῆς καὶ ἀνέκαθεν ἐμπρέπειν.

Ἀλλὰ δὴ καὶ ἕτερα πλείονα, εἴ τις ἐπιμελέστερον τοῖς Ἐπιφανίου λόγοις ἐπιστήσειε, ταῦτα παριστῶντα εὑρήσει· οὕτως ὁ συναγηγερκὼς τὰς χρήσεις διὰ πάντων ἐλήλεγκται, ὡς οὐ μόνον οὐδὲν ἀπ' αὐτῶν ἀπώνατο, ἤδη δὲ καὶ τὸ ἠλίθιον καὶ ἀσύφηλον τῆς γνώμης δεδημοσίευται. Καθάπερ γὰρ οἱ τὰς ἀκοὰς ὑπὸ μεγίστων ψόφων βλαπτόμενοι, οὕτω καὶ αὐτὸς ὑπὸ μανίας καὶ δυσβουλίας ὥσπερ τις πληγεὶς τὴν διάνοιαν, καὶ τὸ τῆς ψυχῆς ὀπτικὸν πεπηρωμένος, τῶν συνειλεγμένων αὐτῷ μαρτύρων τὴν κατ' ἀλλήλων στάσιν καὶ ἀντιπαράταξιν οὐ συνεώρακεν[1]. Οἶμαι γὰρ αὐτὸν τοιοῦτόν τι πεπονθέναι, οἷον εἴ τις στρατόπεδα πρὸς συμμαχίαν καλέσοι, ἔπειτα τὸν κατ' ἀλλήλων ἀκόσμως καὶ ἀβουλότατα παρασκευάσοι ἄρασθαι πόλεμον, ὧν τῆς ἐπικουρίας ἀφαμαρτών, περιφανεστέραν ἑαυτῷ τὴν ἧτταν εἰργάσατο, εὐχείρωτος τοῖς πολεμίοις γενόμενος ἐκ τῶν οἰκείων ὅπλων, ἐξαρκοῦσαν οὐκ ἔχων πρὸς παράταξιν τὴν ἰσχύν. Οὕτω γὰρ καὶ ὁ Μαμωνᾶς ὑπ' ἀνοίας καὶ ἀμαθίας παρὰ τῆς ἀληθείας βαλλόμενος, παρὰ δὲ τῶν ἐπικουρεῖν δοκούντων οὐδαμῶς συμμαχούμενος, λαμπρὰν καὶ περιφανῆ τὴν πτῶσιν ἠνέγκατο. Ἡ γὰρ ἐκείνων ἀσυμφωνία τούτῳ γέγονεν τἀληθοῦς ἀτευξία. Εἴ τις οὖν τῆς ἑαυτοῦ κήδεται σωτηρίας, τοῖς τοῦ δυσσεβοῦς καὶ ἀπατεῶνος λόγοις οἰμώζειν εἰπών, τῇ ὑγιαινούσῃ προσκείσθω διδασκαλίᾳ καὶ πίστει· περιφανῶς τε τοῖς προκειμένοις λόγοις τῆς ἀποστασίας τὴν ῥίζαν τοῖς κλά-

nusquam mortua vocat idola, quæ tamen adversarii passim mortua dictitant; ex germana ipsius ad Theodosium epistola, in qua nihil de idolis fertur; e jejunio in die sabbati; e typis Nazaræorum et coma Christi; e Docetarum hæresi quam plerumque impugnat Epiphanius, Pseudo-Epiphanius e contra consensu tuetur suo; ad hæc, ex eo quod sacræ imagines in Cypriorum ecclesiis solent ab origine et ab alta vetustate fulgere.

104. Nec alia et plura deessent, quæ, si quis diligentius in Epiphanii libros incubuerit, inveniet nostram sententiam probantia: adeo iste pericoparum consarcinator penitus obruetur, ut, nedum quidquam hactenus ex illis profecerit, immo jam consilii stoliditatem et dedecus publicaverit. Ut enim stupent quorum aures magno fragore quatiuntur, ita et is præ furore et mentis excessu quasi lymphatus, et spiritali visu obcæcatus, convocatorum a se testium, aliorum aliis contradicentium, turbam et certamen non conspicatus est. Mihi quippe videtur eadem tulisse, ac si quis, militum copia in auxilium accersita, rem ita instruxerit ut illi inter se prælium committant tumultuatim et insane: eorum certe auxilio destitutus, manifestiorem sibi ipsi cladem efficit, ultro hostibus deditus, propriisque profligatus copiis, eo quod idoneam non habuerit aciei instruendæ virtutem ac peritiam. Eodem enim modo Mamonas tam ob insipientiam quam propter inscitiam a veritate impugnatus, ab iis autem qui opem ferre videbantur nihil adjutus, in præclaram et famosam ruinam se dedit præcipitem. Sociorum quippe discordia effecit ut ab omni veritate exciderit. Si quis igitur suæ saluti consulit, his impii et vaniloqui sermonibus supremum valedicens, sanæ adhærescat doctrinæ fideique; immo palam ex his libellis

(1) Συνεόρακεν B et corrector codicis A.

δοις ἅμα τῷ τομωτέρῳ μαχαίρας τῆς ἀληθείας λόγῳ ἐκτετμημένην καταλαβὼν, εἴ που καὶ ἄλλαις τῆς πικρᾶς ταύτης βλάστης περιτεύξεται παραφυάσι, τοῖς νόθοις λέγω καὶ παρεγγράπτοις τῶν ἐναντίων λόγοις, τὴν ἀξίνην ἤδη πρὸς τῇ ῥίζῃ κειμένην ὁρῶν, τούτους οἷα ζιζάνια καὶ τῷ καθαρῷ τῆς Ἐκκλησίας σίτῳ παρανατέλλοντας συναποτέμοι, καὶ τῷ πυρὶ παραδιδοὺς τῶν ὀρθῶν δογμάτων καταναλώσει, ἀκλόνητός τε ἐν τῇ πέτρᾳ τῆς πίστεως ἑστὼς, πρὸς Θεὸν τὰς ἐλπίδας ἀπερειδέτω· τὰς παραδόσεις φυλάττων, ὅσας ἐγγράφους τε καὶ ἀγράφους ἡ τοῦ Χριστοῦ ποίμνη παρά τε τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν παρείληφε, πᾶσαν καινοτομίαν βέβηλον καὶ ἀκάθαρτον περιϊστάμενος, καὶ ἀλλοτρίαις διδαχαῖς μὴ ὑποφερόμενος· ἵνα καὶ κατὰ τὸν τῇδε βίον ὁσίως καὶ εὐσεβῶς ζήσῃ, τῇ πίστει φρουρούμενος, καὶ κατὰ τὴν μέλλουσαν βιοτὴν τὸ μακάριον ἀπενέγκηται, συγκληρονόμος
A 331. τοῖς ἀπ' αἰῶνος δοξάζουσι τὸν Κύριον ἁγίοις ἀναδεικνύμενος.

Ἐπειδὴ δὲ ἔν τισι τῶν πρόσθεν εἰρήκαμεν λόγων, ὡς Ἀρειανοὶ συμφέρονται Μανιχαίοις, ἐπηγγέλμεθα δὲ αὐτῶν παραθέσθαι τὰς δόξας, εὔκαιρον ἡγησάμεθα πρὸς τῷ τέλει τοῦδε τοῦ γράμματος τὰ ὑποσχεθέντα ἐπιτελέσαι, ὅπως γνοῖεν οἱ ἐντυγχάνοντες ἐκ τίνων διδασκάλων καὶ ὁποίων δογμάτων ὥρμηνται οἱ νῦν κατὰ τῆς Χριστοῦ Ἐκκλησίας ἐπανιστάντες τὸν πόλεμον.

I.

Εὐδοξίου Κωνσταντινουπόλεως Ἀρειανοῦ, ἐκ τοῦ περὶ σαρκώσεως λόγου [1].

« Πιστεύομεν εἰς ἕνα τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν καὶ Πατέρα, τὴν μόνην ἀρχὴν [2], ἀγέννητον καὶ ἀπάτορα [3], ἀσεβῆ, ὅτι μηδένα σέβειν πέφυκεν, ὡς ἐπαναβεβηκυῖα. Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Χριστὸν [4] τὸν Υἱὸν, εὐσεβῆ, ἐκ τοῦ σέβειν ὀρθῶς τὸν Πατέρα, καὶ μονογενῆ μὲν, ὅτι

ortam apostasiæ radicem una cum surculis per veritatis sermonem gladio penetrabiliorem excidat, si forte alicubi in amarulentæ succrescentis herbæ propagines inciderit (spuria dico et interpolata adversariorum scripta) securim ad radicem jam admotam videns, ea velut zizania puro Ecclesiæ tritico inserta resecet, et flammarum sinceri dogmatis pabulo tradat et exterminet; tum immotus ipse et in fidei petra consistens, in Deum spes suas committat; tradita vel scripto vel sine scripto servet, quæcumque scilicet Christi grex tam a beatis apostolis quam a sanctis patribus nostris accepit, omnemque illam recentem sectam profanam et impuram excludat, nec sese amplius alienis trahi patiatur documentis, ut quum in hoc ævo pie et sancte vixerit, in fidei arce tutus, inde in vita futura beatam sortiatur hæreditatem, sanctis qui per ævum Dominum glorificant, annumeratus.

105. Quandoquidem in nonnullis modo lectis tractatibus supra diximus Arianos cum Manichæis consentire, eorumque sententias fore ut proferamus polliciti sumus, operæ pretium visum est sub finem hujus scripturæ promissa adimplere, ut qui ea lecturi sunt videant ex quibus magistris quibusve dogmatibus proficiscantur qui nunc adversus Christi Ecclesiam bellum concitaverunt.

I.

Eudoxii Constantinopolitani Ariani e sermone de Incarnatione.

« Credimus in unum solum verum Deum « et Patrem, solum principium, ingenitum « et sine patre, qui nullum colit, quia neminem habet colendum, cui condescendere « queat. Et in unum Dominum Christum, « Filium, in quo cultus est, quia patrem « recto jure colit, unigenitum quidem ut

(1) Λόγου. Omnino suadeo conferre Maii *Coll. Script. vet.* VII, 17; Canis. *Ant. lect.* t. II, p. 256; Mans. XI. col. 1114. — (2) Τὴν μόνην φύσιν ib. — (3) Ἀσεβῆ ibid. deest. — (4) Χριστόν item deest.

κρείττων πάσης[1] τῆς μετ' αὐτὸν κτίσεως, πρωτότοκον δὲ, ὅτι τὸ ἐξαίρετόν ἐστιν καὶ πρώτιστον τῶν κτισμάτων, σαρκωθέντα, οὐκ ἐνανθρωπήσαντα· οὔτε γὰρ ψυχὴν ἀνθρωπίνην ἀνείληφεν, ἀλλὰ σὰρξ γέγονεν, ἵνα διὰ σαρκὸς τοῖς ἀνθρώποις ὡς διὰ παραπετάσματος Θεὸς[2] χρηματίσῃ· οὐ δύο φύσεις, ἐπεὶ μὴ τέλειος ἦν ἄνθρωπος, ἀλλ' ἀντὶ ψυχῆς, Θεὸς ἦν ἐν σαρκὶ[3], μία τὸ ὅλον κατὰ σύνθεσιν φύσις· παθητὸς δι' οἰκονομίαν, οὔτε γὰρ ψυχῆς ἢ σώματος παθόντος [τὸν κόσμον] σώζειν ἠδύνατο[4].» Ἀποκρινέσθωσαν οὖν, πῶς ὁ παθητὸς καὶ θνητὸς, τῷ κρείττονι τούτων Θεῷ, πάθους τε καὶ θανάτου ἐπέκεινα, δύναται εἶναι ὁμοούσιος;

« præstantiorem omni post eum creaturæ, « primogenitum vero ut eximium et primarium in creaturis; incarnatum, non hominem factum; neque enim humanam assumsit animam, sed caro factus est, ut per « carnem cum hominibus quasi intra velamen Deus conversaretur; non duplicis « naturæ, quoniam perfectus homo non erat, « sed pro anima, Deus erat in carne; una ex « integro per compositionem natura; passibilis vero per œconomiam, siquidem nihil « patiente anima neque corpore, mundum « salvare nequibat. »

Respondeant igitur quomodo qui passibilis est et mortalis, præstantiori his omnibus Deo, cui nec passio nec mors competit, potest esse consubstantialis.

II.

Λουκίου, ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας, Ἀρειανοῦ, ἐκ τοῦ εἰς τὸ Πάσχα λόγου[5].

« Ποῦ τοίνυν ἔδει ψυχῆς, ἵνα τέλειος ἄνθρωπος συμπροσκυνῆται[6] Θεῷ; διὰ τοῦτο βοᾷ τὴν ἀλήθειαν Ἰωάννης· « Ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο,» ἀντὶ τοῦ, Συνετέθη σαρκὶ, οὐ μὴν ψυχῇ, καθάπερ οἱ νῦν τὴν πίστιν καπηλεύοντες λέγουσιν· ἀλλ' ἥνωτο μὲν τῷ σώματι, καὶ εἷς γέγονε μετ' αὐτοῦ. Ἐπεὶ πῶς ὁ Χριστὸς, εἰ μὴ ἓν πρόσωπον, μία σύνθετος φύσις, καθάπερ τὸν ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος ἄνθρωπον γνωρίζομεν; Εἰ δὲ ψυχὴν εἶχεν, ὡς οἱ νόθοι τὰ νόθα νῦν τῆς Ἐκκλησίας διδάσκουσιν, μάχεται τὰ κινήματα Θεοῦ καὶ ψυχῆς· αὐτοκίνητον γὰρ τούτων ἑκάτερον πρὸς ἐνεργείας διαφόρους ἀγόμενον[7]. »

Ἡ μὲν τῆς ἀρειανικῆς δυσσεβείας λώβη, ὡς ἐκ τῶν προτεθειμένων τὸ πᾶν τῆς μιαρᾶς ἐκείνης αἱρέσεως παραστῆσαι, τοιαύτη· ἡ δὲ τῆς μανιχαϊκῆς ἀθεΐας λύσσα διὰ τῶν ἑξῆς ἐκτεθησομένων δηλωθήσεται.

II.

Lucii, episcopi Alexandriæ, Ariani, ex oratione de Pascha.

« Quomodo igitur opus fuit anima, ut « perfectus homo simul cum Deo adoraretur? Idcirco clamat Joannes : « Verbum « caro factum est, » ac si diceret : Cum « carne compositum est, non cum anima, « sicut dicunt qui nunc fidei caupones sunt. « Sed unitum est corpori, et unum factum « est cum eo; alioqui, quomodo est Christus, nisi sit una persona, una natura « composita, sicut cognoscimus hominem « ex anima et corpore coalescere? Sin autem « habuit animam, sicut prædicant spurii « homines qui dogmata vitiant, pugnant « igitur motus Dei et animæ : utrumque « enim per se movetur et ad diversas actiones ducitur. »

Ecce tibi arianæ impietatis lues, qualis ex præmissis prostat universa istius sectæ pravitas. Quod vero spectat ad Manichæorum pestem, ex his quæ sequuntur, declarabitur.

(1) Κρείττονα πάσης ib.—(2) Θεὸς ἡμῖν ib.— (3) Θεὸς ἐν σαρκί ib. — (4) Τὸν κόσμον [σώζειν] ἐδύνατο ib. — (5) Λόγου. Maii l. c. p. 17, 18. — (6) Ἵνα ἀτέλειος συμπροσκυνῆται ib. — (7) Πρὸς ἐνέργειαν διαφόρους ib.

III.

Μανοῦ ἐκ τῆς πρὸς Σκυθιανὸν ἐπιστολῆς [1], — ἐν ἑτέροις δὲ Βαλεντίνου τοῦ διδασκάλου Μάνεντος ἐπιγέγραπται... « Ὁ δὲ τοῦ ἀϊδίου καὶ ἀοράτῳ. »

Τοῦ αὐτοῦ· ἐκ τῆς πρὸς Κόνδαρον Σαρακηνὸν
A 332. ἐπιστολῆς... « Ἰουδαίων βουλομένων. »

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς πρὸς Ὀδδᾶν [2] ἐπιστολῆς.

÷ Τῶν Γαλιλαίων δύο φύσεις ὀνομαζόντων ἔχειν τὸν Χριστὸν, πλατὺν καταχέομεν [3] γέλωτα, οὐκ εἰδότων [4], ὅτι ἡ οὐσία τοῦ φωτὸς ἑτέρᾳ οὐ μίγνυται ὕλῃ, ἀλλ' ἔστιν ἀκραιφνὴς, ἑνωθῆναι ἑτέρᾳ οὐσίᾳ μὴ δυναμένη, κἂν δοκῇ ταύτῃ συνῆφθαι. Ἡ δὲ τοῦ Χριστοῦ προσηγορία ὄνομά ἐστι καταχρηστικὸν, οὔτε εἴδους, οὔτε οὐσίας ὑπάρχον σημαντικόν. Τὸ δὲ ἀνώτατον φῶς τοῖς ἑαυτοῦ συνουσιωμένον ἔδειξεν αὐτὸ [5] ἐν τοῖς ὑλικοῖς σώμασι σῶμα, μία ὂν αὐτὸς φύσις [6] τὸ πᾶν. ÷

Ταῦτα ὡς συγγενῆ καὶ ὁμότιμα τοῖς Εὐσεβίου καὶ Ἐπιφανίδου δόγμασιν, οἷα ἐκ μιᾶς φθοροποιοῦ καὶ πικρᾶς ῥίζης βλαστήσαντα, προφανές. Εἰ δὲ χρὴ καὶ ἑτέρων δυσσεβῶν παραθέσθαι φωνὰς ταῖς προειρημέναις συνᾳδούσας, τῶν φαντασίᾳ καὶ δοκήσει καὶ οὐκ ἀληθῶς τὴν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐνανθρώπησιν γεγενῆσθαι εἰσηγουμένων, ἀπὸ τοῦ δόξαι κακῶς καὶ ἀνοήτως εἰς μίαν φύσιν σύνθετον τὰς δύο συνανακεκρᾶσθαι καὶ τετράφθαι φύσεις, οὐκ ἀποκνητέον ἡμῖν δι' ὀλίγων καὶ ταύτας παραστῆσαι, ὡς ἂν εἰδέναι ἔχοιεν οἱ ἐντυγχάνοντες ἐντελέστερον, ἐκ τίνων διδασκάλων καὶ οἵων ἀνοσίων διδαγμάτων, τὸ μὴ δεῖν περιγράφεσθαι καὶ εἰκονίζεσθαι τὸν Χριστὸν κατὰ τὸ ἀνθρώπινον εἴρηται [7].

III.

Manetis ex *epistola ad Scythianum*. In aliis vero exemplaribus nomine Valentini qui Magister Manetis fuit inscribitur. [Vid. Spic. t. I, p. 406.]

Ejusdem ex *epistola ad Condarum Sarracenum* [Ibid. p. 434].

Ejusdem ex epistola ad Oddam.

« Galilæos qui duas naturas in Christo haberi existimant, effuse ridendos tibi propinamus, qui nimirum non vident luminis substantiam non posse cum altera materie misceri, sed simplicem esse, quæ uniri cum altera nequit, etiamsi cum illa videatur cohæsisse. Est vero Christi appellatio nomen per catachresin usurpatum, quo nec forma, nec cujusquam suppositi substantia significatur. Altissimum vero lumen circa illum substantialiter infusum semet ostendit corpus in materialibus corporibus, una tamen erat per totum substantia. »

Hæc porro ut sint cognata et consentanea cum Eusebii et Epiphanidis placitis, utpote ex una lethifera et amarulenta radice pullulantia, perspicuum est. Quod si opus est et cæterorum impiorum voces proferre cum prædictis concinentes, nempe docentium per phantasiam et visionem, sed re non vera, actam fuisse Salvatoris nostri humanationem, idque propter perversam hanc et deliram opinionem, in unam nempe naturam compositam duas fuisse concretas et coaluisse, minime nos pigebit ex aliquot locis hæc quoque exhibere, quo plenius lectores videant quibusnam præeuntibus magistris et ex quali doctrina nefaria dicatur non debere Christum circumscribi et per imaginem redhiberi.

(1) Ἐπιστολῆς. Utraque Manetis epistola legitur loco cit. sine ulla varietate. — (2) Ὀδᾶν E. Cf. Maii ib. p. 277. — (3) Κατεχέαμεν (?) ib. καταχέωμεν E. — (4) Ὡς οὐκ εἰδότων ib. — (5) Ἔδειξεν ἑαυτόν ib. — (6) Αὐτὸ φύσις ib.; μία ὢν E. — (7) Ἤρτηται B, Γ, E. Nimirum male correcto ἤρηται, quod in A erat a pr. m.

IV.

Ἀπολλιναρίου τοῦ ἀνοήτου καὶ ματαιόφρονος πρὸς Πέτρον [1].

« Φύσει μὲν Θεὸν καὶ φύσει ἄνθρωπον τὸν Κύριον λέγομεν· μιᾷ δὲ καὶ συγκράτῳ [2] φύσει σαρκικῇ τε καὶ θεϊκῇ. »

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τοῦ περὶ σαρκώσεως λόγου.

« Ὦ καινὴ πίστις καὶ μίξις θεσπεσία! Θεὸς καὶ σὰρξ μίαν ἀπετέλεσε φύσιν. »

Τοῦ αὐτοῦ πρὸς Διόδωρον [3]· ἐν ἑτέρῳ πρὸς Ἡράκλειον ἐπιγέγραπται.

« Ἄλλης καὶ ἄλλης οὐσίας μίαν εἶναι καὶ τὴν αὐτὴν προσκύνησιν, ἀθέμιτον· τουτέστι ποιητοῦ καὶ ποιήματος, Θεοῦ καὶ ἀνθρώπου· μία δὲ ἡ προσκύνησις Χριστοῦ, καὶ κατὰ τοῦτο ἐν τῷ ἑνὶ ὀνόματι νοεῖται Θεὸς καὶ ἄνθρωπος. Οὐκ ἄρα ἄλλη καὶ ἄλλη οὐσία Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ἀλλὰ μία κατὰ σύνθεσιν Θεοῦ πρὸς σῶμα ἀνθρώπινον. »

Τοῦ αὐτοῦ πρὸς Διόδωρον [4].

« Πῶς τὸ πρᾶγμα οὐ δυσσεβὲς, ἄλλην οὐσίαν κτιστὴν καὶ δουλικὴν μίαν [5] ἔχειν καὶ τὴν αὐτὴν προσκύνησιν τῷ Κτίστῃ καὶ Δεσπότῃ; »

Καὶ πάλιν ἐν τῷ περὶ σαρκώσεως λόγῳ φησίν·

« Ἀδύνατον τὸν αὐτὸν καὶ προσκυνητὸν ἑαυτὸν εἰδέναι, καὶ μή· ἀδύνατον ἄρα, τὸν αὐτὸν εἶναι Θεόν τε καὶ ἄνθρωπον ἐξ ὁλοκλήρου, ἀλλ' ἐν μονότητι [6] συγκράτου φύσεως θεϊκῆς [7] σεσαρκωμένης.

IV.

Apollinarii insipientis et fatui, ex epistola ad Petrum.

« Natura quidem Deum et natura homi-« nem Dominum dicimus, una vero natura « commixta, humana et divina. »

Ejusdem ex libro de Incarnatione

« O nova fides et admiranda mixtio! Deus « et caro unam naturam fecit. »

Ejusdem ad Diodorum; alias ad Heraclium inscribitur.

« Unius et alterius naturæ unam et « eamdem esse adorationem, nefas est; hoc « est, Creatoris et creaturæ, Dei et hominis. « Una vero est Christi adoratio, et ideo in « uno nomine intelligitur Deus et homo. Non « est igitur alia et alia substantia Deus et « homo, sed una secundum compositionem « Dei cum corpore humano. »

Ejusdem ad Diodorum.

« Quomodo non est res impia, aliam « substantiam creatam vel servam habere, « et eamdem præstare adorationem Creatori « et Domino? »

Et iterum idem, in libro *De incarnatione*, ait:

« Impossibile est eumdem esse simul ado-« randum et non adorandum. Impossibile « est eumdem esse omnino Deum et homi-« nem, sed in unitate commixtæ naturæ, « divinæ quidem et incarnatæ. »

(1) Πέτρον. Cf. Maii ibid. p. 16; Canisius ib. p. 235, et 666. — (2) Μιᾷ δὲ συγκράτῳ τῇ φύσει ib. — (3) Διόδωρον Maius ibid. τοῦ αὐτοῦ κατὰ Διοδώρου πρὸς Ἡράκλειον. Canis. ibid. *Apollinarii contra Diodorum ad Heraclium.* — (4) Διόδωρον. Maii ib. 17. — (5) Μίαν excidit ib. post δουλικήν. — (6) Ἐνκενότητι ib. subverso aut nullo sensu, nisi voluerit fortasse καινότητι. — (7) Θεϊκῆς καὶ σεσαρκωμένης ib.

V.

Διοσκόρου[1] ἐκ τῆς παρ' αὐτοῦ γραφείσης ἐπιστολῆς ἀπὸ Γάγγρων εἰς Ἀλεξάνδρειαν.

« Εἰ μὴ τὸ αἷμα Χριστοῦ[2] κατὰ φύσιν Θεοῦ ἐστι καὶ οὐκ ἀνθρώπου, τί διαφέρει τοῦ αἵματος τῶν τράγων καὶ τῶν μόσχων[3] καὶ τῆς σποδοῦ τῆς δαμάλεως; Καὶ τοῦτο γὰρ γήϊνον καὶ φθαρτὸν, καὶ τὸ αἷμα τῶν κατὰ φύσιν ἀνθρώπων γήϊνόν ἐστιν καὶ φθαρτόν· ἀλλὰ μὴ γένοιτο ἑνὸς τῶν κατὰ φύσιν λέγειν ἡμᾶς ὁμοούσιον τὸ αἷμα Χριστοῦ. »

Ἐντεῦθεν καὶ οἱ περὶ τὸν φρενοβλαβῆ καὶ μιαρὸν Εὐτυχέα ἐκ δύο μὲν φύσεων ἐληρώδουν τὸν Χριστὸν εἶναι, τὴν ἐν δύο φωνὴν παντάπασιν παραιτούμενοι.

V.

Dioscori ex epistola ab ipso Gangris scripta ad Alexandrinos.

« Etenim si Christi sanguis secundum « naturam non est Dei, sed hominis, in quo « differt a sanguine hircorum et vitulorum « aut a cinere juvencæ? Et hic quoque ter- « restris est et corruptibilis, ita et hominum « naturalis sanguis terrestris est et corru- « ptibilis. Nobis vero nefas sit dicere Christi « sanguinem esse unius naturalium con- « substantialis. »

Inde effectum, ut stolidi et impuri Eutychetis asseclæ in hoc convicium irent, Christum duplicis esse naturæ, sed vocem « duplicis in una » omnino rejicientes.

VI.

Ἐκ τῆς συγγραφῆς Τιμοθέου πρεσβυτέρου τῆς κατὰ Μαρκιανιστῶν ἤτοι Ἀκεφάλων, καθ' ὧν ἠγωνίσατο Κύριλλος Ἀλεξανδρείας, Φλαβιανὸς, Θεόδοτος Ἀντιοχείας, Λιτόϊος Μελιτηνῆς καὶ Ἀμφιλόχιος Ἰκονίου, οἵτινες καὶ πεπραγμένα συνεστήσαντο κατὰ τῆς τοιαύτης αἱρέσεως, κεφ. Η΄.

« Λέγουσιν ὅτι τὸν ἄνθρωπον ὃν ἀνέλαβεν[4] ἐκ τῆς Μαρίας ὁ Κύριος, ποτὲ μὲν αὐτὸν εἰς πνεῦμα μετέβαλλε, ποτὲ δὲ εἰς σῶμα, καὶ ὅτι αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ἀπερίγραπτον ἦν, καθάπερ ἡ θεία φύσις. »

VI.

Ex libello Timothei presbyteri adversus Marcianistas sive Acephalos [contra quos dimicaverunt Cyrillus alexandrinus, Flavianus et Theodotus antiocheni, Litœus melitenensis et Amphilochius iconiensis, qui in eamdem hanc hæresin operam simul contulerunt], *e capite VIII.*

« Aiunt quod Dominus hominem quem de Maria virgine sumsit, modo mutavit in spiritum, modo in corpus; illud autem corpus Christi est incircumscriptum, perinde ac divina natura. »

(1) Διοσκόρου. Cf. Maii ib. p. 289. — (2) Τοῦ Χριστοῦ ibid. — (3) Αἵματος τράγων καὶ μόσχων ibid. — (4) Μετέβαλε E. Hæc et præcedentia latine leguntur in Galland. t. XII, p. 690, 696, 704.

FINIS.

SANCTI NICEPHORI CP.

TYPICUM

ET CONSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ.

MONITUM.

Periisset propemodum in tota Græcia magnum sancti Nicephori nomen, quum præstantissimos ejus libros sub falsa Theodori Grapti larva græculi fere omnes circumtulerint, nisi Typicum quoddam exiguæ molis et qualecumque κανονάριον eumdem sibi auctorem vindicassent. Quæ tamen vix integra supersunt, non paucis, opinor, canonibus avulsis, nec paucioribus additis assumentis, quin immo verbis non semel barbare mutatis. Verum hanc Nicephoriani peculii partem omittere integrum nobis minime fuit, tum quia eam codices exhibebant editis longe locupletiorem, tum ob singularem omnium fere græci juris magistrorum erga hujusmodi leges reverentiam. Has enim novit Zonaras, laudavit Balsamon, defloravit Matthæus Blastares. Has obiter adduxerunt Nicon, Harmenopulus, Malaxus. Has recensuere nuperrime quotquot canonicæ græcorum disciplinæ monumenta excusserunt. E viginti vero et amplius codicibus nostris ne unum quidem esse qui integrum exhibeat Nicephoriani juris corpus, dolendum enimvero est. Ut vero ea quæ supersunt in unum coalescant, tam edita olim quam a nobis reperta, et lecta jam simul et ἀνέκδοτα collegimus, inque varias classes pro diversis editionibus, cuncta juvit dispertiri. Varietates lectionum, haud exiguas sæpe, aliquandoque immanes, deinceps dandas esse censuimus, quibus id saltem monemur multam et inde usque in novissima tempora continuam horum canonum consuetudinem fuisse.

I.

Ἐκ τοῦ Τυπικοῦ τοῦ αὐτοῦ.

Ex ejusdem Typico excerpti canones XXXV.

Argumentum. Prima series, e XXXV canonibus conflata, *Typici* titulo insignitur. Ut præcipua paucis prælibemus, hic indicitur aut temperatur jejunii lex pro temporum ratione [*can.* 1, 2, 3]; — Ordo rerum, personarum et functionum sacrarum componitur [*can.* 4, 5, 7, 10, 13, 16, 17, 20, 21, 27, 29, 30, 32]; — Pronuntiantur castigationes pro peccatorum specie [*can.* 8, 9, 14, 15, 23, 24, 25, 31, 33]; — In multis monastica disciplina tangitur [*can.* 8, 9, 14, 15, 23, 24, 25, etc.], — Neque negligitur communis vita fidelium [*can.* 6, 19, 28, 34, etc.].

Α'.

1. Τῇ κυριακῇ τῆς βαιοφόρου ἐσθίομεν ἔλαιον καὶ πίνομεν οἶνον, εἰς δὲ τῇ εὑρήσει

I.

Dominica Palmarum edimus ex oleo, vinumque bibimus, sed et in Inventione vene-

His canonibus retexendis inservierunt, præter editos quosdam libros, quos tamen non adhibuimus nisi cum mss. collatos, triginta ferme Parisienses codices, quorum præcipui siglis et numeris sequentibus designantur :

A... Coislin. 363, fol. 61-68, 146.

B.. Græc. vet. 1318 fol. 8, 11, 43, 54, 78-90, 143, 163, 166.

Γ... Coislin. 122 fol. 320, 464. — 123. In utroque e Nicone, *De mandatis Domini*. Cf. Gr. vett. 876, 1067, 1133.

Δ... Græc. vett. 1361, ex Harmenopulo.

E... — 1389, ex eodem.

ϛ... — 1335 fol. 35 inter J. Zonaræ opera.

Z... — 1152 fol. 19, 20, 48.

H... Coislin. 211, fol. 210, 270, 312.

Θ... Suppl. gr. 67 e *Nomocanone* Manuelis Malaxi.

I... In appendice ad Matthæi Blastaris syntagma, vett. gr. 1250, 1259, 1330, 1337; fol. 190, 1339; f. 225, 1342, 1374, 1375; suppl. gr. 304, fol. 186; et 484, quorum lectio tam parum variatur ut omnes una littera signemus.

τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ Προδρόμου, ὅστις ἔχει τὸν ναὸν αὐτοῦ, ἐσθιέτω ἔλαιον καὶ οἶνον πινέτω.

randi capitis Præcursoris, quicumque ejusdem ecclesiæ addictus est, oleum vinumque sumat.

B'.

2. Τὴν νήστιμον τῶν ἁγίων ἀποστόλων χρὴ νηστεύειν τετράδα καὶ παρασκευὴν τοὺς ἐργαζομένους, καὶ οὕτως γεύεσθαι [τῇ ϛ'], καὶ τῇ ἐννάτῃ ἀριστᾷν· τὰς δὲ λοιπὰς ἡμέρας, ὥρᾳ γ' γεύεσθαι καὶ ϛ' ἀριστᾷν· ὡσαύτως δὲ καὶ τοῦ ἁγίου Φιλίππου, ὥρᾳ ϛ' γεύεσθαι καὶ ἑσπέρᾳ δειπνᾷν· τοὺς δὲ ἐν τῇ μονῇ, ἅπαξ ἐν τῇ ἡμέρᾳ.

II.

In quadragesima sanctorum apostolorum oportet feriis quarta et sexta jejunare eos qui laborant, sicque hora VI gustare, IX vero prandere; cæteris autem diebus, hora III gustare, et prandere VI; similiter, in quadragesima sancti Philippi, hora VI gustare, et prandere sub vesperam; illos autem qui in monasterio degunt, semel in die edere.

Γ'.

3. Ἐὰν φθάσῃ ὁ Εὐαγγελισμὸς τῇ μεγάλῃ πεμπτῇ ἢ τῇ μεγάλῃ παρασκευῇ, χρὴ μετέχειν οἴνου καὶ ἐλαίου καὶ ἰχθύος· οὐ γάρ ἐστιν ἁμαρτία.

III.

Si inciderit Annuntiatio in magnæ hebdomadis feriam V aut in magnam parascevem, non prohibetur uti vino, oleo et pisce: nihil enim inde peccatur.

Δ'.

4. Ἐάν ἐστι προσφορὰ σῶα ἕως ἡμερῶν ἕπτα ἢ καὶ δέκα, προσκομίζεται.

IV.

Si oblatio manserit integra usque in septem aut decem dies, consecrationi proponitur.

Huc etiam veniunt edition. quarum nullam fas erat omittere : prima est En. Bonefidii in *Jure orient.* lib. II, p. 105; eademque Leunclavii in *Jure gr. can.* p. 195; Labb. in *Concil.* t. VII, col. 1297; Bibl. PP. 1579 app., 1644, t. VI; Mansi t. XIV, p. 119. Secunda est in Cotelerii *Monum. e. g*, t. III, p. 445, repetita apud Harduin. t. IV et Mansi l. c. qui addidit fragmenta Harmenopuli; his omissis, cætera nuperrime inseruit cl. v. G. A. Rhalli in suum Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων (t. IV, p. 427, 431 ι', Athenis, 1854), quasi præposteris curis, ut significant addititiæ paginæ 431 α' ad 431 ι'.

Can. 1 exstat in cod. A fol. 64, ubi continetur prima integra series, in miscellanea quadam canonum sylloge, quæ Balsamoni, si notulæ fides, ascribitur. Excurrit in h. et 3 canon. Manuel Malaxus. Quem egesis infra, ad num. 160. Hic vero memorata Inventio capitis S. J. Baptistæ, ea tertia nuncupabatur, uti infra videbis in nostro montis Athonis typico. — Εὑρήσῃ A; multa id genus necessario emendanda, emendamus taciti postea. Quum in hac parte prima recensio cod. A omnium sit integerrima, ideo eam potissimum, licet minus elegantem, sequimur.

Occurrit etiam can. 2 tum in A, loco secundo, f. 146; tum in ϛ et Z, ubi notabam : ἔργα βιαζομένους ...τὴν ϛ' ὥραν γεύσασθαι... ἐν τῷ ἑσπερίνῳ δειπνεῖν? deinde in I, id est in Matthæi Blastaris appendicibus, ubi is canon numero XX inscribitur : Τῇ τῶν ἁγ. ἀπ. νηστείᾳ καὶ τῇ Φιλίππου χρὴ τοὺς ἐν τῇ μονῇ καθημένους μοναχοὺς τετράδος καὶ παρασκευῆς ἅπαξ πρὸς ἑσπέραν ἐσθίεσθαι [omnes editiones Cotelerii : σιτεῖσθαι]· τοὺς δὲ ἐργαζομένους μετὰ τὴν ϛ' ὥραν [inde correctio nostra uncis inclusa] γεύεσθαι καὶ ἑσπέραν δειπνεῖν. Cf. Coteler. t. III, p. 447 in can. XX; eadem regerit p. 452, in can. XV; ὅτι δεῖ τοὺς ἐργ. μον. τῇ ἁγ... τὴν θ' ὥραν γεύσασθαι ἄρτου βραχέως καὶ τῇ ἑσπ. δειπνεῖν. Sed neque magis a nostro recedit canon ibidem XXIX inscriptus : τὴν μ' τῶν ἁγ. ἀπ. ἤτοι τὴν νηστ. αὐτῶν χρὴ ν. τ. κ. π. τοὺς ἐργαζ. ἕως ὥρας ϛ'. Jam inde superiora corrige; cætera autem cum nostris concordant usque ad hæc ultima : ἅπαξ ἕως ἑσπέρας. Eadem quoque Mansi promiscue repetit *Concil* t. XIV, col. 126, 130; eadem cæcis vestigiis nuperrimus editor atheniensis ter congessit l. c. (p. 428, 431 α', 431 β'). Tum de variis Græcorum jejuniis dabo mox adeo multa, ut hic morosius sistere pigeat.

Bis legitur can. 3 in A fol. 61 et 146; etiam in B fol. 163, et in Γ fol. 364, e Niconis Pandectis; in Γ vero sub num. V. Non omisit Harmenopulus, cap. II, tit. VI, in ϛ, neque Nicon in cap. LVI κατηχουμένων, Γ, fol. 464; neque Malaxus, cap. 392. A legit ut supra non semel ὥραν γ', ὥραν ϛ', sed minime sibi constat. In ϛ : Οὐχ ἁμαρτάνομεν οἴνου τηνικαῦτα μεταλαμβάνοντες καὶ ἰχθύων.

De can. 4 cf. nostrum 72 et Nicolai CP. responsum simile infra.

Ε'.

5. Κατ' ἐπιτροπὴν τοῦ ἐπισκόπου ποιεῖ σταυροπήγιον καὶ πρεσβύτερος.

V.

In vicem episcopi penes presbyterum est crucis infixionem agere.

ϛ'.

6. Ἐάν τις ἀσθενήσῃ καὶ ἐπιζητῇ τὸ ἅγιον βάπτισμα ἢ τὸ ἅγιον σχῆμα, χρὴ διδόναι ἀνυπερθέτως, καὶ μὴ κωλύειν τὴν χάριν.

VI.

Si quis infirmus sit et sanctum baptisma vel sacrum exquirat habitum, dare sine mora oportet, nec gratiam impedire.

Ζ'.

7. Ἐάν τις ἐν ἀσωτείᾳ ζήσῃ μέχρις ἐτῶν εἴκοσιν ἢ καὶ ἐπέκεινα, εἶτα φανῇ ποιῶν ἔργα ἀρετῆς, οὐ χρὴ αὐτὸν χειροτονεῖσθαι· τὸ γὰρ ἱερὸν, ἀμόλυντον.

VII.

Si quis dissolute vixerit ad annos usque viginti et amplius, deinde sectari virtutum opera visus fuerit, non est ordinandus ; sacrum enim impollutum esto.

Η'.

8. Ὁ δίγαμος οὐ στεφανοῦται, ἀλλ' ἕξει ἐπιτίμιον, ἔτη δύο.

VIII.

Bigamus non coronatur, sed pœnitentiam habebit, duos annos.

Θ'.

9. Ὁ τρίγαμος ἐπιτιμάσθω ἔτη πέντε.

IX.

Trigamus emendator annis quinque.

Ι'.

10. Ὅσα ἄδηλα πταίσματα ἔχουσί τινες, τούτους ἐξαγορεύοντας, ἀπέχεσθαι μὲν τῆς κοινωνίας, τῆς δὲ ἐκκλησίας οὐ δεῖ κωλύεσθαι, μηδὲ θριαμβεύειν, ἀλλ' ἐπιεικῶς ἐν μετανοίᾳ

X.

Si quotquot secreta habent peccata aliqui confiteantur, eos quidem a communione abstinere oportet, minime vero ab ecclesia arceri aut cum fastu traduci ; sed conve-

In appendice Matthæana can. 5 est XXX, etsi in editis male XXXI, ex errore perpetuo, de quo mox, recenseatur. Stauropegium erat condendæ et consecrandæ ecclesiæ initium ; de quo omnia dabunt Goar in *Euchalog. gr.* p. 287, 490; Habert in Ἀρχιερατικῷ p. 643, 647 ; Morin *de Pœnitent.* p. 204.

Canonis 6 numerus Matthæanus est XXV ; bis cum Mansi dedit, col. 122, sub num. VII, ex Leunclavio, et col. 127 sub. num. XXVI, e Cotelerio, in utroque loco cum hac una varietate : ἐάν τις ἀσθενὴς ᾖ. De consuetudine dandi sacrum religionis habitum in extremo mortis agone, multa tam in Oriente quam in Occidente exempla suppetunt ; sed nullum insignius quam sancti Ludovici regis. Neque etiam notatu indigna quæ solemniter hic instituitur comparatio baptismum inter et religiosam professionem.

Sequens canon nobis et editis et Matthæo Blastari et fere codicibus cunctis VII est ; VIII Leunclavio et Mansi, col. 122, sed VII col. 126. Ἀσωτείαις ἔζησε A ; μετὰ ταῦτα φανῇ A, ϛ, I. Quorum in loco B et Z : ὕστερον δὲ ἀγωνισθεὶς δι' ἀρετῆς [καὶ μετανοίας πολλῆς B] καὶ ἐπιμελείας, οὐ χρὴ δεχθῆναι αὐτὸν εἰς ἱερωσύνην. In fine I additur : ἀμόλυντον εἶναι δεῖ. Sed nihil eo canone frequentius : Cf. Apost. can. LX, etc.

Plerumque canones 8 et 9 in unum conflantur, ut apud Matthæum, can. II, qui solemnius legit : στεφ. ἀλλὰ καὶ ἐπιτιμᾶται μὴ μεταλαβεῖν τῶν ἀχράντων μυστηρίων, ἔτη β', ὁ δὲ τριγ. ἔτη ε'. Additur in B f. 57 de digamo : ἢ δὲ γέρων ἐστι, ἔτη γ', ποιῶν καθεκάστην μετανοίας ρν' καὶ τὸ κύριε ἐλέησον ρν'. Cf. neocæs. VI, VII, laodic. I, S.Basil. IV, XII, L, LXXX. Sed accedere fortasse debuit et tertius canon de *tessarogamis*, ut innuitur nostro canone 139.

Velim can. 10 conferas cum 28, ubi aliæ varietates, præter has : Πταίσματα ἐξαγορεύουσι, τούτους τῆς μὲν κοιν. ἀπέχεσθαι H. — Τοὺς ἄδηλα πτ. ἐξομολογουμένους, τῆς μὲν κοιν. ἀπείργειν δεῖ τὸν δεχόμενον· εἰς δὲ τὴν ἐκκλησίαν αὐτοὺς εἰσέρχεσθαι μὴ κωλύειν, μηδὲ θρ. τὰ κατ' αὐτούς· ἀλλ' ἐπιεικῶς τούτους νουθ. τῇ μετανοίᾳ προσανέχειν καὶ προσευχῇ καὶ οἰκονομεῖν τὰ προσήκοντα τούτοις ἐπιτίμια κ. τ. ἑ. π. I, sub. num. XXVIII. Rhalli l. c. Cf. Basil. can. LXXIV. Hæc vero de occulta secretorum delictorum confessione sacerdoti facta, nec ambigua sunt, nec nova : ut enim ad extranea non provocem, ecce tibi præsto sunt paulo infra Joannis Nesteutæ, æque Constantinopolitani, pœnitentiales libri variaque περὶ ἐξομολογήσεως instituta. Omnium instar sit eximia Jac. Bolæi *Hist. confess. auricul.* Paris. 1684, 8.

καὶ προσευχῇ τούτους νουθετεῖν, καὶ οἰκονομεῖν εἰς τὰ τούτων ἐπιτίμια κατὰ τὴν ἑκάστου προαίρεσιν.

ΙΑ'.

11. Ὁ χειρισάμενος τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, καὶ ἀποκτείνας ἑκουσίως, τὰ τοῦ φόνου ἐπιτίμια τελέσει, ἔτη λε'.

ΙΒ'.

12. Ὁ μοιχὸς καὶ κτηνοβάτης καὶ φονεὺς καὶ οἱ λοιποὶ, ἐὰν ἀφ' ἑαυτῶν ἐξαγορεύσωσι τὰ ἑαυτῶν σφάλματα, ἄδηλα τυγχάνοντα τοῖς ἀνθρώποις, τῆς κοινωνίας μὲν κωλύονται, καὶ τὰ ἐπιτίμια αὐτῶν ἐπιτελοῦσιν, εἰς δὲ τὴν ἐκκλησίαν εἰσέρχονται, ἕως τῶν κατηχουμένων· ἐὰν δὲ ὦσι τὰ πταίσματα αὐτῶν φανερὰ, τότε λοιπὸν κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν θεσμὸν ἐκπληροῦσι τὰ ἐπιτίμια.

ΙΓ'.

13. Διάκονος κατὰ περίστασιν βαπτίζει· ὁμοίως καὶ μοναχὸς λιτὸς βαπτίζει καὶ σχηματίζει.

ΙΔ'.

14. Ἐάν τις τολμήσῃ ἑαυτὸν ἐνδῦσαι τὸ ἅγιον σχῆμα προφάσει [τῆς] στρατείας ἢ ἄλλης τινὸς πανουργίας, ὡς δῆθεν γελοιάζων, τοῦτο ἐπιτίμιον ἕξει τεσσαρακοστὰς γ', καὶ οὕτως δεχθήτω.

ΙΕ'.

15. Ἐὰν φθαρῇ μονάστρια ὑπὸ βαρβάρων

nienter in pœnitentia et oratione admoneri, censurisque mulctari prudenter pro cujusque delectu.

XI.

Qui manu patrem percussit et sponte occidit, homicidæ pœnitentiam absolvet, annorum xxxv.

XII.

Si quis adulter aut pecudum invasor aut homicida aut cæteri istiusmodi, suorum sponte egerint confessionem peccatorum, quæ ab hominibus ignorantur, a communione quidem prohibentur; suamque exigunt pœnitentiam, in ecclesiam vero admittuntur usque ad catechumenorum missam. Sin eorum facinora publica sunt, sane juxta Ecclesiæ regulam, pœnas adimpleant.

XIII.

Diaconus in necessitate baptizat; ita et monachus vel habitu simplex baptismum et habitum confert.

XIV.

Qui ausus fuerit sacrum habitum induere sub militiæ prætextu aut cujusvis alius fraudis, quasi per jocum, hic pœnitentiam habebit trium quadragesimarum, neque aliter in communionem recipiatur.

XV.

Si fuerit monialis a barbaris aut a pro-

Leunclavius 11 canonem primus dedit, sub num. xv, ex quo Mansi l. c. col. 122; Rhalli sub num. v, p. 431. Ὁ χρησάμενος A perperam. An melius ἀκουσίως?

Post Matthæum, 12 canonem recensuere iidem sub num. xxix (*lege* xxviii), non sine multa varietate: Μοιχοὶ καὶ κτηνοβάται καὶ ἀνδροφόνοι καὶ οἱ τοιοῦτοι, ἐὰν οἴκοθεν τὴν ἰδίαν ἐξομολογήσωνται ἀνομίαν ἄδηλον τοῖς πόλλοις ἔτι τυγχάνουσαν, τῆς κοιν. μ. κωλύονται [*Cotel.* κεκώλυνται, *al.* ἀπείργονται], καὶ τ. ἐ. δέχονται, εἰς τὴν ἐκκλ. δὲ εἰσερχόμενοι, ἵστανται μέχρι τῆς τῶν κατηχ. εὐχῆς. Ἐὰν δὲ δῆλα τὰ τούτων ὦσι πτ., τότε λοιπὸν κατὰ τ. ἐ. θεσμόν [*al.* βαθμόν]. Sat erit remittere ad Basil. can. vii et mox danda Joannis Jejunatoris Epitimia.

E can. 13 duos fecere editores, unum sub num. vii, iisdemque fere vocibus, sed alio ordine (Mansi, col. 122 d), alterum ex Harmenopulo qui præter morem illi præfixit num. xiv, insuper assuit alia e canonibus nostris 19 et 47 (Mansi, 131 b). Rursus in sylloge cod. ϛ, quæ videtur esse Joannis Zonaræ, idem canon in duos dissectus est sub num. xxx et xxxi.

Inseritur 14 in unam Matthæi catenam (num. xxi-xxii Cotel. p. 448; Mansi col. 126, Rhalli p. 429), paulo tamen diverso textu: Ὁ τὸ μοναχικὸν ἐνδὺς σχῆμα φόβῳ στρατείας ἢ ἄλλῃ τ. π. ὡς δῆθεν τούτου καταγελῶν [emicuit inde lectio nostra e corrupto codice A: ὡς δῆθεν πλοιάζων τοῦτο] καὶ τοῦτο μετὰ τὴν ἀναγκὴν ἢ τὴν ὑπόκρισιν ἀποθέμενος, εἰς τεσσαρ. γ' ἡμέρων ἐπιτιμᾶται καὶ οὕτω τῇ ἁγίᾳ πρόσεισι κοινωνίᾳ.

E veteri disciplina Nicephorus can. 15 accepit, quocum cf. Basil. xliv, et Gregor. Thaum. ii. Matthæo est xx-xxi, paucis variantibus: ἄμεμπτος, ἐπιτίμιον

ἢ καὶ ἀτάκτων ἀνδρῶν, καὶ ἦν ὁ πρὸ τοῦ βίος αὐτῆς ἄμεμπτος, εἰς τεσσαράκοντα ἡμέρας ἐπιτιμᾶται καὶ κοινωνείτω, εἰ δὲ ὁ πᾶς βίος αὐτῆς μεμολυσμένος ἦν, τὸ τῆς μοιχείας ἐπιτίμιον ἐκπληρώσῃ.

cacibus hominibus vitiata; erat autem vita ipsius ante acta maculæ expers, quadraginta diebus pœniteat, dein communicet; sin autem prior vita impura fuit, adulterii pœnam explebit.

ΙϚʹ.

16. Ἐὰν κατὰ ἄγνοιαν πλυνθῇ ἀντιμίνσιον, οὐ μολύνεται· ὁ γὰρ ἁγιασμὸς ἐν αὐτῷ ἐστί· τὸ γὰρ ἱερὸν μιαρὸν οὐ γίνεται.

XVI.

Si ignoranter antiminsium lotum fuerit, non polluitur : sanctificatio enim in ipso manet; quod enim sacrum, impurum non fit.

ΙΖʹ.

17. Οἱ ἀπὸ παλλακίδος καὶ πορνείας καὶ ἀπὸ διγαμίας καὶ τριγαμίας τικτόμενοι παῖδες, ἐὰν φανῶσιν ἀρετὰς ἔχοντες, καὶ εἰσὶν ἄξιοι ἱερωσύνης, χειροτονείσθωσαν.

XVII.

Qui ex concubina scortove aut digamis vel trigamis nati sunt, modo constet eos pollere virtutibus, dignosque esse sacerdotio, ordinentur.

ΙΗʹ.

18. Ἐάν τις ὀλίγον καιρὸν διὰ βίαν τινὰ [ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ] ποιήσῃ κοιτῶνα τὸν γυναικίτην, οὐ κατακρίνεται· ἐὰν δὲ χρονίσῃ, αὐτὸς μὲν ἐπιτιμάσθω, ἡ δὲ ἐκκλησία ἀπολήψεται τὰ οἰκεῖα.

XVIII.

Si quis ad breve tempus ob vim aliquam [in ecclesiæ atrio] cubiculum fecerit, non condemnatur. Si moram ibi fecerit, pœnis quidem ipse subjicitor, ecclesia vero ejus supellectilem retinebit.

ΙΘʹ.

19. Χρὴ τὰ ἀβάπτιστα νήπια, ἐὰν εὑρεθῇ τις εἰς τόπον, μὴ παρόντος ἱερέως, βαπτισθῆ-

XIX.

Necesse est infantes nondum baptizati, inventi in loco ubi sacerdos non comparet,

ἡμερῶν μʹ ἔχει ... εἰ δὲ ὁ πρώην αὐτῆς βιός ... ἐκπληροῖ, idque fortasse melius. Non nova, sed nove neogræcus quidam ex hoc canone barbare interpolavit in B, in folio 11 addititio : ἐὰν καλογρέα δυναστουνθῇ ἐν δουλευτρίᾳ, ἢ ἀλλὴ γυναῖκα ἢ ποτινὸς (*sic*) καὶ φανῇ ὁ βίος αὐτῆς καθαρῶς, ἕνα χρόνον νὰ μὴ κοινωνῇ· ἢ δὲ ἦναι ὁ βίος αὐτῆς ἀπαρχῆς κακῶς, ὡς πόρνη ἐπιτιμάται χρόν. ζʹ.

Incipit a can. 16 eadem Matthæi σειρά, tam in editis libris quam in omnibus codicibus, ibique finis tantum varius : οὐκ ἀποτίθεται τὸν ἁγιασμὸν, οὐδὲ βέβηλον γίνεται. Alia in B, sub num. XXXI : εἴ τις πλήνῃ [al. πλυθῇ; Mansi 2° loco πληθυνθῇ] τὸ ἀντ., οὐ βλάπτει· ὁ γὰρ ἁγιασμὸς ἐν αὐτῷ μένει πάντοτε. Idem bis rescribitur in *Concil.* Mansi, tum col. 123, ut supra; tum col. 122, ut cod. noster A. Αὐτολεξεὶ idem canon inseritur in Theodori Studitæ Epitimia, num. XIV, apud Maium *Bibl. nov.* t. V, p. ult. p. 14. De antiminsiis sive pannis altarium vice sacratis multa sunt in syntagmate Matthæi Blastaris ad litt. A, c. 8, p. 20; item ad litt. E, cap. 12, p. 118 edit. Bevereg. Ad cumulum lege Habert in Ἀρχιερατ. p. 657-664, ubi e Meursii lexico hic idem Nicephori canon adducitur. Quin splendidum hujusmodi linteolum vide descriptum apud Maium *Bibl. nov.* t. V, præf. p. VIII.

Canon 17 eidem Matthæo et Malaxo est VIII, sed codicis H auctori X et Leunclavio XVI, quorum primus tantum a nobis leviter recedit : παλλακ. ἢ διγάμων ἢ τριγάμων τ. π., ἐὰν ἄξιον ἱερωσύνης ἐπιδείξωνται βίον, χειροτονοῦνται. Sed paulo liberius in barbarum vagatur commentarium Manuel Malaxus, non omnino tamen omittendus : Ὄγδοος κανὼν, ait, τοῦ ἁγιωτάτου Νικηφόρου ΚΠ. ὁρίζει ὅτι τὰ παιδία, ὅπου γεννητοῦν ἀπὸ πόρνην γυναῖκα ἢ ἀπὸ δευτερογαμίᾳ ἢ ἀπὸ τριγαμίᾳ, ἐὰν δείξουν ἔργα τίμια, καὶ ζωὴ θεαρεστὴ, καὶ γίνονται ἄξιοι τῆς ἱερωσύνης, χειροτονοῦνται (ad κεφ. ρκζʹ). Hæc vero disciplina confirmatur tomo unionis Nicolai CP., et exponitur in Balsamonis respons. LXXII ad Marc. Alex.

In primis est inter Matthæanos can. 18, nempe III, nec displicet varietas : Ὁ ἐξ ἀνάγκης ἐπ' ὀλίγον χρόνον ἐν τῷ νάρθηκι τῆς ἐκκλησίας καταμονὴν ποιησάμενος, οὐ κατακρ... αὐτὸς μὲν μετ' ἐπιτιμίων ἐκβληθήσεται, ὁ δὲ ναὸς ἀπολήψεται τὰ οἰκεῖα. Hæc vero quadrant cum trull. can. LXXIV et XCVII, Dionys. Alex. II, etc.

Zonaræ, Harmenopulo, Malaxo, anonymisque variorum codicum collectoribus canon 19 innotuit, sed nec omnibus idem : Ἐὰν γεννηθῶσι νήπια ἐν μοναγρίοις καὶ οὐκ ἔστιν ἐν τόποις ἐκείνοις ἢ ἱερεὺς, ἢ διάκ. ἢ μον. ὀφείλουσι βαπτίσαι αὐτὰ καὶ κοσμικοὶ χριστιανοὶ πρὸς τὸ μὴ ἀποθανεῖν ἀβάπτιστα Z. — μὴ ὄντος ἱερέως, βαπτίζεσθαι ὑπὸ τῶν εὑρισκομένων χριστιανῶν καὶ ὑπ' αὐτοῦ

και εἰς πᾶσαν ἀπορίαν, ὁ ἴδιος πατὴρ, ἢ οἱοσδήποτε ἄνθρωπος, μόνον ἵνα ἐστὶ χριστιανὸς, εἰ βαπτίζει, οὐκ ἔστιν ἁμαρτία.

baptizentur; si quovis imminente periculo, proprius pater aut qualiscumque demum vir, modo christianus sit, baptizat, nullum est peccatum.

Κ'.

20. Χρὴ μνημονεύειν τὸν διάκονον τοῦ ἡγουμένου αὐτοῦ εἰς τὰ διακονικὰ πάντοτε.

XX.

Semper meminisse oportet diaconum antistitis sui ad singula officii sui munia.

ΚΑ'.

21. Ὁ βαπτισθεὶς, καὶ ἐκ νεότητος ὢν χριστιανὸς, ἢ καὶ ἐξ ἐθνῶν ἐβαπτίσθη νεωστὶ, ἢ καὶ τῇ ἡλικίᾳ προβεβηκὼς ἕως ἐτῶν λ' ᾖ, καὶ προσφάνῃ ἔχων ἀρετὰς, χειροτονείσθω.

XXI.

Baptizatus aliquis et a teneris christianus, vel ex gentilitate recens initiatus, si adolescentia expleta, venerit ad XXX annos, ac cernatur virtutibus non indigere, manibus consecrator.

ΚΒ'.

22. Ὅτι οὐ χρὴ μεταδιδόναι τοῖς λαμβάνουσι τόκον, ἢ συνεσθίειν αὐτοῖς ἐπιμένουσι τῇ παρανομίᾳ.

XXII.

Non permittitur iis qui usuram faciunt sacra tradi, neque cibum communicari, dum in pravitate sua perseverant.

ΚΓ'.

23. Ἐὰν μοναχὸς πέσῃ εἰς ἔγκλημα, καὶ οὐκ ἔστιν ἄξιος κοινωνίας, οὐ χρὴ αὐτὸν εὐλογεῖν τράπεζαν, ἕως οὗ κοινωνήσῃ.

XXIII.

Si monachus in reatum inciderit, nec communione dignus sit, illi vetatur ne mensam benedicat, donec communioni restituatur.

ΚΔ'.

24. Ἐὰν ᾖ πρεσβύτερος καθῃρημένος ἢ ἀναγνώστης ἢ διάκονος, καὶ εὑρεθῇ μοναχὸς, εὐλογεῖ τὴν τράπεζαν.

XXIV.

Si quis sacerdos ex ordine dejectus sit aut lector aut diaconus, et inventus fuerit monachus, mensam benedicat.

ΚΕ'.

25. Ὁ ἔχων εὐχὴν ἡγουμένου, πρεσβύτε-

XXV.

Qui hegumeni benedictionem habet, idem-

τοῦ ἰδίου πατρὸς, οὐ γὰρ ἐστὶν ἁμ. H. — Εἰ βαπτίζει δὲ καὶ ὁ ἴδιος π... μόνον εἰ χριστιανὸς, οὐκ ἔ. ἁ. I. At nimis non horreant neo-græca Malaxi : Τὰ ἀβάπτιστα νήπια ἐὰν εὑρεθῇ τινὰς εἰς τόπον ἔρημον, μὴ εὑρισκομένου ἐκεῖ ἱερέως, καὶ κινδυνεύει κἂν ἕνα ἐξ αὐτὰ καὶ ἀποθάνῃ ἀβάπτιστον, εἰ μὲν καὶ τύχῃ ἐκεῖ διάκονος ἢ μοναχὸς καλόγερος, βαπτίζει αὐτό. Εἰ δὲ καὶ οὐχ εὑρεθῇ τινὰς, κάμνῃ χρεία νὰ βαπτισθῆναι τῶν εὑρισκομένων ἐκεῖ χριστιανῶν· εἰ δὲ καὶ εἶναι ὁ πατὴρ τοῦ παιδίου, μοναχὸς δὲ καὶ ἄλλος χριστιανὸς οὐδὲν εὑρίσκεται, ὁ πατὴρ τοῦ παιδίου βαπτίζει αὐτὸ, καὶ ἁμαρτίαν οὐκ ἔχει. Consentit nobiscum Bonefidii et Leunclavii can. XVI, quem retulerunt Mansi col. 220 E, Rhalli p. 431.

Unde 20 canon subobscurus illustretur, forte recurrendum ad quæst. XVIII in epist. Balsamon. ad Marcum Alex. in qua e can. Apost. VIII statuitur diaconum, nisi legitima causa excusetur, debere cum sacerdote cui ministrat, sacris participare : id quod legebam in Rhalli t. IV, p. 462. Cf. can. Apost. XXXVIII.

Lucem forte dabunt can. 21 ea quæ in Z legimus sub num. VI et VII : Ὁ βαπτισθεὶς ἐκ νεότητος αὐτοῦ, χριστιανὸς ὢν ἀπὸ ις' καὶ ιε' χρόνων, ζητοῦνται αὐτοῦ τὰ ἁμαρτήματα. Ἐὰν δὲ ἐκ τῶν ἔθνων τις ᾖ καὶ βαπτισθῇ καὶ [εἰ] λ' ἔτη ἐστί, καὶ γινώσκων γράμματα, δεχέσθω εἰς ἱερωσύνην.

Absolvitur 22 canone Bonefidii σειρά, cujus ultimus num. est XVII; idem vero est Cotelerio num. XXXII, sine ulla hinc et hinc varietate; operam igitur Mansi ludebat bis idem scribendo col. 123 et 127. E nostris tamen codd. Z habet : Λαμβάνοντας ἢ ἐσθίειν εἰς τὸν οἶκον αὐτῶν. H vero legit : Χρὴ μεταδιδεῖν τοὺς λαμβάνοντας... ἐπιμένοντας, Vide quot Ecclesiæ in usuram fulmina ex can. Apost. XLIV, nicæn. XVII, laod. IV, Basil. XIV, etc.

Ἀνέκδοτος plane can. 23, quem si lubet, cf. cum 64 et 134.

Nec Matthæi appendicibus, nec editis deest 24, alias LVI, et aliter in Z : Ἐὰν ᾖ πρεσβ. ἢ διάκονος ἢ μοναχὸς καθῃρήμενος, τὴν τράπεζαν καὶ μονὴν ὀφείλει εὐλογεῖν.

Non paucas tam in Oriente quam in Occidente tur-

ρος ὢν, χειροτονεῖ ἀναγνώστην καὶ ὑποδιάκονον.

ΚϚʹ.

26. Ἐὰν μιανθῇ τις τῇ ἁγίᾳ τεσσαρακοστῇ εἰς κρέα ἢ εἰς τυρὸν, ὡς θέλει, δίδει ἐπιτίμιον ὁ πρεσβύτερος.

ΚΖʹ.

27. Ὅτι οὐ χρὴ λειτουργῆσαι πρεσβύτερον μετὰ μανδίου, ἄνευ πόλλης βίας ἢ περιστάσεως.

ΚΗʹ.

28. Ἐὰν ἐξαγορεύσῃ κοσμικὸς τὰ ἑαυτοῦ σφάλματα ἐκ προαιρέσεως, δύναται ποιῆσαι οἰκονομίαν ὁ δεχόμενος.

ΚΘʹ.

29. Τὸν ἔχοντα πνεῦμα μοναχὸν, οὐ χρὴ εὐλογεῖν τράπεζαν.

Λʹ.

30. Ὅτι οὐ χρὴ σφραγῖδα ποιεῖν εἰς τὴν εὐχὴν τοῦ σκευοφυλακίου εἰς τὸ ἅγιον ποτήριον.

ΛΑʹ.

31. Ὅτι οὐ χρὴ τὸν ἡγούμενον τὸ κουκούλιον τοῦ μαθήτου αὐτοῦ ἐκϐάλλειν διὰ πταίσματα, καὶ διώκειν αὐτόν.

que presbyter, manum lectori et subdiacono imponit.

XXVI.

Si quis pollutus fuerit in sacra quadragesima carnis esu sive casei, presbyter, ut sibi lubet, mulctam impertitur.

XXVII.

Non oportet presbyterum facere sacrum cum mandya, sine multa difficultate, aut necessitate.

XXVIII.

Si sua vir sæcularis confessus fuerit peccata ultroneus, qui audit illum, potest pœnitentiæ dispensationem facere.

XXIX.

Monachus pravo vexatus spiritu mensam benedicere non debet.

XXX.

Quod non oportet consignationem facere per scevophylacii precem super sacrum calicem.

XXXI.

Quod non debet præpositus a discipulo suo propter delicta cucullum auferre, neque eum expellere foras.

bas excivit can. 25, uti videre est in Zonaræ et Balsamonis commentariis ad II nic. can. XIV. E canone nicæno addidit Blastares in fine : ἐν τῇ ἰδίᾳ μονῇ.

Cum can. 26 multa in pœnitentialibus græcorum libris conveniunt, quæ suo loco mox tibi occurrent.

Editis can. 27 est pariter XXVII, sed verbis duobus ibi mutatis, evadit alius significatus; ecce enim hi legunt : ἄνευ μανδύου, et consentiunt codd. I omnes; e cæteris Z cum A legit : ὅτι οὐ χρὴ ἱερομόναχον μετὰ μανδύου μεγάλου λειτ. fol. 20. Sed a Caugii glossario disce μανδύον sive μανδύας, μανδύη, μάνδυς ab initio fuisse persicum paludamentum, deinde quamdam monachorum cappam potius quam talarem sacerdotum vestem, quæ ad sacra perficienda honestior erat. At utrum lectio nostra sit potior, hæreo quidem ; sed ne dubites e distinctione superiore codicis Z duplicem esse mandyæ formam, immo Morino quatuor species sunt, *de Pœnit.* p. 196, plures quoque Goaro in *Euchol.* p. 97 et 488; plane nobiscum facit Habertus in Ἀρχιερατικῷ, p. 37, a quo certe docemur ab antistite mandyam ante sacra deponi.

In can. 28 mira barbarie conspirant B, fol. 8, et Θ sive Malaxus : Ἐὰν ἐξαγορευθῇ [ἐξομολογηθῇ Θ] ὁ ἄνθρωπος τὰ ἁμαρτήματα αὐτοῦ [ὁλοψύχως addit B] ἐκ προαιρέσεως, ὁ πνευματικὸς εἶναι [ὀφείλει ?] χρεωστὴς τὰ [ἵνα?] κάμῃ ἐλαφρὴν τὴν ἰατρείαν κ. τ. ἑ. Plura videsis infra in can. 199.

Ad 29 Z : οὐ χρὴ τὸν ἔχοντα δαιμόνια εὐλογεῖν τράπεζαν οὔτε κοινωνεῖν αὐτὸν, ὅταν καὶ βούλεται, fol. 20.

Melius ad 30 I sub num. XII : ἐν τῇ εὐχῇ ... ἐπὶ τὸ ἅγιον π.

Ibidem 31 est XXIV vel XXV, et omittitur illud glossema : διὰ πταίσματα. Planior Zʹ : ἐκϐάλλειν καὶ ἀποδιῶξαι αὐτὸν διὰ πταῖσμα.

ΛΒ΄.

32. Ὅτι οὐ χρὴ ἄνευ θερμοῦ λειτουργῆσαι πρεσβύτερον, εἰ μὴ κατὰ πολλὴν περίστασιν, ἐὰν μὴ εὑρεθῇ.

XXXII.

Quod non licet sacerdoti sine aqua calida missam conficere citra magnam necessitatem, nec nisi calida non reperiatur.

ΛΓ΄.

33. Ἐάν τις ἀθετήσῃ τὸ ἅγιον σχῆμα, καὶ οὐ διορθῶται, τὴν δὲ ὀρθοδοξίαν κρατῇ, οὐ χρὴ τὸν τοιοῦτον ὑπὸ στέγην ἄγειν, οὔτε συνεσθίειν ἢ χαίρειν λέγειν.

XXXIII.

Si quis abjecerit sacrum habitum, nec emendaverit, tamen etsi orthodoxiam teneat, non oportet eum sub tecto excipere, neque cum eo edere, nec ave dicere.

ΛΔ΄.

34. Δεῖ μεταδιδόναι τῆς θείας κοινωνίας τῷ ἀσθενοῦντι, ἐὰν ἅπαξ ἀποθνήσκει, καὶ μετὰ τὸ γεύσασθαι βρώσεως.

XXXIV.

Jubetur tradi divina communio ægrotanti, si jam jam moritur, vel quum cibum sumserit.

ΛΕ΄.

35. Πάλιν εὕρομεν ὅτι ἐὰν τελεία γυνὴ γενομένη χριστιανὴ μετὰ μίαν ἢ δύο ἢ ὅσας δήποτε ἡμέρας μέχρι τῶν ἑβδόμων, ἴδῃ τὰ ἔθιμα αὐτῆς, εἰ ὀφείλει κοινωνῆσαι, καὶ εὕρομεν ὅτι ἐν τῷ οἴκῳ αὐτῆς κοινωνήσῃ [εὐχῆς], εἰς δὲ τὴν ἐκκλησίαν μὴ εἰσέλθῃ, ἕως οὗ καθαρισθῇ ἡ νεοφώτιστος.

XXXV.

Rursus invenimus quod si quædam mulier adulta, quæ Christiana fuerit, et post unum aut duos pluresve dies usque ad septimanam, passa fuerit quæ ei solent, communicare debet, oportet eam in domo sua precum uti communione, sed in ecclesiam accedere non debere, usque dum hæc neophyta purificetur.

A 32 canon xiii Matthæi codicum idem plane derivatur usque ad exitum : εἰ οὐδαμῶς εὑρίσκεται θερμόν. Legebam in H : λειτουργῆσαί ποτε, πλὴν εἰ μὴ κατὰ π. π. Idem occurrit in *Nomocan.* num. 130 Coteler. *Mon.* t. i, p. 90, et ritus exponitur in Haberti Ἀρχιερατ. p. 257.

Græcis solemnior præ cæteris est canon 33; unde vix aliis vocibus legitur in can. calcedon. iii, vi, vii, carthag. xvi vel xviii, nicæn. II, x. Idem xxv est in Matthæi codicibus; semelque fol. 62 et iterum f. 147 in A; nec omissus in H, nec varietate destitutus : Ἐάν τις ἀθετήσει τ. α. σ. κ. ο. διορθοῦται, ἀλλ' ἐπιμένει, εἰ καὶ δοκεῖ εἶναι ὀρθόδοξος, οὐ χρὴ αὐτὸν ὑ. σ. ἀγαγεῖν, ἢ χαῖρε λέγειν ἢ ὅλως συνεσθίειν αὐτῷ. Sed transeo ad recentioris interpretis Malaxi cap. 159 : Πάλιν ὁ ἁγιώτατος Νικήφορος ΚΠ λέγει ὅτι ὁ μοναχὸς ὅπου νὰ ἀθετήσει τὸ ἁγ. σχ. καὶ νὰ μηδὲ θελήσει νὰ ἐλθεῖν εἰς μετανοίας νὰ διορθοτοῦν οὐδὲ νὰ τὸν ἐς μίξη τίνας, οὐδὲ νὰ τὸν ἐχερετίσει. Legere χαιρετίσει in promtu est, sed neogræcum auctorem purum putum damus. Cf. c. 73.

Exstat 34 in A primo et secundo loco, in B et I sub num. ix, in Z fol. 20, in Malaxi cap. 336, in Harmenopuli cap. ii, tit. 6. I tantum addit κινδυνεύοντι post ἀσθενοῦντι. Plura mutant B et Z : χρὴ μεταδίδειν τὸν ἀσθενοῦντα, ἐὰν ᾖ [εἶ B] πρὸς θάνατον, κἂν τε ἔφαγε, κἂν ὕδωρ [νερὸν Z] ἔπιεν. Rursus Malaxus : Ὁ ἁγιώτατος Νικ. ὁ ΚΠ διακελεύεται ὅτι μεταδίδεται τῶν θείων ἁγιασμάτων ὁ ἀσθενὴς, ἐὰν εὑρίσκεται εἰς κίνδυνον θανάτου. Qua quidem misericordia vel erga pœnitentes et peccatores usum esse veterem Ecclesiam, testantur inter plura can. nic. xiv, ancyr. xxii.

Communis est can. 35 cum Harmenopuli cap. vi, tit. i, e quo in *Concil.* Mansi l. c. col. 131 transiit, rejecto opportune incommodo finis glossemate : ἡ νεοφώτιστος. Brevior etiam in B et Z et fortasse sincerior : εἴ τις γυνὴ συμβῇ τοῦ βαπτισθῆναι καὶ τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ γέγονε τὰ κατ' ἔθος τῶν γυναικῶν, ὑπερθέσθω ἕως οὗ καθαρισθῇ. — Γυναικῶν, οὐκ ὀφείλει βαπτισθῆναι, ἀλλ' ὑπερθέσθω, ἕως οὗ καθαρισθῇ B. Sed et conf. veterem Coteler. Nomocan. ad num. 318 et Timoth. Alex. quæst. vi, vii.

II.

Νικηφόρου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ ὁμολογήτου,
Ἐκ τῶν ἐκκλησιαστικῶν αὐτοῦ συντάξεων καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἁγίων πατέρων περὶ διαφόρων κεφαλαίων.

NICEPHORI PATRIARCHÆ CP.,

Ex ipsius et sanctorum cum eo Patrum ecclesiasticis constitutionibus de variis argumentis can. XXI.

ARGUMENTUM. Spectant hi XXI canones, synodica quadam editi auctoritate, ad ecclesias hæreticorum [*can.* 36, 37], — Ad librorum censuram [*can.* 45, 46], — Ad monasticam disciplinam, et jejuniorum observationem [*can.* 38, 39, 40, 44, 48, 49, 51, 52], — Ad christianæ vitæ rectam institutionem [*can.* 41, 42, 43, 80, 53].

Α'.

36. Τὰς ἐκκλησίας τὰς ὑπὸ αἱρετικῶν ἐνθρονιασθείσας παρακελευόμεθα ὡς εἰς κοινὸν οἶκον κατὰ ἀνάγκην εἰσιέναι καὶ ψάλλειν, πήξαντας ἐν μέσῳ σταυρόν· ἐν δὲ τῷ θυσιαστηρίῳ μήτε εἰσέρχεσθαι, μήτε θυμιᾶν, μήτε εὐχὴν ἐπιτελεῖν, μήτε κανδήλαν ἢ λύχνον ἅπτειν.

Β'.

37. Ὅσας δὲ ἔλυσαν ἐκκλησίας οἱ ἅγιοι Πατέρες, καὶ κατ' ἐπιτροπὴν αὐτῶν ἐλειτουργήθησαν, ἀπολελυμέναι εἰσίν· ὅσας δὲ οὐκ ἔλυσαν, οὐ χρὴ ἐν αὐταῖς λειτουργεῖν ἢ εἰσιέναι, ἀλλ' ὥσπερ εἰς κοινὸν οἶκον κατὰ περίστασιν ψάλλειν.

Γ'.

38. Χρὴ τὸν ἀσθενοῦντα μοναχὸν ἐσθίειν κρέα, ἐὰν πανὺ ἐκτακῇ ἀπὸ τῆς νόσου, ὃ καὶ ἐὰν αὐτὸς ἐπιζητήσῃ.

Δ'.

39. Ὅτι δεῖ τὸν ἀσθενοῦντα μοναχὸν ἐν τῇ ἁγίᾳ τεσσαρακοστῇ ἐσθίειν ὀψάριον καὶ ἔλαιον, καὶ οἶνον πίνειν.

I.

In ecclesias hæreticorum consecratione dedicatas, permittimus, velut in communem domum, nec nisi ex necessitate, ingredi, et fixa in medio cruce, ibidem psallere; non tamen in altare ascendere, nec thus adolere, nec precem peragere, neque candelam sive lucernam accendere.

II.

Quascumque ecclesias sancti Patres ab anathemate solverunt et ubi ex ordine sacra fecerunt, rite solutæ sunt; quotquot autem non solverunt, non licet illic liturgiam conficere, vel ingredi, sed psallere tantum, quasi in profanis ædibus, nec citra necessitatem.

III.

Oportet infirmum monachum comedere carnem, si omnino morbo sit affectus, idque ipse requisierit.

IV.

Licet infirmo monacho, intra sacram quadragesimam, sumere obsonia et oleum, ac vinum bibere.

Orditur e canone nostro 36 altera Cotelerii sylloge, p. 451, quæ tamen excepta certe non fuit ex eodem codice nostro A, ubi hæc secunda classis continuo legitur fol. 61-68. Adhibui insuper cod. 1335, Z. Omissi VI, XI, XV iidem sunt ac 33, 44 et 130. Cf. 36 cum laodicenis VI, IX, XXXII, XXXIV. De vocibus ἐνθρονίαζειν, κανδήλα, cf. Banduri *Imper. orient.* t. II, p. 504, 601.

Incidit in 37 can. Maius B. N. t. V, p. IV, p. 102.

Rescribit A canonem 38 in altero loco, fol. 146, his incipiens : ὅτι δεῖ τὸν ἀσθεν. In primo loco A eidem lemma præmisit : τοῦ αὐτοῦ περὶ μοναχῶν.

In eodem B sub num. XV pariter legitur can. 39 : χρὴ δὲ τὸν ἀσθεν... ἐσθίειν ἀπό τε ἰχθύων καὶ οἴνου καὶ ἐλαίου καὶ ἑψητῶν. Alias idem, fol. 70, liberius exspatiatur : χρὴ δὲ τῇ μεγάλῃ τεσσαρακοστῇ πᾶσαν τετράδα καὶ πᾶσαν φυλάσσειν [παρασκευὴν videlicet] ἀπό τε ἑψητῶν, ἐλαίου καὶ οἴνου, εἰ μή πού τις ἐν ἀσθενείᾳ γενέσθω. Per me licet inde novum cudi canonem de communi fidelium abstinentia quadragesimali, cæteris nostris merito jure addendum.

Ϛ'.

40. Ὅτι δεῖ νηστεύειν τοὺς μοναχοὺς τῇ τετράδι καὶ τῇ παρασκευῇ τῆς τυροφάγου ἐν τῷ μοναστηρίῳ· ἐὰν δὲ παραβάλλῃ τίς που, καὶ παραθήσουσιν αὐτῷ τυρὸν, ἐσθιέτω.

VI.

Necesse est jejunent monachi feriis IV et VI hebdomadis tyrophagi in suo monasterio; si qua vero aliquis obierit, eique caseum obtulerint, manducet.

Ζ'.

41. Εἴ τις εὑρεθῇ μιάνας κοίτην μητρὸς, ἔτη λε' ἐν ἐπιτιμίοις ἔστω, καὶ οὕτως ἀξιούσθω τοῦ ἁγίου σχήματος.

VII.

Si quis inventus fuerit thorum maculasse matris, per triginta quinque annos in pœnis maneat, nec aliter dignus sacro habitu censeatur.

Η'.

42. Ὅτι οὐ δεῖ ὁδοιπορεῖν ἐν τῇ κυριακῇ ἄνευ ἀνάγκης.

VIII.

Quod non licet iter facere die dominica sine necessitate.

Θ'.

43. Τοῦ μὴ νηστεύοντος τετράδα καὶ παρασκευὴν ἱερέως, κοινωνεῖν οὐ χρὴ ἐξ αὐτοῦ, κἂν δοκῇ ὀρθόδοξος εἶναι· τὸ γὰρ ἐκ μέρους εὐσεβεῖν καὶ ἐκ μέρους κοινοῦσθαι, βέβηλον.

IX.

Si quis sacerdos jejunare nolit in feria IV et in parasceve, ne cum eo in sacris communicetur, etsi videatur rectæ esse fidei : partim enim pie sapere, partim vero impie, profanum est.

Ι'.

44. Ἐὰν δὲ διὰ πνευματικὸν πατέρα καταλύσῃ τις τετράδα καὶ παρασκευὴν, οὐκ ἔστιν ἁμαρτία, μόνον μὴ καταφρονητικῶς.

X.

Quod si quis, spirituali patre permittente, utramque solverit feriam IV et VI, non peccat, id modo sine contemtu fiat.

ΙΒ'.

45. Τὴν ἀποκάλυψιν Παύλου καὶ τὰ λεγόμενα βροντολόγια καὶ σεληνοδρόμια ἢ καλανδολόγια καὶ τὰ ζωδολόγια, οὐ χρὴ δέχεσθαι· βέβηλα γάρ εἰσι.

XII.

Apocalypsin Pauli et ea quæ dicuntur Brontologia et Selenodromia et Calandologia vel Physiologos, recipere non oportet; profana enim sunt.

Non una occurrit editio can. 40, nec sine notanda varietate. Post superiorem, secunda erit in B, sub num. XVIII : περὶ τῆς δὲ τετράδος καὶ τῆς παρασκευῆς τῆς τυρ. δεῖ νηστεύειν τῶν ὄντων (*sic*) ἐν τῷ μον. Ἐὰν δὲ παραβ. τ. π. ἐν ὁδῷ καὶ παρακαταθήσουσιν αὐτῷ τυρὸν, καὶ ὅσον διὰ τινὰ ἀγάπην χρὴ ἀπογεύεσθαι. Tertia autem lectio, imo quarta et quinta infra erit ad can. 79.

Codex Z etiam habet 41, his variantibus : μητρὸς, ἀκοινώνητος ἔσται ἔτη ε', ἀξιωθεὶς καὶ τὸν σχ.

Adi Leunclavium, ubi 42 inscribitur II (Mansi col. 121), legiturque sicut in A : ἄνευ ἀνάγκης ἢ βίας. — Ἄνευ ἀνάγκης μεγάλης Ϛ.

Inscripsit idem Ϛ can. 43 sub num. IX, legendo : καὶ παρασκευὴν [λύοντα] εἰς τὸ ἔλαιον καὶ τὸ ὀψάριον, οὐ χρὴ κ. ἐ. ἑαυτοῦ. H consentit. Nolim omittere lectionem A vere mirandam : Τοῦ μὴ γεύσαντος δ' κ. ς' ἱερέως, οὐ χρὴ κ. ἐ. α. Alia Malaxus attexuit, *Nomocan.* cap. 389 : Ὁ δὲ πατριάρχης ΚΠ. Νικηφ. ἐν τῷ ὀγδόῳ κανόνι οὕτω φησὶ μὲν, μὴ νηστεύοντα δ' καὶ ς' ὅλου τοῦ χρόνου, οὐ χρὴ κοινωνεῖν ἐξ αὐτοῦ· τὸ γὰρ... ἀσεβεῖν, ἄτοπον.

Inest quoque in Ϛ can. 44 sub litt. ι', iisdemque verbis. Deest numerus in Z, et quædam differunt : ἐάν τις διὰ πν. πατρὸς ὁρισμὸν καταλύσει ἐν τῇ μεγάλῃ μ' οἶνον καὶ ἔλαιον, οὐκ ἐστὶν ἁμαρτία. De spirituali patre vid. Habert. in Ἀρχιερατ. p. 578, 598.

Præeuntibus licet Bonefidio, Leunclavio et Labbeo, nihilominus canonem 45 et 46 fugisse diligentem Cotelerium eo magis miror, quod illi in primis volupe erat in hujusmodi librorum arcana excurrere. Hic vero nemo non concedet paulo morosius immorandum esse, neque ullam vel minimam negligendam esse varietatem : Καὶ τὰ ζωοδολόγια B fol. 146. Καὶ τὰ ζωδολόγια... βέβηλα γὰρ πάντα Ϛ. — Βροντολόγια.

IΓ'.

46. Τὴν ἀποκάλυψιν Ἔσδρα καὶ Ζωσιμᾶ καὶ τὰ δύο μαρτύρια τοῦ ἁγίου Γεωργίου καὶ τῶν ἁγίων Κηρυκοῦ καὶ Ἰουλίττης, καὶ τὴν βίβλον τοῦ Μαρκοῦ καὶ Διαδόχου, οὐ δεῖ δέχεσθαι· ἀπόβλητα γάρ εἰσι ταῦτα καὶ οὐ δεκτέα.

XIII.

Apocalypsin Esdræ et Zosymæ et duo sancti Georgii martyria et acta sanctorum martyrum Ciryci et Julittæ, librumque Marci et Diadochi suscipere non oportet; ejicienda enim sunt ista, nec admittenda.

IΔ'.

47. Δεῖ τὰς μοναζούσας εἰσιέναι εἰς τὸ ἅγιον θυσιαστήριον καὶ ἅπτειν κηρὸν καὶ κανδήλαν καὶ κοσμεῖν τὸν ναόν.

XIV.

Permittitur monialibus ad sacrum altare ingredi et accendere cereum et candelam et ornare templum.

Iϛ'.

48. Ὅτι δεῖ τοὺς ἐργαζομένους μονάχους

XVI.

Præcipitur monachis in laborem incum-

σεληνοδρόμιά τε καὶ καλ. Z.—βέβηλα γάρ εἰσι B 2° loco; γὰρ τὰ τοιαῦτα Z; — ἢ τὰ λεγόμενα ζωδολόγους, οὐ χρὴ καὶ δ. ἀλλότρια χριστιανοῖς εἰσίν. H — Veteres editores omisere : καὶ τὰ ζωδολόγια; cætera vero, ut cudimus, legerunt. Ex utroque canone jam vides quantum ab his nugis S. Nicephorus abhorreat, cui tamen nescio quæ ὀνειροκριτικά græculi nugivenduli dare non dubitarunt. — Quod ad Pauli Apocalypsin attinet, nihil habeo quod addam eruditæ Fabricii de hoc libro notitiæ in *Cod. apocr.* N. T., p. 943-953. Excidisse omnino is liber videtur, jam sæculo IV Africanis notus, et a Gelasio pp. damnatus. Totus ethicus fuisse dicitur, immo monasticus; unde ex eo fortasse exceperunt quosdam spurios Pauli canones, quos Cotelerius edidit in nomocanone recenti, *Monum.* t. I, p. 66, can. I-XIX; eosdem fere aliosve legebam in cod. gr. Paris 1152, f. 25, 1318, f. 68, 1320, fol. 1, etc. Coisl. 211, fol. 279. — Tum e feracissima penu astrologorum sunt βροντολόγια, σεληνοδρόμια, καλανδολόγια, in quibus agebatur de præsignificationibus tonitruum, de cursu lunæ et prognosticis calendarum. Vide Cangii Gloss. gr. ad h. v. et ab eo ibidem descriptum καλανδολόγιον e cod. Paris. 945 olim inscripto : multa id genus tibi præstabunt alii codd. ejusdem Bibliothecæ, quorum saltem unum digito monstrare non piget, scilicet 2426, quo continentur ab initio cycli solis et lunæ ac σεληνοδρόμιον per XII signa, atque selenodromii ὅροι; tum paulo post βροντολόγιον, φυσιολόγος, aliaque Nicephori anathemate aperto mactata. — His vero quæ de *Physiologis* satis superque dixi in superiore tomo, et hoc adde Nicephori testimonium. Hunc canonem adducere teste Cangio non neglexit Zonaras in suo astronomiæ Apologetico ms.

Ad can. 46 Z : Τὰ τοῦ ἁγίου Θεοδώρου δύο μαρτ. κ. τοῦ ἁ. Κυρικοῦ. — et Z : Μάρκου τοῦ διαδόχου. — H : τὴν ἀποκάλυψιν λεγομένην τῆς Παναγίας καὶ δικαίου Ἰωάννου καὶ Ἐσδρᾶ καὶ Ζωσ... Ἰουλίττης καὶ Ὑπατίου, καὶ ὅσα τοιαῦτα οὐ χρὴ δέχ. De singulis quam paucissima : 1° Fabricius suspicatur hic intelligi librum IV Esdræ; sed videre præplacet alium libellum cui in codice Parisiensi titulus est, ut fert Nicephorus: *Esdræ Apocalypsis.* Quem forte alicubi editurus sum, nisi me nimis non tædeat barbariem plerumque insulsam tangere. — 2° Non memini, inquit Fabricius, ab alio scriptore hanc Zosimæ apocalypsin memorari. — 3° Georgii passio jam inter apocrypha refertur in Gelasii decreto; vide Bolland. ad diem XXIII april., p. 100-106. — 4°, 5° Pseudo-Theodorus, ut fert Z, certe alius non est quam episcopus Theodorus cujus epistola de passione SS. Quirici et Julittæ græce et latine inseritur in Boll. ad diem XVI jun. p. 23 et 25; de quo cf. eruditam Allatii diatribam *de Theodoris* in Maii *Bibl. nov.* t. VI, p. II, p.73. — 6° Etsi otium fecisse aliis videatur Papebrochius excutiendo prædicta S. Cyri acta, nihil tamen habet quod referam ad *Hypatium* illum quem huc nobis intrudit cod. H., neque vel nomine eum novit Fabricius. Sed vide an hæc respexerit Origenes, quum invehitur in quosdam impios qui cujusdam *Hypistiani* fictis operibus utuntur. *In Matth.* XXIII, 34, opp. t. III, col. 848. col. 2 F. — 7°, 8° Videri poterat legendum Μαρκοῦ τοῦ διαδόχου, ut in ϛ et Z. Sed eo quod distincte Photius retulit βιβλίον Μάρκου in cod. 200 et βιβλίον Διαδόχου in cod. 201, Fabricius maluit uti nos legere; verum enimvero toto cœlo distant apocrypha hic anathemate profligata et piissimi libri SS. PP. Marci et Diadochi quos l. c. Photius recensuit. — 9°, 10° De falsa revelatione Beatæ M. V. et Joannis apostoli satis pauca ad manum habuit Fabricius p. 953, 954, etsi multa suppeterent, si hæc eadem esse concedatur ac Pseudo-Melitoniana, de quibus vide *Spicil.* t. II, Proleg. p. XXXII. Sed ea potius arbitror esse qualia olim legebam in cod. Paris. de quo supra, qui orditur a commentario fictitio S. Joannis Theologi de D. N. J. C. et deinde in Physiologum vertitur et in Esdræ revelationem.

Cum can. 47 lege laodicen. XLIV et quæ non illepide enarrat Goar in *Euchol.* p. 11. Caute H et Z addunt post θυσιαστήριον : τὰς καλὸν βίον ἔχουσας. In ϛ Harmenopulus hunc canonem cum 13 ligat; immo fol. 148 in cod. 1361 canonem Nicolao CP. ascribit.

Initium 48 est in Z : ὅτι δεῖ τοὺς εἰς ἔργα βιαζομένους μοναχούς. Pars quidem videtur superioris can. 11

τῇ ἁγίᾳ μʹ τὴν θʹ ὥραν γεύσασθαι ἄρτου βραχέως καὶ τῇ ἑσπέρᾳ δειπνᾶν.

bentibus, per quadragesimam hora IX gustare paululum panis et in hora vespertina prandere.

IZʹ.

49. Ὅτι οὐ χρὴ ἐν τῇ ἁγίᾳ τεσσαρακοστῇ τοὺς μοναχοὺς ἐργατίας ποιεῖν καὶ προφάσει τοῦ ἔργου καταλύειν εἰς οἶνον καὶ ἔλαιον· ταῦτα γὰρ γαστριμαργίας εἰσὶν ἐπιτηδεύματα.

XVII.

Non debent monachi in sancta quadragesima opera factitare, subque laboris prætextu solvere jejunium per vinum aut oleum : hæc enim sunt gulæ instituta.

IHʹ.

50. Χρὴ χάριν Ἀσπασμοῦ κλίνειν γόνυ ἐν τῇ κυριακῇ, καὶ ἕως τῆς Πεντηκοστῆς οὐ μὴν γονυκλισίας ποιεῖν.

XVIII.

Oportet, Annuntiationis gratia, genu flectere die dominica, inde vero usque ad Pentecosten nullas facere genuflexiones.

IΘʹ.

51. Πόσα κεφάλαια ἐκβάλλουσι τὸν μοναχὸν ἀπὸ τῆς μονῆς;

Πρῶτον μὲν, εἰ ἔστιν ὁ ἡγούμενος αἱρετικός· δευτερὸν δὲ, ἐὰν ᾖ εἴσοδος γυναικῶν ἐν τῇ μονῇ· τὸ δὲ τρίτον, ἐὰν παῖδες μετὰ τῶν μοναχῶν μανθάνωσι κοσμικῶν ἐν τῷ κοινωβίῳ· ἄτοπον γὰρ τοῦτο, τὸ δημοσιεύεσθαι τὰ ἐν τῇ μονῇ καλῶς πραττόμενα, ὥς φησι τὸ Εὐαγγέλιον· « Μὴ σαλπίσητε ἔμπροσθεν ὑμῶν, ὅταν εὖ ποιῆτε. »

XIX.

Quot causæ monachum e monasterio exire compellunt?

Prima quidem est, si præpositus hæreticus sit; secunda, si mulieribus in monasterium ingredi permittitur; tertia denique, quando pueri cum monachis discunt artes sæculares in cœnobio. Hoc enim absurdum est, quæ in monasterio præclare aguntur evulgari, sicut Evangelium dicit : « Nolite tuba canere ante vos, quum bene facitis. »

Kʹ.

52. Τοῖς οὖσιν ἐν ἐπιτιμίοις μοναχοῖς χρὴ συνεσθίειν καὶ συνεύχεσθαι, μετέχειν δὲ καὶ εὐλογίας ἤτοι κατακλάστου, ἅμα τῆς αὐτῶν ἐξομολογίας.

XX.

Monachi censuris subjecti debent cum cæteris edere et precari ; sed et participes esse eulogiæ et cataclasti, simul et confessionis.

Bis retulit can. 49 Cotelerius, semel ex Matthæo Blastare, p. 447, et iterum p. 452, sub eodem num. XVI, paucis in utroque loco variantibus : in priore : οὐ χρὴ τοὺς μον. ἐν τῇ ἁγίᾳ παρασκευῇ [vide sphalma legentis ϛʹ pro μʹ, quod miror retinuisse editorem nuperrimum atheniensem, p. 428] γεωργικὰ μετιέναι καὶ πρ. τούτων εἰς οἶνον καταλύειν... In posteriore : ὅτι οὐ χρὴ ἐν τῇ ἁγίᾳ μʹ τοὺς μον. ἐργασίαν ποιεῖν καὶ προφ. — Ὅτι οὐ χρὴ ἐν τῇ μεγ. μʹ διὰ τὴν τῶν ἔργων βίαν καταλύειν τοὺς μον. ἐν ἐλαίῳ καὶ οἴνῳ· ταῦτα γαστριμαργία ἐστιν Z.

De can. 50 fuse disserit infra Nicolaus CP. Z paulo aliter : X. χ. ἀσπασμοῦ προσκυνεῖν ἐν τ. κ. καὶ πεντ. οὐ μὴν δὲ γονυκλισίας ποιεῖν. Huc faciunt can. nicæn. XX, trull. XC, Petri Alex. XV.

Hunc 51 canonem Matthæus Blastares sub uno numero consignavit, quem Cotelerius in duos canones pessime dispertitus est, ut in alterum XVIII ultima rejiceret inepte. Ib. ἄτοπον γὰρ τὰ ἐν τῇ μονῇ πραττόμενα δι' αὐτῶν δημοσιεύεσθαι. Inde omnis cæterorum canonum ordo perturbatus; ut nullo cum codice quadret. Dolendum in eum lapsum idem post eum cecidisse editores omnes, ne Atheniensi quidem excepto. Cæterum Cotelerius et iidem post eum, eadem regerunt alio loco sub num. XIX (cf. Mansi 126, 180; Rhalli 428, 431), vix paucis in fine mutatis : ἐὰν παιδία μανθάνωσι κοσμικὰ ἐν τῷ κοινωβίῳ, κ. τ. ἑ. idem canon in Z fol. 19 nomine S. Basilii insignitur. Recole conc. II nic. can. XXI ; Matth. VI, 2.

Consonat cum 52 can. XIX apud Coteler. ex Blastare : τοὺς ὄντας ἐν ἐπ. μοναχοὺς χ. σ. τοῖς λοιποῖς καὶ σ... τῇ αὐτῶν ἐξομολογήσει. — Præiverat Bonefidius

ΚΑ'.

53. Χρὴ δέχεσθαι τὰς εὐποιΐας τῶν ἀδιαθέτως τελευτώντων τὰς ὑπὲρ αὐτῶν γινομένας, εἴγε καὶ ζῶντες πρόθεσιν εἶχον τοῦ οὕτω ταῦτα τελεσθῆναι.

XXI.

Suscipiendæ sunt intestato morientium piæ largitiones pro ipsis factæ, si quidem in vita sua propositum habuerint fore ut sic præstarentur.

III.

Οἱ κάνονες τῶν ἐν Λαοδικείᾳ καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Νικηφόρου.

Patrum laodiceni concilii ac S. P. N. Nicephori canones XXII.

ARGUMENTUM. Huic tertiæ classi canonum Nicephori accedebant, ut titulo significatur, quædam laodicenæ synodi decreta, sed a calce resecta fuisse etiam nunc testatur XXII et ultimus canon, qui totus laodicenus est. Cætera per me erunt nova Typici nicephoriani fragmenta, quæ, uti præcedentia, monasticam præcipue, christianam vero obiter instituunt disciplinam. Sunt enim de choro et mensa [*can.* 54-60], — De charitate fratrum [*can.* 61-63], — De lapsis sacerdotibus [*can.* 64], — De corona sponsorum [*can.* 65], — De sacro monachorum habitu [*can.* 66], — De pœnitentibus, jejunantibus et peccatoribus publicis [*can.* 67-71]. — Omissi canones XV et XXI supra legebantur in notis num. 39 et 40. Ultimus, ut dixi, est laodicenus, ibique XXXVI inscribitur.

Α'.

54. Ὁ μὴ εὑρισκόμενος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ εἰς τό· « Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, » ἄνευ ἀσθενείας σωματικῆς, ἐν τῇ εὐλογίᾳ μενέτω πίπτων, κεκυφὼς ἐν τῇ πύλῃ, ζητῶν συγχώρησιν πᾶσιν ἀδελφοῖς τοῖς ἐξιοῦσι μετὰ τὴν ἀπόλυσιν.

I.

Admonitio sanctissimi P. N. Joannis Jejunatoris.

MONITUM. Legebam in cod. parisiensi 2743, fol. 151, versus haud ita inficetos, sed continua descriptos serie, ut tam notarius vetus quam recens publici catalogi scriptor metrica ne subodorati quidem sunt. At

(1) Ἠδύθει male cod. — (2) Νικοδήμου. Consonat id quod etiam nunc sacerdos depositis Sanctis, recitat : Ὁ εὐσχήμων Ἰωσὴφ ἀπὸ τοῦ ξύλου καθελὼν τὸ ἄχραντόν σου σῶμα, σινδόνι καθαρᾷ εἱλήσας καὶ ἀρώμασιν ἐν μνήματι καινῷ κηδεύσας ἀπέθετο. « Decorus Joseph, quum de ligno illibatum corpus tuum deposuisset, sindone munda et aromatibus involutum in monumento novo, justa persolvens, deposuit. » Cf. Goar, p. 59, 112, n. 103. — (3) Θυσιαζόμενον. Ib. p. 100. — (4) Κλῆσιν cod. Cf. ib. p. 105.— (5) Εἴσοδος. Vide Goar, p. 113, n. 110. — (6) Ὑποδεικνύων cod. Nisi quid exciderit, habes nominativum, ut aiunt, absolutum — (7) Λαῷ. Ib. p. 105, n. 51. — (8) Λειβίδος; μεταλαμβάνοντες cod. Cf. Goar, p. 129, n. 179.

nemo hominum umquam suspicatus est versus ullos esse Jejunatori ascribendos. Sane tu exploratum habe nova hæc esse, nec simile quidquam inter Nazianzena uspiam inveniri. Quem porro aut Jejunator aut qualiscumque demum lusum ridendo dictavit, ludendo metrice vertere me, sed in transcursu, non piguit, nec te legere raptim pigeat.

Τηρῶν, μοναχὲ, σωφροσύνης τοὺς ὅρους,
Φύλαξον, ὡς χρὴ, τὰς κόρας τῶν ὀμμάτων,
Ἄλλο πρὸς ἄλλο μὴ βλέπειν πρὸς τοὺς πέλας.
Λάλει δεόντως, ἀφρόνως δὲ μὴ σίγα.
Ἐνδύμασι χρῶ τοῖς ἀναγκαίοις μόνοις,
Καὶ βρώματα ζήτησον, ἃ συνιστάνει
Τουτὶ τὸ σωμάτιον εἰς ὑπουργίαν.
Πάντων μεταλάμβανε τῶν τεθειμένων·
Τὸν δαίμονα δὲ φεῦγε γαστριμαργίας.
Μὴ τὰ μὲν ἐκφαύλιζε τῶν ἐδεσμάτων,
Τὰ δ' ἐκλέγου σύμμορφα τῇ σῇ κοιλίᾳ.
Ἡ διάκρισις κρινέτω σου τοὺς τρόπους.
Οἴνου τὸ πλεῖστον ἐκτρέπου καθ' ἡμέραν·
Εἰ δ' ἀδυνατεῖς, ἀπογεύου χρησίμως.
Τὴν χεῖρα τὴν σὴν μή τινων γύμνου μέσον.
Μικρὸν λογίζου σαυτὸν, ἔνθα προσκάθῃ·
Καὶ σοῖς ἀδελφοῖς δουλικῶς ὑπηρέτει.
Κέντρον τὸ δεινὸν φεῦγε τῆς παῤῥησίας,
Βάλλει γὰρ εἰς θάνατον ἄχρι καρδίας.
Καὶ πτυέλου σύμπτωμα μὴ παραβλέπῃς.
Ὁ βὴξ ἐπῆλθεν ἐν τραπέζῃ πρὸς βίαν;
Κράτησον, ὡς χρὴ, πτύσον ἔξω τοῦ μέσου.
Θέλεις φαγεῖν, ἄνθρωπε, καὶ πιεῖν ἅμα;
Χρειῶδες ἐστίν· ἀλλὰ φυγῇ τοῦ κόρου.
Ἐγγὺς ὁ πίναξ καὶ συντίθεται μέσον;

VERSIO METRICA.

Modestiæ metam tenens, o monache,
Caute pupillas, uti par est, tuere,
Ne quemque proximum hinc et hinc aspicias.
Ad rem probe loquaris et scite tace.
Vestibus, uti necesse erit, tantum utere.
Habe cibos, sed unde sustentes tuum
Corpusculum, ut pensum laboris impleat.
Oblata sume quæ tibi hospes porrigit,
Ingluviei modo vites dæmonem.
Verum cibos nolim renutes alios,
Aliosque ne ventri præferas ut congruos.
Dijudicet mores tuos prudentia.
Vino quotidie abstine, quoad potes;
Liba, minus si valeas, ut expedit.
Ne cæteris coram tuas nuda manus.
Te minimum æstima et sede novissimus.
Arbitrio servire te fratrum juvet.
Levare cristas absit arrogantiæ,
Quæ cordis in perniciem præceps ruit.
Sputum salivæ ne vagum negligito.
Si tussis in mensa, inscio te, eruperit,
Premas oportet, ne spuas in medio.
Escam cupis, mi homo, simulque vis scyphum?
Bene est quidem; cave satur fias tamen.
Præsto est catinus tibi, coram positus?
Per me manum non admovebis ferculis.

Μή σου πρότεινε χεῖρα τοῦ φαγεῖν χάριν.
Αἰδὼς προσίτω καὶ προτίμησις φίλῳ.
Τὸ δὶς δὲ καὶ τρὶς μὴ παραιτοῦ προλέγειν·
« Φεῦγε, πρόοπτα τῆς ἐμῆς σωτηρίας! »
Ἀκηδίας γέννημα χάσμης ὁ κλόνος.
Θέα, μοναχὲ, τὸν τρόπον τῆς Μαινάδος,
Καὶ σὸν στόμα συστῆθι ταῖν χεροῖν ὅλαιν.
Ἀσχημοσύνην μὴ διδοὺς τῷ πλησίον,
Κροῦσον μετ' αἰδοῦς τὰς θύρας τοῦ σοῦ φίλου.
Μὴ δ' αὖ προόπτως εἰσδράμῃς, ὥσπερ κύων
Σκεύη καταθρῶν καὶ καταθλῶν ὀστέα.
Ὑπακοῆς φύλαττε τὴν εὐταξίαν,
Χωρὶς, πρόδηλον, ψυχικῆς ἁμαρτίας.
Πράως διαλέγου μοι πᾶσιν οἷς τύχῃς,
Ὄμμα προσασκῶν σῶφρον ἐν τοῖς πλησίον.
Γελῶν γελάσεις μειδιάματος μέχρι,
Ἕρκος φυλάττων τῶν ὀδόντων ἐν φόβῳ.
Τοὺς συγγενεῖς ἔκφευγε, καὶ λύπας φύγῃς,
Νεωτέρων δίωκε τὰς συντυχίας,
Διαβόλου γάρ εἰσιν ὁπλομαχίαι.
Πολυλόγου βάδισμα μηδόλως βλέπε.
Κρύπτον τὰς δικαιωμάτων ἀταξίας.
Τὸ δογματίζειν, κἂν δοκῇς γραφῶν ἴδρις,
Ἄνευ ἀνάγκης, φεῦγε, μὴ κατακαῇς.
Εἰ ταῦτα τηρεῖς, ἐγγὺς εἶ σωτηρίας.

VERSIO METRICA.

Honorem amico, mente semper pudica,
Debes. Bis autem terque dicito : « Meæ
« Tu qui saluti insidias struis, fuge. »
Acediæ fit fetus oscitatio
Hiantis : os tu vide hiulcum Mænadis,
Ambabus et palmis tuum, frater, preme.
Ne proximo tuo pudorem incutias,
Fores amici, sed verecunde, move.
Verum procax ne cursites, sicut canis,
Sus deque vertens vasa et ossa conterens.
Obtemperes : is ordo rerum pulchrior,
At modo pravum nil tibi quisquam imperet.
Blande alloquaris, si quibusdam occurreris,
Spectans modeste, nec nisi stantes prope,
Parce hilaris ride, sed et risu levi;
Et claustra dentium timens custodia
Strue. Propinquos fugis? Ærumnas fugas.
Vanæ juventæ prohibe colloquia :
Hic Satanæ sunt arx et arma posita.
Viam loquacis ne oculis quidem tere,
Qua callide quæ perperam facit, tegit.
Doctor sedere noli, sis doctus licet,
Citra necessitatem, in igne ne ardeas.
Fidelis hæc tene : salus tibi prope est.

V. 26. Μή σου χεῖρα πρότεινε cod. — V. 47. Κρύπτον τὸ δικαιομάτων ib.; leviter mutavi, ut sensum assequerer, dubius tamen utrum assequi verum contigerit.

VARIA DE VETERUM GRÆCORUM FESTIS TYPICA.

MONITUM. Cum præcedentibus ea quæ sequuntur tam argumenti similitudine rerumque necessitate colligantur, quam auctorum nominibus. In his enim Typicis et canonibus epitimiorum non desunt quæ identidem sive Joannis jejunatoris titulo inscribuntur, sive ad magnum nostrum Nicephorum sese referunt : quippe omnes canones, mox sub dubio Ephræmii nomine recitandi, si uni codici fides esset, in Nicephori censum caderent; ibi enim cum cæteris ejusdem supra positis, uno tenore scribuntur. Verum epitimiis, quæcumque sint, jure præeant Typica, certe tam argumenti nobilitate, quam novitate cæteris præmittenda. His enim indicibus nunc primum varia græcorum festa ex ordine, genere et splendore quæque suo signis apertissimis declarantur.

I.

VETUS MONASTERIORUM MONTIS ATHONIS TYPICUM.

Ἐκ τοῦ τυπικοῦ τοῦ Ἄθωνος, περὶ ἑορτῶν τῶν μεγάλων καὶ μικρῶν καὶ μεσέων ἐν αἷς δεῖ τὸν μοναχὸν ἀργεῖν ἐκ τοῦ ἔργου καὶ τὴν νηστείαν καταλύειν εἰς βρῶσίν τε καὶ πόσιν [1].

Ex Athonis typico de festis majoribus, minoribus et mediis, in quibus monachum oportet supersedere ab operibus, et jejunium escis et potu solvere.

Δεῖ τοίνυν εἰδέναι, ὡς [εἰς] τρεῖς τάξεις κεῖνται ἐνταῦθα αἱ ἑορταί· εἰς μεγάλας, εἰς μεσέας [2] καὶ εἰς μικράς. Καὶ αἱ μὲν μεγάλαι ἑορταὶ τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς Θεοτόκου καὶ τοῦ Προδρόμου δύο, ἤγουν ἡ γέννησις καὶ ἡ ἀποτομή, καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου, ἐν αἷς γίνονται ἀγρυπνίαι, ἔχουσι σημάδια, σταυρὸν τετράφεγγον διὰ κοκκίνου ⊕. Αἱ δὲ μέσαι ἔχουσι σταυρὸν μόνον †. Αἱ δὲ μικραὶ ἔχουσι κεντήματα καὶ μόνον ÷ [3].

Καὶ εἰς μικρὰς ἑορτάς, εἰς τὴν ἐκκλησίαν μὲν γονυκλισία οὐ γίνεται; οὐδὲ ἐπὶ μεσέας νηστεῖαι· ἰδίως δὲ γίνονται τὰ ἀμφότερα. Εἰς δὲ τὰς μεσέας ἑορτάς, οὔτε γονυκλισίαι, οὔτε νηστεῖαι ἐπιμέσως γίνονται· ἴσως δὲ [4], ὡς ἐνδέχεται, κατὰ τὴν ἑαυτοῦ προθυμίαν καὶ πρόθεσιν· ἔστι γὰρ τοῦτο συγκαταβατικώτερον εἰς γονυκλισίας καὶ εἰς νηστείαν. Τὰς δὲ μεγάλας ἑορτάς, ὅλως γονυκλισίαι οὐ γίνονται οὔτε νηστεία, οὔτε ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὔτε ἐν τοῖς

Scire interea operæ pretium est tres festorum classes eo loco jacere, majorum, mediorum, et minorum. Majora autem festa, quæ sunt Christi et Deiparæ, tum Præcursoris duo, videlicet nativitas et capitis excisio; deinde sanctorum apostolorum Petri et Pauli, in quibus fiunt vigiliæ, sigla habent crucem quadrifidam coccino distinctam. Mediorum vero signum crux sola est. At minoribus puncta, nec alia signa sunt.

Et minoribus festis non fit in ecclesia enuflexio; sed neque mediis jejunia, licet utraque fiant privatim. Item mediis festis, nec genuum flexiones, nec jejunia mediatenus fiunt : similiter autem privatim locum habent, prout fert singulorum voluntas et propositum; libentissime enim tum permittitur genua flecti et exerceri jejunia. Quod spectat ad festa solemniora, omnino tam genuflexiones vetantur quam jejunia, sive in ecclesia,

E cod. Coislin, 37, fol. 329, et Paris. 2500, fol. 262, 263, de quo jam dixi, p. 439. A erit ille, hic B.

(1) Πόσιν. In codicem A huc inseritur ante textum nomen Σχολαρίου, sed quem in finem? Non liquet. Tu vide an hic lateat scriptoris nomen, conditorisve Typici aut antistitis cujus auctoritate editum fuit. Non est quod revocetur patriarcha Gennadius Scholarius, eo quippe codex B vetustior habendus est. —(2) Μεσέας, ut in titulo μεσέων, et sic pluries. — (3) Μόνον. Quæ ibi κεντήματα dicuntur, punctis constant quatuor in B, tribus vero in A, quæ menisco nostro expressimus.—(4) Δέ. Sensus idem quod supra requirit

κελλίοις. Ὁμοίως καὶ ἐν ὅλῃ τῇ πεντηκοστῇ οὔτε γονυκλισία ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὔτε ἐν τοῖς κελλίοις γίνεται, οὔτε νηστεία, καθὼς οἱ θεῖοι κανόνες διακελεύονται.

Γεγράφηται δὲ ταῦτα παρὰ γνωστικωτάτου καὶ μεγάλου πατρὸς τοῦ ἁγίου ὄρους [1] πρός τινα ἔγκλειστον ἐν τοῖς μέρεσιν Ἀντιοχείας τῆς Συρίας ἡσυχάζοντα, περὶ νηστείας καὶ γονυκλισίας καὶ ἀργίας τοῦ ἔργου καὶ καταλύσεως βρωμάτων καὶ πομάτων.

Μὴν Σεπτέμβριος.

α. Τοῦ ἁγίου Συμεὼν τοῦ ἐν τῇ μάνδρᾳ [2], ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.

ϛ'. ÷ Τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ, ἐν ταῖς χώναις [3], ὁμοίως.

η'. ⊕ Ἡ γέννησις τῆς Θεοτόκου, κατάλυσις ἰχθύος καὶ ἀργία.

ιγ'. † Τῶν ἐγκαινίων [4], ἀργία καὶ λύσις οἴνου καὶ ἐλαίου.

ιδ'. ⊕ Ἡ ὕψωσις τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, ἀργία εἰς πάντα, καὶ κατάλυσις δὲ οὔ· ὅτι περιεκτικὴ νηστεία ἐστὶ εἰς κατάλυσιν τῶν ἀρωμάτων, οὐχὶ δὲ καὶ τῆς ὥρας, οὔτε τυρὸν ἐσθίομεν, οὔτε ἰχθύας.

κ'. ÷ Τοῦ ἁγίου Εὐσταθίου, κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.

κγ'. ÷ Ἡ σύλληψις τοῦ τιμίου Προδρόμου, ὁμοίως.

κϛ'. † Τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου [5], ὁμοίως.

Μὴν Ὀκτώβριος.

ϛ'. † Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Θωμᾶ, ὁμοίως.

ιη'. † Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Λουκᾶ, ὁμοίως.

sive in cellis. Similiter per totam [paschalis temporis] pentecosten genua non curvantur in ecclesia, neque in cellis, sed nec jejunatur, sicut sacris canonibus vetitum est.

Hæc autem ipsa scripserunt, dictante sapientissimo ac magno patre sacri Montis, ad quemdam inclusum, in partibus Antiochiæ Syrorum commorantem, de jejuniis nimirum, genuumque incurvationibus et cessatione operum, jejuniorumque in esca et potu solutione.

Mensis september.

I. Festo sancti Simeonis in mandra, vacatio laboris et jejunii solutio per vinum et oleum.

VI. ÷ Summi ducis Michaelis Chonis, similiter.

VIII. ⊕ Nativitas Deiparæ, solutio fit in piscibus et operum cessatio.

XIII. ÷ Encæniorum, laboris abstinentia et remissio vini et olei.

XIV. ⊕ Exaltatio venerandæ ac salutiferæ crucis, omnium vacatio, sed de relaxatione nihil, quia peculiare jejunium est, quo quidem eximitur agrorum cultura, ut nihil de hora mutetur, nec caseum edamus neque pisces.

XX. ÷ Sancti Eustathii, relaxatio vini et olei.

XXIII. ÷ Conceptio venerandi Præcursoris, similiter.

XXVI. † Sancti Joannis Theologi, similiter.

Mensis october.

VI. † Sancti apostoli Thomæ, similiter.

XVIII. † Sancti apostoli Lucæ, similiter.

ac si legeretur : ἰδίως δὲ, ὡς ἑκάστῳ ἐκδέχεται, κατὰ τὴν ἑαυτοῦ. — (1) Ὄρους. Summus ille ac sanctissimus Athonensium pater nuncupari solet Athanasius Hagiorita, qui floruit sæc. x. De quo quædam exstant in opp. S. Athanas. t. III, p. 17, ed. Patav. — (2) Μάνδρᾳ. Proprie *ovium vel caprarum caulæ*, translate *monasteria*, sed specialius est templum S. Simeonis Stylitæ juxta Antiochiam, ipso vivo ædificatum, de quo placet addere his quæ supra, p. 400, in transcursu tetigimus, id quod ait auctor ms. vitæ ejusdem Simeonis : Ὁ θεῖος δὲ Συμεὼν τῆς ταύτης νεκρὸν ἐντὸς τῆς μάνδρας (τοῦτο γὰρ ὁ τοῦ στύλου περίβολος ἐκαλεῖτο) εἰσενεχθῆναι προστάττει· περιῳκοδομεῖτο γάρ τι πάντοθε τειχίον τῷ κίονι, ὥς τε μὴ γυναιξὶν εἰσήτητον εἶναι. — (3) Χώναις, miraculi scilicet memoria patrati in urbe Colossensium in Phrygia ; quæ etiam nunc apud Græcos, eadem die, perseverat. Vid. Menæor. mens. sept. p. 40, edit. Venet. 1843.— (4) Ἐγκαινίων. Inscribitur ibid. p. 85 : Μνήμη τῶν ἐγκαινίων τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ ἡμῶν ἀναστάσεως. — (5) Ἡ μετά-

κη΄. † Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου, ὁμοίως.
κϛ΄. † Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Δημητρίου, ὁμοίως.

Μὴν Νοέμβριος.

α΄. † Τῶν ἁγίων ἀναργύρων [1], ὁμοίως.
η΄. † Ἡ σύναξις τῶν ἀσωμάτων [2], ὁμοίως.
ιγ΄. ⊕ Τοῦ μεγάλου Χρυσοστόμου, ὁμοίως.
ιδ΄. † Τοῦ ἁγίου Φιλίππου, κατάλυσις πάντων· εἰ δὲ τῇ τετράδι ἢ παρασκευῇ, οἶνον καὶ ἔλαιον καὶ ἰχθύας.
κα΄. ⊕ Ἡ εἴσοδος τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου· ἀργία, κατάλυσις ἰχθύος ἐστί.
λ΄. † Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἀνδρέου, κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.

Μὴν Δεκέμβριος.

ϛ΄. † Τοῦ μεγάλου Νικολάου, ὁμοίως.
θ΄. ÷ Ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας καὶ θεομητέρος Ἄννης, ὁμοίως.
ιγ΄. † Τῶν ἁγίων μαρτύρων Εὐστρατίου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, ὁμοίως.
ιζ΄. † Τοῦ ἁγίου προφήτου Δανιὴλ καὶ τῶν ἁγίων γ΄ Παίδων, ὁμοίως.
κ΄. † Τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου τοῦ θεοφόρου, ὁμοίως.
[κδ΄.] † Ἡ παραμονὴ τῶν Χριστουγέννων, ὁμοίως.
κε΄. ⊕ Ἡ ἁγία τοῦ Χριστοῦ γέννησις, κατάλυσις εἰς πάντα· ὁμοίως καὶ δωδεκαήμερον, κατάλυσις εἰς πάντα καὶ ἀργία τῶν μεσορίων.

Μὴν Ἰανουάριος.

α΄. † Τοῦ μεγάλου Βασιλείου, κατάλυσις εἰς πάντα.
ε΄. † Ἡ παραμονὴ τῶν φώτων, κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου μόνου.

XXIII. † Sancti apostoli Jacobi, fratris Domini, similiter.
XXVI. † Sancti magni martyris Demetrii, similiter.

Mensis november.

I. † Sanctorum Anargyrorum, similiter.
VIII. † Synaxis defunctorum, similiter.
XIII. ⊕ Magni Chrysostomi, similiter.
XIV. † Sancti Philippi, omnia solvuntur : quæ si in feria IV vel in parasceve inciderit, dantur vinum, oleum et pisces.
XXI. ⊕ Introitus sanctissimæ Deiparæ, ceditur ab opere, piscibusque solvitur.
XXX. † Sancti apostoli Andreæ, solvitur in vino et oleo.

Mensis december.

VI. † Magni Nicolai, similiter.
IX. ÷ Conceptio sanctæ ac Virginis matris Annæ, similiter.
XIII. † Sanctorum martyrum Eustratii et sociorum ejus, similiter.
XVII. † Sancti prophetæ Danielis et sanctorum trium puerorum, similiter.
XX. † Sancti Ignatii Theophori, similiter.
[XXIV]. † Exspectatio Natalium Christi, similiter.
XXV. ⊕ Sancta Christi nativitas; plene in omnibus relaxatur. Similiter per duodecim dies eximitur in omnibus et a communiori opere desistitur.

Mensis januarius.

I. † Magni Basilii, plene in omnibus eximitur.
V. † Exspectatio luminum, in vino solvitur et oleo tantum.

στασις τοῦ ἁγίου ἐνδόξου πανευφήμου ἀποστόλου καὶ θεολόγου Ἰωάννου τοῦ εὐαγγελιστοῦ. Ib. p. 158.—(1) Ἀναργύρων. SS. Cosmæ et Damiani, quorum altera solemnitas est ejusdem classis ad diem 1 jul.; utrumque festum pariter habent Menæa recentia. — (2) Ἀσωμάτων. Nihil simile ad hunc diem occurrit in Me-

ϛ'. ⊕ Τὰ ἅγια θεοφάνια, κατάλυσις εἰς πάντα.
ζ'. † Ἡ σύναξις τοῦ τιμίου Προδρόμου [1], κατάλυσις ἰχθύος.
ια'. † Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοδοσίου τοῦ κοινοβιάρχου, κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
ιϛ'. † Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Πέτρου τῆς ἁλύσεως, ὁμοίως.
ιζ'. † Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀντωνίου, κατάλυσις ἰχθύος καὶ οἴνου.
κ'. † Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Εὐθυμίου, ὁμοίως.
κβ'. † Τοῦ ἁγίου Τιμοθέου, κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
κε'. ⊕ Τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου, κατάλυσις ἰχθύος.
κζ'. ⊕ Ἡ ἐπάνοδος [2] τοῦ μεγάλου Χρυσοστόμου, ὁμοίως.

Μὴν Φεβρουάριος.

β'. ⊕ Ἡ ὑπαπαντὴ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατάλυσις εἰς πάντα· εἰ δὲ τύχῃ ἐν τεσσαρακοστῇ, οἴνου καὶ ἐλαίου.
κδ'. † Ἡ εὕρεσις [3] τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ Προδρόμου, κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.

Μὴν Μάρτιος.

θ'. † Τῶν ἁγίων μ' μαρτύρων, οἴνου καὶ ἐλαίου.
κε'. ⊕ Ὁ εὐαγγελισμὸς τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, κατάλυσις ἰχθύος.

Μὴν Ἀπρίλλιος.

κγ'. † Τοῦ ἁγίου ἐνδόξου καὶ μεγαλομάρτυρος Γεωργίου, κατάλυσις [εἰς πάντα].
κδ'. † Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελίστου Μαρκοῦ, ὁμοίως εἰς πάντα.
λ'. † Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἰακώβου τοῦ Ζεβεδαίου, ὁμοίως.

VI. ⊕ Sancta Theophania, integra immunitas.
VII. † Synaxis venerandi Præcursoris, relaxatio in piscibus.
XI. † Sancti Patris nostri Theodosii cœnobiarchæ, temperatur vino et oleo.
XVI. † Sancti apostoli Petri vinculis soluti, similiter.
XVII. † Sancti Patris nostri Antonii, dispensatio piscium et vini.
XX. † Sancti patris nostri Euthymii, similiter.
XXII. † Sancti Timothei, remittitur in vino et oleo.
XXV. ⊕ Sancti Gregorii Theologi, remissio in piscibus.
XXVII. ⊕ Reversio magni Chrysostomi, similiter.

Mensis februarius.

I. ⊕ Hypapante Domini Nostri Jesu Christi, immunitas integra. Quæ quum incidit in quadragesima, fit vini et olei dispensatio.
XXIV. † Inventio venerandi capitis Præcursoris, relaxatio vini et olei.

Mensis martius.

IX. † Sanctorum XL martyrum, vini et olei.
XXV. ⊕ Annuntiatio supersanctæ Deiparæ, remissio piscium.

Mensis aprilis.

XXIII. † Sancti perillustris magnique martyris Georgii, relaxatio [integra].
XXIV. † Sancti apostoli et evangelistæ Marci, similiter integra.
XXX. † Sancti apostoli Jacobi Zebedæi, similiter.

næis. An inde latini eorumque primi Cluniacenses nostri hauserint suam omnium defunctorum commemorationem, quærendum. — (1) Προδρόμου. Cf. Men. ad h. d. Jan. p. 83.—(2) Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάνν. τοῦ Χρυσοστ. Ib. p. 216. —(3) Εὕρεσις. Ad h. d. in Menæis, p. 134, disseritur tum

Μὴν Μάϊος.

η΄. † Τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου, κατάλυσις οἴνου καὶ ἰχθύος.
κα΄. † Τῶν ἁγίων Κωνσταντίνου καὶ Ἑλένης, ὁμοίως.
κδ΄. † Τοῦ ἁγίου Συμεὼν, τοῦ ἐν τῷ Θαυμαστῷ Ὄρει [1], κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
κε΄. † Ἡ τρίτη εὕρεσις τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ Προδρόμου, ὁμοίως.

Μὴν Ἰούνιος.

η΄. † Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Θεοδώρου τοῦ Στρατηλάτου, ὁμοίως.
ια΄. † Τῶν ἁγίων ἀποστόλων Βαρθολομαίου καὶ Βαρνάβα, ὁμοίως.
κδ΄. † Ἡ γέννησις τοῦ τιμίου Προδρόμου, κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου καὶ ἰχθύος.
κθ΄. ⊕ Τῶν ἁγίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου, καὶ εἰς πάντα· εἰ δὲ τύχῃ δ΄ ἢ ϛ΄, ἰχθύας.
λ΄. † Τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, ὁμοίως.

Μὴν Ἰούλιος.

α΄. † Τῶν ἁγίων Ἀναργύρων, κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
β΄. ÷ Τῆς τιμίας ἐσθῆτος [2] ὑπεραγίας Θεοτόκου, ὁμοίως.
η΄. † Τοῦ ἁγίου Προκοπίου, ὁμοίως.
κ΄. † Τοῦ ἁγίου προφήτου Ἠλιοῦ, ὁμοίως.
κζ΄. † Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Παντελεήμονος, ὁμοίως.

Μὴν Αὔγουστος.

α΄. ÷ Τῶν ἁγίων Μακαβαίων, ἀρχόμεθα τὴν νηστείαν τῆς Θεοτόκου.
ϛ΄. ⊕ Ἡ ἁγία μεταμόρφωσις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατάλυσις εἰς πάντα.

Mensis maius.

VIII. † Sancti Joannis Theologi, remissio vini et piscium.
XXI. † Sanctorum Constantini et Helenæ, similiter.
XXIV. † Sancti Simeonis in Monte-Thaumasto, relaxatio vini et olei.
XXV. † Tertia inventio venerandi capitis Præcursoris, similiter.

Mensis junius.

VIII. † Sancti martyris Theodori militis, similiter.
XI. † Sanctorum apostolorum Bartholomæi et Barnabæ, similiter.
XXIV. † Nativitas venerandi Præcursoris, remissio vini, olei et piscium.
XXIX. ⊕ Sanctorum apostolorum Petri et Pauli, item relaxatio omnium; occurrente feria IV aut VI, piscium.
XXX. † Sanctorum [XII] Apostolorum, similiter.

Mensis julius.

I. † Sanctorum Anargyrorum, remittitur in vino et oleo.
II. ÷ Venerandi indumenti supersanctæ Deiparæ, similiter.
VIII. † Sancti Procopii, similiter.
XX. † Sancti prophetæ Eliæ, similiter.
XXVII. † Sancti martyris Panteleemonis, similiter.

Mensis augustus.

I. ÷ Sanctorum Machabæorum : incipimus jejunium Deiparæ.
VI. ⊕ Sancta Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi, relaxatio integra.

de inventione prima in Palæstina, tum de altera in Emesena urbe sub initio sæculi V. Vide tertiam ad diem XXV maii. — (1) Ὄρει. Is junior est, alterque stylita; floruit sub Justino seniore. — (2) Μνήμην ποιούμεθα τῆς ἐν τῇ ἁγίᾳ σορῷ καταθέσεως τῆς τιμίας ἐσθῆτος τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου ἐν Βλαχέρναις, ἐπὶ Λέοντος τοῦ μεγάλου καὶ Βηρίνης τῆς αὐτοῦ γυναικός. Men. ad h. d. p. 11. Notam adverte ad Typici hujus ætatem.

ιε'. ✠ Ἡ κοίμησις τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, κατάλυσις· εἰ δὲ τύχῃ τετράδι ἢ παρασκευῇ, ἰχθύος μόνον καὶ οἴνου.

XV. ✠ Dormitio supersanctæ Deiparæ, remissio; sed in feria IV aut VI, piscium dumtaxat et vini.

II.

ALTERUM MONTIS ATHONIS TYPICUM.

Monitum. Hoc typicum et quæ proxime sequuntur in amplissimam inseruntur monachi Niconis syllogen *Interpretationum de Mandatis Domini*, qualis exstat in cod. coislin. 36, quem certissime constat ex epigraphe adhuc exstante [1] pertinuisse olim ad lauram S. Athanasii in monte Athone : unde, quum cætera Niconis exemplaria his typicis non ornantur, ea putem fuisse capiti LVI *Interpretationum*, ubi ea legebam, a quodam diligenti Athonensi monacho postmodum addita. Primum est proprie indiculus dierum in quibus sive fratribus, sive mercenariis ab opere cessare præcipiebatur. Sed lege proœmium. Dictio barbariem recentiorum ætatemque codicis, puta sæculum circiter XIV, refert.

Ἐκ τοῦ Τυπικοῦ τοῦ ἁγίου Ὄρους ἑορταὶ περὶ τοῦ καμάτου.

E Typico sancti montis, festa quæ ad laborem spectant.

Δεῖ εἰδέναι ὅτι εἰς τὰς ἐνταῦθα γεγραμμένας ἑορτάς, ὅπου ἐὰν εὕρῃς σταυρὸν, οἱ μίσθαρνοι [2] καὶ οἱ ἀδελφοὶ ἄργουν· ὅπου δὲ οὐχ εὕρῃς σταυρὸν, οἱ ἀδελφοὶ μόνοι ἄργουν καὶ οἱ μίσθαρνοι κάμουν. Καὶ μὴ θαυμαζέτω τις, ἀγαπητοὶ, τοῦτο, ὅτι ὀλίγαι εἰσὶν αἱ ἑορταὶ τοῦ καμάτου, διότι εἰς τὸ ἅγιον Ὄρος ἓξ νομίσματα λαμβάνει ὁ μίσθαρνος, καὶ εἴκοσι χρονᾶται [3] μίσθαρνοι εἰσὶν εἰς τὸ μοναστήριον ἡμῶν. Ὑμεῖς δὲ καὶ πλέον ἐὰν ἀργεῖται, ἐν τῇ ὑμετέρᾳ ἐξουσίᾳ κεῖται.

Scire oportet nimirum ad hæc ibi descripta festa, quoties reppereris crucem, mercenarios simul et fratres ab opere quiescere; ubi vero crux non reperitur, cessare dumtaxat fratres, laborare vero mercenarios. Jam vero, dilecti, ne miretur aliquis adeo pauca esse festa vacationum ab opere : propterea quod in sacro monte sex nummos recipit mercenarius, ejusquemodi viginti ad tempus nobis esse solent. Vobis vero si frequentior est operis cessatio, penes vos omnino sit.

Μηνὶ Σεπτεμβρίῳ.

Ἀρχὴ τῆς ἰνδίκτου καὶ τοῦ ἁγίου Συμεών.
✝ η'. Γέννησις τῆς Θεοτόκου.
ιγ'. Τὰ ἐγκαίνια τῆς ἁγίας ἀναστάσεως.
✝ ιδ'. Τοῦ τιμίου σταυροῦ.
✝ κ'. Τοῦ ἁγίου Εὐσταθίου.
✝ κς'. Τοῦ Θεολόγου.

Μηνὶ Ὀκτωβρίῳ.

✝ ς'. Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Θωμᾶ.
✝ ιη'. Τοῦ ἁγ. ἀπ. Λουκᾶ.
✝ κγ'. Τοῦ ἁγ. Ἰακώβου τοῦ ἀδελφ.
✝ κς'. Τοῦ ἁγ. Δημητρίου.

Μηνὶ Νοεμβρίῳ.

✝ α'. Τῶν ἁγ. Ἀναργύρων.
✝ η'. Τῶν ἀσωμάτων.
✝ ιγ'. Τοῦ Χρυσοστόμου.
✝ ιδ'. Τοῦ ἁγ. Φιλίππου.
✝ κα'. Τὰ εἰσόδια τῆς Θεοτόκου.

Μηνὶ Δεκεμβρίῳ.

✝ ς'. Τοῦ ἁγ. Νικολάου.

(1) *Exstante*. Sic latine se habet : *Hic divinus liber repositus est in sancta laura sancti P. N. Athanasii a sanctissimo metropolita Thessalonicæ hypertimo et exarcha totius Thessaliæ D. Jacobo qui fuit olim præfectus sanctæ hujus lauræ*. Hæc in fol. 6 verso et in fine. Hæc sylloge variis alias insignita titulis, hic fol. 1 inscribitur βιβλίον τῶν κατηχουμένων, *liber interpretationum*, et paulo post βιβλίον τῶν β' θέσεως, id est, *inter eos qui secundi sunt pluteí*. Tria quæ damus Typica, leguntur fol. 330, 331, 332. — (2) Μισταργὸς cod. constanter. — (3) Χρονῖται in lexicis tantum invenitur, nec forsan eodem omnino sensu.

θ'. Ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης.
ιγ'. Τοῦ ἁγίου Εὐστρατίου.
† κε'. Τὰ Χριστούγεννα.
κϛ'. Τοῦ ἁγίου Στεφάνου.

Μηνὶ Ἰανουαρίῳ.

Τοῦ ἁγίου Βασιλείου.
† ϛ'. Τὰ φῶτα.
ιζ'. Τοῦ ἁγ. Ἀντωνίου.
κ'. Τοῦ ἁγ. Εὐθυμίου.
κε'. Τοῦ ἁγ. Γρηγορίου τοῦ Θεολ.

Μηνὶ Φεβρουαρίῳ.

† β'. Τῆς Θεοτόκου.
ιζ'. Τοῦ ἁγ. Θεοδώρου τοῦ τίρωνος.
κδ'. Ἡ εὕρεσις τῆς κεφ. τοῦ Προδρ.

Μηνὶ Μαρτίῳ.

θ'. Τῶν ἁγ. μ' μαρτύρων.
† κε'. Ὁ εὐαγγελισμὸς τῆς Θεοτόκου.

Μηνὶ Ἀπριλλίῳ.

κγ'. Τοῦ ἁγ. Γεωργίου.

Μηνὶ Μαΐῳ.

η'. Τοῦ Θεολόγου.
κδ'. Τοῦ ἁγ. Συμεὼν τοῦ Θαυμ.

Μηνὶ Ἰουνίῳ.

η'. Τοῦ ἁγ. Θεοδώρου.
† κδ'. Τὸ γεννήσιον τοῦ Προδρόμου.
† κθ'. Τῶν ἁγ. Ἀποστόλων.

Μηνὶ Ἰουλίῳ.

α'. Τῶν ἁγ. Ἀναργύρων.
β'. Τῆς τιμίας ἐσθῆτος.
η'. Τοῦ ἁγ. Προκοπίου.
κ'. Τοῦ ἁγ. προφήτου Ἠλίου.
κζ'. Τοῦ ἁγ. Παντελεήμονος.

Μηνὶ Αὐγούστῳ.

† ϛ'. Ἡ μεταμόρφωσις.
† κθ'. Ἡ ἀποτομὴ τοῦ Προδρόμου.
λα'. Τῆς τιμίας ζώνης.

Τῇ ἁγίᾳ τεσσαρακοστῇ.

† Τῷ πρώτῳ σαββάτῳ.
† Τῇ τετράδι τῆς μεσονηστίμου.
† Τοῦ μεγάλου κανόνος.
† Τῇ μεγάλῃ πέμπτῃ.
† Τῇ πέμπτῃ τῆς ἀναληψίμου.

III.

TERTIUM ATHONENSIUM MONASTERIORUM TYPICUM.

Monitum. Ea quæ porro succedunt, certe copia rerum crescunt et pondere ac varietate. In argumenti locum erit, quem modo legeris, prologus satis prolixus. Synaxarii vero lemmata, etsi primo non occurrunt, cave ne omissa ea esse doleas. Habes enim omnia, ne ullo quidem vel elogio vel signo prætermisso, tum in sequentis typici serie, tum in notis, ubi varietates utriusque instrumenti sedulo colliguntur. Properandum enimvero erat ad ultimum typicum, cæteris omnibus longe præstabilius. Ea jam omnia ex eodem fonte derivare iterum confirmat, præter perpetuam similium siclorum consuetudinem, sequens tertii illius typici prologus, quo monemur hæc olim ab inclyto quodam Athonitarum patre, eodem sane supra memorato, ex antiquis traditionibus excepta fuisse et missa ad monachum orientalem.

Ex eadem Niconis monachi sylloge Κατηχουμένων de Mandatis Domini.

Χρὴ εἰδέναι ὅτι αὗται αἱ ὑποτεταγμέναι ἔμπροσθεν ἑορταὶ ἀπὸ τὸ ἅγιον ὄρος ἐγράφησαν [sic] παρὰ γνωστικωτάτου καὶ μεγάλου πατρὸς πρός τινα ἐν τοῖς μέρεσιν Ἀντιοχείας τῆς Συρίας ἡσυχάζοντα περί τε νηστειῶν καὶ γονυκλισιῶν.

Χρὴ εἰδέναι ὅτι εἰς τὰς ἔμπροσθεν γεγραμμένας ταύτας ἑορτὰς τῶν μεγάλων ἁγίων, ὅπου ἂν εὕρῃς σταυρὸν ἐν τῇ ἀρχῇ τῶν ψηφίων, γονυκλισίαι ἐν

Sciendum est ea quæ sub oculis infra ponuntur festa, scripta fuisse cura peritissimi ac summi viri ad quemdam, in partibus Antiochiæ Syrorum in cella inclusum, de jejuniis et genuflexionibus sciscitantem.

Id scire oportet circa eo in loco descripta hujusmodi festa, nimirum ubi crucem reperies præfixam lemmatibus, tunc non fieri in precibus

ταῖς εὐχαῖς οὐ γίνονται ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὔτε ἐν τῷ κελλίῳ ἰδίως, οὔτε πάλιν νηστεῖαι ὅλως· ὅπου δὲ οὐχ εὕρῃς σταυρὸν ἐν τῇ ἀρχῇ τῶν ψηφίων, γονυκλισίαι μὲν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐπιμεσέως ἢ νηστεῖαι οὐ γίνονται· ἕκαστος δὲ ἰδίως ἐν τῷ κελλίῳ αὐτοῦ ποιεῖ τὰ ἀμφότερα· ἐλεύθερος γάρ ἐστι τότε, καὶ ὡς αὐτὸς προαιρεῖται.

Εἰς δὲ τὰς μεγάλας δεσποτικὰς ἑορτὰς, ἔνθα καὶ μεθέορτα ψάλλονται, τὴν μὲν πρώτην ἡμέραν γονυκλισίαι οὐκ εἰσὶν, οὔτε νηστεῖαι, οὔτε ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὔτε ἐν τῷ κελλίῳ ὅλως· τὰς δὲ λοιπὰς τῶν μεθεόρτων ἡμέρας ἐπιμεσέως μὲν οὔτε νηστεῖαι, οὔτε γονυκλισίαι γίνονται, ἰδίως δὲ γίνονται τὰ ἀμφότερα. Τετράδι δὲ καὶ παρασκευῇ ἐὰν λάχῃ τοιαύτη ἑορτὴ, ὅλως νηστεία οὐ γίνεται τὴν πρώτην ἡμέραν· εἰς δὲ τὰ μεθέορτα ἡ τοιαύτη νηστεία φυλάττεται, χωρὶς τὴν πρώτην ἡμέραν τῶν μεθεόρτων.

genuflexiones in ecclesia, nec in cella privatim; sed neque jejunia omnino; ubi vero crucem non reperies titulis præfixam, scito publice quidem in ecclesia nec genuflexiones peragi, nec jejunia; sed privatim penes unumquemque esse in cella utrumque facere; cuique enim tunc ea facultas datur et prout ipse elegerit.

Quod vero spectat ad solemnia Domini festa, quorum in octavis psallitur, prima quidem die genu non flectitur, nec jejunatur, tam in ecclesia quam in cellis, ullatenus: neutrum vero cæteris octavæ diebus publice agitur, privatim vero utrumque. At in quarta feria aut sexta si festum obvenerit, nullo modo jejunium fit prima die, sed infra octavam hujusmodi jejunium servatur, unaque eximitur prima dies octavæ.

IV.

TYPICUM STUDITARUM ET HIEROSOLYMITANORUM.

Monitum. Quicumque liturgicos Græcorum libros, vel lectis Allatii opusculis, excusserunt, facile mihi concedent arduum in primis esse internoscere quæ singulis locis, ecclesiis, monasteriis propria sint; immo, ubi ad Melchitas usque et Orientales eundum sit, densas per tenebras esse ambulandum. Iis igitur pergratum sane erit indiculum habere tutum quo uno facilique intuitu sciant quænam fuerint peculiaria festa, non solum Athonensium et Studitarum qui byzantinos ritus tenaciter asservaverunt, sed et antiochenæ ecclesiæ et hierosolymitanæ. Id diserte pollicetur hujusce typici scriptor in suo proœmio, et quam sincere sua composuerit, ipse candide renuntiat in scholio hic rescribendo: Ταύτας δὲ γραφικὰς μαρτυρίας, ὡσαύτως καὶ τοὺς ἄρτι παραδιδομένους καὶ κατὰ συνήθειαν γινομένους τύπους [1], ἡμεῖς ὡς καὶ ηὕραμεν, οὕτως καὶ ἐγράψαμεν, ὁ δὲ ἐντυγχάνων ταῦτα σκοπείτω, καὶ εἴ τι καλὸν καὶ τῷ Θεῷ εὐάρεστον, τοῦτο γενέσθω. *Hæc vero scriptorum testimonia, perinde atque accurate tradita juxtaque consuetudinem exacta typica, ea nos ut invenimus, ita et descripsimus: quæ porro lector consideret, et si quid bonum est Deoque probatum, id fiat.*

Χρὴ δὲ καὶ τοῦτο εἰδέναι, ὅτι οὐ συμφωνοῦσιν ἐν ἀκριβείᾳ αἱ ἑορταὶ, οὔτε αἱ προτεταγμέναι οὔτε αἱ ὑποτεταγμέναι· ἀλλὰ πολλάκις αἱ εὑρισκόμεναι εἰς ἓν σύγγραμμα εἰς τὸ ἕτερον οὐχ εὑρίσκονται· καὶ περὶ τούτου ἐδιδάχθημεν οὕτως, ὅτι κατὰ τὸν τόπον ἐν ᾧ τὰ βιβλία ταῦτα πολιτεύονται, συνήθειαν ἔχουσιν ἐπιτελεῖν ἑορτὰς ἁγίων, καὶ διὰ τοῦτο εἰς ἕκαστον σύγγραμμα μετὰ τῶν ἑορτῶν ταύτας συνηρίθμησαν, εἴτε μεγάλας ἑορτὰς, εἴτε μικρὰς ἑορτάζουν. Ἡμεῖς δὲ σκοπήσωμεν τὰ ἀμφότερα, καὶ ὅσαι μὲν ἐπὶ πλεῖον συμφωνοῦσιν, εἰσὶ καθολικαὶ ἑορταί· ὅσαι δὲ οὐ συμφωνοῦσι, γνωσόμεθα καὶ τοῦτο· ὅπου γὰρ εἰσὶ σταυροὶ εἰς τὴν ἀρχὴν τῶν ψηφίων, μεγάλαι ἑορταὶ εἰσίν· ὅπου δὲ οὐκ εἰσὶ σταυροὶ, εἰσὶ μικραί. Τῶν γὰρ Στουδίου καὶ τοῦ ἁγίου ὄρους αἱ ἑορταὶ

Scire etiam necesse est non admodum inter se convenire et ea quæ supra ordinantur festa, et ea quæ infra disposita sunt. Immo sæpenumero quæ in uno inveniuntur libro, in altero non reperiuntur: hac de re didicimus aliam pro singulis locis ubi id genus libri occurrunt, inesse consuetudinem ea sanctorum festa agendi, et idcirco in singulis libris varia id genus festa connumeraverunt, sive magna sint, sive minora. Nos autem discernere juvet utrumque genus, ut quæcumque festa sint communi accepta consensu, ea sint catholica; de his vero quæ illo consensu carent, noverimus et illud: ubi nimirum signantur cruces in elogiorum initio, sunt festa majora; ubi desunt cruces, sunt festa

(1) Τόπους cod. Malui τύπους, eodemque sensu, opinor, ac τυπικά: ex proœmio tamen stare potest τόπος, locorumque consuetudo intelligi, nisi fortasse scripserint κατὰ συν. τόπων, indeque fluxerit error.

ἀκριβῶς ἔχουσι ταῦτα· τῶν δὲ Ἱεροσολύμων, ἐγγράφως ταύτην τὴν ἀκρίβειαν οὐκ ἔχουσι. Αὗται δὲ αἱ ὑποτεταγμέναι ἑορταὶ τῶν τυπικῶν ἤτοι συναξαρίων εἰσὶ, τῶν τε Στουδίου, καὶ τῶν Ἱεροσολύμων. Ὅπου δὲ εὕρεις κεντήματα τρία, τῶν Ἱεροσολύμων εἰσὶν ἑορταὶ, ὅπου δὲ εἰσὶ σταυροὶ, τῶν Στουδίου. Τῶν γὰρ Ἱεροσολύμων, καθὼς εἴρηται, ἕνα ἔχει πανταχοῦ κεντήματα.

minora. Studitarum quidem et monachorum sacri montis festa insunt accurate; at quæ Hierosolymitanorum sunt, ea scripto non eadem cum cura referuntur. Quæ porro infra recensentur, ea præstitere typica et synaxaria tam Studitarum quam Solymorum : sicubi vero repereris puncta tria, vide hierosolymitica festa; ubi cruces, Studitarum. Eorum enim, ut dixi, quæ Hierusalem aguntur festa, punctis tantum ubique designantur.

Μηνὶ Σεπτεμβρίῳ.

Ἀρχὴ τῆς ἰνδίκτου καὶ τοῦ ἁγίου Συμεών [1].

÷ β΄. Τοῦ ἁγίου Μάμαντος.

÷ γ΄. Τοῦ ἁγίου Ἀνθίμου [2].

÷ ε΄. Τοῦ ἁγίου προφήτου Ζαχαρίου.

÷ ϛ΄. Τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ.

÷ ζ΄. Προεόρτια [3] τῆς Θεοτόκου.

⊕ η΄. Ἡ γέννησις τῆς Θεοτόκου.

÷ θ΄. Τῶν ἁγίων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης.

÷ ιγ΄. Τὰ ἐγκαίνια τῆς ἁγίας ἀναστάσεως.

⊕ ιδ΄. Ἡ ὕψωσις τοῦ τιμίου σταυροῦ.

÷ ιε΄. Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Νικήτα.

† ιϛ΄. Τῆς ἁγίας Εὐφημίας [4].

† κ΄. Τοῦ ἁγίου Εὐσταθίου.

÷ κγ΄. Ἡ σύλληψις τοῦ Προδρόμου.

÷ κδ΄. Τῆς ἁγίας [5] Θέκλης.

† κϛ΄. Ἡ μετάστασις τοῦ Θεολόγου.

÷ κη΄. Τοῦ ἁγίου Χαρίτωνος.

÷ λ΄. Τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τῆς μεγάλης Ἀρμενίας.

Μηνὶ Ὀκτωβρίῳ.

÷ α΄. Τοῦ ἁγίου Ἀνανίου.

÷ β΄. Τοῦ ἁγίου Κυπριανοῦ.

÷ γ΄. Τοῦ ἁγίου Διονυσίου [6].

† ϛ΄. Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Θωμᾶ.

÷ ζ΄. Τοῦ ἁγίου [7] Σεργίου καὶ Βάκχου.

† θ΄. Τοῦ ἁγ. ἀπ. Ἰακώβου τοῦ Ἀλφέου.

† ιη΄. Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Λουκᾶ.

÷ κα΄. Τοῦ ἁγίου Ἱλαρίωνος.

† κγ΄. Τοῦ [8] ἁγίου Ἰακώβου ἀδελφοθέου.

† κϛ΄. Τοῦ ἁγίου Δημητρίου.

Μηνὶ Νοεμβρίῳ.

÷ α΄. Τῶν ἁγίων Ἀναργύρων.

† η΄. Ἡ σύναξις τῶν ἀσωμάτων [9].

÷ ια΄. Τοῦ ἁγίου Μηνᾶ· τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τοῦ ἁγίου Θεοδώρου τοῦ Στυδιώτου.

÷ ιβ΄. Τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ ἐλεήμονος.

† ιγ΄. Τοῦ τιμίου Χρυσοστόμου.

† ιδ΄. Τοῦ ἁγίου Φιλίππου.

† ιϛ΄. Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ματθαίου.

÷ ιζ΄. Τοῦ ἁγ. Γρηγορίου τοῦ Θαυματουργοῦ.

⊕ κα΄. Τὰ εἰσόδια τῆς Θεοτόκου [10].

÷ κε΄. Τοῦ ἁγίου Κλήμεντος Ῥώμης [11].

† λ΄. Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἀνδρέου.

Μηνὶ Δεκεμβρίῳ.

÷ δ΄. Τῆς ἁγίας Βαρβάρας.

÷ ε΄. Τοῦ ἁγίου Σάββα.

† ϛ΄. Τοῦ ἁγίου Νικολάου.

÷ θ΄. Ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης.

÷ ιγ΄. Τοῦ ἁγίου Εὐστρατίου [12].

÷ ιζ΄· Τοῦ ἁγίου προφήτου Δανιὴλ.

† κ΄. Τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου [13].

(1) Συμεὼν, τοῦ Στυλίτου addit III, sic designabitur typicum præcedens; IV erit illud ipsum quod sub oculis est etiam nunc. —(2) ÷ δ΄. τοῦ ἁγίου Βαβυλᾶ III. —(3) Προεόρτιον III.—(4) Εὐφημίας. Omitt. III.—(5) Ἁγ. πρωτομάρτυρος Θ. † κϛ΄. Τοῦ ἁγ. Ἰωάννου τοῦ Θ. III. — (6) Τοῦ Ἀρεοπαγίτου. ÷ ϛ΄. III. — (7) Τῶν ἁγίων μαρτύρων III. — (8) ÷ κγ΄. τοῦ. III, qui addit : ÷ κδ΄. τοῦ ἁγίου Ἀρέθα. — (9) θ΄. Μεθέορτα III. — (10) ÷ κδ΄. Τῆς ἁγίας Αἰκαταρίνης III. —(11) ÷ κζ΄. Τοῦ ἁγίου Ἰακώβου τοῦ πέρσου. ÷ κη΄. Τοῦ ἁγίου Στεφάνου τοῦ νέου. ÷ λ΄. Τοῦ ἁγ. ἀπ. III. — (12) Καὶ τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου add. III —(13) ÷ κα΄. Προεόρτια III. Hic idem habet scholium prolixum, in quo quænam in vigilia natalium Christi habenda sit jejunii immunitas fuse explicatur juxta patrum traditiones, adducto in primis Chrysostomo ex homilia in S. Philogonum [*Opp.* t. I, p. 499 D], tum *magnorum monasteriorum typicis*, præsertim *hierosolymitano*, de quo dicitur : μᾶλλον δὲ τὸ ἱεροσολυμιτικὸν τὸ ἀρχαῖον τὸ ὑπὸ τῶν πατέρων παραδοθὲν, et iisdem quæ supra rescripsi in prooemio, concluditur.

Ἕως τῆς κδ′ προεόρτια ψάλλονται, καὶ τό· « Ἑτοιμάζου Βηθλεέμ [1]· » « Θεὸς Κύριος » δὲ οὐ ψάλλεται, ἀλλὰ « Ἀλληλούϊα. »

⊖ κδ′. Ἡ παραμονὴ τῆς Χριστοῦ γεννήσεως.

Ἐάν ἐστι νηστεία, τὸ ἑσπερινὸν γίνεται ὥραν δεκάτην, καὶ πᾶσα ἡ ἀκολουθία· καὶ οἵαν ὥραν καταντήσει ἡ ἀπόλυσις, ἐσθίωμεν. Εἰ δὲ τύχῃ ἡ παραμονὴ ἐν σαββάτῳ ἢ ἐν κυριακῇ, ὡς μὴ γίνεσθαι νηστείαν, πρωῒ μὲν λειτουργεῖ τὴν συνήθη λειτουργίαν, ὡς ἀεὶ, εἶτα εἰσερχώμεθα εἰς τὴν τράπεζαν, καὶ ἐσθίωμεν ὄσπριον ἑκζεστὸν ἄνευ ἐλαίου· καὶ ἐὰν θέλῃ ὁ ἡγούμενος, πίνωμεν καὶ κρᾶσιν· ἑσπέρας δὲ, μετὰ τὸ ἑσπερινὸν καὶ τὴν λοιπὴν ἀκολουθίαν, ἐσθίωμεν τελείως. Οὕτως τελεῖται καὶ ἡ παραμονὴ τῶν φώτων.

⊕ κε′. Τὰ Χριστούγεννα.
† κϛ′. Τῆς Θεοτόκου.
† κζ′. Τοῦ ἁγίου Στεφάνου.
÷ λα′. Ἀποδίδωμεν τὴν ἑορτὴν τῶν Χριστουγέννων.

Μηνὶ Ἰανουαρίῳ.

⊕ α′. Ἡ περιτομὴ τοῦ Κυρίου καὶ μνήμη τοῦ μεγάλου Βασιλείου.
⊕ ϛ′. Τὰ ἅγια Θεοφάνια.
† ζ′. Ἡ σύναξις τοῦ Προδρόμου.
÷ ιδ′. Τῶν ἁγίων Ἀββάδων [2].
÷ ιϛ′. Ἡ προσκύνησις τῆς τιμίας ἁλύσεως [3].
÷ ιζ′. Τοῦ ἁγίου Ἀντωνίου.
÷ ιη′. Τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου καὶ Κυρίλλου [4].
† κ′. Τοῦ ἁγίου Εὐθυμίου.
÷ κβ′. Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Τιμοθέου.
÷ κγ′. Τοῦ ἁγίου Κλήμεντος Ἀγκύρας.
† κε′. Τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου.
† κζ′. Ἡ ἐπάνοδος τοῦ λειψάνου τοῦ Χρυσοστόμου.
÷ κη′. Τοῦ ἁγίου Ἐφραίμ.
÷ κθ′. Ἡ ἐπάνοδος τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου [5].
÷ λα′. Τῶν ἁγίων Κύρου καὶ Ἰωάννου.

Μηνὶ Φεβρουαρίῳ.

÷ α′. Τοῦ ἁγίου Τρύφωνος, καὶ προεόρτια [6].
⊕ β′. Τῆς ὑπαπαντῆς.

Ἐὰν λάχῃ τεσσαρακοστῇ, ὥρᾳ ἕκτῃ ψάλλωμεν τὴν ἐννάτην ὥραν· καὶ γὰρ αἱ λοιπαὶ ἔξω ψάλλονται εἰς τὴν λιτὴν, μετὰ δὲ τὴν ἐννάτην ὥραν οἱ μακαρισμοὶ, καὶ ἄρχεται τὸ λυχνικόν· ἡ δὲ θεία λειτουργία, ἐὰν ὑπάρχῃ ὁ ναὸς τῆς Θεοτόκου ἐπώνυμος, γίνεται τελεία· ἑορτάζωμεν δὲ αὐτὴν ἡμέραν μίαν. Εἰ δὲ οὐκ ἔστι σαρακοστὴ [7], ἡμέρας η′. Οἱ δὲ Στουδίου, ἐὰν γένηται τῆς Θεοτόκου [ὑπαπ.] πρὸ τῆς σαρακοστῆς, ἡμέρας τέσσαρας ἑορτάζουν.

† γ′. Τοῦ ἁγίου Συμεὼν τοῦ Θεοδόχου.
÷ κδ′. Ἡ εὕρεσις τῆς κεφαλῆς τοῦ Προδρόμου.

Ἐάν ἐστι νηστεία, τὰς ὥρας μετὰ στιχολογίας ψάλλωμεν, μετανοίας δὲ οὐ ποιῶμεν, ἀλλὰ μόνον προσκυνήσεις, εἶτα τὸ ἑσπερινὸν, καὶ ἡ λειτουργία τῶν προηγιασμένων, καὶ οὕτως ἐσθίωμεν.

Μηνὶ Μαρτίῳ.

÷ θ′. Τῶν ἁγίων τεσσαράκοντα, τελεῖται ὡς τοῦ Προδρόμου.
⊕ κε′. Τῆς Θεοτόκου [8].

Ἐάν ἐστι νηστεία, στιχολογῶμεν τὴν τρίτην καὶ ἕκτην εἰς τὴν λιτὴν, μετανοίας δὲ οὐ ποιῶμεν· ὑποστρέφοντες σημαίνωμεν ὥραν ἑβδόμην, καὶ στιχολογῶμεν τὴν ἐννάτην καὶ ψάλλωμεν τοὺς μακαρισμοὺς, καὶ εὐθὺς ἄρχεται τὸ λυχνικόν· οὐ στιχολογοῦμεν δέ. Τελεῖται δὲ ἡ λειτουργία τοῦ Χρυσοστόμου. Ἐσθίωμεν δὲ ὀψάριον, καὶ οἶνον πίνωμεν εἰς τὴν τράπεζαν. — Ἐὰν δὲ λάχῃ τῇ μεγάλῃ πέμπτῃ, πρὸς πέμπτην [9] ὥραν ἐξέρχεται ἡ λιτή. Καὶ ὑποστρεφούσης, γίνεται ἡ λειτουργία τοῦ μεγάλου Βασιλείου. Βραδύτερον δὲ σημαίνει διὰ τὸ σεβάσμιον τῆς ἡμέρας. — Εἰ δὲ λάχῃ τῇ μεγάλῃ παρασκευῇ, ὥρας οὐ ψάλλωμεν· ἀλλὰ περὶ ὥραν ἕκτην ἀπαρχώμεθα τὸ λυχνικόν. Τελεῖται δὲ ἡ λειτουργία τοῦ Χρυσοστόμου. Περὶ δὲ τοῦ γίνεσθαι προσκομιδὴν τῇ μεγάλῃ παρασκευῇ, εἰ τύχῃ ὁ εὐαγγελισμὸς, καὶ οἱ κανόνες διηγόρευον [10]. Εὑρίσκεται δὲ καὶ ἐν τῷ συναξαρίῳ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, εἰς τοὺς εὐκτηρίους οἴκους τῆς

(1) Βηθλεέμ. Hymnus iste S. Sophronii exstat in Men. dec. p. 208. Sequens lemma omisit IV, restituit III, qui addit inde ad Theophaniam jejunia solvi, nec flecti genua. Sed ibidem desunt quæ ad dies 26, 27 et 30 dec. et 1 ac 14 januar. — (2) Ἀββάδων, sive abbatum et monachorum in monte Sina occisorum. — (3) † ιϛ′. Τῆς τιμίας ἁλύσεως τοῦ ἁγ. Πέτρου. † ιζ′. Τοῦ ἁγ. Ἀ. III. — (4) Καὶ Κυρίλλου om. III, sed addit : ÷ ιθ′. Τοῦ ἁγίου Μακαρίου. Et mox : ÷ κα′. Τοῦ ἁγ. Μαξίμου. — (5) Ἰγνατίου. III elogium omisit. — (6) Προεόρτια. Lemma III iterum om., sed addit sequenti : τῆς Θεοτόκου. — (7) Σαρακοστή. Cf. p. 490. — (8) Ὁ εὐαγγελισμὸς τ. Θ. III. — (9) Περὶ πέμπτην cod. — (10) Διηγόρευον. Vide canonem III Nicephori.

Θεοτόκου γίνεσθαι προσκομιδὴν καὶ τελείαν λειτουργίαν. Εἰ δὲ οὐκ ἔστιν εὐκτήριος οἶκος τῆς Θεοτόκου, προσκομιδὴ οὐ γίνεται, οὔτε ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ, οὔτε ἄλλῃ τῆς τεσσαρακοστῆς, ἀλλ' ἡ τῶν προηγιασμένων τελεῖται, πλὴν τῇ μεγάλῃ πέμπτῃ· ἐὰν φθάσῃ τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ ἡ ἑορτὴ, τελεῖται ὡς τῇ μεγάλῃ πέμπτῃ. Εἰς τῶν Στουδίου ταύτην τὴν ἑορτὴν, εἰς οἵαν ἡμέραν φθάσει, ὅλως οὐ στιχολόγουν, οὔτε εἰς τὰς ὥρας, οὔτε εἰς τὸ λυχνικόν· σημαίνει δὲ τὴν λιτὴν καὶ τὸ λυχνικὸν, ὡσαύτως καὶ ἐπὶ τὴν αὔριον τοῦ Ἀρχιστρατήγου καὶ τῆς ἑορτῆς ψάλλονται, στιχολογεῖ δὲ εἰς πάντα.

Μηνὶ Ἀπριλλίῳ.

† κγ'. Τοῦ ἁγίου Γεωργίου.
† κε'. Τοῦ ἁγίου Μάρκου.
† λ'. Τοῦ ἁγ. ἀπ. Ἰακώβου τοῦ Ζεβεδαίου.

Μηνὶ Μαΐῳ.

÷ β'. Τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου [1].
† η'. Τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ θεολόγου.
† ι'. Τοῦ ἁγ. ἀπ. Σίμωνος τοῦ ζηλωτοῦ.
÷ ιβ'. Τοῦ ἁγίου Ἐπιφανίου.
÷ κα'. Τῶν ἁγίων Κωνσταντίνου καὶ Ἑλένης.
÷ κδ'. Τοῦ ἁγίου Συμεὼν τοῦ θαυματουργοῦ.
÷ κε'. Ἡ εὕρεσις τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ Προδρόμου.

Μηνὶ Ἰουνίῳ.

† η'. Τοῦ ἁγίου τοῦ Θεοδώρου τοῦ Στρατηλεύτου.
† ια'. Τῶν ἁγίων ἀποστόλων Βαρθολομαίου καὶ Βαρνάβα [2].
÷ ιδ'. Τοῦ ἁγίου προφήτου Ἐλισσαίου.
† ιθ'. Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἰούδα.
⊕ κδ'. Τὸ γενέσιον τοῦ Προδρόμου.
⊕ κθ'. Τῶν ἁγίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου.
† Ἡ σύναξις τῶν ιβ' ἀποστόλων.

Μηνὶ Ἰουλίῳ.

÷ α'. Τῶν ἁγίων Ἀναργύρων.
÷ β'. Τῆς τιμίας ἐσθῆτος τῆς Θεοτόκου.
† η'. Τοῦ ἁγίου Προκοπίου.
÷ ια'. Τῆς ἁγίας Εὐφημίας [3].
÷ ιγ'. Τοῦ ἀρχιστρατήγου Γαβριήλ.
÷ ιε'. Τῶν ἁγ. Κυρίκου καὶ Ἰουλίττης.
† κ'. Τοῦ ἁγίου προφήτου Ἠλίου.
÷ κβ' Τῆς ἁγίας Μαρίας Μαγδαληνῆς.
÷ κε' Ἡ κοίμησις τῆς ἁγίας Ἄννης [4].
† κζ'. Τοῦ ἁγίου Παντελεήμονος.

Μηνὶ Αὐγούστῳ.

÷ α'. Τῶν ἁγίων Μακκαβαίων.
÷ β'. Τοῦ ἁγίου [5] Στεφάνου.
÷ ε'. Προεόρτια.
⊕ ς'. Ἡ μεταμόρφωσις τοῦ Σωτῆρος [6].

Ταύτην τὴν ἑορτὴν τὸ ἱεροσολυμιτικὸν τυπικὸν ἑορτάζει ἡμέρας ὀκτώ. Τῶν δὲ Στουδίου τέσσαρες· τοῦ δὲ πατριαρχίου Ἀντιοχείας, ἡμέρας δύο ἑορτάζει, ἤγουν τὴν ἑορτὴν καὶ μεθέορτα.

† θ'. Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ματθία [7].
÷ ιδ'. Προεόρτια τῆς Θεοτόκου.

Εἰς τὸ ἱεροσολυμιτικὸν ἑορτάζει ἡμέρας ὀκτὼ, τῶν δὲ Στουδίου, δ'.

⊕ ιε'. Ἡ κοίμησις τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου [8].
÷ κ'. Τοῦ ἁγίου προφήτου Σαμουήλ.
÷ κδ'. Ἡ ἐπάνοδος τοῦ λειψάνου τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Βαρθολομαίου.
÷ κη'. Τοῦ ἁγίου Μωυσέως τοῦ αἰθίωπος.
⊕ κθ'. Ἡ ἀποτομὴ τοῦ τιμίου Προδρόμου [9].
÷ λα'. Τῆς τιμίας ζώνης τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου [10].

(1) Ἀθανασίου memoriam III typicum nostrum omittit, et dies 10, 12, 21 ac 25 ejusdem mensis.—(2) ÷ ιβ'. Τοῦ ἁγίου Ὀνουφρίου III. — (3) Εὐφημίας. Om. III, ita et 22 diem. — (4) Ἄννης, τῆς μρς τῆς Θκου III. — (5) Ἁγ. μάρτυρος III. Mox πρ. τοῦ σωτῆρος. — (6) Ἡ μεταμ. καὶ μεθέορτον III.—(7) Ματθία om. III.—(8) ις'. Τοῦ ἁγίου Μανδηλίου καὶ μεθέορτα ἡμέρ. η'. III. Idem omnino om. dies 20, 24, 28. — (9) ÷ λ'. Μεθέορτα III. — (10) Θεοτόκου. Vacua plagulæ lacuna invitante me, huc non displicet revocare scholiolum quod in fine primi typici sic legebam : Σχόλιον. Ἔζησεν ἐν τῇ ἀνθρωπότητι ἡ ὑπεραγία Θεοτόκος, ἐν τῷ ναῷ Κυρίου ἔτη ιδ'· καὶ ἐν τῷ οἴκῳ Ἰωσὴφ, μηνὰς δ'· εὐηγγελίσθη καὶ ἔτεκεν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, ἔτει ιε'· καὶ ἐπὶ ἐνανθρωπήσει τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἔτη λς'· καὶ μετὰ τὴν ἀνάληψιν ἔτη ια', ὁμοῦ ἔτη νθ', καὶ μετέστη εἰς οὐρανοὺς πρὸς Κύριον. — *Scholium.* « Vixit in hac hominum vita supersancta Dei mater, in templo Domini annos XIV; et in domo Joseph, mensibus IV; nuntium accepit et edidit D. N. J. C. anno XV; et cum incarnato D. N. J. C., annos XXXVII; et post ascensionem, annos XI; summa est annorum LIX, et translata est in cœlos ad Dominum. » Quæ quidem omnia vix sibi constant.

VETERUM QUÆDAM EPITIMIA

ET DIAGOGICÆ REGULÆ.

I.

Ἐκ τοῦ συντάγματος τοῦ μακαρίου Ἀθανασίου.

E syntagmate beati Athanasii.

Argumentum. Athonensium Typico accedat illud fragmentum ex opusculo quondam inter græcos monachos frequentissimo, ac, nisi fallor, ad Hagioritham potius referendo quam ad magnum Athanasium alexandrinum. Idem forte erit syntagma memoratum in epistola Athonensium monachorum ad Nicolaum CP. quæ mox ibi rescribetur. Cæterum, quum ea quæ sequuntur plerumque trito sermone et planissimo concipiantur, idemque in argumentum cant frequentissime, satius visum est e regione omittere latina, rerumque tantum seriem brevi perstringere argumento. In hoc igitur excerpto præcipitur servare 1° jejunium feriæ IV simul et VI, tempore paschali et Epiphaniæ excepto; — 2° jejunium Quadragesimæ et magnæ hebdomadis; — 3° jejunium quodcumque ecclesiasticum, concessa tantum licentia solvendi privatum. — 4° Prohibetur jejunium sabbati. — 5° Hora prandii statuitur VI vel VII aut IX, pro variis diebus. — 6° Privatum jejunandi studium excitatur. — 7° Ab hæreticorum consuetudine abstinendum est. — 8° Conventus non negligendus.

1. Μὴ παράβαινε[1] νηστείαν Κυρίου, τουτέστι τετράδα καὶ παρασκευὴν[2], εἰ μή τι ἐπὶ νόσῳ βεβαρήσει[3], χωρὶς τῆς πεντηκοστῆς μόνης, καὶ [τῶν] ἐπιφανείων.

2. Τὴν τεσσαρακοστὴν τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας καὶ τὴν ἁγίαν ἑβδομάδα τοῦ πάσχα παρατετηρημένως φύλαττε.

3. Λύε τὴν νηστείαν ἐπὰν ἀδελφὸς πρὸς σὲ ἐπεδήμησε· νηστείαν δὲ, οὐ τὴν ἐπιτεταγμένην δ' καὶ ς', καὶ τεσσαρακοστὴν, ἀλλὰ τὴν ἀπὸ ἰδίας προαιρέσεως, τουτέστι δευτέραν καὶ τρίτην καὶ πέμπτην.

4. Τὸ σάββατον μὴ νήστευε[4] ὅλην τὴν ἡμέραν· ἀπρεπὲς γάρ ἐστιν ὅλην τὴν ἡμέραν νηστεύειν τοῦ σαββάτου, ἕως δύνει[5] ὁ ἥλιος.

5. Ἔξεστι δὲ νηστεῦσαι ἕως ὥρας ς' ἢ ζ'. Ἅπαξ δὲ μὴ ἐπιδυέτω ὁ ἥλιος ἐν τῇ νηστείᾳ σου, ἐπιφωσκούσης κυριακῆς, ἢ μόνον ἐν τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ τοῦ ἁγίου πάσχα· ἡ δὲ τῆς τετράδος καὶ τῆς παρασκευῆς ὥρα τῆς νηστείας ἕως ὥρας θ' τεταγμένη ἐστί· καὶ περισσότερον δὲ ἐὰν ποιήσῃς, τοῦτο παρὰ τὴν σεαυτοῦ[6] προαίρεσιν ἐστίν.

6. Ἐὰν δὲ καὶ ἐν ὑπερθέσει δύνασαι ποιεῖν, καὶ ἐκ σοῦ[7] γενναίως ἀσκήσεις· νηστεύων δὲ καὶ ἐγκρατευόμενος, βλέπε[8] μὴ φυσιωθῇς· ἡ γὰρ φυσίωσις παγίς[9] ἐστι τοῦ διαβόλου, δι' ἧς ἀπ' οὐρανοῦ πέπτωκεν· ὁμοίως τοὺς ἀνθρώπους δι' αὐτῆς παγιδεύων καταβάλλει.

7. Μή τίς σε πλανήσῃ ἐν κυριακαῖς νηστεύειν ὅλως τὸ παράπαν, μήτε γονυπετεῖν ἐν κυριακαῖς, μήτε ἐν τῇ πεντηκοστῇ· οὐ γάρ ἐστι θεσμὸς Ἐκκλησίας· καὶ μὴ ἀνέχου, ἵνα μὴ πλανήσωσί σέ τινες Μαρκιωνισταὶ, ἢ ἑτέρα αἵρεσις νηστεύειν τὸ σάββατον ἰδίως.

8. Τῶν δὲ συνάξεων μὴ ἀμέλει.

Ex cod. Coislin. 37, f. 318 et 343, f. 140. Numeros addidisse juvit singulis regulis. Horum vero initium et finem legesis in Athanasii Alex. opp. t. III, p. 304 c, 305 A ed. BB. Patav.

(1) Παραβαίνειν B. suspensa certe phrasi ex præcedentibus quæ excerptor omisit. — (2) Παρασκευήν. Inter vetustissima de hoc jejunio testimonia habes *Constitut. apostolicar.* lib. V, c. 16; lib. VII, c. 24; Dionysii Alexandr. *Epist. ad Basil.* cap. 15; Tertulliani, *de Jejunio*, c. 14. — (3) Εἰ μή τις ἐ. ν. βεβάρησαι B. — (4) Νηστεύεται B. — (5) Δύει ὁ ἥλιος νηστεῦσαι A. — (6) Σεαυτὴν A, B. — (7) Ἐν τούτῳ A. — (8) Βλέπεται B. — (9) Παγεῖς ib. Tanti non erat plura conferre ad cæteros Niconis codd. ubi eadem sunt.

II.

SANCTORUM ATHANASII ET CHRYSOSTOMI EPITIMIA XXIX.

Argumentum. Circumtulere Græci sub tantis nominibus XXIX canones, quorum pars major etiam nunc apud eosdem vulgantur inter Joannis jejunatoris canones; cæteros dare non piguit, cum nicephorianis facile conferendos; 1us enim est de nuptiis vetitis, — 2, 3 et 8 de homicidarum pœnis, — 4 et 5 de immundis fontibus repurgandis, — 6 de jejuniorum relaxatione pro laborantibus et infirmis, — 7 de pariente intra paschalia, — 9 de abstinentibus quorum privata solvi debent jejunia in præcipuis festis sanctorumque memoriis, — 10 de his qui XL^{am} solvunt, — 11 de clerico homicida.

Ἐπιτίμια μετὰ τῶν ἑρμηνειῶν αὐτῶν, ἃ ἐλάλησεν ὁ Θεὸς διὰ Πνεύματος ἐκ στόματος τῶν δούλων αὐτοῦ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου καὶ Ἀθανασίου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας.

Epitimia cum interpretationibus, quæ edixit Deus per Spiritum ab ore servorum suorum, SS. apostolorum, Joannis Chrysostomi et Athanasii alexandrini archiepiscopi.

1. α'. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος τρίτον ἀῤῥαβῶνα δώσει [1], ἢ δίγαμον στεφανώσει, καθαιρείσθω καὶ διωκέσθω τῆς ἐκκλησίας, ὡς ὁ Σιμὼν ὁ μάγος.

2. β'. Ὁ ἑκουσίως τὸν φόνον ἐργαζόμενος ἐν ἔτεσιν ἑπτὰ ἀκοινώνητος ἔστω· εἰ δὲ μετ' εὐποιίας[2] καὶ προσευχῆς, δ' ἔτη φυλαττέτω· κρέατος καὶ οἴνου, τυροῦ καὶ ἐλαίου μὴ γευέτω τὸ σύνολον· τὰ δὲ λοιπὰ ἐργαζέτω, καὶ οὕτω τῆς κοινωνίας καταξιούσθω [3].

3. γ'. Εἰ δέ τις ἀκουσίῳ γνώμῃ ἐν φονικῷ κρίματι ὑποπέσει, ἔστω δ' ἔτη ἀκοινώνητος· εἰ δὲ μετ' εὐποιίας, χρόνον ἕνα· παραφυλαττέσθω δὲ, καθὼς προείρηται, καὶ οὕτως κοινωνείτω [4].

4. κα'. Εἰ εἰς πηγὴν ὕδατος ἢ λάκκον ἢ ἐν ἑτέρῳ ἀγγείῳ θνησιμαῖόν τι ἢ ἀκάθαρτον ἐμπέσει καὶ ἐν ἀγνοίᾳ πιεῖ τις, νηστευσάτω ἡμέρας ιβ', καὶ κατηχιζέσθω ὑπὸ τοῦ ἱερέως, καὶ οὕτως κοινωνείτω. Εἰ δὲ ἐν γνώσει, νηστευσάτω ἡμέρας μ'.

5. κγ'. Οὕτως δὲ χρὴ τὸ ἐμπεσὸν ἀκάθαρτον εἰς τὸ ὕδωρ λαμβάνειν αὐτὸ, καὶ ῥίπτειν ἔξω· εἶτα ἁγιάζεσθαι τὸ ὕδωρ ὑπὸ τοῦ ἱερέως, ἀντλοῦντος ἐξ αὐτοῦ μ' κάδους ἢ κεράμους· θετεῖν δὲ εἰς αὐτὸ καὶ ὕδωρ τῶν ἁγιασμάτων· εἰ δὲ οὐκ ἔχει, ὁ κανὼν οὐ κωλύει [5].

6. κϐ'. Ἐὰν δὲ εἰσὶ τινὲς ἐργαζόμενοι ἢ ἀσθενεῖς, χρὴ τὸν ἱερέα ἀπολύειν αὐτοὺς εἰς τυρὸν καὶ ἔλαιον μόνον.

7. κδ'. Ἐὰν γυνὴ γεννήσῃ τὸ ἅγιον πάσχα, οὐκ ὀφείλει κοινωνῆσαι, ἕως καθαρισθῇ· πινέτω δὲ ὕδωρ τῶν ἁγίων θεοφανίων [6] καὶ τρωγέτω κρέα.

8. κε'. Ἐὰν οἰκέτης ἐκ δαρμοῦ ἀποθάνῃ, ὀφείλει ὁ τύψας τὸν τοῦ φονέως χρόνον παραφυλάξαι.

9. κς'. Ἐὰν ὦσιν ἐν ὑμῖν τινες ἐγκρατευόμενοι, χρὴ αὐτοὺς εἰς τὰς ἐπισήμους ἑορτὰς καὶ εἰς τὰς μνήμας τῶν ἁγίων καταλύειν.

10. κζ'. Εἴ τις γεύσεται καθαροῦ ἢ ἀκαθάρτου, ἤγουν κρέατος, ἐν τῇ ἁγίᾳ τεσσαρακοστῇ, νηστευσάτω ἄλλας μ' ἡμέρας, καὶ οὕτως κοινωνείτω.

11. κη'. Εἴ τις κληρικὸς φόνον ποιήσει, δέκα ἔτη μετανοείτω· τὰ γ' ἔτη ἐν ἄρτῳ καὶ ὕδατι, καὶ μετὰ ταῦτα ὑποδεχέσθω ἐν τῇ πόλει αὐτοῦ, εἰ καλῶς διῆξε τὴν μετάνοιαν, μαρτυροῦντος τοῦ ἐπισκόπου, καὶ τῶν ἱερέων μεθ' ὧν μετενόησε· πληροφορῶν κατενώπιον πάντων, καὶ ἐν ὑποταγῇ τοῖς γονεῦσιν αὐτοῦ ἔσται, λέγων [7]· « Τὸ θέλημα ὑμῶν ποιῶ ὑποτασσόμενος. » Εἰ δὲ τοῦτο οὐ ποιεῖ, μηδὲ ἐν τῇ πατρίδι δεχθήσεται, ἀλλ' ἀπελθέτω κατὰ τὸν Κάϊν, ἐπὶ γῆς ἀλλοτρίας [8].

E cod. Coislin. 363, fol. 36 sqq.

(1) Δώσει. Supra lineam glossa : ἤγουν τὸν δίγαμον πάλιν εἰς τρίτην γυναῖκα ζεύξει. Cf. Niceph. can. 7, 8. — (2) Εὐποιίαι εἰσὶν ἐλεημοσύναι ib. infra lineas. — (3) Καταξιούτω ib. — (4) Κοινωνείτω. Sequuntur canones 18, qui, perpaucis exceptis, iidem leguntur in *canonario* Jejunatoris sive in *Pedalio*, sive in collect. Rhalli, t. IV, p. 445, not. — (5) Κωλύει. Cf. supra Jejunat. *epitimia*, n. 20. Canon qui sequitur perperam ponitur in cod. inter 4 et 5. — (6) Θεοφανίων. Cf. Nicephori, 64 et 90. Occasione data, id mihi corrigendum videtur quod supra ad Nicephori can. 64 minus bene notavi, ὕδωρ τῶν ἁγίων aliam non esse nisi aquam in epiphania benedictam. Dicere aut addere debueram duplicis generis esse apud Græcos aquam benedictam, unam solemniori benedictione, ut notavi, in epiphania sanctificatam, quæ dicitur *aqua benedicta major*, ὁ μέγας ἁγιασμὸς, et insuper alteram communiorem pro singulis mensibus, quam vocant aquam benedictam *minorem*, τὸν μικρὸν ἁγιασμόν. Haud dubie de posteriore agitur tam in superiore canone quam in Nicephoriano. Cf. Goar. *Euchol.* p. 358, 366, 377. — (7) Λέγειν cod. — (8) Ἀλλοτρίας. Ultimus canon 29 codicis idem erat ac nostrum Jejunatoris epitim. 7, sed brevius regestum : acta agere piget.

III.

SANCTI EPHREM EPITIMIA XXXVI.

ARGUMENTUM. Variae variorum poenae hic definiuntur, 1. pro monacho sibi tondente barbam, — 2. Vel accedente ad nuptias, — 3. Aut in publicum ecclesiam, — 4. Comedente sive fructum ante benedictionem superioris; — 5 et 6. Pro nuptiis vetitis, — 7. Pro incantatione, — 8. Pro incestu, — 9. Pro adulterio, — 10. Pro [illegible] vitiato, — 11-13. Pro variis fornicationibus, — 14. Deinde oblatio panum in quadragesimali synaxi statuitur. — 15. Iterum de fornicatione, — 16. Tum de presbytero suum filium baptizante, — 17-23 et 27. De illicitis variorum copulis, — 24. De quarto conjugio, — 25 et 26. De officiis presbyteri. — 28. Rursus de claustrali disciplina. Et inde succedunt in altero capite plures e quodam monastico typico regulæ, circa [illegible] 1° [illegible], — 2° vinum, — 3° pensum officii, — 4° psalmodiam, — 5° cursum vel in itinere absolvendum, — 6° secretum confessionis, — 7° et 8° habitum religiosum.

Τοῦ ἁγίου Ἐφραίμ.

CAPUT I.

α'. Ὁ κουρεύσας ἑαυτὸν, ἀφοριζέσθω ἡμέρας ρ'.

β'. Μοναχὸς ὁ ὑπάγων εἰς γάμον [1], ἀφοριζέσθω ἡμέρας λ'.

γ'. Μοναχὸς ὁ ὑπάγων εἰς μαρτύρια [2], μὴ δεχέσθω, ἀλλὰ καὶ ἀφοριζέσθω.

δ'. Μοναχὸς ὁ φαγὼν καρπὸν ἄνευ εὐλογίας τοῦ προεστῶτος, ἀφοριζέσθω ἡμέρας η'.

Verum de jejunio ad horam nonam ducendo, jam auditus est Theophilus alexandrinus. Accedant et laodiceni patres (5), in canone XVIII, jubentes liturgiam fieri ad eamdem horam et sub vespera, et concilii VI in canone LV, quem de integro jejunio intelligere par est (6). Integrum vero non tantum erit e justa ciborum abstinentia, sed e dilata comedendi hora. Tardam enim horam cœnæ contineri in lege jejunii declaratur canone Apostolorum LXIV, ubi prohibetur fieri jejunium sive sabbati, sive in die dominica (7), quibus necesse foret simul et xerophagiam solvi, et præcidi horam nonam. Consequens est utrumque in IV et VI feriis sive quadragesimæ, sive totius anni jure præcipi legitimo.

Ita enimvero statuendum esse docent et magnus Athanasius in suo *syntagmate* ubi de utriusque feriæ ad horam usque nonam jejunio diserte loquitur (8), et magnus Epiphanius in suis *Panariis* (9), eodem loco qui supra, et aliis similibus.

Traduntur iterum eadem in vitis sanctorum, qualia legimus de Sancto Nicolao, qui in eadem utraque feria ante nonam hanc horam nutricis mamillæ, infantulus licet, labia non admovit (10); qualia etiam accepimus tum de S. Epiphanio (11), tum de Simeone Stylita (12), cæterisque apostolorum imitatoribus, Paulo duce in Actibus, sermonem nimirum ad mediam usque noctem producente (13); qualia denique de sancto Abercio referuntur in hunc modum (14) :

Ex actis S. Abercii.

÷ Οὕτως τοῦ θείου πρὸς αὐτοὺς Ἀβερκίου διεξιόν-
÷ τος, ἡ ἐννάτη τῆς ἡμέρας ὥρα πρὸς τέλος ἤδη
÷ γεγενημένη, τέλος αὐτῷ καὶ τῶν λόγων ἐπάγει,
÷ καὶ διέλυσεν ἐν τούτοις τὴν ὁμιλίαν, τῆς συνήθους
÷ προσευχῆς αὐτὸν ἑλκούσης πρὸς ὁμιλίαν ἄλλην
÷ τοῦ ποθουμένου. Ὁ μὲν οὖν ἀνέστη· εἶτα πᾶσιν
÷ ἐπευξάμενός τε καὶ εὐλογήσας, οἴκαδε σὺν τοῖς
÷ ἀδελφοῖς ἐχώρησε. ÷

Καὶ πάλιν ἐν τῷ αὐτῷ βίῳ, οὕτως εὗρον αὐτολεξεί. ÷ Τούτων ἀκούσας ὁ Ἀβέρκιος καὶ τῷ τῶν
÷ θαυμασίων χάριν ὁμολογήσας Θεῷ, διέλυσε τὴν

« Hæc ad illos divo Abercio verba facere « pergente, hora nona hujus diei jam ad « exitum elapsa, finem quoque illius sermoni- « bus imposuit, concionemque dimisit, factis, « ut solebant, precibus ad explendum alterius « concionis desiderium. Is igitur surrexit; ac « deinde, effusa pro omnibus oratione ac be- « nedictione, ad propria cum fratribus se re- « cepit. »

Rursus in eadem vita, sic inveniebam ad verbum : « Hæc audiens Abercius, gratiasque « Deo mirabilium auctori agens, dimisit au-

(1) *Contestatur*. Opp. t. I, p. 77 B. — (2) *Dedisse*. Cf. Cotel. *monum.* t. III, p. 185. — (3) *Faceret*. Opp. t. I, p. 44, *quæst.* 53 *in Genes.* — (4) *Potestas*. Genes. IX, 3. Opp. t. II, p. 4 B. — (5) *Patres*. Rhalli, III, 186. — (6) *Est*. Ib. II, p. 434. — (7) *Dominica*. Ib. p. 81. — (8) *Loquitur*. Eodem loco, ubi supra. — (9) *Panariis*. Opp. t. II, p. 910. — (10) *Admovit*. De quo ne Breviarii quidem lectio tacet ad VI decembr. — (11) *Epiphanio*. Vid. vit. inter Opp. t. II, p. 318. — (12) *Stylita*. Cf. Rossweyd. l. c. p. 170, 849, 850. — (13) *Producente*. Act. XX, 7. — (14) *Modum*. Quum non ita frequenter occurrant Aberciana acta, placuit integra loca edere, iisque varietates subjicere nonnullas e duobus codicibus nostris A, Γ. Breviorem quam in Metaphraste lectionem, forsan puriorem, nostra exhibent, sed neque consentiunt cum actis a cl. v. Boissonade vulgatis, nec fortasse adamussim cum Bollandianis propediem edendis.

÷ διδασκαλίαν· ἐκ δὲ τῶν παρόντων τοὺς συνήθεις ÷ παραλαβὼν, οἴκαδε ἐπανείκει [1] καὶ τοὺς τῆς ἐννάτης ὥρας ὕμνους ἀποδοὺς [2] (τοῦτο γὰρ αὐτῷ ÷ ἔθος, οἱονεὶ κατὰ πάρεργον καὶ πρὸς τὸ τέλος [3] ÷ τῆς ἡμέρας, ποιεῖσθαι καὶ τοῦ σώματος λόγον) ÷ βραχύ τι μετελάμβανεν ἄρτου [4]. ÷

« dientium concionem, ac nonnullis astantium « qui erant familiares, ascitis, domum reversus « est, celebratisque nonæ horæ hymnis (solebat « enim, quasi aliud agens, et sub finem diei, « aliquam habere corporis rationem), frustulum « accepit panis. »

Huc usque S. Abercii acta.

Idem porro legimus in actis cujusdam martyris[5] qui hora tantum nona, sive singulis diebus, sive per quadragesimam, edere solebat.

Quid plura? Ipse horam Christus designavit, tum vespertinam cœnæ, in Matth. xiv, 15; tum sextam prandii in Joan. iv, 6. Ad hæc videsis Chrysostomum, et animadverte vespertinam, seu nonam horam non a solis discipulis observari, sed ab universa plebe, dicente Christo : « Misereor super turbam. »

Sed hæc hactenus, de propositis supra quinque quæstionibus. Verum etsi manum hic de tabella ponere queam, benedicte episcope, hisce haud piget ejusdem argumenti duplicem subdere disputationem.

VI.

Ut ex apostolorum canone lxix jejunium bene habentibus præcipitur, ita solvitur ægrotis. Ægroti vero quinam haberi debeant, quum non pauci aut ignorent, aut ultro fallantur, ea mihi ægritudo vera esse putatur, quæ lecto corpus affligit, omnemque motum aut tollit aut in dolorem vertit.

Sic enim ferunt duo Timothei Alexandrini canones, octavus videlicet de puerpera, ut supra, et decimus quo jejunium pro ægrotis temperatur[6].

Scilicet an erit hujusmodi ægritudo id quod identidem auditur? « En ego stomacho angor, frigeo jecore, claudicant pedes, manus male palpant, aures bombo strepunt. » Quæ si pensi vel minimum habent, actum est de Dei mandatis. Hæc potius curanda committe Deo, a quo salus et sanitas.

Apponet aliquis Paulinum illud ad Timotheum : « Modico vino utere propter stomachum et frequentes tuas infirmitates[7]. » Quin immo communem legem illud firmabit, nedum infringat. Apostolus enim non dicit propter qualemcumque stomachi imbecillitatem, forte obeuntem, vino utendum esse, sed propter frequentes ægritudines et stomachum totum pene perditum, videlicet ob nimiam discipuli abstinentiam, ob longiora jejunia, ob perpetuum frigidæ potum. Quorsum igitur huc mihi Timotheum adducis? Nisi ut telo te confodias tuo, tuoque laqueo jugulere. Vive primum Timothei vita, deinde vino utere. Jejuna primum strenue, aquam bibe, eneca corpus, coge spiritum, et postmodum vino utere modicum, nec nisi diebus solutis, minime vero jejunii tempore (nihil enim simile vel Timotheo conceditur), nec nisi ad reparandum corpus pessumdatum, utque civitates ingenti populo confertas acquirere valeas et eas Deo vivo ac vero tradere.

Necesse est, uno verbo, jejunes καὶ δρόμου καὶ τόνου : δρόμον μὲν, ex animi plena voluntate, τόνου δέ, ex tota corporis virtute et facultate.

Hæc igitur dicta sint de his qui sese per excusationes excusant in peccatis.

VII.

Superest altera quæstio ex eodem canone lxix apostolorum oriunda, ubi legitur : « Si quis non jejunat per quadragesimum *vel ferias* iv *et* vi. » Hic enim tantum de feriis quadragesimæ statuisse videtur, siluisse vero de iisdem per reliquum annum.

Id qui sentiunt, cæcutiunt per me palam. Inde siquidem dicendum foret jejunium canonicum ascribi solis quadragesimæ feriis prædictis; ac proinde exciderit laodicenum canonem quo xerophagia ad integram quadragesimam pertinet. Exciderit quoque nomen et numerus

(1) Ἐπανήκει A; ἐπανήει Γ. — (2) Ἀποδούς Γ. — (3) Πρὸς τῷ λέγει Γ. — (4) Ἄρτον. Locus in B breviore stamine retexitur : Καὶ τοῦ θείου Ἀβερκίου ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐτοῦ διδάσκοντος, ἡ θ' ὥρα ἤδη γεγενημένη τέλος ἐπάγει, καὶ διέλυσεν ἐν τούτοις τὴν ὁμιλίαν, τῆς προσευχῆς ἑλκούσης εἰς ὁμιλίαν τοῦ ποθουμένου. Hic ut supra, ultima me anxium tenent. — (5) *Martyris*. Locus nominis vacuus est in cod. A, qui solus hæc habet. — (6) *Temperatur*. Rhalli t. iv, p. 336. — (7) *Infirmitates*. I Tim. v, 25.

quadragesimæ, quæ jam non his contineretur finibus quos posuere alexandrinus Athanasius et Anastasius sinaita[1]. Ne igitur dubites hancce particulam *vel* in copulæ usu, non in sensu divisionis esse illic accipiendam.

Notandum tamen est illud discrimen, quod cæteris anni feriis IV et VI non fit liturgia præsanctificatorum[2], sicut iisdem quadragesimæ: inde est quod eorum dierum cibus paulo mitius temperatur, ut pro carne laici edant caseum et ova, monachi vero pro piscibus testacea, olera et legumina oleata. Hæc enimvero est forma jejuniorum ab apostolis condita. Ait autem de his Christus : « Qui vos recipit, me recipit[3]. » Verum caveas, ait magnus ille Maximus, « ne um« quam verbum Dei spurium reputes[4]. Quippe « quum, teste Basilio, adulterato Dei verbo, de « sacrilegii crimine judicabimur[5]. »

Ad hæc, si quædam jejunia graviora privatim fiant, penes unumquemque est, dummodo nihil e communi lege dematur, ita sanciente canone gangrensi XIX[6]. Si igitur ascetarum quidam autumarent se publicis non subjici canonibus, jam similes essent quorumdam hæreticorum qui Ethicoproscoptæ ab Epiphanio appellantur[7], eo quod scripturarum retinebant alia, et alia pro arbitrio resecare non dubitabant.

« Altera quædam hæresis iterum erupit nomen e re nacta[8] ; quæ verba quædam et loca sacrarum Scripturarum, ad finem suum, depravata sententia, extorquet. Et vereor ne Diabolus per has novitates, aut hæreses quibusdam persuadeat, aut prætextu sincerioris jejunii, potius verum evertat, et alia invehat audacter quam ea quæ apostoli proposuerunt. A quibus certe accepimus illis per annum feriis et jejunium servare et perfectam celebrare liturgiam, quia nimirum tunc jejunium rite solvitur.

Inde est quod alii quidem sacra conficientes aut accipientes, extra altare sumunt tantum Eulogias illis datas, et, peracta communione, ad nonam horam exspectant; alii vero ne communioni quidem participant ante eamdem horam, ut inseritur in typicum confessoris Theodori Studitæ[9]. »

At si jejunium solveret liturgia, quæ causa esset cur in his diebus sub vespera sumerentur tantum arida, sine oleo; cur in magno sabbato abstinentia ciborum ad mediam usque noctem produceretur, ita statuente concilio VI, et Chrysostomo consentiente[10]. Hæc teneo, his insisto vestigiis. Non enim quod mihi bonum habetur, illud probum ; sed quod Spiritui sancto visum est. Visum autem statutumque est et præsanctificata habenda esse in quinque assignatis diebus quadragesimæ, et jejunium servandum esse cæteris anni feriis IV et VI, iisdemque porro agendam liturgiam; præsanctificata vero, minime.

Cur non fiant, causam quæritis? quid ergo aitis, canonistæ diligentes, earumque magistri rerum quas non percipitis? Videte jam canonem XLIX laodicenum[11] et LII concilii VI, laodiceno consimilem[12]; videte nullam synodum hanc liturgiam posuisse extra quadragesimam magnam, sed neque in vigiliis theophaniæ, neque in cæteris jejuniis.

Quid etiam, in quadragesima prohiberi sanctorum memorias? Id non fieri ob sanctitatem, monet Basilius. Verum canon LI laodicenus, ut vetat cæteris diebus, permittit sabbato et dominica die tales peragi memorias.

Quid iterum, tunc temporis interdici etiam nuptias et natalitia, ex eodem concilio; quin immo reservari baptismum, citra necessitatem?

Hæc et alia propterea censeo accipienda et adoranda esse, quod a sanctis patribus transmissa nobis fuere; ita et de præsanctificatis ac universa jejuniorum disciplina assertum esto.

Sic altera igitur quæstio solvitur, vir venerande, et hunc quidem haud injucundo labori neque arduo finem facimus. Quod superest,

(1) *Sinaita.* Anastasii, certe Sinaita recentioris, vix sæc. X, duas de eodem argumento edidit Coteler. *Monum.* t. III, p. 425, 432, quæ jam exstabant ad calcem typici S. Sabæ edit. Venet 1643. — (2) *Præsanctificatorum.* Hos ritus describit Goar in *Euchology.* p. 174, et eleganter exponit Theodorus Studites nuper editus in Maii *Bibl. N.* t. V, p. IV, p. 93. — (3) *Recipit.* Matth. X, 40. — (4) *Reputes.* Locus me fugit. — (5) *Judicabimur.* Fortasse t. I, p. 344 c. — (6) *Can.* XIX. Rhalli t. III, p. 417. — (7) *Appellantur.* Id videtur corruptum. — (8) *Nacta.* Suspicio mihi de Bogomilis erat, qui singulis diebus jejunandum esse docebant, eo tamen fine quo prava et pessima quæque protervius patrarent. Locum integrum latine reddidi, historiæ fortasse inserviendum. Nicolaus III duo tenuit concilia adversus eosdem, a. 1099 et 1110. — (9) *Studitæ.* Idem, reor, qui exstat in cod. Vatican 1609, describente A. Maio, in *Bibl. N.* t. V, p. IV, p. 102. — (10) *Consentiente.* Cf. citatum canon. trullens. LXXXIX, et Chrysostomi t. V, p. 633, ed. nov. — (11) *Laodicenum.* Rhalli t. III, p. 216. — (12) *Consimilem.* Ib. t. II, p. 427.

nunc ad moralia sermo meus contendit, ut ideo, opem ferente sanctissimo Spiritu, universum hunc tractatum Deo gratum conficiam.

VIII.

« Nobis, dilecte, non est jejunium XL dierum, ut Eliæ, ut Mosi, ut Christo; sed neque trium hebdomadum, sicut Danieli fuit, neque ut multis post eos, aut plurium aut totidem aut pauciorum dierum; sed in quadragesima, viatoribus similes, singulis diebus quiescimus. In reliquo autem anno, primum tres singulis in hebdomadibus dies sunt, quum unusquisque comedit quæ placuerint; quarta quidem die, ad nonam comedendi hora differtur; sed rursus quinta die recreati, modicum parasceve privamur. Omnem autem nobis exceptionem Deus præcidit: Christo modicum compatiamur, ob ea quæ ipse his diebus typice absolvit jejunia. Quadragesimæ enim tempus teramus ad dominici jejunii exemplum, promtam inde habituri animæ corporisque disciplinam, ac mentis repurgatæ innovationem, magnumque et invictum adversus Satanæ insidias propugnaculum. »

Tum canonicas ferias ob Domini traditionem et crucifixionem servemus.

Deinde vim jejunii vincat animæ violentia. « Ecce per tres dies multitudo hominum plebeiorum et rusticorum, dimissis oppidis, relictis domibus, in desertum secedit et jejunat[1]; illic mulieres lanificæ et pueri, homo imbecillis et infans; nemo tamen indignatur. Sed bonus tantum magister misericordia movetur. Et rursus turba erat; sed victus nihil ferens, multisque diebus temperantiæ dedita; et hordeacei panes erant, quo satiati sunt hominum quinque millia, absque mulieribus et pueris. Jam ex hoc infer non usque adeo arduum esse jejunium. »

IX.

« Næ! dicunt: pulchrum est aridis vesci et ad nonam tantum horam edere, sed illud potius monachorum esse novimus. » Audi Chrysostomum[2]: « Non sic, ait, non sic; sed eamdem in philosophiam quoscumque accersimus; et aperte dixerim, non ego quidem, « sed ipse qui nos judicaturus est. »

Non enim solis monachis is judex dicere potest: « Ite in ignem æternum. » Non monachis tantum aiebat: « Venite ad me omnes, tollite jugum meum super vos[3]. » Huc iterum venit Chrysostomus in sermone super hoc: « Viri Ninivitæ[4]. » Huc pertinent relati antea canones generali lege concepti.

Sed neque declinemus ad Armeniorum hæresin, caseum et ova diebus sabbati et dominica manducantium; neque ad consuetudinem Romanorum sabbato jejunantium: utrumque enim L canone concilii VI inhibetur[5].

« Strenue interea tenenda est lex jejunii, « qua, « ut sapientissimus ait Nilus[6], anima vegetatur, « corpus attenuatur, vis diaboli in umbilico sita « dissipatur. » Sequamur veterum exempla patrum, qualia nobis Epiphanius descripsit[7]. Verum hæc quum nobis referuntur, meminisse oportet Petrum a Christo petiisse quis salvus futurus sit. Equidem, sine Deo nemo. Mene autem Deus auxilio juvabit, si somno, cibo et potui, pro libitu, indulserim? » Et splendide argumentum Chrysostomus de more suo in sermone ad virginem edisserit[8]!

Εἰ ἡμάρτομεν, νηστεύσωμεν, ὅτι ἡμάρτομεν· εἰ δὲ μὴ ἡμάρτομεν, νηστεύσωμεν, ἵνα μὴ ἁμάρτωμεν· δῶμεν ὃ ἔχομεν, τὴν νηστείαν, καὶ λάβωμεν ὃ οὐκ ἔχομεν, ἀπάθειαν. Ὅταν δὲ ψάλλω ὅτι « Ἐὰν « μὴ Κύριος οἰκοδομήσῃ οἶκον, εἰς μάτην ἐκοπίασαν οἱ « οἰκοδομοῦντες[9]· » καὶ γένωμαι πρὸς τοὺς στίχους τῆς ᾠδῆς τῶν ἀναβαθμῶν, τούς· « Ἐγείρεσθε μετὰ « τὸ καθῆσθαι, οἱ ἐσθίοντες ἄρτον ὀδύνης, ὅταν δῷ « τοῖς ἀγαπητοῖς αὐτοῦ ὕπνον· » καὶ τούς· « Ἰδοὺ ἡ

Si peccavimus, jejunemus quia peccavimus; sin minus, etiam jejunemus, ne peccemus: demus id quod habemus, jejunium dico; et quod nobis deest, a cupiditatibus scilicet immunes esse, recipiemus. Quando autem illud psallo: « Nisi Dominus ædificaverit domum, « in vanum laboraverunt qui ædificant eam; » et quum incido in hos versus cantici graduum: « Surgite, postquam sederitis, qui

(1) *Jejunat*. Matth. XV, 32 et sqq. — (2) *Chrysostomum*. T. VII, p. 278. — (3) *Vos*. Matth. XXV, 41; XI, 29. — (4) *Ninivitæ*. Cf. Opp. t. II, p. 70; VII, 471. Sed noli quærere inter exstantes insignitam hoc initio homiliam. — (5) *Inhibetur*. De utraque re videndus Assemani, *de Jure gr. et orient.* t. V, append. lib. V, præsertim, p. 255 sqq., ubi Balsamonis multiplicem errorem notat et fallaciam. — (6) *Nilus*. In epist. lib. I, 160. — (7) *Descripsit*. Cf. t. II, p. 1107. — (8) *Edisserit*. Opp. t. I, p. 275. — (9) Οἰκοδομοῦντες. Ps. CXXVI, 1.

« κληρονομία Κυρίου, υἱοὶ, ὁ μισθὸς τοῦ καρποῦ « τῆς γαστρός· » ὅταν μὲν νηστεύσω, εὐφραίνομαι, ὕπνου νοῶν τὴν ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι ἀνάπαυσιν, τὴν τοῖς φίλοις παρεχομένην τοῦ Πνεύματος[1] καὶ κληρονόμοις Θεοῦ καὶ συγκληρονόμοις τοῦ Χριστοῦ τὴν υἱοθεσίαν, ἅπερ διὰ τὴν νηστείαν· τοῦτο γὰρ ὁ καρπὸς τῆς γαστρὸς, μισθὸς δίδοται[2] τοῖς νηστεύουσιν. Ὅταν δὲ μὴ ἀσιτήσω[3], παραμυθίαν οὐκ ἔχω τοῦ πένθους, ὅτι δι' αἷμα καὶ κόπρον καὶ οὖρον καὶ χύμους ἐκπίπτω τῆς ἄνω τρυφῆς. Ἵνα γοῦν τὸν μισθὸν τῶν νηστευόντων ληψώμεθα, νηστεύσωμεν, κἂν μὴ πλείονα, ἀλλὰ κἂν τέως τὰς κεκανονισμένας ἡμέρας, αἵτινές εἰσιν ἡ ἁγία τεσσαρακοστὴ, καὶ πᾶσα τετρὰς καὶ παρασκευὴ[4] ὅλου τοῦ ἐνιαύτου, καὶ αὗται αἱ ἀγράφως ἡμῖν παραδοθεῖσαι δύο τεσσαρακοσταὶ, ἥ τε τῶν Χριστοῦ γέννων καὶ ἡ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, χάριτι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ τῷ Πατρὶ δόξα, κράτος, τιμὴ καὶ προσκύνησις, ἅμα τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

« manducatis panem doloris; quum dederit « dilectis suis somnum. » Quibus adde : « Ecce « hereditas domini, filii, merces fructus ven- « tris ; » post hæc quoties jejunavero, lætor et somnum illum respicio, illam nimirum in ævo futuro quietem, dilectis suis a spiritu præparatam, illamque datam hæredibus Dei et cohæredibus Christi adoptionem, per jejunium adipiscendam ; is namque est fructus ventris, ea merces jejunis datur : quamdiu vero dapibus non abstineo, solatium non habeo a luctu, sanguine enim et stercore et sanie et humore amoveor a cœlestibus deliciis. Quamobrem ut jejunantium præmia sortiamur, jejunemus, si non sæpius, toties saltem quot assignantur definitæ dies, quales primum sunt quadragesimæ, deinde quarta quælibet et sexta feria totius anni, tum duæ illæ sine scripto traditæ quadragesimæ, una scilicet ante Christi natalitia, altera a sanctis apostolis, in gratia Christi cui cum Patre gloria, potestas, honor et adoratio, una cum sancto Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

IV.

DE TYPICO NICOLAI CONSTANTINOPOLITANI

BREVIS DIATRIBA.

I.

Nondum a Nicephoro, vel in extremo hujus tomi margine, recessimus. Huc enim usque eumdem procedere cogit haud illepidus error, nunc demum expungendus. In indicem catalogi codicum parisiensium irrepsit pro Nicolao nomen Nicephori, jam auctoris, si indiculo fides, cujusdam carminis *de monachorum jejuniis*, in codice 1373 delitescentis. Illuc ito : ecce tibi in toto codicis corpore, sive de Nicephoro, sive de carminibus, sive de jejuniis monachis, nec vola nec vestigium. Quam enim legeris in Catal. p. 310 satis prolixam codicis 1373 nomenclaturam, totum hoc quodcumque est, refer ad codicem 1389; tum vice versa, ad pag. 397 quærito codicis 1373 notitiam puram putam, hic ubi codex 1389 describi censetur. Sphalma quidem, si quod umquam, levi brachio tollendum; vellem dispulerit aliquis antea. Sane cautum mihi fuisset ne carmen illud insulsum promitterem (*Spicil.* t. I præf. p. cxxiii), tunc mihi et Nicephorianum et ἀνέκδοτον, duce quidem et deceptore Harlessio in nova Fabricii Bibliotheca (t. vii, p. 608). Age si peccatum olim est, piaculo sit hæc prima erroris explosi recognitio.

II.

Misso igitur Nicephori nomine, ex ipso codice 1389 et tribus aliis Parisiensibus 1277, 1331, et 2500, remanet quidem Nicolai nomen carminis auctori. At non unus jam, nec duo tantum Nicolai sunt, inter quos suspensus hæreo. Jure suo audacior cl. A. Maïus nullus dubitavit quin totum opus seniori sive *mystico* referret. Sed cum in transcursu rem tetigisse, regestam licet ab eo semel et iterum et sæpius (*Script. vet.*, t. ix, præf. p. xvi, p. 611; *Spicil. rom.*, t. x, præf., p. vii), suadet sphalma non unum quod excidit viro tot aliis et tantis rebus intento. Primum est, ac pene

(1) Πνεύματος καὶ τὴν υἱοθεσίαν ἐν τοῖς B. Κληρονόμοις καὶ... συγκληρονόμοις Θεοῦ A. Χριστοῦ τὸ πνεῦμα χαρίζεται B.— (2) Σαφῶς δίδοται Γ. — (3) Σιτήσω Γ. — (4) Τετράδες καὶ παρασκευαί Γ.

incredibile, sit verbo venia, cum in lucem edidisse idipsum Nicolai Typicum, quasi soluto sermone contextus, etsi ad minus 400 versibus bene ligatis aperte cohæreat. Certe ad finem usque ultimi versus editor cæteroqui oculatissimus venit, nec de ullo metro lectorem vel verbulo monuit; iterumque elapso quinquennio, ejusdem typici memoriam haud illibenter in *Spicilegio romano* retinuit nondum suspicatus, ut videtur, eruisse se unicum hactenus agnitum Nicolai sui poema, cujus litteras omnemque litterariam supellectilem peculiari cura administravit. Altera quoque est doctissimi viri [illegible], non meminisse idem illud metricum typicum quinquies vulgatum fuisse, in cunctis sancti Sabæ typici edit. Venet. 1603, 1605, 1643, 1645, 1771, servatis cujusque versus indole et ordine, immo rescriptis triginta versibus qui Maiano in codice exciderunt. An nimius videar, si tertiam addiderim censuram? Rursus piget me typicum illud cl. viro fuisse potius memorabile severitatis asceticæ monumentum, quam christianæ vitæ institutionem, ut perpetuo hoc lemmate *de Vita monastica* illud designari voluerit. Communis certe tunc temporis apud Græcos vitæ imaginem exhibet, etsi asceticis eum sciscitantibus, auctor quicumque tandem ille sit, suos στίχους dictaverit. Sed litium satis, quarum nimis semper.

III.

Quum plerique veteres de hoc typico siluere, sola fere codicum via tenenda est ut ad auctorem perveniatur. Sed vide ne non ambages implicentur. E quatuor enim codicibus nostris duo quidem Nicolaum simpliciter appellant. Sed e cæteris, 1331 scilicet et 1389, prior te ad celeberrimos Studitas ducet apertissimo hoc titulo, fol. 171 : Στίχοι τυπικῶν ἀκριβεῖς ἐκ κανόνων ἐκ τῆς μονῆς τῶν Στουδιτῶν. Posterior a primo limine te in alium trudet errorem nisi rursus a πινακογράφοις caveas. Codici enim 1389 prolixa præfigitur vetus tabula quæ conceptis verbis nostra respiciens ait : Εἰς τὸ αὐτὸ Νικολάου Καβασίλου φύλ. τμη'. *De eodem jejuniorum argumento Nicolai Cabasilæ, vide fol.* 348. Ad quod reapse folium eunti occurrit poema nostrum, sed verius inscriptum, fere ut alibi : Νικολάου πατριάρχου ΚΠ. Πρὸς Μελέτιον μονάζοντα. Quum autem Cabasilas nullus in throno byzantino sedit, iterum nomen illud expunge, in eo indice temere positum, ob quædam Nicolai Cabasilæ opera superius merito jure accensita, puta *de sacra Liturgia*, fol. 311, *de Anima*, fol. 338. Eo minus amplius eadem tela texenda erat, quod interjacebant Michaelis Pselli quædam *de Feriis V*, fol. 343, quæ denique a nostris excipiebantur. Quid igitur de auctore statuendum? Solvi omnino dubium nequit. Si quid suspensa sententia conjicere lubet, per me licet in cl. A. Maï opinionem inclinetur : conditor enim fuit S. Nicolaus monasterii Galacrenorum qui a studitana disciplina non multum recedere debuit; ibi dein, exsul pro nuptiarum bello Leonino, satis diu secessit. Quin exstat ejusdem epistola ἀνέκδοτος, sed misere mutila in cod. Coislin. 211, in qua se agnomine vocat τοῦ γαλακρηνιτοῦ. Inde promta monachorum ad eum sciscitatio et multum in responso sancti viri asceticæ disciplinæ datum. Ea demum auctoritate unus fuit inter cæteros ejusdem nominis piissimus patriarcha, cujus hæc regula cum venerabili S. Sabæ Typico jungi et per omnes Græciæ ecclesias usque ad Orientis fines propagari mereretur.

IV.

Fac vero solvatur de Nicolais quæstio; etiam de his ad quos scriptum dirigitur, nodus explicandus erit. Hi sunt, ut a vulgato S. Sabæ typico incipiam, primum, *Anastasius* quidam *cathegumenus montis Sinai*; deinde *Meletius monachus*, in codice 1389; tum *Primus* seu antistes Athonitarum, consentiente nostro 1277 cum Maiano exemplari collegii græcorum in urbe Roma. Cautius quidem egit scriptor codicis 2500, cui illud ἀπρόσωπον placuit, fol. 259 : ποίημα πρός τινα ἅγιον, ὡς τυπικόν, κατὰ στίχους. Inde unum emicat, varia ejusdem disciplinæ exemplaria nunc ad hos, nunc ad illos disseminata identidem fuisse, quorum nomina cum aliquo lemmatum tumultu in codices permearunt.

V.

Poema igitur metricum erat, etsi una serie, ut in exemplari romano, non semel exaretur; sed iis quidem versibus quos recentiores Græci barbaro nomine æque et arte *politicos* vocitarunt; qui simplici loquela horridi et rudes, id tantum emolumenti habent ut certa quadam accentuum eurhythmia et syllabarum serie viam aperiant restituendis verbis faciliorem. Singuli versus quindecim coalescunt syllabis, voce post octavam quiescente, et præcipuo accentu posito in penultima syllaba. Ad eamdem normam omnes propemodum versus haud ægre reduxerit, si quis parisienses tantum codices nostros aure et digito callide sollicitaverit.

Non omnibus tamen idem numerus versuum est : sunt in cod. 1277, omnium quos noverim locupletiore, 417 ; in Maii romano, 386 ; in exemplari vulgato post S. Sabæ typicum, 225 ; in 1331 circiter 200, ut in 2500. Non iidem vero in cunctis omittuntur, neque exstantium in singulis ordo idem ; immo rerum major est quam versuum varietas. Deinde præter primum codicem et secundum, in

omnibus desiderantur 11 versus maxime morales et monastici qui a 5 aut 6 inde numerantur usque ad 157. Quorum omnium si variam indolem rationemque describere tentarem, multus essem ac prope importunus.

VI.

Ut aliquam tamen typici notitiam lectoribus non invideam, sectionum initia hic rescribere juvat et titulos qui in editis desunt, occasione identidem capta et versuum distinctionem significandi, et omissa quædam restituendi tam metro quam sensui prorsus necessaria. His per me licet utatur, si quis novam typici editionem ornare voluerit. Unum locum ex integro in medium afferre non displicebit, in quo S. Nicephorus præclare, ut decuit, memoratur.

Incipiam a sex primis versibus qui omnium fere recensionum commune sunt initium :

I. Πολλάκις με ἐβίασας καὶ ἐξέθλιψας, τέκνον,
Μᾶλλον δὲ παρεκάλεσας καὶ ἠξίωσας πλεῖστα
Εὐσύνοπτον καὶ σύντομον [1] δελτὸν μικρὰν σοι γράψαι,
Δι' ἧς δυνήσῃ τοῦ μαθεῖν τί ποιῆσαι ὀφείλεις,
Καὶ πῶς τὸν βίον σου καλῶς διέξεις ἕως τέλους,
Ἵνα καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν στάσεως ἐπιτύχῃς [2] [v. 1-20].

II. Ἐντολαὶ τῆς παλαιᾶς [v. 22-34].

Ὀφείλει πᾶς χριστιανὸς τὸν θεμέλιον ἔχειν.
Καὶ τίς οὖν ὁ θεμέλιος ὅνπερ ὀφείλει ἔχειν;
Ἡ πίστις ἡ ἀνόθευτος]
v. 27. Ὡσαύτως καὶ τὸν πλησίον]

III. Ἐντολαὶ τῆς καινῆς [v. 35-72].

Ὁ δὲ Χριστὸς καὶ Κύριος καὶ δεσπότης τῶν ὅλων,
Ὁ παλαιᾶς καὶ τῆς καινῆς Κύριος διαθήκης,
Πλείονα τὴν ἀκρίβειαν]
v. 54. Καὶ εἴ τις πάθοι ἕτερον]
v. 58. ἐν (sic) τέλος λέγεται, ὡς]
v. 66. Τῆς δὲ δεκάτης ἐντολῆς [ὁ ὅρος] οὕτως ἔχει.
v. 67. ἵνα μὴ καὶ κριθῶμεν]
v. 68. εἰς τελειότητα φθάσαι]
v. 70. Καὶ ἐπιδοῦναι τοὺς πτωχούς]

IV. Τοῦ ἀποστόλου περὶ τῶν καρπῶν τοῦ Πνεύματος [v. 73-86].

Καὶ ταῦτα μὲν ὁ Κύριος ἐν τοῖς εὐαγγελίοις.
v. 80. Ὡσαύτως ἡ χρηστότης τε]
v. Ὁμολογία ἐν τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι [v. 87-92].
Ἀλλὰ πρὸ τούτων καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων.
v. 89. μέλλομεν ἐν μέλλοντι αἰῶνι]
v. 90. Καὶ γὰρ ἀποτασσόμεθα]

VI. Ψυχικὰ πάθη [v. 93-99].

Καὶ τὰ μὲν ψυχικὰ πάθη ἀπαριθμοῦντες οὕτως.
v. 95. καὶ σὺν αὐτοῖς ὁ γέλως]
v. 98. καὶ ἀδικία πᾶσα]

VII. Σωματικὰ πάθη [v. 100-104].

Ὡσαύτως τὰ σωματικὰ ἀπαριθμοῦνται οὕτως.

VIII. Τίς ἡ λατρεία τοῦ Σατανᾶ [v. 105-113].

Ἡ δὲ λατρεία [3] Σατανᾶ, ὡς εἰπεῖν, ἐστὶν αὕτη.

IX. Τίς ἡ πομπὴ τοῦ Σατανᾶ [v. 113-126].

Λείπεται οὖν εἰπεῖν λοιπὸν τίς ἡ πομπὴ ὑπάρχει·
Ματζεφεστραγωδήματα καὶ πᾶν]
v. 116. Ταῦτα ἀπεταξάμεθα ἐν τῷ]
v. 119. Φυλάττειν τε προστάγματα]

(1) Σύντομον. Eadem in Psello *De synod.*, v. 2. — (2) Ἐπιτύχῃς. Sic incipiunt 1331 et 2500, qui postea erunt B, Δ :

Πολλάκις με ἠξίωσας, τέκνον ἠγαπημένον,
Διὰ γραφῆς δηλῶσαι σοὶ πῶς ὀφείλεις διάγειν,
Εἰς προσευχὴν, ἐγκράτειαν καὶ ἀληθῆ νηστείαν.
Ἐπὶ δὲ δίαιταν ἁπλῶς φημὶ τοῦ ὅλου χρόνου.
Καὶ δὴ πεισθεὶς τοῖς λόγοις σου ἧξα τῇ σῇ θελήσει,
Χαράξας σοι νῦν, ὡς ὁρᾷς, τὰ τῇδε γεγραμμένα,
Ἀρχὴν ἔνθεν ποιούμενος, ὅθεν ἄρχεσθαι θέμις.
Σεπτέμβριος εἰσέρχεσθαι πρῶτος μὴν τῆς ἰνδίκτου,
Καὶ δεῖ σε πάντως φυλακὴν ἔχειν ἐν ταῖς νηστείαις,

Inde pergit utrumque a codicis A, sive 1277, versu 162 ad 345, multis alia in sede locatis, hinc inde omissis ferme 29 στίχοις, additis vero paucissimis. — Incipit vero 1389 sive Γ, ubi præcedentia abrumpi solent :

Πρῶτος σεπτέβριος ἀρχὴ τυγχάνει τῆς ἰνδίκτου.
Καὶ δεῖ πᾶσι χριστιανοῖς φυλάττειν τὰς ἡμέρας
Τῆς ἑβδομάδος τοῖς δυσὶν αὐτοῖς τοῖς σταυρωσίμοις,
Ξηροφαγεῖν τε ἐγκρατῶς κατὰ τὸν χρόνον ὅλον,
Καθὼς παραδεδώκασιν οἱ ἅγιοι πατέρες,
Ἄνθρωπον ἅπαντα πιστὸν καὶ πίνειν ὕδωρ μόνον,
Τὸν δὲ νοσηλευόμενον χρᾶσθαι μετρίως οἶνον,
Ὡς διὰ τὴν ἀσθένειαν τοῖς ἑψητοῖς λαχάνοις.
Πρὸς δὲ πάντας τοὺς μοναχοὺς οἱ ἅγιοι πατέρες
Μονοσιτείαν ἔγραψαν ἔχειν τὸ καθήμερον,
Σαββάτῳ καὶ κυριακῇ τοῦ μὴ νηστεύειν ὅλως.
Ἀλλ' οὐδὲ πᾶσαν ἑορτὴν δεσποτικὴν ὀφείλει,
Ὧν πρώτη μὲν ἡ γέννησις ἐστὶν ἡ τῆς Παρθένου.

Inde mox incidit in versus supra inscriptos 198 et sqq. usque ad 364, multis obiter omissis, et sub fine redit ad v. 95-114. Vides quam immani discrimine singula distent exemplaria : eo magis miror usque adeo simile esse cod. nostrum A et Romanum, ut quædam verba hinc et hinc pariter aut exciderint aut abundent, unde putem unum ex altero descriptum, licet 30 versus continuos omiserit codex Romanus. — (3) Λατρεία τοῦ A, syllaba abundante.

x. Τίς ἡ τῶν μοναχῶν ὑπὲρ τοὺς κοσμικοὺς πλεῖστα ἀκρίβεια [v. 127-159].

Ταῦτα ἅπερ ἔγραψά [σοι] οὐκ εἰσὶ μοναζόντων.
v. 146. Ὀμνύναι ἢ ἐπιορκεῖν]

xi. [*De jejuniis*, v. 160-178].

Ἀρχὴν τοῦ λόγου θέμενος εἰς ἀρχὴν τῆς Ἰνδίκτου.
v. 162. Νηστείαν δὲ ποίαν φημί;]
v. 175. Ἀδυνάτων ἔχοι]

xii. Περὶ νηστείας τοῦ ὅλου χρόνου [v. 179-185].

Καὶ ταῦτα γέγραφα ἁπλῶς περὶ παντὸς τοῦ χρόνου.
v. 185. Σαββάτῳ καὶ κυριακῇ]

xiii. Περὶ τῶν δεσποτικῶν ἑορτῶν [v. 186-298].

Νῦν οὖν λοιπὸν ἀπάρξομαι τοῦ γράφειν ὧδε πάλιν.

xiv. [*De Festis B. M. V. et SS. Apostolorum*, v. 199-220].

Τῆς παναμώμου καὶ μητρὸς τοῦ Θεοῦ κατὰ σάρκα.
v. 214. Ἐν μόναις δὲ ταῖς τέσσαρσιν]

xv. Περὶ τῶν μεσαίων ἑορτῶν [v. 221-238].

Τὰς δὲ λοιπὰς τῶν ἑορτῶν ἐν αἷς ἐστιν ἀργία.
v. 230. Ἄλλο δέ τι μὴ ἅψεσαι]
232. Καὶ μή μοι μέμψοιο λοιπὸν ὡς ἀκριβολογοῦντι,
Καὶ ταῖς πολλαῖς μὴ φθέγγεσθαι τὴν ψυχὴν καὶ τοὺς λόγους.
Ἀλλὰ σαυτὸν εὐτρέπιζε[1] πρὸς τὴν μέλλουσαν κρίσιν.
Ἐν ᾗ οὐκ ἔστι πρόφασις, οὐδ' ἀπόκρισις λόγου.
Ἐγὼ δὲ περὶ τούτων νῦν καταπαύσω τὸν λόγον.

xvi. Περὶ τῆς μεγάλης μ' [v. 239-247].

Ὑπόθεσις γὰρ προκεῖται πλείων τῶν γεγραμμένων.
v. 240. Σαρακοστὴ [2] εἰσέρχεται]

xvii. Περὶ τῆς α' ἑβδομάδος [v. 248-253].

Τὸ πρῶτον τοίνυν στάδιον τῆς πρώτης ἑβδομάδος.

xviii. Περὶ τοῦ σαββατοκυριακοῦ [v. 254-263].

Τὰς δὲ δύο κατάλυσον εἰς ἔλαιον καὶ οἶνον.

xix. Περὶ τοῦ εὐαγγελισμοῦ καὶ τῆς μεγάλης ἑβδομάδος [v. 265-272].

Εἰ μὴ τοῦ εὐαγγελισμοῦ τὴν ἑορτὴν καὶ μόνην.

xx. Περὶ τῆς διακαινεσίμου [v. 273-284].

Τὰς δὲ λοιπὰς τῶν ἡμερῶν παρέλκον ἐστὶ γράφειν.

xxi. Περὶ ἐγκρατείας τῆς διακαινεσίμου [v. 285-306].

Ἐνταῦθα δὲ γενόμενος βούλομαί τι προσθεῖναι.
v. 288. Παραίνων ταῦτα ὧδέ πως]

xxii. Περὶ τῆς νηστείας τῆς Χριστοῦ γεννήσεως [v. 307-314].

Καὶ πρότερον δηλώσομεν περὶ τῶν Χριστοῦ γέννων.

xxiii. Περὶ τῶν νηστειῶν τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ τοῦ αὐγούστου [v. 315-326].

Ἀνάγκη τοίνυν διελθεῖν περὶ τῶν τελευταίων.

xxiv. Περὶ τῶν γονυκλισιῶν ἀπὸ τοῦ ὅλου χρόνου [v. 327-336].

Ἐνταῦθα ἐβουλόμην νῦν καταπαῦσαι τὸν λόγον.

xxv. Περὶ τῶν γονυκλισιῶν τῶν τριῶν τεσσαρακοστῶν καὶ τῆς μεγάλης ἑβδομάδος [v. 337-347].

Τὰς δέ γε τεσσαρακοστὰς ψηφίζειν δεκαπέντε.

xxvi. Περὶ τῆς νηστείας τοῦ ἀρτζιβουρίου [v. 348-365].

Ἔτι προσθήσω οὖν λοιπὸν σὺν τούτοις ἀναγκαῖον.

xxvii. Περὶ τῆς τυρινῆς ἑβδομάδος, v. 366.

Ἐπειδὴ δ' ἔλαθεν ἡμᾶς ὑπόθεσις μικρά τις,
Διασαφῆσαι ἔρχομαι[3] καὶ περὶ ταύτης οὕτως·
Τῆς τυρινῆς[4] ἡ ἑβδομὰς λελυμένη ὑπάρχει,
Καὶ ἡ τετρὰς τῶν ἡμερῶν, ὡσαύτως καὶ ἡ ἕκτη·
Καὶ πόθεν δῆλον πέφυκε τοῦτο, εἴπη τις ἴσως[5];
Ἰακωβῖται, ὥς φασι, τὴν ἑβδομάδα ταύτην
Ὁλόαγνον φυλάσσουσι καὶ καθαρὰν τελείως,
Ἄρτου μόνου γευόμενοι καὶ ὕδατος ὁμοίως.
Καὶ διὰ τοῦτο[6] ὁ καλὸς τῷ ὄντι Νικηφόρος,
Ὁ Κωνσταντινουπόλεως ὁ μέγας ἱεράρχης,
Κανονικῶς παρέδωκε τοῦ καταλύειν ταύτας;
Ἀνατρέπων τὰ δόγματα αἱρέσεων τῶν δύο,
Τοῦ Ἰακώβου τε φημί[7]· οὕτως ἔχουσιν ἔθος,
Τὴν ἐννάτην πληρώσαντες καὶ ὕμνον τῆς ἑσπέρας,
Οὕτως εἰσέρχονται λοιπὸν ἐν τῇ κοινῇ τραπέζῃ,
Τυροῦ μεταλαμβάνοντες ἰχθύων τε καὶ οἴνου.
Καὶ ἡμεῖς μὲν ἐγράψαμεν ὡς εὕραμεν ἐγγράφως.
Εἰ δέ τις οὐ προσίεται, οὐδὲ πιστεύει ταῦτα,
Ὡς θέλει καὶ ὡς βούλεται, οὕτως καὶ πορευέσθω.

xxviii. Περὶ τῆς ἑβδομάδος τῶν ἁγίων πάντων[8] [v. 386-397].

Προσθήσω τοίνυν ἕτερον δι' ἄλλην ἑβδομάδα.

xxix. *Clausula* [398-419].

Ταῦτά σοι τοίνυν ἔγραψα ἐκ τῶν πολλῶν ὀλίγα.
v. 419. Εἰς αἰῶνας αἰώνων τε καὶ ἐπὶ αἰώνων. Ἀμήν.

(1) Εὐπρέπιζε Γ. — (2) Σάρακοστή. Vox eadem supra p. 454. (3) Διασαφήσων ἔρχομαι Δ. — (4) Τυρικῆς. Maii ed. — (5) Ἴσως τις εἴπει τοῦτο Δ. — (6) Ταὐτὸν Γ. — (7) Φημί. Vide Nicephori can. 79, omnium certe frequentissime recantatum. — (8) Πάντων. Γ ornavit metro titulum : Ὁμοίως δὲ ἡ ἑβδομὰς ἡ τῶν ἁγίων πάντων·

VII.

Tu igitur illud qualecumque poemation non tam argumento quam metro venaque jejunum, cujus quidem si poesin fortasse detexisse videor, illud in eo quod minus erat, invenero. Utinam lectoris tædia allevet quod mox sequitur, piissimum de B. Virgine lamentante carmen quod in voluminis coronidem reservasse me pene invitum aut inopinantem, certe non piget. De quo pauca in parergo addere est.

Staurotheotokia in Græcorum officiis dicuntur antiphonæ quæ singulis fere diebus bis solent decantari, semel quidem ac frequentissime in fine officii vespertini; iterum, sed paulo rarius, in officii matutini clausula. Omittuntur autem, quoties solemniora majorum festorum pensa solvuntur, hi tamen planctus inter natalium Domini gaudia, locum habuere, verbo dicam, paulo insolentiorem. Crux enim quasi præsepi applicatur, ut hinc exsultet virgo puerpera, hinc plangat ærumnosa mater. Nam hujusmodi cantus unice et perpetuo referunt Virginis juxta crucem stantis flebilia lamenta; unde nomen nanciscuntur.

E qua certe sacrorum cantuum familia piissima oriundum esse octonarium modo legendum, quis ambiget? Documento sint similia quædam cum nostris quæ quasi ultro veniunt rescribenda : Ὁρῶσά σε σταυρούμενον, Χριστὲ, ἡ σε κυήσασα, θρηνῳδοῦσα, ἀνεβόα μητρικῶς· Υἱέ μου τέκνον, πῶς φέρεις πάθος ἐπονείδιστον (*Men. sept.*, p. 15; eadem *octobr.*, p. 4); — Ἡ πάναγνος, ὡς εἶδέ σε ἐπὶ σταυρῷ κρεμάμενον ἐθελουσίως, κατανοοῦσα τὴν δυναστείαν, λύπῃ συνείχετο, Χριστὲ, καὶ ὀδυρομένη ἀνεβόα σοι· Τέκνον, μή με λυπῇς τὴν τεκοῦσάν σε. Δός μοι λόγον, υἱέ μου· μή με σιγῶν παρέλθῃς, Λόγε Θεοῦ, τὴν δούλην σου (*octobr.*, p. 129). Sed et cf. *sept.*, p. 23, 30, 179, 191; *octobr.*, p. 74, 79, 129; *febr.*, p. 71, 137, 162; *mart.*, p. 74; *Triodion*, p. 229. 232, etc.)

Multa quidem id genus vidi similia; sed mea, nuspiam; modo quæstio sit de libris qui ad nos usque pervenerunt. Nolim sane meo periculo asserere fieri non posse quin eadem hæc alicubi edita contineant ignoti Græcorum libelli aut volaticæ plagulæ ἀκολουθιῶν, κανόνων, θρήνων, quæ forsan per Orientem circumferuntur.

Ab editis quidem staurotheotokiis hæc in eo præcipue differunt quod verum novem hymnorum, ut solet, canonem repræsentant, vulgata vero hic illic respersa, non hymni sed quasi brevia sunt responsoria vel antiphonæ. Nostrarum autem odarum antiquitatem commendant vel ipsa præfixa singulis lemmata, quibus canendi modus prænuntiabatur. Eædem enim περικοπαὶ non solum etiam nunc intercidunt in vetustis officiis, qualis est ἀκολουθία S. Demetrii, quam vide ad diem aug. VII, p. 45, 46, 47; sed et in longe antiquiore S. Sophronii typico, nuper ab A. Maio e tenebris excito felicissime, uti videre est in *Spicileg. rom.*, t. IV, p. 143, 161, 263, 264, 265, etc.

Deinde conjicere lubet hæc scripta prius fuisse quam Græcorum officia tot ejusmodi lamentis oppleta pene fuerint; vix enim crediderim hunc meloden similia ex otio cecinisse, si quæ nunc Græci canunt, ad manum habuisset longe locupletiora.

Non deerunt fortasse quibus minus probabuntur vehementia adeo desperantis Virginis lamenta; Latinis enim ab antiquiori ævo placuisse alia non diffitear, nec infitias ibo nihil certe umquam futurum esse disertius evangelico illo matris juxta crucem stantis silentio. At vel etiam nostri in popularibus homiliis et cantilenis non semel plebi turgida quædam et facundiora concessere. In hanc autem viam Græcos frequentius induxit tritum in omnium ore poema vetus, quocum nostra sæpenumero conspirant, *Christi* nimirum *patientis tragœdia*. Ex quo non pigeat rescribere hic pauca et cum nostris conferre :

V. 701. Τέκνον ποθεινὸν, τοῦ δίκην πάσχεις τάδε;
V. 706. Καὶ πῶς ὁρῶ λῃσταῖς σε συνηρτημένον;
V. 886. Τί τὴν τεκοῦσαν μητέρ' ὀρφανὴν σέθεν
V. 887. Τέθνηκας; οἴμοι! συνθάνοιμί σοι, Τέκνον.
V. 925. Πῶς, πῶς σιγᾷς νῦν, οὐδ' ἀπανοίγεις στόμα;
V. 926. Δὸς φθέγμα μοι, δὸς, δὸς παρηγόρημά μοι.

Sed de auctore quid dicam? Eumdem per me facies cum altero Nicolao qui semel occurrit in Menæis ad VII febr., p. 47. An vero is sit Grammaticus, Mysticusve, etsi propensius ad posteriorem referam, nemo mihi nisi OEdipo sit sagacior, problema explicabit.

Nostra demum describebam e cod. 400, fol. 8, bonæ quidem notæ ac longe melioris quam præcedentes plerique; unde a tædio notarum abstinui me. Neque etiam volui curiosius inquirere an græca aliquo metro ligarentur; sed laxis forte lubentius habenis in ecclesiasticam hymnodiam, hic quidem, ut et alias, sodalibus meis benigne suppetias conferentibus, metrica ipse me recreavi interpretatione, utinam et te, candide lector!

V.

ΚΑΝΩΝ ΘΡΗΝΗΤΙΚΟΣ

Τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου ἐν τῇ σταυρώσει τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ, ποίημα Νικολάου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως.

CANON LAMENTABILIS

Sanctissimæ Dei Genitricis in crucifixione D. N. Deique Jesu Christi, poema Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani.

Ὠδὴ Α', ἦχος πρῶτον· Ὡς ἐν ἠπ[είρῳ].

Ode 1.

Ἀναρτηθέντα ὡς εἶδεν ἐπὶ σταυροῦ τὸν υἱὸν καὶ κύριον, ἡ παρθένος καὶ ἁγνὴ, τρυχομένη ἔκλαιε πικρῶς, μεθ' ἑτέρων γυναικῶν, καί· « Οἴμοι! » ἔλεγεν.

Ut vidit affixum cruci
Virgo Deum atque filium
Cum feminis flebilibus
Flens ipsa, dixit : « Hei mihi! »

« Βλέπω σε, φίλτατον τέκνον καὶ ποθεινὸν, ἐν σταυρῷ κρεμάμενον, καὶ τιτρώσκομαι πικρῶς τὴν καρδίαν, ἔφη ἡ ἁγνή· ἀλλὰ « δός μοι, ἀγαθὲ, λόγον τῇ δούλῃ σου. »

« Te cerno, fili, pendulum,
« Et ipsa figor pectore;
« Da voce, da, inquit innocens,
« Solamen ancillæ tuæ. »

« Γνώμῃ ἰδίᾳ, υἱέ μου καὶ ποιητὰ, » ἡ παρθένος ἔλεγε, παρεστῶσα τῷ σταυρῷ σὺν ἠγαπημένῳ μαθητῇ, « ὑποφέρεις τὸν δεινὸν ἐν « ξύλῳ θάνατον. »

« Tu conditor, tu nate mi,
« Ligno in funesto, » Virgo ait,
Stans cum Joanne, « sic necem
« Lubens cruentam sustines. »

« Νῦν τὴν ἐμὴν προσδοκίαν καὶ τὴν χαρὰν « καὶ τὴν ἀγαλλίασιν, τὸν υἱόν μου καὶ Θεὸν, « ἐστερήθην. Οἴμοι! καὶ ἀλγῶ τὴν καρδίαν, » ἡ ἁγνὴ ἔλεγε κλαίουσα.

« Nunc spem meam, nunc gaudium
« Tulere te, fili, Deus!
« Heu! dira me premunt, » ait
Cum fletibus piissima.

Ὠδὴ Β'.

[2[a] *desideratur*]

Ὠδὴ Γ'· Οὐκ ἔστιν ἅγιος.

Ode 3.

« Διὰ τὸν φόβον τὸν πολὺν Ἰουδαίων ὁ Πέ« τρος ἀπεκρύβη, καὶ πάντες ἀπέφυγον οἱ « πιστοὶ καταλιπόντες Χριστὸν, » ἡ Παρθένος θρηνῳδοῦσα ἔλεγεν·

« Te perfidæ plebis metu
« Petrus reliquit latitans;
« Te, Christe, fugerunt tui. »
Hæc virgo mæsta ingemuit.

« Ἐπὶ τῷ ξένῳ σου τοκετῷ καὶ φρικτῷ « σου, υἱέ μου, ὑπὲρ πάσας μητέρας ἐμεγα« λύνθην ἐγώ· ἀλλ' οἴμοι! νῦν σὲ ὁρῶ ἐπὶ ξύ« λου, φλέγονται τὰ σπλάγχνα μου. »

« Ortu in tuo qualis stupor!
« Ut matribus major eram!
« Sed quantus ignis e trabe
« Ferali adurit viscera!

« Ζητῶ τὸ σπλάγχνον τὸ ἐμὸν ἐν ἀγκά« λαις, αἷς πρώην, ὥσπερ βρέφος, κατεῖχον, « ἀπὸ τοῦ ξύλου λαβεῖν, » ἐφθέγγετο ἡ ἁγνή· « ἀλλ' οὐδείς μοι, οἴμοι! τοῦτον δίδωσι. »

« Inter tenere brachia,
« Quibus puellum sustuli,
« Hunc decidentem de cruce
« Nemo, heu mihi! nemo dabit!

« Ἰδοὺ τὸ φῶς μου, τὸ γλυκὺ, ἡ ἐλπὶς, ἡ « ζωή μου, ὁ υἱὸς καὶ Θεός μου ἐσβέσθη ἐν τῷ « σταυρῷ, καὶ φλέγομαι δι' αὐτὸ, » ἡ παρθένος ἔλεγε σταλάζουσα.

Ὠδὴ Δ'· Χριστὸς μοῦ δύναμις.

« Ἥλιε ἄδυτε, Θεὲ προάναρχε, ποιητὰ τῶν « ἁπάντων, δημιουργὲ τῶν κτισμάτων Κύριε, « πῶς φέρεις πάθος ἐν σταυρῷ; » ἡ ἁγνὴ κλαίουσα ἔλεγε.

Θρηνοῦσα ἔλεγεν ἡ ἀπειρόγαμος τῷ εὐσχήμονι· « Σπεῦσον, ὦ Ἰωσήφ, τῷ Πιλάτῳ πρόσ- « ελθε, καὶ ἐξαίτησον καθελεῖν ἐκ τοῦ ξύλου « τὸν διδάσκαλον. »

Ἰδὼν τὴν ἄχραντον πικρῶς δακρύουσαν Ἰωσὴφ ἐταράχθη· θρηνῳδῶν τῷ Πιλάτῳ πρόσεισι· « Δός μοι, βοῶν μετὰ κλαυθμοῦ, νῦν τὸ « σῶμα τοῦ Κυρίου μου. »

« Κατεστιγμένον σε ὁρῶ καὶ ἄδοξον καὶ « γυμνὸν ἐπὶ ξύλου, τέκνον ἐμὸν, καὶ τὰ « σπλάγχνα φλέγομαι, » ὀδυρομένη μητρικῶς ἡ Παρθένος ἀπεφθέγγετο.

Ὠδὴ Ε'· Τῷ θείῳ φέγγει σου.

Κατατρυχόμενος ὁ Ἰωσὴφ καὶ καταπληττόμενος ὁμοῦ σὺν Νικοδήμῳ, κατήγαγε τὸ τοῦ διδασκάλου ἄχραντον σκήνωμα, θρηνοῦντες καὶ ὑμνοῦντες τοῦτον ὡς Κύριον.

Λαβοῦσα τοῦτον μετὰ κλαυθμοῦ μήτηρ ἡ ἀπείρανδρος ἁγνὴ καὶ περιθεῖσα τοῖς γόνασι βρέχουσα τοῖς δάκρυσι, κατεφίλει αὐτὸν πικρῶς ὀδυρομένη καὶ ἀλαλάζουσα.

« Μόνην ἐλπίδα σὲ καὶ ζωὴν, δέσποτα, υἱέ « μου καὶ Θεὲ, καὶ ὀφθαλμῶν φῶς ἡ δούλη σου « εἶχον· νῦν δὲ, οἴμοι, ἀποστερεῖς σου, γλυκύ- « τατόν μου τέκνον καὶ ποθεινότατον! »

« Ὀδύναι, θλίψεις καὶ στεναγμοὶ εὗρεσάν με, « οἴμοι! » ἡ ἁγνὴ πικρῶς θρηνοῦσα ἐφθέγγετο, « βλέπουσά σε, τέκνον μου ποθεινότατον, γυ- « μνὸν, ἀπεῤῥηγμένον, ἐσμυρνισμένον, νεκρόν. »

« En grata lux, en vita, spes,
« Natus, Deusque tu meus,
« Exstinctus in cruce : unde ego
« Nunc, gemebunda ait, fleo. »

Ode 4.

« Te, sol, inaccessum jubar,
« Fons et creator omnium,
« Quis hæc pati te pepulit? »
Sic Virgo fusa lacrymis.

Innupta sic ingenuo
Josepho ait : « Jam nec mora,
« Pilatum adi supplex, trabe
« Tuum huc magistrum deferas. »

Hanc ille videns pallidam,
Cum flente miscet lacrymas.
Et præsidi : « Des mihi, » ait,
« Corpus magistri tollere. »

Et Virgo : « Plagis consitum,
« O nate, nudum, squallidum
« Te cerno : plangunt viscera. »
Hæc matris et vox et dolor.

Ode 5.

Joseph stupens et anxius
Et Nicodemus ejulans
Funera ferunt et litant
Mæste sepulto carmina.

At at frigentem amplectitur,
Fletu rigat et osculis,
Sinuque mater confovet,
Et vox in auras personat.

« Tu vita, tu spes unica,
« Tu lumen ancillæ tuæ,
« Tu, nate mi dulcissime,
« Solam manere me jubes!

« Me mœror et fletus premunt,
« Et dira quæque, dum te ego, »
Gemens aiebat, « video
« Nudum, cruentum, mortuum!

Ωδὴ Ϛʹ· Τοῦ βίου τὴν θάλασσ.

« Νεκρόν σε, φιλάνθρωπε, τὸν ζωώσαντα νε-« κροὺς, κρατῶν δεινῶς τιτρώσκομαι τὰ σπλάγ-« χνα, καὶ σὺν σοὶ θέλω τοῦ θανεῖν, » ἡ πάναγνος ἔλεγεν· « οὐ γὰρ φέρω σε ἄπνουν καὶ « νεκρὸν καθορᾶν. »

« Ξενίζομαι βλέπουσα, ὑπεράγαθε Θεὲ, « καὶ πανοικτίρμον Κύριε, ἄδοξον, ἄπνουν, « ἄμορφον καὶ γυμνὸν, καὶ κλαίω κρατοῦσά σε, « ὡς οὐκ ἤλπιζον, οἴμοι, κατιδεῖν σε, υἱέ. »

« Οὐ λέγεις τῇ δούλῃ σου λόγον, Λόγε τοῦ « Θεοῦ, οὐ κατοικτείρεις, δέσποτα, τὴν σὲ τε-« κοῦσαν, » ἔλεγεν ἡ ἁγνὴ θρηνοῦσα καὶ κλαίουσα καὶ φιλοῦσα τὸ σῶμα τὸ πανάχραντον.

« Λογίζομαι, δέσποτα, οὐκ ἔτι λαλιάν σου « ἀκούσομαι· οὐδὲ τὸ κάλλος βλέψω τῆς σῆς « μορφῆς, ὡς πρώην ἡ δούλη σου, καὶ γὰρ ἔδυς, « υἱέ μου, ἐξ ἐμῶν ὀφθαλμῶν. »

Ode 6.

« Te mortuum, fili, tenens
« Te, mortuos qui suscitas,
« Malim mori quam te feram,
« Quam te fleam sic mortuum.

« Visu pavendum! O mi Bone,
« Tene usque fœdum esse et tetrum!
« Spes omnis ac si fugerit
« Te jam videndi, illacrymor.

« Verbum Dei, ancillam tuam
« Annon loquela recrees?
« Annon matrem? » Hæc ita threnos,
Amplexa corpus, geminat.

« Non fallor! Ergo nec tuam
« Vocem audiam, nec faciem
« Pulcherrimi ex mortalibus
« Videbo : tu me deseris! »

Ωδὴ Ζ· Δροσοβόλον μὲν τὴν [κάμινον εἰργάσατο].

« Πῶς, υἱέ μου καὶ Θεὲ, τὰ εὐαγγέλια ἃ Γα-« βριὴλ μοι ἔλεγε; βασιλέα σε καὶ υἱὸν ὑψί-« στου καὶ Θεὸν ἐκάλει, καὶ νῦν σε θεωρῶ, » φῶς μου γλυκύτατον, γυμνὸν, κατεστιγμέ-« νον, νεκρόν. »

« Ῥυόμενος δεινῶν με συμπαραλάβῃς μεθ' « ἑαυτοῦ, υἱὲ καὶ Θεέ· συγκατέλθω σοι ἐν τῷ « ᾅδῃ, δέσποτα, κἀγώ. Μὴ λίπῃς με μόνην » ἔτι ζῆν, καὶ γὰρ οὐ φέρω ὁρᾷν σε, τὸ γλυκύ-« τατον φῶς. »

Σὺν ταῖς ἄλλαις μυροφόροις ἐπωδύρετο ἡ ἄμεμπτος πικρότατα, κομιζόμενον ἐν τῷ τάφῳ βλέπουσα Χριστὸν, καὶ ἔλεγεν· « Οἴμοι! τί « ὁρῶ; ποῦ νῦν ὑπάγεις, υἱὲ, καὶ μόνην ἔλιπες « ἐμέ; »

Ἀθυμοῦσα καὶ θρηνοῦσα ἡ πανάμωμος ταῖς μυροφόροις ἔλεγε· « Συνθρηνήσατε σὺν ἐμοὶ, « καὶ κλαύσατε πικρῶς· ἰδοὺ γὰρ τὸ φῶς μου « τὸ γλυκὺ, καὶ ὁ διδάσκαλος ὑμῶν τάφῳ πα-« ραδίδοται. »

Ode 7.

« Quæ fausta, fili mi, Deus,
« Tulit Gabriel? Cecinit
« Regem, Deum, natum ex Deo,
« O lux mea, et nudus jaces!

« Quin dira tot passam eruis,
« In inferos, ut te sequar?
« Quî sola possim vivere,
« Lux et meæ deliciæ? »

Unguenta ferunt feminæ
Cum lacrymis; flendo viri
Christum in specum vehunt, matre
Aiente : « Mi fili, quo abis? »

Tunc ejulans myrophoris :
« Lamenta pangamus, ait,
« Carmenque lugubre. Occidit
« Lux, fax magistri conditur. »

Ὠδὴ Η'· Ἐκ φλογὸς τοῖς ὁσίοις.

Τὴν Παρθένον θρηνοῦσαν ὁ Ἰωσὴφ θεωρῶν, κατετρύχετο ὅλως καὶ ἀνεβόα πικρῶς· « Πῶς « σε, ὦ Θεέ μου, νῦν κηδεύσω ὁ δοῦλός σου; « ποίαις δὲ σινδόσιν εἰλίσσω σου τὸ σῶμα; »

« Ὑπὲρ νοῦν ὑπερβαίνει τὸ ξένον θέαμα· ὁ « βαστάζων τὴν κτίσιν πᾶσαν ὁ Κύριος, τοῦτον « Ἰωσὴφ, ὡς νεκρὸν, ἐν χερσὶν ἑαυτοῦ σὺν τῷ « Νικοδήμῳ βαστάζει καὶ κηδεύει. »

« Φοβερὸν καὶ φρικῶδες βλέπω μυστήριον, » ἡ Παρθένος ἐβόα. « Υἱὲ, πῶς ἐν εὐτελεῖ μνη- « μείῳ κατατίθεσαι, ὁ νεκροὺς προστάξει ἐγεί- « ρας ἐκ μνημάτων; »

« Οὐ τοῦ τάφου σου, τέκνον, νῦν ἐξαρ- « θήσομαι· οὐ τὰ δάκρυα παύσω ῥαίνειν ἡ δούλη « σου, ἕως οὗ κἀγὼ συγκατέλθω ἐν ᾅδῃ· φέρειν « γὰρ οὐ σθένω τὴν στέρησίν σου, φῶς μου.

Ὠδὴ Θ'. Θεὸν ἀνθρώποις ἰδεῖν.

« Χαρὰ οὐδ' ὅλως ἐμοὶ προσψαύσει ἀπὸ « τοῦ νῦν, » ἐβόα θρηνῳδοῦσα ἡ ἄμεμπτος· « τὸ « γὰρ φῶς τῆς χαρᾶς μου ἐν μνήματι ἔδυσε· « ἀλλ' οὐ λίπω τοῦτο μονότατον, ἐνθάδε τεθνή- « ξομαι κἀγὼ, καὶ συνθανοῦμαι αὐτῷ. »

« Ψυχῆς τὸ ἄλγος νῦν θεράπευσον, τέκνον « ἐμὸν, » ἡ πάναγνος ἐβόα δακρύουσα, « καὶ ἀνα- « στῆθι, παῦσον τοὺς πόνους μου καὶ πικράς « μου θλίψεις· δύνασαι, δέσποτα· ὅσα γὰρ σὺ « θέλεις, καὶ ποιεῖς, εἰ καὶ ἐτάφης ἑκών. »

« Ὢ πῶς διέλαθέ σε ἡ ἄβυσσος; » Τῇ ἁγνῇ ἔφη ὁ Κύριος· « Τὸ πλάσμα μου σῶσαι βούλομαι, « θνῆξαι κατεδεξάμην· ἀλλ' ἀπαναστήσομαι « καὶ μεγαλυνῶ ὡς Θεὸς, ἐν οὐρανῷ καὶ ἐν γῇ. »

« Ὑμνῶ τὸ εὐσπλαγχνόν σου, φιλάνθρωπε· « προσκυνῶ τὸ πλοῦτος τοῦ ἐλέους σου, δέ- « σποτα· τὸ γὰρ πλάσμα σου σῶσαι βουλόμενος, « ὡς Θεὸς κατέδεξω, » ἔφη ἡ ἄχραντος. Ἀλλ' ἐν τῇ ἐγέρσει σου, Σῶτερ, πάντας ἐλέησον.

Ode 8.

Flentem ut videt Joseph, ruit
In lacrymas, ore intonat:
« Quorsum parentem ego Deo?
« Sindone qua corpus tegam? »

« Mente hæc videns emoveor:
« A quo feruntur omnia,
« Fert hæc manus; illi ultima
« Cum Nicodemo perago. »

« Portentum id est, et horreo, »
Clamat genitrix, « te vile,
« Nate, sepulcrum continet,
« Qui morte raptos suscitas.

« Adhæream, fili, tuo
« Nunc tumulo, nec temperem
« A fletibus, donec tibi
« In inferis adhæream. »

Ode 9.

« Fuit meum omne gaudium, »
Clamabat innocens, « fuit
« Lumen meum; tecum simul
« Obibo, tecum immoriar.

« Fili, meum angorem vide,
« Exsurge, » clamat lacrymans,
« Exsurge, rumpe nubila.
« Quæcumque vis, potes, Deus.

« Quid tibi abyssi? » — Et Filius:
« Opus meum ut resarciam,
« Mori juvabat; clarior
« Sed ut resurgam, uti Deus. »

Et Virgo: « Te Deum cano,
« Te adoro, qui nos diligis,
« Salvator! » inquit. Nos tuos
Bonus resurgens excita.

MICHAEL PSELLUS SENIOR.

Στίχοι εἰς τοὺς ἁγίους καὶ πανευφήμους ιβ' ἀποστόλους.

Versiculi in sanctos et admodum gloriosos XII *apostolos* [ex cod. Paris. 1782, f. 77].

Ῥώμη ξίφει θνήσκοντα τὸν Παῦλον βλέπει.
Σταυροῖ Πέτρον κύμβαχον ἐν Ῥώμῃ Νέρων.
Σταυροῦσι Πατρεῖς ἄνδρες ὠμῶς Ἀνδρέαν.
Μάχαιρα τέμνει τοὺς Ἰακώβου δρόμους.
Ἴσον Πέτρῳ δίδωσι Φίλιππος μόρον.
Νεκροῦσι λόγχαι τὸν Θωμᾶν ἐν Ἰνδίᾳ.
Βαρθολομαῖος σταυρικῷ θνήσκει πάθει.
Καὶ τὸν Σίμωνα σταυρὸς ἐξάγει βίου.
Καὶ μὴ θανὼν ζῇ καὶ θανὼν Ἰωάννης.
Εἰρηνικῷ τέθνηκε Λουκᾶς ἐν τέλει.
Ζωῆς ὕπνον Πρύτανις ὑπνοῖ Ματθαῖον.
Μάρκον θανατοῖ δῆμος Ἀλεξανδρέων.
Τούτων με, Χριστὲ, δεκτικὸς ἱκεσίας,
Στῆσον προβάτων κατὰ τὴν στάσιν, Λόγε.

Roma ense succisum mori Paulum videt.
Pendere pronum in Urbe vult Nero Petrum.
Cruci Patrenses male figunt Andrean.
Intercipit cursum Jacobi gladius.
Idem ac Petro tibi, Philippe, finis est.
Transverberant te lanceæ, Thoma, indicæ.
Bartholomæum dira crux interficit.
Et crux Simonem pariter cœlo vehit.
Vivit Joannes et quiescit mortuus.
In pace claudit ultimum Lucas diem.
Premit, jubente rege, Matthæum sopor.
Marcum occidit parentem Alexandrina plebs.
Quorum preces, Christe, tibi gratissimæ
In parte gregis dextera me statuant.

INDEX APPENDICIS.

I.

DE TITULIS CHRISTIANIS CARTHAGINIENSIBUS.

JOANNI BAPTISTÆ DE ROSSI EQUITI ROMANO

J. B. PITRA MON. O. S. B.

Viscata aliquando esse hamataque munera, non nemo inter veteres tuos Romanos, vir clarissime, eleganter dixit, et ego sensi oppido, statim ac praeclaram istam christiani Piscis tesseram a te accepi : vix enim quietem habui, donec aliquid reperirem, quantulumcumque demum id esset, e rustica supellectile mea tibi in Urbem mittendum. Non piguit tritas variorum itinerum sarcinas excutere, scrutari pulvereos schedarum forulos, antiqua et vetera promere : haec enim tibi non displicere noveram. Incidi forte in fasciculum quemdam africanorum titulorum, quibus quum nec temporum, neque hominum injuria pepercerit, eo tibi futuros esse gratiores suspicabar. Sed ecce vereor, ut captus quoque munusculi visco hamisque detentus, id mihi minus acceptum referas quam tibi feras in expensum; utque facere soles, in xenia rursus effusus, hæc ultro data jureque reddita vertas in repetunda a te vectigalia.

Meum tamen quum sit, nihil omittere quo mea minus sordescant, pauca de totius fasciculi historia, brevemque singulorum titulorum notitiam addere lubet.


Plures anni sunt, ex quo duo spectati viri, quorum unus, Carolus Comes Borgia, nobili inter tuos italos nomine insignis, alter, J. E. Humbert, tam bellica laude quam describendi monumenta veterum peritia commendatus, una iter fecerunt in tunetanam, olim Carthaginiensium florentissimam provinciam. Quae ibi non pauca sive integra comparavere, sive diligenti notaverunt graphio, ea omnia, interjecto licet tanto marium intervallo, detulerunt ad ultimos usque Batavos. Quid mirum? Omnia celebri hospitio exceptura erat Lugdunensis Batavorum civitas. Erat praefectus musei C. Leemans merentissimus, et jam Horo Apolline suo in orbe notus. Non deerat multo nomine et jure antiquariae rei praepositus, L. Janssens , mox quidem plura ex iisdem Afrorum spoliis publicam in lucem editurus, egregio ornata commentario.

Huc igitur quum semel et iterum ego venissem, eo minus debui quotquot ibi erant Africae christianae κειμήλια negligere, quod eadem tempestate Verecundum meum noctu diuque describebam. Pergratum erat, et adhuc meminisse laetor, quum longo legendi scribendique labore attererer, tollere manum de tabula, et brevi amoenoque pontium, rivulorum, aediumque publicarum transitu, non semel comitante me amico meo, E. Bo-

rett, qui et ipse est in omni veterum disciplina ἐλλογιμώτατος, in museum me recipere, ibique a Verecundo inter Africana respirare, a Byzaceno meo recreari cum Carthaginiensium titulis. Mox ita vehemens me desiderium incessit quaedam ex hac christiana vetustate in Verecundi mei commendationem reservandi, ut litteras hac de re ad illustriss. V. Thorbecke, tunc temporis summas regni administrandi egregie tenentem, scribere auderem. Qui et meas preces tam benigne excepit, ut, procurante humanissime summo musei praefecto C. Leemans, copiam omnem habuerim quaecumque voti mei erant excipiendi.

At diutius haec in schedis meis solesmianis delituere. Jam tua sint, et peragrato propemodum orbe universo, ex Africa, ubi unus vestrum primum ea collegit, ad Urbem redeant. Verum quid ista inter opes tuas vere romanas et opimas totius latinitatis exuvias? At nolim te prius dimittere, quam singula, prout descripta invenio, e schedis quae in museo leydensi asservantur, subjecto decem et septem titulorum schemate a clarissimis illis periegetis accuratissimo, typis tradiderim :

I.



Lapis marmoreus, insculpta cruce opisthographa, effossus in horto hispanici hospitii tunetani [*In mus. leyd. schedis Borgianis, fol.* 1].

II.

Avicula, ima tantum parte pedum exstante.

IN DEO VIVAS

Fragmentum e latere coctili, Carthagine, e vetere sepulcro effossum [*ibid.* fol. 5].

III.




Lapis Carthagine descriptus [*ibid.* fol. 29].

IV.



Lapis Carthagine repertus, haud procul a diruto romani operis amphitheatro, palma, ut in superiore titulo, inter duas litteras dextrorsum inclinata, expansis duodecim foliolis [*ibid.* fol. 29].

V.



Lapis repertus in agro sito Carthaginem inter et locum vulgo dictum *la Goulette*, versus mare [*ibid.* fol. 29].

VI.




Lapis marmoreus, Carthagine, in littore maris repertus [*ibid.* fol. 25].

VII.



Carthagine repertus [*ibid.* fol. 26, n. 2].

VIII.



In agro carthaginiensi repertus, in vico quem nomine Malga vulgus appellat [*ib.* fol. 24].

IX.

VITATI C. F.
IN PACE †

Lapis Carthagine, in littore maris repertus, palmula, ut supra, dextrorsum inclinata, novem foliolis expansis [*ibid.* fol. 23].

X.

+
VITA P· R·
IN PACE

Lapis ex albo marmore sectus, repertus secus mare in Carthaginis promontorio vulgo *Cap-Carthage* [*ibid.* fol. 22].

XI.

M + N.

Carthagine repertus [*ibid.* fol. 26, n. 1].

XII.



Carthagine repertus [*ibid.* fol. 28, n. 1].

XIII.

† P · V †

Ibidem repertus [fol. 27].

XIV.




Ibidem repertus [fol. 28].

XV.




Carthagine repertus, inter congesta aedium rudera quae vetustae ecclesiae quamdam prae se ferebant imaginem [*ibid.* fol. 21].

XVI.



A cl. Comite C. Borgia repertus in itinere ad Siccam Veneriam, quem locum hodie *Keff* appellare solent [*ibid.* fol. 65].

XVII.



Lapis Carthagine repertus, inscriptis litteris in primo versu antiquioribus, in altero recentioribus (*ibid.* fol. 5). Huic nempe tabulae incisus primum est titulus *Divo Claudio* dedicatus; tum ea diffracta, christiani hominis epitaphium imperatorii tituli locum occupavit.

Nec plura, sive in meis, sive in leydensium schedis : sed tuum erit, vir clarissime, quae adhuc latent, revelare, quae silent, diserta facere, quae perierunt, excitare rediviva. Ea solet enim esse aut tua mens aut fortuna, ut ubi caeteris sunt angustiae spinisque obsita dumeta, tibi amplus in quo exsultes, campus aperiatur.

Scribebam in abbatia Solesmensi.

Kal. martii M CCC L VIII.

JOANNI BAPTISTÆ PITRA V. C.

J. B. DE ROSSI SALUTEM.

Africanae ecclesiae christiana monumenta, quae Verecundum africanum scriptorem tua nunc opera in lucem prodeuntem comitari voluisti, digna profecto sunt, quae commentario aliquo instructa et inlustrata lectoribus commendentur. Hujuscemodi enim titulos et epitaphia, quibus vix ulla Europae pars caret, exiguo sane ad hanc diem numero tota nobis Africa, ethnicis licet inscriptionibus ditissima, suppeditavit. Quo fit, ut et magno in pretio habeantur si quae inde nobis innotescunt christianae inscriptiones, et nonnullas sive dictionum formulas, sive notas non in aliis facile monumentis obvias, quin et novas prorsus et intellectu interdum difficillimas harum litterarum studiosis objiciant. Qua rerum novitate notarumque obscuritate africana, quae profers, monumenta prae caeteris insignia mihi videntur. Verum quod a me vir clarissime postulas, ut in hanc arenam unus omnium ego descendam, et inscriptiones has tuas perfecto commentario explicem atque declarem, id nolim nimis confidenter in me suscipere, et committere, ne postquam multam huic argumento operam dederim, operam ipsam videar plane lusisse. Etenim me ab iis prorsus imparatum praesidiis video, quibus arte et ratione potius quam ingenio et quodam quasi ausu divinandi harum inscriptionum aetatem, notarum significationem, aliaque, quae ad plenum earum intellectum conferunt, possim definire : quae praesidia illi demum obtingent, cui plures id genus africanos titulos invicem conferendi, atque alios aliorum ope explicandi facultas erit : cui si et monumenta ipsa et eorum situm oculis usurpare contigerit, is mea quidem opinione verus totius inquisitionis arbiter et judex erit constituendus. Caeterum christianas inscriptiones multo plures, quam typis editae sint, in Africa adhuc extare, qui epigraphicam eam provinciam unus obtinet et egregie administrat, Leo Renier v.c. mihi affirmavit, easque se mihi totas concessurum liberali animo ultro promisit : quem thesaurum dum expecto, si de christiana ejus regionis re epigraphica quidquam in universum statuere aggrederer et obscuriora quaeque securus declarare, nimium meo mihi viderer ingenio confidere. Quare hoc pro tua humanitate mihi ignoscas velim, uti de africanis his titulis nonnulla leviter attingam, alia incerta prorsus et indefinita in medio relinquam; de cruce vero cujus imagine vix non omnes notantur, ac de rarissima adclamatione *in hoc signo semper vinces*, quae bis in tam exiguo monumentorum numero plane singulari occurrit exemplo, paulo fusius exponam.

I.

Ac primum de tunetano titulo dicam (num. 1), quoniam unicus est, et christianis, mea quidem opinione, statim abjudicandus. Crux christianae certe religionis insigne, averso lapidi incisa est; quod, non modo non indicat ipsas quoque in adverso lapide incisas litteras a christiano homine factas esse, verum contrariam potius sententiam quodam quasi praejudicio animo insinuat. Ethnicos enim titulos ubivis terrarum suis ita sepulcris

Christianos adhibuisse, ut in averso lapide novum sive titulum sive sacrum emblema aliquod insculperent innumeris paene exemplis constat. Quo fit, ut primo statim adspectu verisimile videatur epitaphium, de quo disputo, ethnico primum dein christiano sepulcro affixum fuisse. Atqui hoc praejudicium aperte confirmat tota tituli indoles et dictio, quod paucis nullo negotio demonstrabo. Ac primum, ut illud praeteream christianitatis heic plane nulla indicia esse, Felicissimus, cujus hoc epitaphium est, dicitur *dulcis vernaculus*. Fideles porro servos sive libertos appellari in christianis vix unquam epitaphiis deprehendes; vernas autem et vernaculos, si bene memini, omnino nunquam [1]. Alte nimirum veterum Christianorum animis insederat illud Pauli apostoli effatum : *Non est Judaeus, neque Graecus;* NON EST SERVUS, NEQUE LIBER...... *omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* [2]. Quare omnem servitutis mentionem, primis saltem saeculis, tanto in scribundis titulis studio illos vitasse comperi, ut si romanae civitatis leges et jura e christianis unice monumentis essent cognoscenda, servitutis in romano demum imperio vix alla superfuisse vestigia judicaremus [3]. Deinde totus circumquaque titulus circumscribitur singulariis litteris D.M.S. — H.S.E. — O.T.B.Q. — T.T.L.S. *Dis manibus sacrum — hic situs est — ossa tua bene quiescant — terra tibi levis sit*; quas ethnicis monumentis proprias esse, et in christianis alias raro, alias vero nunquam adhuc visas res est exploratissima. Et sane etiamsi notas D.M.S in africanae ecclesiae epitaphiis non raro et mera oscitantia (quod in romanis praesertim coemeteriis usuvenisse omnes norunt), sed saepius, et recepto quasi more, adhibitas olim esse concesserim [4], reliquas tamen litteras, illas potissimum, quibus ossibus quies et terra levis adclamatur, a christianarum inscriptionum stilo prorsus alienas esse nemo, opinor, negabit [5]. At enim singulariae hae litterae, quas in christiano nondum epitaphio vel semel vidimus, ethnicorum in ipsa proprie Africa titulis solemnes sunt et prae quavis alia formula usitatissimae [6] : quarum si e tunetano omnino agro exemplum quaeris, ecce tibi duas ejus agri inscriptiones e codice quodam chartaceo, quem ego ipse vidi Pisis in bibliotheca seminarii S. Catharinae [7] :

(1) In christiano e suburbanis coemeteriis titulo, quem ego vidi Neapoli in museo borbonico, et post Cardinalium (*Iscr. ant. ined.* p. 58, 358) edidit Mommsen (*Inscr. R. N.* n. 7174) vox *verna* occurrit, verum proprium nomen esse judico.

(2) Ad Gal. III, 26, 28. Cf. I Corinth. VII, 22; Coloss. III, 11.

(3) Vide excursum primum ad calcem hujus epistolae.

(4) V. Hase, *Journal des Savants*, 1837, p. 648, 649; et Cavedoni, *Mem. di Modena*, ser. 2, t. VII, p. 137.

(5) Formulam hanc OSSA TVA BENE REQVIESCANT semel tantum, si bene memini, in christiano epitaphio legi apud Aringhium, R. S. t. I, p. 610, non vero singularibus litteris, sed ὁλογραμμάτως exaratam, quemadmodum scribi debuit nova prorsus et ignota his titulis adclamatio. Verba item *sit tibi terra levis* (ipsa inquam verba, non notas) semel vidi in epitaphio adhuc inedito anni 423, ubi tamen inusitata christianis titulis dictio admirationem parum movet, siquidem metricum et poeticum epigramma est, ac proinde a solemnium formularum legibus paene solutum.

(6) V. Maffei, *Mus. Ver.* 466, 7. Janssen, *Mus. Lugd. Bat.* Inscr. tab. XXII, 3, 6; tab. XXIII, 1, 2, p. 111, 112, 113; et Renier, *Inscript. de l'Algérie*, n. 596, 774, 852, 1130, 1384 et alibi passim : notas vero H. S. E. in omnibus fere africanis epitaphiis legimus inde a fabrettiano, 562, 93 (quem corrupit Gorius, *Inscr. Etr.* t. I, p. 58, n. 139), et maffeianis, l. c. a pag. 461 ad 466.

(7) Has inscriptiones Tuneti vidit et exscripsit Joannes Pagnius, cujus epistolam datam Tuneto die 3 septembris anno 1667, et inscriptionum exempla repperi in codice suprascripto, qui numero caret : eadem legerat Gorius in codice strozziano 1346 (unde codex, quem ego adhibui, totus pendet), verum paulo negligentius edidit (*Inscr. Etr.* t. I, p. 77, n. 218, 219) et quo loco in Africa hi lapides fuerint tacuit.

D.M.S.
APRONIAVIC
TORIA PIA
VIX.ANN.XLIIX
M.II.D.XI
H.S.E.FIISOIBO

D.M.S.
ANNARIA
FRVCTA
CONIVNX
CARISSIMA
PIA VIXIT[1]
ANNISXXXV
H.S.E.OIBOTTIS

In extremis porro litteris depravatum esse utriusque inscriptionis exemplum, et emendandum T.T.L.S. — O.T.B.Q. quivis facile videt. Demum unica, quae ad hanc diem nobis innotuit, christiana tunetani agri inscriptio, maffeiana nempe 464, 6, nullam e singulariis illis litteris praefert, licet valde antiqua certe sit[2], et si Morcelli rationes constent (qua de re equidem dubito), circa annum a Christo 227 lapidi incisa[3] Illi itaque, de quo haec proloquutus sum, titulo cum christianis sive tunetanae sive cujuslibet alterius regionis inscriptionibus similitudo prorsus nulla est, cum ethnicis vero totius orbis romani, ac praesertim Africae, atque ipsius adeo tunetani agri, tanta, ut major esse non possit. Quare a christianorum censu delendum meo, ni fallor, jure pronunciavi.

De reliquis ergo, quos edidisti, christianis manifesto titulis dicere aggrediar; non multa tamen, et vix quidquam, quod pertinaci ausim animo asserere. Sexdecim enim sive epitaphia sive alterius generis tituli sunt, et ad carthaginiensem omnes ecclesiam spectant, inlustrem illam quidem et proconsularis Africae principem, verum unde vix duos tresve ad hanc diem litteratos lapides habueram. Quod si solemnes et jamdiu notas christianarum inscriptionum formulas in his quoque carthaginiensibus titulis deprehenderem, nulla causa esset, cur de earum interpretatione tantopere haesitarem. Verum, una excepta adclamatione *in Deo vivas*, paene omnia heic partim raro usitata, partim omnino nova et obscurissima esse video; omnia, inquam, neque enim vel ipsas vulgatissimas voces *in pace* heic novitate aliqua carere facile demonstrabo. Itaque, sive harum inscriptionum interpretationem aggredior, sive in earum aetatem inquiro, multa me morantur atque adeo impediunt, ut animum interdum paene despondeam.

Et sane vix ullus heic titulus est, qui non quasdam notas et singularias litteras exhibeat, quarum nullum adhuc aliud exemplum vidi : quin immo nonnulli in his lapides sunt, qui nihil praeter singularias litteras et symbola prae se ferunt. Ecce enim habes notas L.N.,C.F.,L.T.,P.R., P.S. propriis defunctorum nominibus adscriptas, tum C.M. LV.... et V.R. adclamationi IN HOC SICNVM SEMPER VINC*es* conjunctas; demum MN — PP — DN — PV, quarum unumquodque par integrum titulum conficit; omnes adeo obscuro et arcano sensu, ut, nisi quis Oedipus sit, nescio an probabili

(1) PIVS VIXIT, PIA VIXIT, formula est ethnicorum in Africa, ac praesertim in agro tunetano titulis tota propria; v. Fabr. Maff. Janssen, ll. cc. et Renier, op. c. passim.

(2) V. Giovenazzi, *Aveja*, p. 71.

(3) Morcelli, *Africa christ.* t. II, p. 91.

quidquam sententia inde possit exsculpere. Nam, ut ab illis, quae propria nomina comitantur, incipiam, primas certe notas L. N., C. F. pronum esset interpretari VITATI *Lucii Nepoti*, VITATI *Caii Filio*; quin et litteras L. T. corroso fortasse lapide evanidas in L. F. mutandas esse facile conjicerem, ut sensus esset *Lucii Filio* : verum quid reliquis litteris facies P. R., P. S., quae in his titulis parem prorsus ac primae illae locum obtinent, ideoque ad eandem cum illis interpretationis legem sunt manifesto exigendae? Unum equidem epitaphium novi, quod cum his non comparari modo possit, sed conjungi omnino debeat, quippe quod ejusdem familiae sit, et Carthagine (ex eodem, opinor, unde et haec prodierunt coemeterio) Lugdunum Batavorum translatum [1]. Verum nulla inde interpretandis his notis auxilia, nova potius impedimenta. His nempe tantum litteris totum epitaphium constat :

VITATICA
IN PACI

Sed, collatis carthaginiensibus, de quibus loquor, titulis, sic emendanda facile lectio videbitur : VITATI.C.A.IN PACE; unde nihil reliquis clariores notae exurgunt C.A., quibus nulla certe cognationis appellatio possit significari. Praeterea vocum compendia, quibus quis quaeve cujus filius filiave, nepos neptisve fuerit significatur, ethnicis titulis plane sollemnes, latina Christianorum epitaphia nunquam videntur recepisse [2]; quare honoris potius vel amoris, quam cognationis appellationes sub his litteris delitescere veterum inscriptionum scientia suadet. Verum hanc quoque viam si aggrediamur non facilem, opinor, exitum reperiemus. Litteras certe C.F. clarissimam feminam plerumque significare nemo unus ignorat; et has ipsas notas C.A., quas modo proposui, *carissimae animae* explicari probabiliter posse romana quaedam inscriptio facilioris ingenii hominibus fortasse suaderet [3] : praeterea notas L.V., L.F., L.P. de *laudabilibus viris*, *feminis*, *puellis* intelligendas esse certo constat [4]; quare si liceat tuarum inscriptionum apographa leviter emendare, et L.N. in L.V. itemque L.T. in L.F. vel L.P. mutare, nulla jam heic supererit obscuritas; sed parum tali ausu profecerim, quandoquidem singulares aliae litterae sunt P.S., P.R., quas si mutare pariter aggrediar temerarius profecto videar, si tale facinus non audeam cum tenebris iterum nos colluctari necesse erit. Non me praeterit hanc harum litterarum explicationem confingi posse VITATI P.S., *Vitali patri sancto*, vel *presbytero sancto* ; VITA P. R. *vita pater* vel *presbyter reverendus* ; verum haec commenta ab epigraphica dictione longo distant intervallo. Veteres enim inde a saeculo quinto sacrorum ministros in publicis monumentis V.V.

(1) Janssen, l. c. tab. xxv, 2, p. 117.

(2) V. Leblant, *Inscr. chrét. de la Gaule*, t. i, p. 125; nec quae laudat christianarum feminarum epitaphia, quasi notas L. F. (Lucii filia) praeter morem exhibentia, hanc vere interpretationem recipiunt, legendum enim esse *laudabilis femina* pluribus exemplis constat.

(3) Maffei, *M. V.* p. 483. Cf. Lami, *Nov. Fior.* 1749, p. 357 ; Zaccaria, *Storia lett.* 3, edit. t. i, p. 295; *Excurs. litt.* t. i, p. 189, et apud Gori, *Symb. Flor.* t. vi, p. 180.

(4) V. Marini, *Papiri*, p. 260, 265, et papyracea instrumenta, n. 113, 114, 115, aliaque passim, et confer cum inscriptionibus apud Mur. 435, 3; Gori, *Inscr. Etr.* t. i, p. 46, n. 84 ; t. iii, p. 323, n. 8; Cavedoni, *Due antichi cem. crist. di Chiusi*, p. 69, 71, 75 (ex *Mem. di Modena*, ser. 3, t. xiv), aliosque.

viros venerabiles[1] et V.R. *viros reverendos*[2] appellarunt, nusquam vero, quantum ad hanc diem novimus, *patres*, sive *presbyteros reverendos* aut *sanctos*; et solitariam litteram S. saeculo circiter quinto *spectabilem* potius quam *sanctum* virum significare vetera epitaphia demonstrant[3]. Demum haec ipsa nomina, quae declinari videntur *Vita*, *Vitalis*, *Vitali*, nescio an aliis nota, mihi quidem inaudita prorsus accidunt, et utrum masculina, an feminina, an utriusque generis sint ignorare me fateor; quo magis incertum est quaenam haec nomina comitantibus notis adhibenda interpretatio sit. Illuc ergo unde incepit mea redit argumentatio, in re adeo obscura satius esse ignorantiam non diffiteri, quam divinando operam ludere. Quod de reliquis, quas nondum attigi, singularis litteris eo magis dixerim, quo illarum in his lapidibus solitarius usus a consueta notarum lege et ab omni veterum inscriptionum exemplo magis abhorret. Sigla fortasse DN appicta palma, quae victoriae insigne est, interpretari possem *Dominus noster vicit* (νικᾷ); et elementa MN, quae mutanda omnino videntur in MM, *memoriam* facile significant, quo vocabulo Christianorum in Africa sepulcra appellari solemne fuit[4]. Sed haec aliaque id genus ingeniosa potius commenta videri facile possint, quam ad scientiae nostrae leges exacta judicia : totum enim hoc genus epitaphiorum, quae solitarias tantum litteras praeferunt, vix paucis ad hanc diem exemplis notum, a comparatis invicem monumentis nullam adhuc lucem accepit.

Jam ergo relictis arcanis his notis formulas, quae omnibus litteris perscriptae in his titulis sunt, examinemus. Quae in tanta harum inscriptionum simplicitate his tantum adclamationibus constant : *vivas in Deo; in pace* et *in hoc signo semper vinces* (vel *vincas*). De prima illa *vivas in Deo* vix quidquam est, quod heic loci monitos lectores velim; est enim formula christianae pietatis tota propria, et christianis omnis generis monumentis saepissime inscripta[5], qua non minus vivis, quam vita functis adclamatur; eaque jam in africanae regionis titulis sese nobis obtulit[6]. Illa contra supra caeteras omnes christianis epitaphiis sollemnis adclamatio, quam pleraeque tuae inscriptiones praeferunt, vox scilicet *in pace*[7], non eundem proprie in africanis, atque in romanae ecclesiae monumentis, sensum mihi videtur significare.

Romana enim epitaphia celeberrimam hanc vocem ita passim adhibent, ut non quod praecessit, sed quod mortem ipsam subsequitur tempus plerumque respiciat; quod ne multis exponam, hoc unum reputari a lectoribus velim plenam et integram formulam his aliisque similibus verbis in romanis passim titulis obviam esse : *spiritus tuus in pace*,

(1) V. Marini, l. c. p. 345. Hanc *viri venerabilis* appellationem et in insigni africano titulo mihi deprehendere videor, in sitifensi nempe inscriptione anni 452, de qua vide Renier, *Revue arch.* t. VII, p. 369 et seqq.; et P. de Bruch, *Collect. des précis hist. litt. scientif.* an. 1854, p. 470 et seqq. Verba DEDICANTE LAVRENTIO VV conferenda sunt cum simillima dictione votivi tituli ante ipsum Alexandri et Eventii martyrum sepulcrum via nomentana nuper inventi : *sanctis martyribus Eventio* ET ALEXANDRO DELICATVS VOTO POSVIT DEDICANTE A· EPISCOPO VRS; (v. Visconti, *Giornale di Roma*, an. 1854, p. 1223); quare monumenti consecrationem ab episcopo factam utraque inscriptione significari facile intelligitur.

(2) V. Marini, l. c. p. 252, 257, et alibi passim, et confer cum inscriptionibus editis a Bottazzi, *Le ant. di Tortona*, p. 120, ab Allegranza, *de Sepulcris*, p. 10, n. 163, aliisque.

(3) V. Hagenbuch, *Epist. epigr.* p. 329. Cf. Marini, l. c. p. 266, et alibi.

(4) Geminam litteram M vocem *memoria* significare jam recte viderunt Hagenbuchius (apud Orelli, *Inscr.* n. 4460), et Muratorius (*Thes. Inscr.* 1835, 11) : eaque nota in Etruriae atque Insubriae epitaphiis plus semel apparet (v. e. gr. Grut. 1051, 11, 850, 6; Mur. l. c. et Cavedoni, l. c. p. 25), in editis vero Christianorum africanae regionis inscriptionibus epitaphia et sepulcra *memorias* saepe appellari quivis videt, qua de re alio loco dicam.

(5) V. Le Blant, l. c. p. 64.

(6) V. Renier, *Inscr. de l'Algérie*, n. 1673.

(7) De hac adclamatione egregie nuper De Witte, *Mém. sur l'Imp. Salonine*, p. 40-47.

vivas in pace, te in pace Christus faciat, itemque *dormit in pace*, *dormit in somno pacis*; quibus non mortalis, sed immortalis vitae pacem et resurrectionis spem significari nemo non videt [1]. Nec diffitebor unum alterumve monumentum esse, quod contrariam sententiam manifesto suadet; titulum puta Herilae comitis, qui *decessit in pace fidei catholicae* [2], et celeberrimum multorum commentariis vexatum magis quam explicatum Hilari *in pace et fide constituti* epitaphium [3]. Heic enim voces *in pace* catholicae *communionis* societatem, in qua defunctus vixit, vel vita saltem excessit indubie demonstrant : quo tamen sensu illa cave ne accipias, quae leges in titulo anni 490 : HIC DEPOSITA EST IN PACE ROME [4], quasi femina in romanae ecclesiae pace defuncta dicatur [5]; ibi enim ROME non Urbis, sed ipsius defunctae feminae proprium nomen est. Atqui ipsa utriusque formulae novitas, in qua non unius *pacis*, sed *pacis* et *fidei* mentio fit, satis indicat non vulgarem et sollemnem, sed proprium aliquem illis epitaphiis sensum subesse. Et sane nonne Herilam comitem natione Gothum fuisse nomen ipsum prodit? Ecce ergo cur singulari in romanis titulis exemplo *in pace fidei catholicae* illum decessisse, qui ejus funus curarunt sepulcro inscripserunt; Gothorum enim plerosque arianos fuisse nemo nescit, quare sive ille, quod verisimillimum est, ab ariana secta ad catholicam ecclesiam se converterit, sive catholicam semper fidem coluerit, id in Gotho homine memoria et inscriptione dignum visum est. Neque multo diversam Hilari *in pace et fide constituti* causam esse mea quidem opinio fert : aut enim nihil illa verba significant nisi merum sive neophytum sive fidelem (quid autem tanta circumlocutione opus fuit, si uno verbo multo clarius res exprimi potuit?), aut si quid praeterea significant, hoc legenti scilicet insinuant Hilarum ab ecclesiae olim *pace et fide* alienum in utraque demum constitutum, id est ex haeretico catholicum factum, decessisse : quod nobis post quindecim demum saecula subobscurum videri certe potest, aequalibus tamen, qui Hilari vitam et facta noverant potuit esse intellectu facillimum. Caeterum quidquid de singulari hoc monumento sentiendum sit, universa romanarum inscriptionum multitudo hoc aperte nos docet primariam ac potissimam adclamationis *in pace* significationem illam Romae fuisse, quae beatorum pacem aeternam et revicturi corporis spem unice respicit. Haec primaria, inquam, ac potissima significatio fuit; neque enim omnino negaverim de catholicae quoque societatis vinculo ac pace qui sollemnem hanc formulam romanis epitaphiis adhibuerunt saepe cogitasse. Veteris nempe christianae disciplinae haec divinitus accepta doctrina fuit, mortalem hanc vitam fidelibus ad immortalitatem praeludere, et promissae beatitatis perfectionem consummationemque *in altero saeculo* futuram, cujus jam exordia qui in Christo pie vixerint in *hoc saeculo* delibarint. Hinc quaecumque effata de fidelibus jam vita functis et in caelo receptis vetera monumenta usurpant, eadem et de viventibus adhibent; utrique *in Deo* et *in Christo*, utrique *in agape*, utrique demum *in pace* vivere dicuntur et esse et permanere. Quare idcirco quis *depositus in pace* et *acceptus in pace* significatur, quod pacem Christi quam in hac vita coluerat, vel vita excedens expetierat et secum tulerat, jam perpetuam nactus sit et omni ex parte perfectam [6] : sic de martyribus lugdunensibus

(1) V. potissimum Zaccaria, *de Veterum christ. inscr. usu in reb. theol.* (in *Thesauro theol.* t. I, p. 347 et seqq.)

(2) Fabretti, *De epitaphio Hilari*, p. 757, n. 628; Doni, XX, n. 65.

(3) Maffei, l. c. p. 359, 2; Bottari, *Roma sotterranea*, t. III, p. 59; Mazocchi, *de Epitaphio Hilari*, aliique multi.

(4) Bosio, *Roma sott.* p. 434; Aringhi, t. II, p. 169; Fabr. l. c. p. 757, 627.

(5) Hanc interpretationem dedit Zaccaria, l. c. p. 352.

(6) Cf. Cavedoni, *Memorie di Modena*, ser. 2, t. VII, p. 54 et 55.

lugdunenses fideles testantur, quod : εἰρήνην ἀγαπήσαντες ἀεὶ, καὶ εἰρήνην ἡμῖν παρεγγυήσαντες μετ' εἰρήνης ἐχώρησαν πρὸς Θεόν [1]. Atque haec romanarum inscriptionum manifesta plerumque sententia est.

Africanae contra ecclesiae monumenta in pacis vocabulo quasi primariam et potissimam catholicae pacis significationem videntur respexisse, neque ad altiorem saepe sensum spectasse. Ecce enim in tam exiguo christianarum inscriptionum numero, quotquot ex Africa mihi adhuc innotuerunt, jam quater omnibus litteris scriptum legi VIXIT IN PACE, ΖΗΣΑΣΑΕΝΕΙΡΗΝΗ [2], octies IN PACE VIXIT [3]; ita ut collatis utriusque formulae exemplis unice verisimile sit in africanis his titulis vocem *in pace* a sequenti voce *vixit* sejungendam non esse, immo potius eidem conjungendam. Nec putes vulgare hoc esse et nulla dignum animadversione. Nam, ut totum quam late patet epigraphicum orbem percurras, extra suburbani quidem soli fines vix uspiam, si unum excipias Lugdunum, ejus dictionis *vixit in pace* vestigium reperies [4]; in urbanis vero monumentis adeo rara exempla, ut in tot inscriptionum millibus, quae litteras *in pace* prae se ferunt, undenas tantum deprehendas, quibus *vixit in pace* fuerit inscriptum [5]. Nec idcirco ab ipsis romanae ecclesiae alumnis tametsi raro interdum tamen adhibitam hanc formulam esse, undecim tantum repertis exemplis, indubie crediderim. Quis enim nesciat omnis nationis homines Romam confluxisse, et *peregrinos fideles* magno semper in romana ecclesia numero versatos? Quo fit, ut formulae christianis exterarum regionum epitaphiis sollemnes et fere propriae in romanis identidem monumentis occurrant; igitur quaerendum utrum romanorum civium an exterorum potius hominum undecim illa epitaphia sint, quibus praeter morem inscriptum VIXIT IN PACE. Cui quaestioni vix ullo satisfieri pacto potest, quandoquidem rarissima in hujuscemodi titulis nationis et patriae mentio est. Ecce autem in tanta hujus mentionis raritate, inque undenis non amplius titulis, duo tamen sunt qui defunctum urbanum non fuisse civem conceptis verbis testantur, unus nempe Rapetigae *civis hispani* (n. 11), alter Gerontii *peregrini* (n. 10); alia praeterea in

(1) V. Euseb. *Hist. eccl.* v, 2.

(2) Janssen, l. c. tab. xxv, 1, p. 117, hanc exhibet ex Africae oris septentrionalibus inscriptionem IORTICIVS —VISXIT IN—PACEAN—NIS LXV PVS — MINVS ☧. Lege FORTICIVS, non quemadmodum editor VORTICIVS. Adde inscriptionem calamensem editam a Renier, l. c. n. 2839, et graecam cirtensem ab eodem n. 2146, ac demum epitaphium, quod a Thysdro (nunc El-Djem) nuper accepimus (*Bulletin de l'Athenaeum français*, I, 635).

(3) V. Renier, *Rev. arch.*, xi, 442, et de Caussade, *Notice sur les traces de l'occupation romaine*, etc. (*Mém. de la Société archéolog. de l'Orléanais*, t. i, p. 315); Janssen, l. c. tab. xxv, n. 5, p. 118; Hefner, *Rœmische Inschriften* (*Abhandl. der Münchener Akad. d. W. philos.-hist. cl.* t. v, p. 265); Clarac, *Musée, pl.* 73, n. 57; Caronni, *Ragguaglio d'un viaggio*, Milano, 1805, II, 135; Renier, *Bulletin des sociétés savantes*, an. 1855, Le Blant, loc. cit. p. 117; et fragmentum notatum numero V inter inscriptiones, de quibus commentor.

(4) Unum nempe hujus formulae exemplum repperi in inscriptione quadam edita a Millin, *Voyage dans le midi de la France*, t. ii, p. 166, quae adservabatur in civitate Vivariensi in museo privati nescio cujus hominis, quare incertum est utrum ex ipso vivariensi territorio prodierit, an Lugduno potius illuc fuerit translata. Alterum exemplum praebet inscriptio quaedam inedita tarracinensis anni a Christo 345. V. quoque Le Blant, l. c. p. 454, n. 339, et p. 460, n. 344, et inscriptionem graecam neapolitanam editam a Reinesio (xx, 364) aliisque, sed accuratissime a Martorellio (*Theca calam.* t. ii, p. 527), de qua consulendus Pellicia, *de Christ. Eccl. polit.* ed. Bassani, t. iv, p. 178 et sqq.

(5) 1° Boldetti, p. 433; 2° Idem, p. 494; 3° Idem, p. 383 et 396; 4° Marangoni, *Acta S. Victorini*, p. 121; 5° *Voyage littéraire de deux bénédictins*, P. i, p. 261; 6° Cardinali, *Iscr. ant. ined.* p. 67, n. 480 (et Mommsen, *Inscr.* R. N. n. 7197); 7° Bottari, *Roma sott.* t. iii, p. 118, n. 27 (et Passionei, *Iscr.* p. 117, n. 41, et Donati, p. 191, n. 2); 8° Gori, *Xenia epigraphica* (in *Actis societ. lat. Ienensis*, t. iv, p. 43, n. 157); 9° Inscriptio inedita cujusdam Aureliae graecis litteris latina lingua, cujus nunc fragmentum superest in museo vaticano; 10° Inscriptio *Gerontii peregrini* e coemeterio Cyriacae anno 1845; 11° Item alia *Rapetigae Medici civis hispani* facta anno 388, e coemeterio suprascripto anno 1847; utraque nunc in museo lateranensi.

his titulis peregrinitatis extant indicia; habes enim heic mulierem barbaro nomine *Fredam* (n. 7), habes epitaphium latina lingua graecis litteris scriptum, quin graecis latinique verbis mixtum (n. 9); habes demum in inscriptione anni 544 vocem DEPOSETA (n. 8), quod, mea quidem sententia, manifestum est provincialis rusticitatis argumentum; siquidem romanos cives vel sexto currente saeculo *depositum* et *dipositum* dicere ac scribere consuevisse urbanae inscriptiones quotquot extant testantur, provinciales contra, maxime Gallos, littera E loco I ad nauseam usque abusos esse innumeris exemplis constat. Luce ergo meridiana clarius est formulam de qua disputo (*vixit in pace*) non modo rarissimam in romanis epitaphiis esse, quippe quae vix undecies in undecim paene inscriptionum millibus occurrat, sed et si quando occurrit a peregrinis potius hominibus quam ab romanae ecclesiae alumnis usurpatam videri. In lugdunensi contra civitate de viginti circiter epitaphiis, quae voces praeferunt *in pace*, octo omnino sunt (id est dimidia fere pars) quae eandem cum voce *vixit* conjungant [1] : in Africa vero ex sexdenis, quos tantum novi, titulis, non sola pacis adscripta adclamatione, sed defuncti quoque vitam et mortem significantibus, vix quattuor excepi in quibus RECESSIT IN PACE, PRAECESSIT IN PACE, REQ. IN PACE, QUIEVERUNT IN PACE scriptum animadverti [2], reliquis adhibita dictio fuit *vixit in pace*, *in pace vixit*. Plura licet africana id genus epitaphia alii noverint, mihi in exiguo hoc numero adeo manifesta videtur ratio constare formulam quae Romae paene ignota fuit, Lugduni notissima, in Africa pervulgatam fuisse ac plane sollemnem, ut confirmari quidem pluribus exemplis rem posse opiner, jam satis perspicuam tamen esse, et illis, qui conferendis invicem monumentis ingenium exercere solent, omni ex parte probabilem. Quaenam autem causa fuerit, cur pacem tumulis inscribentes Romani quidem de immortali, Afri vero de mortali ut plurimum aevo et vita cogitaverint, operae pretium erit paucis exponere.

Christiana quantumvis dissitis posita regionibus epitaphia insigne quidem cum in sententiis, tum in ipsis plerumque verbis unanimis concordiae exemplum exhibent; verum in hac concordia nonnulla formularum varietas est, quarum alias uni, alias alteri sive regioni, sive provinciae, sive civitati aut oppido prae caeteris omnibus placuisse, interdum etiam proprias fuisse, monumenta ipsa clare demonstrant. Atque ut uno exemplo defungar, quis crediderit christianos ostiensis civitatis homines in tantae licet ecclesiae conspectu, qualis romana fuit, quin et in ejus prope sinu altos atque educatos, suis tamen epitaphiis proprias quasdam notas impressisse, quibus illa non modo a romanae, sed et ab ipsis contiguae portuensis ecclesiae titulis nullo plerumque negotio discerni facile possint? Ecce enim sollemnem et plurimis christianis epitaphiis variis modis adhibitam vocem *dormit* adeo frequentarunt et quasi propriam excoluerunt sibique vindicarunt, ut in duobus circiter supra quadraginta latinis ostiensibus titulis tres supra triginta eam vocem prae se ferant, neque utcumque, sed medio semper vel extremo epitaphio sic

(1) V. de Boissieu, *Inscript. antiques de Lyon*, p. 599, et Le Blant, l. c. p. 37, n. 13; de Boissieu, p. 581, Le Blant, p. 38, n. 14; Murat. 432, 1, et Le Blant, p. 40, n. 17; de Boissieu, p. 548, et Le Blant, p. 78, n. 37; Millin, l. c. t. I, p. 512, et de Boissieu, p. 580, et Le Blant, p. 136, n. 60; Millin, l. c. t. I, p. 478, et de Boissieu, p. 571, et Le Blant, p. 151, n. 69; Le Blant, p. 152, n. 70; de Boissieu, p. 594, et Le Blant, p. 164, n. 82, In his observatione dignissima est inscriptio apud Le Blant, n. 37, cujus testimonio certo constat formulam *vixit in pace* in lugdunensibus saltem titulis *laicam*, quam vocant, *communionem* designare. De hac inscriptione egregie Greppo, *Revue du Lyonnais*, t. XII, p. 51.

(2) V. Hase, *Journal des savants*, an. 1837, p. 705, et Renier, *Rev. arch.*, VII, 372; Prevost, *Rev. arch.*, V, 372; Clarac, *Mus. de sculpt.*, t. II, *pl.* LXXIX, 66; de la Mare, *Exploration scientifique de l'Algérie*, pl. 85, n. 10.

adscriptam : HIC DORMIT, HIC DORMIVNT [1]. Praeterea qui sibi viventes sepulcrum parassent, hi propriam quamdam et nullis usquam aliis christianis in titulis, non in ipsis proximae urbis Romæ coemeteriis, vel semel obviam formulam usurparunt : SI DEVS VOLET, QVANDO DEVS VOLET, SI DEVS PERMISERIT, QVANDO DEVS PERMISERIT. Quis hosce singulis ecclesiis in pangendis epitaphiis proprios mores explicare ratione possit, eorumque causas et momenta exquirere ac declarare? Multa, opinor, a propriis unicuique ecclesiae liturgicis precibus in singulares id genus epigraphicos usus derivata et quotidiana consuetudine perinde ac quadam lege inducta ac consecrata; nonnulla quoque casu potius et imitatione, quam ratione et consilio frequentari coepta; alia demum singulari aliqua de causa, quam in uniuscujusque ecclesiae historia ac moribus investigare par est, sensim introducta et brevi sollemnia atque unice legitima effecta. Enimvero talem aliquam adhibendae formulae VIXIT IN PACE in africana ecclesia causam fuisse vehemens mihi suspicio est.

Quo enim casu lugdunensibus epitaphiis, quinto praesertim et sexto saeculo, haec formula inscribi passim consueverit nec divinando assequi certe possum; africanae contra ecclesiae tota clamat historia nullibi tam dira et diuturna et furoris plena dissidia divina humanaque omnia turbasse, nullibi christianae pacis jura et catholicae societatis vincula violentius fuisse disrupta, quam in ipsa Africa inde ab exordiis saeculi quarti; quo tempore, miserrimo ejus regionis fato, Donatistarum calumnia agitari coepit, et in immensum brevi schisma erupit; quod vix ac ne vix quidem sopitum demum fuerat, cum ariana haeresis a Vandalis invecta extremam catholico per Africam nomini perniciem afferre molita est. Quid ergo mirum si in vexatis tanto schismate, quin et ariana quoque ab haeresi ecclesiis, in quibus hoc unum omni adsiduitate et studio earum rectores agebant, ut catholicae *communionis* et *pacis* sanctissima jura sermonibus atque editis scriptis quotidie exponerent, inculcarent ac persuaderent, qui *pacem* tumulis inscripserunt de illa propria pace, in quam catholici nominis fideles mentem animumque totum defixerant, unice cogitarunt, et in hoc maximum defuncti hominis bonum certioremque beatae immortalitatis spem putarunt, quod *in pace*, id est in ecclesiae sinu, vixisset? Romanae vero ecclesiae, singulari providentis Dei beneficio, longe dispar et multo beatior conditio fuit. In qua catholicae societatis vinculum et legitimae doctrinae praedicatio ita semper praevaluit, ut haereses et schismata aut altiores nunquam in urbe radices egerint, aut prae ingenti catholici nominis populo exiguum sectatorum numerum habere visa sint; quod vel de novatiana secta, qua nullam graviorem diuturnioremque romana ecclesia experta est, si res postularet, demonstrare facile possem. Hinc illa securitas, quam de ecclesiae unitate universa urbis Romae christiana monumenta videntur prae se ferre; hinc primaria iisdem et potissima in pacis adclamatione caelestis et immortalis vitae significatio. Qua de re, si suus hic esset dicendi locus, multo plenius exponerem : sed vereor ne plus de hoc argumento scripserim, quam hujus epistolae incoepto videatur convenire.

Restat ergo ut de rarissima in christianis titulis adclamatione IN HOC SIGNVM SEMPER VINCES, quæ Constantinianae victoriae insigne monumentum est, pro argumenti dignitate disserere incipiam. Quod quoniam fieri certe nequit, nisi de appicta quoque cruce sermonem instituam, de hac vero me extremo loco paulo diligentius expositurum praedixi, antequam eo demum perveniam aliis symbolis, quae incisa his lapidibus

(1) Cf. Visconti, *Giornale Arcadico*, t. CXLII, p. 202.

sunt adhibenda cura est, et ipsa quoque, si fieri potest, horum monumentorum aetas definienda. A symbolis me brevissime expediam. Nam praeter crucem, qua paene omnes hi tituli insignes sunt, heic occurrunt palmae, aves, una fortasse solitaria, aliae vas floribus refertum appetentes, item vas herbis vel pomis (neque enim diagramma satis nitidum est) refertum, cui pastorale pedum adjacet; demum triangulus tribus sive orbiculis, sive punctis adscriptis. De christianis his signis, uno fortasse excepto triangulo, multae eaeque notissimae extant doctorum hominum commentationes; quorum sententias referre modo et expendere nihil attinet. Hoc tamen moneo palmas item et aves, cruces praeterea monogrammaticas, in quodam laterculi fragmento ex Africae oris septentrionalibus effosso conspicuas esse, quod heic placet adscribere :

p EREGRINVS ⳨
sa T*u*RNINVS ⳨
pa VLVS ⳨
∼∼∼∼∼∼∼∼ ⳨
pri MASIA ⳨
pr IBATA
aviculae duae ⳨.

Janssenius V. C. hujus fragmenti editor [1] existimavit appictis huic laterculo palmis martyrum nomina notari : quod facile concederem, (palmam enim, tametsi cujusvis christiani hominis sepulcro appingi potuit, martyribus tamen potissimum convenire quis neget?) nisi cruces monogrammaticae recentiorem quarti saeculi initiis aetatem manifesto proderent. Quis porro crediderit quarto demum vel quinto saeculo, quo tanti martyribus honores habiti sunt, ut nulla unquam aetate majores, martyrum nomina aliis christianorum hominum obscuris nominibus ita admixta fuisse, ut unius palmae indicio, quod incertissimum certe fuit, distinguenda a reliquis essent? Palma ergo in africanae, non secus atque in romanae ecclesiae monumentis non martyrum tantum victoriam significat : neque, ut Orosii, africani paene scriptoris, verbis utar, soli martyres, sed omnes *electi palmas in manibus habent, dum quolibet modo triumphant de antiquo hoste et hujus saeculi voluptatibus* [2]. Praeterea quoties Christi sive monogrammati sive cruci, quemadmodum in hoc fragmento aliisque, de quibus disputo, africanis titulis, appicta palma est, de crucis triumpho explicandam illam esse res ipsa videtur admonere.


Quod trianguli imaginem spectat, qui christiana symbola recensere instituerunt, ejus nullam, si bene memini, rationem videntur habuisse. Verum trianguli quoque signum veteres christianos suis plus semel monumentis inscripsisse, praeter africanum, de quo loquor, fragmentum, epitaphia demonstrant tum romana ab Aringhio, Boldetto, et Lupio edita [3], cum lugdunense, quod e barberinianae bibliothecae schedis excepi [4], in quibus haec signa extant (n. 1, 2, 3, 4)

(1) L. c. p. 115, tab. XXIV, n. 5. Deficientes litteras nullo negotio supplevi : in v. 4 *Bru*MASIA scribendum opinor, vel *Pri*MASIA; *Primasius* tamen celebre in africanae ecclesiae fastis nomen est, quemadmodum et *Quintasius*. V. Morcelli, *Africa christiana*, t. I, p. 389, III, 422.

(2) V. Fragmentum expositionis in Apocalypsim editum a de Magistris, *Acta mart. ad Ost. Tyb.* p. 470.

(3) Aringhi, R. S. p. 605; Boldetti, p. 402, sed pessime; Lupi, *S. Sev.* p. 64 et 102.

(4) V. Le Blant, l. c. p. 107, n. 49.



Accedunt ex ipsa iterum Africa curubitanæ tabulae [1], quae tale saltem ter monogramma exhibent (n. 5), ubi litteram alpha ita deformatam studiose fuisse, ut delta sive triangulum efficeret nemo non videt. Quaeres ergo quodnam heic celari mysterium existimem. Nec difficilis responsio erit, siquidem de Christo ejusque facile divinitate intelligenda haec esse dixero. Ita enim cum Christi nomine conjuncta illa triangulorum signa sunt, ut si quis illis sensus inest, hunc ad unum Christum referendum necessario esse monumenta ipsa demonstrent. Quod si pressius urgere, et quid haec proprie significent a me exquirere coeperis, non adeo facile certam aliquam et indubiam a me sententiam expromes. Lupius in illo, quod edidit, monogrammate legit *Christus Deus;* profecto probabiliter, quoniam prior e duabus illis inscriptionibus latina lingua graecis litteris exarata est, quare haec elementa ☧ Δ simul conjuncta Christum Deum in eo saltem titulo significare valde verisimilis sententia est. At ne parem reliquis quoque, quae recensui, monumentis interpretationem indubie subjiciam plures causae impediunt, atque hac praesertim, quod signa illa semel iterumque non litteram delta, sed merum triangulum videantur exhibere, et quod in africano tuo fragmento signum △ solitarium sit, non cum Christi monogrammate conjunctum. Quare in ipsa trianguli imagine mysterii summam constare verisimile judico. Quo posito, de divina statim Triade omnes certe cogitaturos opinor; atque haec Aringhii jam olim conjectura fuit. Et sane, si liquido constaret in trianguli forma tanti mysterii quasi adumbratam imaginem, quemadmodum recentiores, sic et veteres quoque agnovisse, manifesta res foret, neque ulterius de ejus signi interpretatione ambigendum : verum si unam excipias muselliani musei bilychnem lucernam, de cujus sinceritate nihil mihi constat [2], omnino nullum praeterea monumentum quidem novi, quo id persuaderi facile queat. Nec triangulos, quibus pythagoricum sive pentalpha, sive pentagramma constat [3], ullam huic argumento lucem afferre posse censeo : quare ex ipsis, de quibus disputo, christianis epitaphiis propositae quaestionis et omnis ambiguitatis definitio petenda necessario erit; in quibus nisi divinam in monade Triadem haec signa exprimunt, quid aliud significare possint plane non video. Atqui christianis per Africam monumentis opportunissima haec symbolica ratio fuit. Ecquae enim alia uspiam gentium ecclesia tot tantasque pro tuendo divinae Triadis dogmate calamitates, aerumnas ac clades passa est, quantas sub vandalorum regum tyrannide afri catholici? Sed haec, ut ut verisimillima, in adeo exiguo tamen monumentorum numero non ad eam pertingunt evidentiae vim, ut nullus dubitationi reliquus locus esse videatur.

Jam de harum demum inscriptionum aetate, quod postremum omnium posui, diligenter

(1) V. Münter, *Sinnbilder der alten Christen*, tab. I, n. 24, 25.

(2) V. Museum musellianum, tab. CLXVII, p. 55. Cf. Causei, *Mus. Rom.* t. I, p. 67, tab. XXI.

(3) V. Minervini, *Nuove dilucidazioni sopra un chiodo magico*, p. 23 et seqq.; *Bollettino archeol. Napoletano*, t. V, p. 22 et 153; Cavedoni, *Dichiarazione di tre antiche stauroteche*, p. 35. Cf. et Thorlacium, *Prolusiones et opuscula acad.* t. V, p. 168.

quaeramus. Qua in quaestione de monumentorum penuria me iterum conqueri necesse est: ubi enim certae desiderantur temporis notae, nonnisi plurimis ejusdem regionis ejusdemque generis naviter atque industrie collatis invicem monumentis subobscura et latentia aetatum indicia ac discrimina cognosci facile poterunt. Attamen nolim me hoc objecto impedimento a proposita quaestione adeo deterreri, ut neque experiri saltem velim, quid in tanta ambiguitate praestari a me possit. Ac primum illud ponendum est, nullum in his titulis sequioris aevi, id est quarto vel quinto saeculo recentioris aetatis, indicium extare, si unam excipias crucis imaginem, quae per omnem potissimum Italiam quinto potius saeculo quam antiquiori tempore ea qua hic passim exhibetur forma videtur coepisse frequentari. Sed quoniam ab omni antiquitate sollemne christiano populo crucis *signum* fuisse inferius demonstrabo, et potuit in Africa maturius, in Italia serius ejus imaginis publicis monumentis appingendae mos invalescere, exquisitiori examine res videtur egere, nec statim hoc uno praejudicio judicandum supra extrema quinti saeculi tempora africana haec monumenta assurgere minime posse. Et sane illa saltem epitaphia, quae praeter singularias litteras defunctorum quoque nomina et adclamationes exhibent, tantam prae se ferunt dictionis simplicitatem et cum antiquioribus romanae urbis christianis titulis similitudinem, ut si de illis eadem ac de urbanis inscriptionibus lege judicare fas esset, exeunte circiter saeculo quarto recentiores esse vix ac ne vix quidem mihi sinerem persuaderi. Si enim ingentem titulorum numerum, qui e subterraneis urbis Romae coemeteriis prodiit et in dies prodit, paullisper attendas, statim perspicies prope infinita in his esse epitaphia simplicitate, breviloquentia et, ut pressius dicam adclamationibus, *in Deo vivas*, et *in pace* tantum adhibitis, africanis, de quibus loquor, epitaphiis simillima ac quasi gemina. In subdialibus contra sepulcris et omni veterum basilicarum ambitu id genus epitaphia paene nulla sunt aut certe rarissima; neque in his adclamatio *vivas in Deo* vel semel apparet. Quin in tota earum inscriptionum sylloge, quae certam anni notam praebent, inde a medio circiter saeculo quarto omnino nullam hujuscemodi breviloquentiae et ejus adclamationis exemplum reperies. Quod, quemadmodum in simili argumento jam tibi olim prolixius demonstravi, manifestum indicium est tantam illam in pangendis epitaphiis simplicitatem et verborum parsimoniam, qua neque ipsis vitae annis adnotatis suavissimae et amoris pietatisque plenae adclamationes unice adhiberi consueverunt, exeunte quarto et ineunte quinto a Christo saeculo Romae quidem nemini jam placuisse. Nec secus se se rem in Africa habuisse quae mihi ante oculos sunt ejus regionis monumenta paene persuadent. Ecce enim africana Christianorum epitaphia, quae certas annorum notas habent, quoniam sexti et quinti saeculi terminis universa continentur, summam illam breviloquentiam minime adfectant, sed annos vitae memorant, et defunctos *transmarinos* alios, alios fideles, id est in ipsa, opinor, africana ecclesia in fidelium numerum cooptatos saepe significant [1]; clausulas *recessit in pace*, *praecessit in pace*, *quievit in pace* plus semel adhibent, et hoc passim utuntur exordio : *hic jacet* [2], quod et romanis epitaphiis inde ab exeunte saeculo quarto non raro inscribi coepit. Quare caeteros his similes, certa licet

(1) V. de Caussade, l. c. Renier, ll. cc.; De la Mare, *Exploration scientifique de l'Algérie*, pl. 85, n. 7 et n. 8; pl. 78, n. 3; Clarac, l. c. pl. 78, n. 57. Cf. Janssen, l. c. tab. xxv, n. 5; Le Blant, l. c. p. 117, in adnotatione 2; *Bulletin de l'Athenaeum* l. c.

(2) V. inscriptiones, quas jam laudavi, et De la Mare, *Expl. scient. de l'Alg. Arch.*, pl. 85, n. 7, 8, 9 : adde et sequens sitifense epitaphium a Leone Renier V. C. mecum communicatum :

HIC IACET ANTIS
TESSCSQUE NOUA
† TUS TER DENOSETVII †
SEDIS QUI MERUIT ANNOS
PRECESSIT DIEX KAL SEPTBPCCCCL

temporis nota destitutos titulos ejusdem aetatis esse manifestum est, hunc puta nondum fortasse editum, quem ab Mommsenio V. C. accepi :

HIC IACET
TBROCCV
INNOX QV
AE VIXIT
P M AN
NOS TRIII

Illos vero, qui his dissimiles sunt et eleganti simplicitate unice gaudent, quis non antiquiores pronunciabit? At impedimento est nuda crucis imago, quam ut praedixi vix a saeculo demum quinto caeterarum regionum, Italiae praesertim, epitaphia videntur exhibere. Qua de re diligentius quaerendum ; et quoniam reliqua in his africanis titulis aut obscura sunt, aut cum multis aliis quoque communia, hoc fere proprium, ut crucis trophaeo paene omnes insignes sint, et praeclarae ejus signi ductu auspicioque partae victoriae rarissimum monumentum exhibeant; de sanctiori hoc christianae pietatis symbolo ejusque apud veteres usu, quae res postulat, exponere aggredior.

II.

Attamen non is ego sum, qui tritissimum et a doctis viris certatim explicatum argumentum totum retractare, iterumque quasi ab ovo velim ordiri : hoc unum mihi propositum est, nonnulla de vario sollemnis ejus signi apud veteres usu aut minus vulgaria, aut nondum perspicue fortasse definita breviter proponere ac declarare, quo institutae de carthaginiensibus titulis quaestioni satisfieri plenissime possit. Atque ut tractationis meae fines, ejusque series et ordo perspici statim possint, haec me quaesiturum praenuncio : primum de litteris, quas semel iterumque crucis appictas signo in his lapidibus legimus ; tum de signo ipso, cujus intimam ac primariam significationem unam semper eandemque, formam vero variam ac multiplicem fuisse demonstrabo; ac demum quaenam quibus aetatibus quibusque causis ejus signi formae sint adtribuendae.

His itaque titulis crucis imago ea plerumque, quam latinam vulgo appellant, forma incisa est; eademque, et in aliis africanae regionis atque ipsius carthaginiensis ecclesiae monumentis, adeo frequenter occurrit, ut in illis saltem, quae ad hanc diem repertae per Africam sunt inscriptionibus nudae multo saepius cruces, quam notissima Christi monogrammata sese nobis obtulerint [1]. Quam crucis imaginem semel iterumque hac litterae

(1) Cruces, latina ut dixi plerumque forma, habes in octo ex africanis a me supra jam saepe laudatis epitaphiis; praeterea in carthaginiensi fragmento, quod egomet vidi Massiliae in museo publico, editumque fuit a Le Blant, l. c. p. 28 ; item in fragmentis editis a Renier, *Inscr. de l'Algérie*, n. 1673, 2838, et in monumento cirtensi, quod edidit Carette, de quo mox plenius dicam. Itaque si decem lapides carthaginienses cruce notati, qui nunc primum prodeunt cum his africanis, quos recensui, titulis computentur, habes duo supra viginti africanos litteratos lapides mihi jam notos crucis imagine insignes. Monogrammate vero ☧ quattuor, quantum scio, africani ad hanc diem noti tituli notantur, id est inscriptio prolata ab Hefnero, l. c., altera ab Janssenio, l. c., tab. xxv, n. 1, tertia sitifensis (*Exploration scientifique, etc. Arch.*, pl. 85, n. 9), quarta, nescio an edita, tunetana in schedis meis, quibus addas et solitarium monogramma litteris quoque A Ω appictis apud Renier,

comitantur : IN HOC SIGNVM SEMPER VINC*es* [1], constantinianae nempe victoriae recordatio, quemadmodum et in cirtensi celeberrimo titulo [2] littera N cruci connexa multo brevioris formulae compendium, eandem tamen exhibet significationem, scilicet NIKA. Cui simillimum, immo geminum, est monogramma ⳨ in fragmento quodam in suburbana S. Laurentii basilica adhuc conspicuum [3] : itemque eandem latina lingua notam his litteris ☧ V puto significari, quas in calce exaratas nuper vidi in coemeterio Cyriacae in agro verano [4]. Sed de formula νίκα et Χριστὸς νικᾷ in inferioris praesertim aevi nummis passim obvia nunc non attinet dicere. Constantiniani lemmatis, quod africanis his titulis inscriptum legimus, unum tantum ad hanc diem in lapide exemplum noveram his proprie verbis : IN HOC VINCES; in romano nempe epitaphio [5], cujus singularis ipsa haec laus aliaeque non magni sane momenti difficultates scrupulum mihi interdum animo injiciebant, ne fraus aliqua tam praeclaro monumento subesset. Verum uterque Bosius, senior scilicet ac junior, ejus monumenti testes sunt scientia et fide locupletissimi; quare gemino simillimae formulae exemplo ex Africa nunc prodeunte, paene omnis exemptus mihi scrupulus ex animo est. Praeter romanum hunc lapidem eandem sententiam his verbis : HOC SIGNO VICTOR ERIS exhibent nummi Constantii, Vetranionis et Galli Caesaris [6]. Sed ad africanae formulae postremas voces propius accedit inscriptio labari Honorii Augusti, quod in veteri diptycho anni 406 ebori insculptum conspicimus : IN NOMINE XPI VINCAS SEMPER [7]. Lucernam a Georgio [8] aliisque evulgatam inscriptis litteris EN TOYTΩ NIKA consulto praetereo, quod vetus et sincera mihi visa numquam sit. His itaque monumentis celeberrima illa vox EN TOYTΩ NIKA ita adscripta est, ut romanum epitaphium tradita a graecis historicis verba accuratius exprimat [9]; nummi sententiam magis quam verba pleniori et latino magis stilo exhibeant; Honorii labarum adclamationem praeferat ab constantiniano lemmate satis diversam; carthaginienses demum lapides prioribus verbis, solocca licet forma, cum saeculi quarti nummis, postremis cum honoriano labaro consentiant. Quare si ullas inde temporis elicere notas fas est, duos illos africanos titulos ab Honorii Augusti aetate parum distare videbitur sane veri simile.

l. c. n. 1662. Cruces demum monogrammaticas ⳨ in quattuor africanis monumentis me vidisse memini, in fragmento nempe, quod superius exscripsi ex Janssenio, tab. xxiv, n. 5, in curubitanis tabellis editis a Muntero, l. c., ac demum in lapidibus apud Renier, l. c. n. 1648, 2292. Sunt itaque in africanis, quos ego novi, litteratis monumentis novem tantum monogrammata, cruces vero duo supra viginti. Quarum numerum augere facile possem, si sacris et publicis aedificiis sequiori aevo inscriptos titulos computarem, illos puta, quos exhibet Renier, l. c. n. 1518, 1647; sed exeunte demum saeculo sexto et vertente septimo crucis imagines ubivis passim propositas esse quis ignorat?

(1) Alterius ex his titulis ectypon ab I. E. Humbert confectum praeferre videtur litteras VIV . . . . loco VIN . . ., sed collato utroque lapide VIN*ces* utrobique legendum esse facile intelligitur.

(2) V. Carette, *Mémoires présentés par divers savants à l'Acad. des inscr. etc.* 2e série, t. I, p. 214. Praeclari hujus cirtensis monumenti optimum nuper exemplum edidit Renier, l. c. n. 2145, sed monogramma omisit.

(3) V. Bosio, R. S. p. 400, unde Allegranza, *de Monogrammate*, p. 35, aliique; sed unus Allegranza ejus notae significationem recte explicavit.

(4) Cf. lucernam apud Boldetti, p. 63, quae adhuc extat in museo sacro bibliothecae vaticanae.

(5) V. Jacobum Bosium, *Historia della croce trionfante*, p. 709, Antonium Bosium, R. S. p. 215, et confer Macarii *Hagioglypta* (Lutetiae Paris. 1856), p. 166, qui lapidem vidit et legit : IN HOC VINCE.

(6) V. Eckhel, *Doctrina nummorum*, t. VIII, p. 116, 120 et 125. Constantini ipsius nummum maximi moduli monogrammate et litteris IN . HOC . SIN . VIC. notatum, quod commemorat quoque Mionnet, *Méd. rom.* 3e éd. t. II, p. 229, omnino non curo; adulterinis enim optimo jure Eckhelius accensuit, l. c. p. 84.

(7) Gazzera, *Dichiarazione di un dittico consolare inedito della cattedrale di Aosta*, Torino, 1834.

(8) V. Georgium, *de Monogrammate Christi*, p. 12.

(9) Cf. Eusebium, *de Vita Constantini*, lib. I, 28; *Chronicon Paschale*, edit. Dindorf. t. I, p. 520; Philostorgium, H. E. I, 6; aliosque.

Haec de adclamatione *in hoc signo semper vinces*. Jam illud ipsum considerandum nobis signum est, a cujus virtute et auspiciis tam certam victoriae spem omnes post Constantinum christiani imperatores religiose repetebant[1]. Quod in africanis quidem lapidibus sola crucis imagine constat; in reliquis contra quotquot recensui omnis generis monumentis monogramma exhibet hac proprie forma ☧, quæ constantiniana vulgo audit; quippe quam suo Constantinum labaro inscripsisse plerique consentiant. Illud ergo quaerendum, quaenam inter utrumque signum cognatio sit, et cur nudam crucem in constantiniani monogrammatis locum substitutam africana monumenta nobis objiciant. Quam rem ut recte intelligamus, perspicienda penitius est potestas ac significatio vocabuli *signum* et *signum Christi*, quod in veterum praesertim Patrum scriptis saepissime offendimus.

Hanc porro notionem facillime assequemur, si reputabimus de hoc *Christi signo* ita veteres passim loqui, ut de quodam quasi signaculo, quo Christiani consignati erant, et quo veluti milites Christo adscripti ab ipso duce agnoscebantur, manifesto cogitaverint. Et sane sollemne Romanis fuit quaecumque possiderent proprio signaculo notare, et non inanimas tantum res aut pecudes, verum etiam servos : milites vero, postquam tirocinium professi essent, inusto stigmate, vel appensa collo plumbea bulla, militiae adscribere et mancipare [2]. *Charactere domini inscribuntur et servuli, et nomine Imperatoris signantur et milites*, inquit Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani [3]. Enim vero qui Christo nomen dant et baptismo initiantur non suae sunt potestatis, quippe quos divinae *redemptionis* participes factos ipse Christus *emerit pretio magno* [4] : praeterea iidem statim a baptismo christianae militiae armis, idest S. Spiritus virtute armati, *quemadmodum milites*, Chrysostomi verbis utor, *nota quadam, sic illi spiritu consignantur, ut si ordinem deseruerint agnosci manifesto possint* [5]. Proprium ergo Christus *signum* habuit, quo suos ab alienis secerneret, et quo conscriptos sibi milites notaret, ac perpetuo quasi stigmate consignaret. Et sane christianam initiationem signaculi et σφραγῖδος vocabulis designatam olim fuisse veteres passim innuunt; quo nomine licet ipse quoque baptismus interdum significetur [6], illa tamen proprie, quae baptismum consequitur, confirmatio appellari consuevit; in ea quippe *Christi signo* novus Christi miles non animo tantum sed et corpore signabatur. *Caro signatur*, ad confirmationem respiciens ait Tertullianus, *ut et anima muniatur* [7]. Quam in rem infinita paene sunt christianae antiquitatis testimonia, sed unum instar omnium sit, sollemnis nempe formula, quam ab ultima antiquitate in romana ecclesia fidelibus consignandis adhibitam reperimus, et his proprie verbis constat : SIGNUM CHRISTI *in vitam aeternam* [8]. Haec autem quae de nobilissimo hoc argumento breviter innui elegantiori inlustrari testimonio nullo possunt, quam Maximiliani martyris responsis, Dionem anno Christi 295 Africae proconsulem adloquentis : *Dion ad Maximilianum dixit : milita et accipe signaculum : respondit : non accipio signaculum, jam habeo* SIGNUM CHRISTI *Domini mei.... Dion ad officium dixit : signetur. Cumque*

(1) V. Eckhel, l. c. p. 148.
(2) Cf. Gotofredum, *Cod. Theod.* x, 22, 4.
(3) *De Obitu Valent.* 58, edit. Venet. 1757, tom. iv, p. 267, et cf. ibi adnotata.
(4) I ad Corinth. vi, 19, 20.
(5) Homil. iii, in II ad Cor.
(6) V. Valesium ad Eusebium, iii, 23, et Cotelerium ad PP. Apost. t. i, p. 249.
(7) *De Resurr.* 8.
(8) V. Sacram. Gelas. apud Thomasium, opp. t. vi, p. 76, 96.

reluctaret respondit : non accipio signaculum saeculi.... non licet mihi plumbum collo portare post signum salutare Domini mei Jesu Christi filii Dei[1]. Ecce utriusque militiae signum, Christi scilicet et *saeculi* a Maximiliano diserte commemoratum, et alterum alteri oppositum.

Quaenam ergo hujus *signi* nota sive forma fuit et imago? Ejus quidem signaculi et σφραγῖδος, quo in perficienda confirmatione neophyti frons notabatur, non aliam quam crucis formam fuisse, quicumque christianam antiquitatem probe calleat ultro certe fatebitur[2]. Unum proferam nemini adhuc notum, et multi sane pretii hujus rei monumentum, in antiquissima quadam veterum epigrammatum sylloge, de qua alibi exponam, a me nuper repertum. Est porro epigramma in veteri vaticana basilica illi proprie loco prope fontes inscriptum ubi *pontifex consignabat infantes*[3] : et nisi Damasum auctorem habet, ab ejus certe aetate parum distat :

ISTIC INSONTES CAELESTI FLVMINE LOTAS
PASTORIS SVMMI DEXTERA SIGNAT OVES
HVC VNDIS GENERATE VENI QVO SANCTVS AD VNVM
SPIRITVS VT CAPIAS TE SVA DONA VOCAT
TV CRVCE SVSCEPTA MVNDI VITARE PROCELLAS
DISCE MAGIS MONITOS HAC RATIONE LOCI[4].

Vides heic *caelesti flumine lotas oves pastoris summi dexteram* ita *signare*, ut *crucem suscipiant*[5]. Verum de signo Christi non in consignandis solum neophytis, sed et in omni vitae actu, et quavis arrepta occasione veteres patres ita loquuntur, ut crucem illo vocabulo constanter designari clare significent. Et, ut uno tantum alterove defungar exemplo, ecce tibi conceptis verbis Augustinus : *quid est*, ait, SIGNVM CHRISTI, *nisi crux Christi*[6] ? Quam non quarto primum saeculo, sed proxime ab Apostolorum temporibus sententiam viguisse ab Clemente Alexandrino clare discimus, qui ΚΥΡΙΑΚΟΝ ΣΗΜΕΙΟΝ semel iterumque ita nominat, ut omnibus notissimum esse manifesto indicet, et τοῦ κυριακοῦ σημείου τύπον litteram T, id est crucis patibulum, esse significat[7]. Nec ab Clemente primum inventa est tota haec de littera T *dominicum signum* designante allegoria : totidem enim fere verbis jam eandem exposuerat Barnabas, sive quisquis est auctor epistolae catholicae, quae sub ejus nomine circumfertur[8] ; quo verisimile fit de eodem signo notissimum quoque Apocalypseos locum cap. VII, 2 esse intelligendum. Vide ergo quanta observatione

(1) Ruinart, *Acta sincera*, p. 300, 301.

(2) V. praeter catholicos harum rerum scriptores ipsum Bingham, *Origines*, t. IV, p. 312 et seqq.

(3) De loco, quo neophytos consignari in romana praesertim ecclesia sollemne fuit vide Trombelli, *de Sacram. confirm.* I, p. 369.

(4) Sic codex; et licet postremi versus sensus paulo obscurior sit, codicis tamen scripturam emendare non audeo. Clarior erit sensus si leges MONITVS. Tunc autem syllabae quantitas peccabit.

(5) Similem dictionem, idest *crucem accepit*, in christiano saeculi tertii epitaphio apud Boldettum, p. 80, agnoscendam esse certo existimant Corsinius, *Notae graecorum*, p. XXXVIII, et Danzetta, *De obsignatione quae cruce peragitur* § 79 (in codice Vaticano 8281); hic praeterea confirmationem illis verbis manifesto significari contendit; verum non CRV*cem* sed GR*atiam* in illo epitaphio restituendum esse jam sagaciter invenit Marinius, qua de re vide *Inscriptiones* meas *christianas urbis Romae*, t. I, p. 17.

(6) Tract. 118 in Joannem.

(7) *Strom.* VI, 11, edit. Potter, t. II, p. 782, 783.

(8) Cap. 9, ed. Hefele, Tubingae, 1855, p. 22.

digna Basilii Magni sententia sit, apostolica traditione hujus signi usum in ecclesiam invectum existimantis [1]. Demum ipsa christianarum artium monumenta *signum Domini* crucem esse testantur : siquidem Paulinus in nolana Felicis martyris basilica *de* SIGNO DOMINI *super ingressum picto* hos versus scripsit :

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare CRVCEM duro spondentem praemia labori;

eodemque loco sub aliis crucis imaginibus minio pictis :

Ardua floriferae crux cingitur orbe coronae
Et Domini fuso tincta cruore rubet.
Quaeque super SIGNVM resident CAELESTE columbae
Simplicibus pandunt regna patere Dei [2].

Quae cum ita sint mirari certe non possumus in carthaginiensibus titulis signum Christi nuda crucis forma constare; illud potius mirandum in tot aliis, quae recensui, monumentis monogramma ☧ in crucis locum substitutum quasi Christi signum exhiberi. Nec temere quasi Christi proprie signum illud monogramma exhiberi pronuncio : tametsi enim *signum* ἁπλῶς adscriptis litteris appelletur, hanc tamen vocem non de militari unice vexillo, sed de eo ipso signo intelligendam esse, quod *caeleste*, quod *Domini*, quod denique *Christi* dici consuevisse jam demonstravi, veterum auctorum et christianarum inscriptionum testimonio facile evincam. In his siquidem notam nominis Christi conspici non adscriptis modo litteris SIGNV, vel IN SIGNO [3], sed et IN SIGNO DOMINI [4] jam ab aliis animadversum deprehendo [5]; quibus exemplis addas hoc quoque monogramma ☧, quod in calce exaratum supra loculum quemdam in coemeterio Priscillae ipse vidi, cui in eadem calce hic additur titulus : SIGNV CRISTI, ut nempe intelligas, illud Christi proprie esse signum. Demum vulgatissimus locus est libri *de Mortibus persecutorum* (cap. 44), in quo monogramma, quod in clypeis Constantinus notavit, qualecumque illud tandem ejus libri auctor designare videatur [6], Christi certe nomen exhibens (*Christum* enim *in scutis notabat*), *caeleste signum Dei* appellatur [7]. Neque eorum sententiam probes, quibus ideo caeleste illud monogramma singulari exemplo dici videtur, quod in caelo ostensum Constantino fuerit [8]; quandoquidem ipsum per se Christi signum, nullo ad constantinianum ostentum intuitu, caeleste nominari non Paulinus modo significavit, sed ipse quoque Lactantius, idem fortasse qui et librum *de Mortibus* conscripsit; cujus prolixus extat locus de Christi signo, ibique illud disertis verbis CAELESTIS NOTA appellatur [9]. Ecce ergo utramque promiscue notam, crucis nempe imaginem et monogramma litteris X et P, hac praesertim forma ☧, conflatum quasi *signum* ἁπλῶς et *signum caeleste*, et *Domini*, et *Christi* veteres scriptores et monumenta nobis exhibent. Anne igitur duo Christi signa fuerunt, alterum crucis, alterum nominis ejus;

(1) *De Spiritu sancto*, c. 27.
(2) Epist. 32, edit. Veron. p. 205.
(3) Boldetti, p. 399 et 85.
(4) Boldetti, p. 345.
(5) V. Jacutium, *Sacra imperatoris Constantini historia*, p. 166, et Pelliccia, *de Christianae ecclesiae politia*, edit. Bassani, t. III, p. 265.
(6) V. Pelliccia, l. c. p. 252; Philippum Erhart (idest Petrum Lazeri, qui verus hujus libelli auctor est), *de Christi monogrammate constantiniano*, Romae, 1776, p. 11 et seqq. et Labus, *Monumenti epigrafici Ambrosiani*, p. 15.
(7) *De Signo Dei*, cf. Minervini, l. c. p. 21, et Lipsium, *de Cruce*, in notis ad librum III, cap. 15 (edit. Amstelod. 1670, p. 236).
(8) V. Pelliccia, l. c.
(9) *Divinar. inst.* IV, 27.

an unum idemque principali et intima significatione signum, vario tamen schemate et secundariis auctum symbolis multiforme? Praeterea varia haec sive singularis, sive duplicis ejus signi schemata unone eodemque tempore et nota christianis fuerunt, et ab iisdem adhibita; an aliis alia aetatibus excogitata et sollemnia, ita ut singula suis quaeque temporibus adtribui possint, et in ordinem referri?

His positis quaestionum formulis totam ni valde fallor de monogrammate Christi controversiam ad summa capita mihi videor revocasse, et quid proprie in ambiguo sit definisse: his enim quasi terminis omne contineri existimo ambiguitatis genus, quo tantopere sese implicarunt docti homines, qui hoc argumentum in libris suis attigerunt, vel singulari commentario explicare aggressi sunt. Quorum tanta copia est, ut eorum scripta non mediocrem efficiant bibliothecam, quam Zannonius recensuit [1] (multo auctior porro census confici nunc posset); opinionum vero et sententiarum tanta varietas et pugna, ut quoties eam litem severe aestimare, et controversiae rationes ac causas mecum ipse reputare pergo, ad capiendum consilium vix mihi videor animo competere. Verum totam hanc opinionum varietatem excutere neque hujus epistolae argumento convenit, neque meae nunc sinunt occupationes: illud res et tempus monet, ut quid veterum scriptorum monumentorumque auctoritas de propositis quaestionum capitibus mihi persuaserit breviter significem atque demonstrem.

Et quod primam a me positam quaestionem adtinet, utrum scilicet duo diversa Christi signa fuerint, an unum tantum et multiforme, hoc revocandum in mentem est, crucis imaginem varia certe forma expressam in monumentis occurrere, ut interdum nuda illa sit ac ferale patibulum nulla paene adhibita dissimulatione ob oculos ponat, quales hae fere fuerunt T, †, +, (quamquam postrema haec quasi imaginaria quaedam et fictitia, potius quam vera crux aestimanda est); interdum vero ita dissimulata, ut primo statim adspectu funesti ligni schema minime agnoscas, et nisi ea de re monearis, vel arcana scientia et usu compertam habeas, de cruce cogitare vix possis. Haec autem dissimulatio fit quoties vel crux aliter ponitur ac poni debet, ut evadat littera X; vel longiores apices appinguntur, qui nudam ejus formam celent, et signum quoddam exhibeant in ethnicis omnis generis monumentis saepissime obvium 卐 [2]; vel cruci anchora, spei symbolum, connectitur ⚓; quae praecipua sunt dissimulatae crucis schemata: alia sive rariora, sive alicujus tantum regionis propria, puta Aegyptiorum symbolum ☥ [3] brevitatis gratia praetereo. At e tribus illis, quae recensui, dissimulatae crucis formis altera et tertia, tametsi e christianis monumentis clarius quam antehac factum fuerit inlustrari certe possint, in controversiam tamen vocari non consueverunt; prima contra X nonnullis initium potius tantum nominis Χριστός, quam ullam crucis significationem exhibere visa est [4]. Et sane si in ea littera ipsam crucis imaginem quaeras, qualem sive Hebraei sive Romani suppliciis adhibuerunt, ejus vestigium vix ullum certe reperies: quod si reputes veteres saepe christianos ejus patibuli formam dissimulare studuisse, statim perspicies quomodo littera, unde nomen Christi incipit, pro crucis quoque signo potuit delineari.

(1) Zannoni, *Epitaffio di S. Primitivo martire.* Faenza, 1810, p. 66.

(2) V. praesertim Raoul Rochette, *Mém. de l'Acad. des inscr. etc.* t. XVI, P. II, p. 302 et seqq.

(3) V. Letronne, *De la croix ansée égyptienne,* in *Annali dell' Ist. di corrisp. arch.* 1843, p. 185 et seqq. et *Mém. de l'Acad. des Inscr.* l. c. p. 235 et seqq.

(4) V. Letronne, l. c. p. 244, et *Annali*, l. c. p. 125. Confer Bruzza, in *Bullettino archeologico Napolitano*, ser. 2, t. IV, p. 167.

Atqui, quod fieri potuisse quivis, opinor, intelligit, factum revera esse veteres patres conceptis verbis testantur; Isidorus praesertim et Hieronymus[1], quos palam testari in littera X *figuram crucis* inesse, vel qui leviter haec attigerunt probe norunt[2]. Quod si ita est, ecce monogrammata omnia, quae X littera constant, etiamsi veram crucis imaginem, quod factum saepe est, insertam (☧, ⳨) non habeant, dissimulatae tamen crucis schema in ipsa littera X manifesto prae se ferunt. Quid ergo mirum si hujuscemodi monogrammata in omnis generis monumentis pariter ac ipsa crux, *signi* et *signi caelestis*, *Domini* ac *Christi* nomine censentur, siquidem illa nihil aliud sunt nisi dissimulatae crucis quaedam formae, quae κυριακὸν σημεῖον, *Christi signum*, cum divini nominis litteris conjungunt? Atque haec ita perspicua sunt, ut intelligi vix queat quomodo doctissimorum hominum oculos fugere adeo potuerint, ut pernegaverint in monogrammate ☧ crucis symbolum esse agnoscendum. Video equidem Eusebium monogramma de nomine proprie Christi interpretari, et crucem in ea labari parte agnoscere, quae transversam habet antennam instar crucis[3]. Quin si subtilius in antiquorum verba exquiramus facile reperiemus monogramma et *salutaris* proprie *appellationis signum* dici[4], et *Christum*, hoc est Christi nomen, notare[5]; quare accuratissime Prudentius : CHRISTVS *purpureum gemmanti textus in auro — signabat labarum, clypeorum insignia* CHRISTVS — SCRIPSERAT, *ardebat summis* CRVX *addita cristis*[6]. Verum his demonstrari certe nequit argumenta, quae in Christi monogrammate crucem agnoscendam suadent, fallacia esse et a veterum sententia discordia : hoc unum inde discimus aliam nudam esse crucem, quae navalis antennae imaginem refert, aliam cum Christi nominis signo implicatam. Quod si veteris scriptoris testimonio haec ipsa utriusque crucis distinctio eget, nescio quid certius, quid luculentius possim afferre notissimo illo carmine, quo Paulinus data opera crucis pingendae praecipuas formas explicare aggreditur. Audiant ergo, qui Paulini verba memoria non tenent, praeclarissimum pro argumentatione mea documentum :

Forma crucis GEMINA SPECIE componitur, et nunc
Antennæ speciem navalis imagine mali,
Sive notam Graecis solitam signare trecentos
Explicat existens, cum stipite figitur uno,
Quaque cacumen habet transverso vecte jugatur.
Nunc EADEM CRVX dissimili compacta paratu
Eloquitur Dominum tamquam MONOGRAMMATE Christum[7].

Tum pergit Paulinus singulas nominis XPICTOC litteras in monogrammate ☧ demonstrare[8], ac demum crucem in ipsa proprie littera X agnoscendam esse aperte significat[9].

(1) Isidor. *Orig.* I, 3; Hieron. *in Hierem.* cap. XXX; cf. Raoul Rochette, l. c. p. 298 et seqq.
(2) Cf. Lipsium, *de Cruce*, I, 7.
(3) Euseb. *de Vita Constantini*, lib. I, cap. 31.
(4) Τῆς σωτηρίου ἐπηγορίας τὸ σύμβολον. Euseb. l. c.
(5) V. auctorem libri *de Mortibus persecutorum*, l. c.
(6) *Contra Symmachum*, I, v. 486 et seqq.
(7) Natal. XI, S. Felicis, v. 612 et seqq. : quod carmen post primam a Muratorio factam editionem (*Anecd.* t. I, p. 42) ad bononiensis codicis fidem recensuit et emendavit Mingarellius, *Anecd. fasciculus*, p. 7 et seqq.
(8) Si quis attentius Paulini verba consideret facile intelliget non singularis alicujus monogrammatis, sed ejus, quod heic proposui formam ab eo describi. Litteras C et O in ipsa litterae P curvatura Paulinus agnoscit; versus enim 621 : *Cujus apex et signa tenet, quod rursus ad ipsam Curvatum virgam facit* O *velut orbe peracto* sagaciter a Dionysio emendatur, *cujus apex et sigma tenet*, etc. (Crypt. Vat. p. 1). Litterae demum I et T in ipsa litterae P virga a Paulino indicantur; et quod demonstrationem conficit, *tribus virgis* et una litterae P curvatura totum monogramma constare disertis verbis Paulinus significat (v. 621-627).
(9) V. v. 640-642, et confer Hieronymum, *in Marcum*, cap. XI, et Maximum Taurinensem, homil. 50, ed. romanae, 1784, p. 155.

Quo tam inlustri aequalis eorum temporum scriptoris, et ejus scriptoris qui hac de re data opera egit, testimonio primam a me propositam quaestionem plane absolutam esse censeo; et *signum Christi* pingendi quidem formis, aliorumque symbolorum additione multiforme, principali tamen et intima significatione unum idemque omni aevo fuisse pronuncio, divinam scilicet crucem.

Jam ergo alterum quaestionis caput aggrediamur necesse est, quo in varia divini hujus signi schemata inquirendum constitui, et utrum unius ejusdemque aetatis illa sint et uno quasi partu edita, an diversarum aetatum propria, et quibus quaeque temporibus ac causis adtribuenda. Et ad veram quidem crucis imaginem, id est quae patibuli ipsius formam imitetur, vetustissimos patrum quoties crucem nominant mente respexisse, eorum verba dubitare non sinunt: quare signum crucis, quod initiandis fidelibus adhiberi, quodque in eorum frontibus omni vitae tempore notari sollemne fuit, de mera et propria cruce digito delineata intelligendum esse nemo, opinor, negaverit. At quamnam veram fuisse Christi crucem patres senserint adhuc incertum; aliis de ea, quam vocant, *commissa* idest T, pluribus de *immissa* † sive quadrata ✠ manifesto cogitantibus[1]. Sed sive una ex his pro lubitu formis sive, quae mea opinio est, potissimum immissa et quadrata, mera certe crux fidelium frontibus maxima relligione inscribi digito consuevit; ut si qui ab hoc signo pudore interdum abstinuissent paene pro desertoribus habiti sint[2]? Hinc protome quaedam viri christiani in vitreo poculo delineata frontem exhibet cruce ✠ notatam[3]. Sed earum crucis imaginum, quae monumentis insculpi vel appingi consueverunt, multo dispar ratio est. In his enim, si certa anni nota insignes titulos excutias, immissae et quadratae crucis ante saeculum quintum exemplum indubium nullum reperies[4]: patibuli vero T formam non solitariam, sed adscriptis litteris A Ω, semel tantum deprehendes in epitaphio anni 370, si tamen Boldetti apographo, quo unice utimur, hac in re auctoritas constat[5]. Cum his autem certas anni notas praeferentibus titulis monumentorum omne genus, quorum utcumque dignosci aetas possit, ut par est, egregie consentit.

Subterranea enim urbis Romae coemeteria, in quibus ad quartum usque a Christo saeculum sepulcra fieri consuevisse innumeris indiciis constat, post eam vero aetatem vix pauca, nec ultra medium circiter saeculi quinti, in ipsis quidem sepulcris eorumque primaevo ornatu meras et minime dissimulatas cruces paene nunquam prae se ferunt. Quod ne

(1) V. Lipsium, l. c. I, 8, 9, 10.


(2) *Negant autem Christum non solum hi, qui in persecutione negant... qui sunt ergo qui negant Filium, et ubi et in quibus advertamus. Cum quis ingreditur civitatem gentilium et religione exposcente fronti imponere signaculum crucis confusus fuerit, qui ingreditur, suam glorificationem, et virtutem crucis in fronte non ostenderit, iste etiam sine tormento negabit et sacrificabit.* (Eusebius Caesariensis in opusc. *de Mandato Domini*, quod latine tantum extat apud Sirmond. Opp. t. I, p. 182.)

(3) Boldetti, p. 60; cf. Bottari, R. S. t. I, p. 80, 83; t. II, p. 125.


(4) Fabrettus (113, 282) inscriptionem recitat anni 363, cui monogrammata varia et symbola appicta sunt, et in his crux †: verum lapis adhuc extat in museo lateranensi, et Fabretti ectypon hac in re (quod saepe evenit) falsum, crucis vero formam ita dissimulatam esse 卐 moneo (v. *Inscr. Christ. Urb. Romae*, n. 159). Hujus exempli instar sunt una alterave crux, quae in inscriptionum veterum editis typis occurrunt, et ante saeculum quintum factae videntur. Syracusana inscriptio anni 398, appicta inferius cruce +, quam edidit Matranga (apud Diamilla, *Mem. numismatiche*, t. I, p. 55, n. 7) recipi certe posset; sed apographa, quibus usus ille est, parum fidelia esse certo scio.

(5) Boldetti in exscribendis titulis negligentiam et imperitiam millies, licet invitus, cogor accusare; quare valde suspicor monogramma aliquod $\frac{P}{A|\omega}$ superne fractum et capite minutum quasi typum A|ω ab eo nobis propinari. Illa certe christianae rei epigraphicae lex est constituenda novi cujuslibet typi, cujus tota penes Boldettum fides sit, paene nullam esse auctoritatem; et si exemplum statim quaeris vide, quae de schemate ⋊⋉ quod ab uno Boldetto omnes fidenter exceperunt, exposui in *Inscr. Christ. Urb.* Romae, t. I, p. 54, n. 78 et cf. quae eodem loco disputavi, p. 24.

temere me affirmare existimes, aut haec sepulcra ita diruta nunc esse, ut quid olim inscriptum illis fuerit oculis usurpare jam nequeamus, scito me non horum modo sepulcrorum titulos, et minima quaeque fragmenta ingenti sane numero exscripsisse, sed infinita paene sepulcra in universis suburbani agri hypogaeis singillatim examinasse, atque in his notas in calce exaratas, quas curiose indagare soleo, item paene infinitas repperisse et quotidie reperire. Meras porro cruces, quarum quaelibet vestigia attentis semper oculis sum persequutus, in picturis aliisque omnis generis ornamentis, quae praeclarissimorum martyrum sepulcris post saeculum demum quartum addita esse nemo negaverit, itemque in parietibus ab invisentibus ea loca fidelibus post saeculum quintum incisas interdum vidi; in primaevis autem picturis, ac praesertim in epitaphiis ac notis recenti adhuc calce ipso tempore quo sepulcra claudebantur exaratis, paene numquam. Semel nempe in coemeterio Domitillae crucem immissam † in calce sepulcro inscriptam vidi; semel item marmoreo incisam epitaphio, quod pluribus indiciis ante saeculum quartum factum existimo; est autem hujusmodi :



Eandem omnino et in callistiani coemeterii sepulcris hujus signi raritatem observavi; semel namque in calce exaratum, semel item in marmoreo saeculi, meo judicio, tertii epitaphio sic expressum miratus sum:



Nullibi praeterea sive in his sive in aliis subterraneis coemeteriis inter millena omnis generis signa meras et nudas cruces me vidisse memini. Non me latet Bosium ac Boldettum testificationi meae plane contradicere, quippe qui cruces hac forma ✠ in subterraneis passim coemeteriis, sepulcrorum praesertim parietibus in calce inscriptas sese deprehendisse memoriae prodiderunt [2]. Sed tantorum hominum narrationes ac testimonia hoc super argumento caute recipienda esse facile persuadebo. Qui fieri enim quaeso potuit ut

(1) Lege : Ῥουφῖνα εἰρήνη (σοι). Hunc et praecedentem quoque titulum quarto saeculo mea opinione anteriorem pronunciavi, non quasi de singulis vel brevissimis epitaphiis ex internis quae dicimus indiciis aetatis judicium me ferre semper posse existimem, sed quod subterranearum regionum, in quibus positi illi lapides sunt, proprietates, et infinita paene temporis argumenta ex plurimis earum regionum monumentis, quorum hi tituli aequales videntur, eam mihi sententiam plane persuadent.

(2) V. Aringhi, *R. subt.* t. I, p. 443, 495, 584; t. II, p. 21, 134, 173, 177, 284; Boldetti, p. 349, 522.

innumeras illi in his hypogaeis cruces viderint, quae in iisdem proprie hypogaeis jam nullae apparent, cum alia signa universa, quae illi viderunt, magno hodiedum numero extent et quotidie in lucem redeant? Praeterea si tot nudas cruces sepulcris inscriptas Bosius ac Boldettus viderunt, cur easdem cruces paene nullas epitaphia in his hypogaeis ab illis reperta prae se ferunt? In toto enim, quam late patet, Bosii volumine meras cruces illis passim appictas epitaphiis video, quae ad basilicarum pavimenta et sepulcra pertinent; in subterraneis vero coemeteriis unam tantum cuidam loculo in coemeterio Callisti (id est Domitillae) et unam in Cyriacae in calce incisam[1], duas praeterea in altero ejusdem coemeterii sepulcro sed non nudas, verum circulo et corona circumclusas[2], unam demum eodem paene loco lapidi insculptam, cujus tamen aetas ad postrema et recentissima in his hypogaeis sepulcra pertinet[3]. Quae vero Boldettus exhibet crucium in his hypogaeis a se repertarum exempla, ea ipsa id quod nunc contendo clare demonstrant, quam caute scilicet ejus hac de re testificatio sit suscipienda et interpretanda. Nam primo vix sex collegit meras et minime dissimulatas cruces exhibentia non marmorea tantum epitaphia, sed et sepulcra litteris in calce inscriptis notata[4]; exiguus sane numerus, et qui cum experientia mea perfecte consentiat. Atqui hoc ex numero tres meo periculo lapides expungas, in quibus cruces illas nihil nisi meras interpunctiones et litteras esse satis apparet[5]: praeterea signa, quae circa loculum quemdam calci incisa Boldettus exhibet eadem illa sunt, quae jam viderat Bosius; quare exemplorum, quam quaerimus, copiam non modo non augent, sed inopiam potius demonstrant; quamquam nec nudas illa cruces exhibent, sed circulo et corona, ut praedixi, inclusas, neque a Boldetto vere et accurate delineantur. Duo ergo tantum restant nova a Boldetto proposita ejus, de quo disputo, signi monumenta, a quibus sollicitandis consulto abstineo, licet facere non difficile possem. In reliquo Boldetti volumine tria praeterea epitaphia occurrunt hac nota † notata[6]: quorum tamen saltem unum signum illud falso prae se fert; vidi enim autographum exemplum ab ipso Boldetto confectum[7] et dissimulatam hac forma , non nudam exhibet crucem. Maxima ergo immissae, quam vocant, crucis in subterraneis epitaphiis raritas vel in ipsis Bosii et Boldetti voluminibus clare perspicitur.

Quod si quantum praeterea christianarum inscriptionum restat excutias, Romae quidem vix ullum reperies e subterraneis sepulcris epitaphium illa, quam quaerimus, nota

(1) Bosio, R. S. p. 214 (unde Aringhi, l. c. p. 523), et p. 463 (unde Aringhi, II, p. 135).

(2) Bosio, p. 407, unde Aringhi, II, p. 139.

(3) Bosio, p. 409, unde Aringhi, II, p. 141. Observatione dignum est paucas illas, quas Bosius vere vidit, in coemeteriis subterraneis cruces, una tantum excepta, omnes in Tiburtinae viae, Cyriacae potissimum, coemeteriis sitas fuisse. Atqui in hujus ipsius coemeterii ruinis reperta nuperrime est inscriptio quaedam anni 407 latina cruce notata, quae omnium ad hanc diem antiquissimum est crucis exemplum in urbanis certa anni designatione insignibus titulis: praeterea si haec inscriptio ad subterranea vere sepulcra pertinet, qua de re nonnihil dubito, una erit e recentissimis, quas in suburbanis hypogaeis uspiam viderim. Omnium porro recentissima in his hypogaeis sepulcra, idest saeculi quinti exordiis aequalia, in Cyriacae proprie coemeterio reperiri experientia me docuit.

(4) Bold. p. 349-51.

(5) Cf. Bold. p. 350, cum p. 432, et vide quam parum concordent duo haec ejusdem inscriptionis apographa. Muratorius quoque fragmentum exhibet (1914, 2) in primo versu crucibus interpunctionum loco notatum, sed illud ego fragmentum nuper repperi, et agnovi non modo meras interpunctiones illas esse, non crucis symbola, sed et omnino nullam cum crucis imagine habere similitudinem. Qui edita christianarum inscriptionum exempla cum ipsis lapidibus millies non contulerit, vix sibi fingere cogitatione poterit, quam parum fidei illis plerumque exemplis adjici tuto possit, in iis praesertim, quae appicta signa aliaque id genus minima respiciunt.

(6) Bold. p. 58, 484, 565. At cave ne quae Boldettus exhibet p. 453 et seqq. cruce notata epitaphia in hunc censum, quod nonnulli falso existimarunt, referenda putes: cruces enim illae antiquae non sunt, sed ab ipso Boldetto, ut christianas ab ethnicis inscriptiones distingueret, appicta.

(7) De inscriptione loquor apud Bold., p. 484, quae incipit CEINICA, cujus autographum Boldetti exemplum repperi Florentiae in bibliotheca marucelliana.

insigne [1]; et si pauca quaedam reperies, ad quinti saeculi tempora referenda plerumque esse facile agnosces [2] : extra urbem vero unicum ac singulare antiquioris aetatis exemplum, mea quidem opinione, deprehendes in titulo quodam Clusii, in S. Mustiolae coemeterio adhuc conspicuum[3], cui quemadmodum in graeco, quod superius edidi, Rufinae epitaphio sub ipsis litteris quadrata appicta crux est. Quid ergo, inquies, de magnis illis *Romae subterraneae* exploratoribus sentiendum, qui innumeras in hypogaeis a se visas nobis oggerunt cruces? Anne tantos viros mendacii insimulabimus? Non ego certe id a quoquam fieri patiar, qui Bosii quidem diligentiam ac peritiam, pro ea qua vixit aetate, miraculi instar semper suspexi, utriusque vero, Bosii scilicet ac Boldetti, fidem in exemplum integram ac intemeratam quotidie experior. Dicam itaque quod res est. Pauculas certe nuda forma cruces illos vidisse negare profecto nolim, tum quod, licet rarissime, interdum tamen, ut vides, et mihi sese illae in primaevis sepulcris obtulerint, cum quod nonnullas recentioribus saeculis appictas, vel a viatoribus, ut praedixi, incisas a primaevae aetatis monumentis secernendas diligenter esse nondum illi cogitaverant. Sed quod magnam saepe memorant crucium copiam, hoc de dissimulatis quibusdam crucibus intelligendum experientia me docuit, quippe quas non mediocri vere numero in ipsa madida olim calce incisas vetustissima quaeque sepulcra prae se ferunt, et littera praesertim X ita deformatas, ut ad quadratae crucis ✠ speciem proxime interdum accedant, et eum qui rem subtilius minime examinet facile fallant. Et sane Bosius de littera X, quam millies certe sepulcris insculptam repperit vix umquam meminit, de cruce quadrata passim : quo iterum argumento admonemur de illa potissimum dissimulatae crucis specie ejus verba esse intelligenda. Hac ergo de re, quamquam pluribus exponere possem, tamen quae dixi satis superque sint : neque enim in singulis tam prolixae quaestionis capitibus mihi licet esse infinito.


De nuda patibuli forma T paucis verbis transigam. Hanc (merum scilicet patibulum, quoties enim anchorae vel monogrammati innectitur, cum dissimulatae crucis formis censetur) hanc inquam ego in coemeteriis ipsis numquam vidi, in epitaphiis inde extractis semel tantum, eamque monogrammati ☧ proxime appictam [4]. Bosius quoque aut semel aut raro vidit musivo opere in Cyriacae tantum coemeterio expressam[5]; eandem quam

(1) Tria nuda cruce notata epitaphia (praeter illa, quae egomet vidi et jam indicavi) ad subterranea sepulcra pertinere suspicor; marangonianum, *Acta S. Vict.* p. 95, vaticanum editum a Passioneio, p. 118, 44, et aliud olim vaticanum nunc lateranense, de quo in exitu hujus epistolae plenissime exponam : quattuor vero epitaphia illis absque dubitatione sepulcris vindico, titulum nempe *locorum pertinentium ad cubiculum Germulae*, editum a Nicolaio (*Basilica Ostiense*, p. 135, 189), qui tamen crucem omittit, monumentum e gypso repertum in Cyriacae coemeterio anno 1825 (Settele, *Atti della pont. acad. di archeologici*, t. IV, p. 24), titulum emptionis venditionis cujusdam sepulcri ex eodem Cyriacae coemeterio effossum anno 1851; fragmentum denum e coemeterio Callisti, in quo nihil nisi crux dissimulata 卐 et crux quadrata ✠ circulo tamen inclusa. Titulos editos a Bollandianis, *Acta SS.* t. III, Junii, p. 2; Zaccaria, *de Rebus ad hist. et antiq. eccl. pertin.* t. I, p. 80, et Marinio, apud Mai, *Script. vet.* V, 407, 1, non curo, pendent enim ex apographis, quorum paene nulla accuratio est. Inscriptiones demum post Bosii mortem *Romae subterraneae* additas (Bosio, p. 217, Aringhi, t. I, p. 598), quotquot crucem prae se ferunt, falsas esse certo comperi.

(2) Inscriptiones, quae ad locorum venditiones aliaque id genus spectant, omnium recentissimas in subterraneis coemeteriis esse mihi certo constat : in his porro saltem tres ex illis, quas indicavi, cruces computantur : praeterea gypseum monumentum in Cyriacae coemeterio repertum recentiori aetate (id est saeculo circiter quinto) loculo affixum fuisse ejus editor (Settele) agnovit : demum unicum, quod ad ipsa hypogaea spectare videtur cruce notatum epitaphium, et certam anni designationem praefert, ad annum, ut dixi, pertinet 407.

(3) Cavedoni, *Due antichi cem. crist.* p. 25 (ex *Mem. di Modena*, ser. 3, t. XIV).

(4) Prostat in museo Vaticano :



(5) Bosio, p. 407.

Bosius, opinor, et Boldettus; quamquam de multis id genus musivo opere imaginibus loqui videatur [1]. Quod vero addit se multas in coemeterio Callisti (id est Domitillae) hujuscemodi commissas cruces coloribus pictas vidisse, hoc quid sit satis scio, meis quippe oculis vidi : sunt porro linearia in cubiculorum picturis ornamenta, qualia habes in picturarum tabulis a Bosio editis [2], in quibus si quis aliquam de cruce Christi cogitationem velit agnoscere non ego contradicam; sunt tamen ita saepe depicta ac disposita, ut merum potius et omni plane sensu destitutum ornatum mihi videantur exhibere. Atque haec de subterraneis sepulcris eorumque titulis atque ornamentis.

Nunc si caetera veterum Christianorum monumenta recensere pergam et examinare, eandem in omni ante saeculum circiter quintum fabrefacto opere merae crucis raritatem facile demonstrarem. Sed quoniam brevitati studeo, uno verbo immissae crucis in universa sive saeri sive domestici instrumenti suppellectile antiquissima haec fere mihi videri exempla significo : sigilla nempe M. Instei Aemiliani, de quo alibi dixi [3], et cujusdam Joannis [4], et graphium argenteum olim Romae apud Capranesium his inscriptis litteris :

+ RVMVLA
VIVAS IN DEO
SEMPER

quae quarto exeunte vel quinto ineunte saeculo facta esse judico. Patibuli vero T pauca, licet multo antiquiora, videntur monumenta superesse : gemma scilicet a P. Raphaele Garruccio V. C. nuper explicata [5], aliaeque duae tresve annulorum item gemmae, quas in schedis meis descriptas habeo : quamquam in hoc genere fallacias multas me vidisse et neque ipsis satis meis oculis fidere jam olim monui, et nunc iterum moneo : neque enim *incredulitatis* me unquam meae, sed credulitatis, quamquam suspiciosus adeo sum, jam plus semel poenituit.

Nunc quoniam meram et propriam crucis imaginem antiquiori aetate et ante saeculum omnino quintum in monumentis vix raro apparere demonstravi, qua via, quo gressu eo perventum demum fuerit, ut salutare signum, quod in sacrorum ritibus et omni vitae actu veteres Christiani tantopere colebant, absque ulla passim dissimulatione publice proposuerint accurate quaerendum. Ac ne illud in quaestione ponam, quod notissimum vulgo est, monogramma nominis Christi post initia saeculi quarti publice a Christianis adhiberi, quin et in sacris aedibus in sublimi locari sollemni cultu consuevisse [6], quasi rem affirmo, quae demonstratione jam profecto non eget : quaenam autem hujuscemodi monogrammatis antiquior, quaenam posterior forma sit, et utrum ante ipsa saeculi quarti initia loco crucis haberi coeperit, quaenam demum aliae dissimulatae crucis imagines, sive priusquam monogrammatum usus invaluisset, sive eodem atque illa monogrammata tempore Christianis placuerint, breviter declarare ac perspicue definire pergo.

Quam inquisitionem, ut consueta mihi methodo et lege perficiam, examinanda primum

(1) Bold. p. 352 et 522.
(2) V. Aringhi, R. S. t. I, p. 549, 557.
(3) V. *Spicil. solesm.* t. III, p. 556.
(4) Ficoroni, *Gemmae,* tab. XI, 4.
(5) *Civiltà cattolica,* série 3, t. V, p. 732.
(6) Bertoli (in *Memorie della società colombaria Fiorentina,* t. I, p. 129 et seqq.), et Gori, *Symb. litt.* t. III, p. 134 et seqq.

erunt indubia anni nota insignia monumenta. In his, quae ante saeculum quartum posita sint vix pauca inveniri jam tibi duobus ab hinc annis significavi, atque hoc quoque affirmavi in paucis illis nullum monogrammatis ☧ certum indicium superesse[1]. Nam quae cieri solent ejus monogrammatis antiquissima monumenta alia falsa sunt[2], alia corrupta[3], alia demum multo recentioris aevi, quam visum nonnullis fuerit[4]. Uno verbo in antiquioribus Constantino M. christianis titulis, quorum aetas per consulum nomina designatur, unicum, quod semel appareat sive monogrammatis Christi sive dissimulatae crucis schema, illud est quod litteris IX (Ἰησοῦς Χριστός) hac specie ✳ connexis constat[5].

Constantinianis vero temporibus primum sese nobis offert monogramma ☧ bis repetitum in romano titulo anni 331[6]; tum in romanis item titulis annorum 336, 338, 339[7]; in tribus item romanis anni 341[8]; uno anni 343, cui quater monogramma inscriptum[9]; altero anni 344[10]; demum bis in epitaphio anni 346[11], et semel in fragmento e quodam oppido Etruriae notam anni 347 praeferente[12]: nec juvat ulterius pergere, hac enim aetate vulgare ac plane sollemne hujuscemodi signum fuisse vel ignarissimi sciunt. Illud tamen observatione dignum, quod inde ab anno 355 litterae A et Ω monogrammati hinc inde appictae in romanis incipiunt titulis apparere[13]; quas millies deinde omnis formae monogrammatibus et ipsis crucibus adscriptas passim conspicimus. Sed ipso illo anno 347, in quo vestigium fixi, et sequenti statim anno 348 novae monogrammatis formae prima contemplor exempla; ejus scilicet formae, in qua crux clarius incipiat eminere et agnosci manifesto possit. Illa nempe signi Christi species, quam adscripto titulo SIGNV CHRISTI in sepulcro quodam me vidisse testatus sum, et cui in ipso monogrammate ☧ crux inserta est ✢, in romanis epitaphiis annorum 347 et 348 jam apparet[14]; quo quasi gradu eo brevi progressum est, ut excluso inde decusse, haec multo evidentior crucis delineatio ⳩ proposita sit. Hanc enim primum praefert et dextera sustentat imago quaedam viri romano anni 355 titulo appicta[15]; tum eadem saepissime crux monogrammatica, reliqua saeculi quarti parte, in omnis generis monumenta sese insinuat, et cum vetustiori monogrammate aequo paene gradu procedit. Ut autem ad exordia pervenimus saeculi quinti, jam perspicimus e signo Christi vel ipsam paullatim eliminari litteram P, et nudam crucem ✠ † in veterum monogrammatum locum ita invadere, ut in romanis quidem monumentis post annum 409 monogrammatis ☧ vix ulla extent exempla[16]; crucis vero monogrammaticae ⳩ in dies rariora, donec et haec regnante jam ubique gentium nuda crucis imagine, obliterari sensim pergit et quasi eva-

(1) Unum tamen fragmentum est hoc monogrammate notatum, de quo dubitari jure possit an non ad annum 298 pertineat: qua de re plenissime in meis ad *christianas Urbis inscriptiones* commentariis egi, v. t. I, p. 28, 29.

(2) Cf. Garrucci ad Macarii *Hagioglypta*, p. 107.

(3) Talis, exempli gratia, inscriptio, quam Boldettus exhibet p. 87, quasi singularis formae monogramma praeferentem, v. *Inscr. Christ.*, l. c. n. 17, p. 24.

(4) Tales multae a Georgio, *de Monogrammate Christi*, aliisque certatim laudatae, quas infinitum esset expendere.

(5) V. *Inscr. Christ.*, l. c. p. 16, n. 10.

(6) V. l. c. p. 38, n. 39.

(7) V. l. c. p. 40, n. 42, p. 42, n. 48, et p. 44, n. 52.

(8) V. l. c. p. 48. n. 61; p. 49, n. 62, 64.

(9) V. l. c. p. 51, n. 71.

(10) V. l. c. p. 54, n. 78.

(11) V. l. c. p. 60, n. 92.

(12) *Novelle Fiorentine*, 1762, p. 713; Donati, 184, 2. Cf. *Inscr. Christ.*, l. c. p. 61.

(13) V. l. c. p. 76, n. 127 et n. 143.

(14) V. l. c. p. 61, n. 95, et p. 64, n. 101.

(15) V. l. c. p. 75, n. 125.

(16) In epitaphiis quidem Urbis Romae prodigii mihi simile est monogramma ☧ conspici in titulo anni 474 (Bosio, R. S. p. 151); reliqua, quae afferri possent hujus re exempla ad altiorem aetatem spectare certo comperi.

nescere. Itaque exeunte quinto et ineunte sexto a Christo saeculo monogrammatum, Romae praesertim, in publicis privatisve monumentis vix rara hac illac apparent vestigia. Non eodem tamen, nec tam celeri cursu, in toto pariter Occidente haec veterum monogrammatum desuetudo videtur invaluisse; vel in ipsa enim Italia, in tota Alpium Cottiarum provincia exeunte saeculo quinto satis adhuc frequentem signi ⳨ usum christiana ejus regionis epitaphia manifesto produnt [1]. Caeterum utcumque dispar fuerit pro regionum disparitate celeritas, qua variae signi Christi formae obliteratae paullatim fuerunt, et aliae in aliarum locum substitutae, has tamen saeculis quarto et quinto in christiana ecclesia ejus signi vices, hanc historiam fuisse, ut ab sollemniori monogrammatis ⳨ usu ad nudae crucis passim proponendae consilium ventum demum fuerit, quae recensui monumenta firmissime persuadent, aliaque paene innumera, quorum licet incertus annus sit, aetas tamen pluribus indiciis dignosci facile potest, aperte confirmant.

Atque hujuscemodi quidem monumentorum, quae certa anni nota destituta sunt, ingentes modo copias educere parco; ne in re jam, ni fallor, satis perspicua nimias videar parum probabili consilio vires velle ostentare. Nummorum tamen minime negligenda consideratio est; tum ob eam qua pollent in tali re auctoritatem, cum ob ipsa, quae objicere videntur demonstrationi meae impedimenta. In ipsius enim Constantini moneta quam immissam sive latinam dicimus crucem conspicuam esse nummographi, ac prae caeteris Sanclementius, testificantur [2] : quibus veteres quoque scriptores videntur adstipulari Sozomenus [3] nempe et Joannes Damascenus [4], quippe qui Constantinum *salutaris crucis, quod in coelo viderat signum* nummis suis impressisse memoriae produnt. Sed haec veterum verba de monogrammate quoque ⳨ intelligi commode posse, quae hactenus disputavi satis demonstrant. Dicam ergo brevissime quid ad universae hujus quaestionis definitionem ipsi conferant nummi. Et in Constantini quidem ac filiorum ejus sinceris nummis Christi signum, labaro praesertim appictum, illud ipsum conspici, quod aequales eorum temporum lapides exhibere enarravi, qui nummos veteres tractant probe norunt [5]. Quod si nummographis concedendum omnino est nonnullos sinceros Constantini nummos extare, qui crucem praeferant ea plane forma, quam multo serius publice passim proponi coepisse certo scimus, hoc mirum mihi profecto videbitur, et praeter solemnem morem factum existimabo; quemadmodum rarissima quaedam nudae crucis praeter morem exempla in antiquioribus quoque subterraneis sepulcris extare jam monui. At enim magnopere vellem hanc rem a nummographis diligentius perpendi, et severius aestimari, ut indubie plane constet quot et quaenam Constantini moneta, singulari paene exemplo, merae crucis sint impressa vestigia [6]. Sed, ut quod usitatum, quod sollemne est persequar, tota illa aetate, qua epitaphia monogramma ⳨ passim praeferunt, idem pariter monogramma a Constantii ac filiorum ejus, itemque Vetranionis, Magnentii, Nepotiani [7] ac Galli Caesaris nummis passim exhiberi, rem nummographis testatam, affirmo :

(1) V. Gazzera, *Iscr. crist. del Piemonte*, p. 59, 61, 86; Mur. 411, 5; 407, 1 (quae inscriptio non ad annum 444, sed ad 493 spectat); Bottazzi, *Le antichita di Tortona*, p. 120, et *Giornale Ligustico*, I, p. 84.

(2) V. Sanclementi, *Numism. sel.* t. III, p. 182 et seqq.

(3) *Hist. eccl.* I, 8.

(4) *In Synod. ad Theophil.*

(5) V. *Revue numism.* 1856, p. 254.

(6) Postquam haec scripseram, litteras hac super re accepi a Cavedonio v. c., de quibus vide excursum alterum ad calcem hujus commentarii.

(7) V. quae scripsi in comm. ad *Inscr. Christ.* l. c. n. 108.

praeterea eodem paene tempore atque illi monogrammati litterae A ω in lapidibus incipiunt adjungi, eodem et in Constantis, Constantii [1] ac praesertim Magnentii nummis illae ipsae litterae nihil variante forma appictae statim apparent; ita ut ad medium usque saeculum quartum inter plerosque nummos et reliqua monumenta hac in re concordia tanta sit, ut rara quaedam diversi moris exempla singularibus fortasse causis adscribenda videantur. Post medium saeculi quarti crucem monogrammaticam in epitaphia sese sensim insinuare, et cum antiquiore monogrammate concurrere jam demonstravi, quod itidem in Valentiniani senioris aureis praesertim nummis usuvenire in vaticanae bibliothecae nummophylacio ego ipse vidi; quamquam heic jam nummi caetera monumenta praevertunt; Joviani enim ac praesertim Valentis monetam cum monogrammate ☧ nudam quoque crucem conjungere, quin modo hoc modo illud signum exprimere et ipsi quoque labaro infigere sincerissima et plurima exempla ob oculos ponunt [2]. Reliqua tamen saeculi quarti aetate monogramma ☧ labaro praesertim inscriptum in nummis passim conspicitur; neque a nudae crucis imagine superatur, et quasi loco pellitur, nisi saeculo demum quinto, quo scilicet tempore parem ejus signi vicem et in aliis omne genus monumentis jam observavimus. Ipsi ergo Christi signo notati nummi non secus ac lapides nobis testantur vertente saeculo quarto a solemniori monogrammatis forma ☧ ad nudae crucis imaginem ventum esse; quamquam haec maturius in nummis, quam in reliquis Italiae saltem Galliarumque monumentis videtur apparuisse. Qua exacta inquisitione *signi Christi* primarias formas (neque enim singularia quaedam sive rariora ejus signi schemata persequutus sum) earumque vices ac seriem a Constantinianis temporibus ad exordia saeculi sexti ipsis monstrantibus monumentis summatim et quantum satis est mihi videor explicasse.

Verum quaenam antiquiori aetati hujus signi formae placuerint, et praesertim an sollemnior illa nota ☧ ante saeculum quartum christianis inscribi monumentis jam consueverit, hoc e paucis, quos superius significavi, certam anni notam praeferentibus titulis praesentire certe possumus, plena tamen et legitima probatione demonstrare non item. Itaque ut praecipuum hoc totius, quam posui, quaestionis caput qua par est perspicuitate et argumentorum vi absolvam, monumenta, quae certa licet anni nota careant, aliis tamen indiciis constantinianis temporibus antiquiora censeri jure debent, sedulo interrogare pergo. At brevissima heic quoque via a paene infinita quaestione me expediam. Hoc enim facile quivis mente concipiet varias signi Christi formas, a quibus ad nudam demum crucem perventum esse vidimus, si ante non secus ac post redditam Ecclesiae pacem nullo discrimine adhibitae a christianis fuerunt, in omni promiscue subterraneorum coemeteriorum parte conspicuas esse debere. Sin contra aliis aliae aetatibus ejus signi formae placuerint, et aliae pacatis christianorum rebus, aliae quamdiu inimica iisdem tempora durarunt monumentis appicta, tunc in primaevis et antiquioribus coemeteriorum regionibus monogrammata saeculo quarto celebrata numquam vel paene numquam apparere necesse erit, sed alia eorum locum signa occupare; ac vicissim tota saeculo demum quarto condita hypogaea illis monogrammatibus erunt referta. Et sane ita se rem habere praeclaro experientiae magisterio didici, et quotidie disco. Innumeras paene coemeteriorum regiones peragravi, in quorum primaevis sepulcris monogrammatis

(1) Eckhel, D. N. t. VIII, p. 112, 117. — (2) Banduri, *Numism.* II, 444, 449 et alibi.

☧ aut nullum plane vestigium, indicium nullum deprehendere potui, aut vix unum alterumve singulare exemplum, ac plerumque incertum utrum posteriori appictum aetate fuerit, crucis vero monogrammaticae ⳨ vestigium omnino nullum : in his vero regionibus anchorae, eaeque saepe cruciformes, dissimulatae cruces ⚓, litterae X et monogramma ⳩ hac illac apparent. Atque hae ipsae illae regiones sunt, quae infinitis paene indiciis, ac perspicuo quoque interdum monumentorum et historiae testimonio saeculis secundo et tertio conditae et sepulcris oppletae dignoscuntur ; illa puta coemeterii callistiani regio, romanorum inde a Zephyrino pontificum sepulcris insignis, cujus tibi ichnographiam jam ante hoc biennium delineavi; itemque paene totum Domitillae hypogaeum inferius, totum item inferius hypogaeum Praetextati ; et sic porge deinceps. Illae contra regiones, quae constantinianam aetatem manifesto non superant vetera signa rarius, monogrammatum vero hac praesertim forma ☧ tantam praeferunt copiam, ut cum describere illa mihi et adnotare olim coepissem taedio et labore victus a proposito saepe destiterim. In recenti plerumque circa sepulcrales loculos calce haec monogrammata sunt exarata, sed et marmoreis titulis appicta, in quibus illa, quae supra scriptam speciem exhibent plane vulgaria, paulo minus usitata quae litteras quoque A ω appictas praeferunt; multo demum rariora, quae crucem exprimunt monogrammaticam ⳨, atque haec in Cyriacae prae caeteris coemeterio conspicua [1]; in quo maxime uno multa sepulcrorum ineuntis saeculi quinti vestigia me deprehendisse jam supra significavi.

Ecce ergo quin ulterius et subtilius quaeramus totam *signi Christi,* quale per quinque priora saecula monumentis adhiberi placuit, historiam concordi omnium monumentorum testificatione mire explicatam : ecce quamdiu aut infesta aut dubia Christianis tempora fuerunt crucis imaginem studiose plerumque dissimulatam, monogramma ☧ aut numquam aut vix raro adhibitum, crucem demum monogrammaticam ⳨, quantum ad hanc diem novimus, omnino numquam [2]. Rebus vero in contrarium versis monogramma primum ☧ militaribus vexillis et nummis et sacris omne genus monumentis atque ipsis sepulcris triumphali plane ritu depictum ; deinde hoc ipsum monogramma gradatim ita immutatum, ut ad meram crucis imaginem in dies magis accederet; donec omni cautione deposita nuda demum crux, verum nempe CHRISTI SIGNVM, quod inde a prima origine fideles mente semper respexerant, christiano orbe plaudente publice ubique proposita. Quae signi Christi a monumentis ipsis deducta historia quam perspicua est, quam ipsa per se veri similis! Eadem tamen a tot tamque variis plerorumque recentiorum opinionibus quanto distat intervallo [3]. A quibus nunc discutiendis, ut pollicitus sum, equidem abstineo; ne in infinitum paene errorem a via divertar, et nimium lectoribus fastidium creem.

Caeterum tanta hujus argumenti gravitas est, varietas et dicendarum rerum copia tanta, ut cum nimis multa prae hujus epistolae incoepto me hac de re scripsisse fatear, multo tamen plura sint, quae vellem saltem attingere, eaque nihilominus silentio prae-

(1) V. Bosium, R. S. p. 407 et seqq.

(2) Cave ne hujuscemodi crucem agnoscas in titulo Laidis apud Boldettum, p. 443, est enim ethnicus, quod Boldettus ipse monet.

(3) Mirum et magna profecto laude dignum ad veritatem proxime hac in re accessisse Macarium, qui inter primos tam difficile argumentum tractavit. V. *Hagioglypta,* p. 162 et seqq.

tereo. Illuc itaque, quo inde a principio mea tendit oratio, jam demum perveniam; et hanc *signi Christi* e veterum monumentis explicatam historiam cum ipsa Ecclesiae historia componam, ac quibus proprie causis, quibus consiliis ejus signi vices sint adtribuendae, utrum uno eodemque tempore in Oriente pariter atque in Occidente, in Italia atque in Africa eaedem causae extiterint, eadem capta consilia fuerint, brevissime quaeram. Quod facillimum factu esse plerique, opinor, praesentiunt. Tribus enim prioribus Ecclesiae saeculis crucis Christi ignominiam fidelibus quotidie ab ethnicis exprobrari, eosque quasi *crucicolas* et *crucis religiosos* traduci passim ac infamari consuevisse nemo unus ignorat; praeterea quo tempore crucis supplicium in humilioris sortis hominibus, et in ipsis adeo Christianis, ferale omnium oculis spectaculum saepe objiciebat, ad nudam ejus patibuli imaginem animum cuilibet exhorruisse necesse est : nullo itaque negotio intelligitur, cur signum, quod quasi salutare ac plane divinum tanta veteres illi relligione in sacrorum ritibus colebant, tam pie suis centies per diem frontibus inscribebant, in monumentis tamen dissimulare plerumque studuerint; ne scilicet cruda nimis imago neophytis et ipsis fortasse fidelibus horrore animum pertentaret, et in ethnicorum quoque forte fortuna oculos incurreret. Et sane Christiani ethnicorum de crucis cultu calumniam ita rejiciebant, ut cautissimos illos esse oporteret, ne ullum nimis evidens hujuscemodi cultus indicium in saxis et sepulcris insculperent, ac demum praeclarum in palatinis aedibus nuper effossum et a Garruccio V. C. editum ejus calumniae monumentum [1] meridiana luce clarius demonstrat idololatras ipsa crucis et Christi in cruce fixi imagine abusos adeo esse, ut mirum videri profecto nequeat, quod ab eadem fideles infestis adeo christianae legi temporibus abstinendum sibi esse duxerint, et prudenti aliqua usi sint dissimulatione. Ineunte porro saeculo quarto non pax modo et securitas Ecclesiae affulsit, verum Constantinus ipse Augustus christianam legem publice professus *Christi signum*, quod caelitus sibi ostensum affirmavit *labaro*, id est militari vexillo, infixit : ast ipsam crucem, cui nondum vel fidelium oculi satis adsueverant, pendente velo quasi celabat [2], crucis vero dissimulatam in Christi nomen designantibus litteris imaginem sublimem erexit. Cujus imaginis sive monogrammatis ipsam et propriam formam veteres quidem parum perspicue et accurate significant [3]; quare magna hac de re recentiorum ambiguitas est : verum monumenta, quae diligenter excussimus, quaeque cum ipso labari schemate in Constantini et filiorum ejus nummis toties obvio mire consentiunt, dubitare jam, ni fallor, minime sinunt, hanc ☧ constantiniani vere labari notam fuisse. Et novo quoque ac nondum, opinor, edito monumento constantinianam hanc monogrammatis formam placet utcumque confirmare; tabella scilicet aenea Constantino ipsi dicata his inscriptis notis ac litteris :

corona ☧ *corona*
DM CONSTAN*t*
INO AVC SEM
PER VICTORI
. . . . [4]

(1) *Civiltà cattolica*, ser. 3, t. IV, p. 531.

(2) V. Eusebium, *de Vita Const.* l. c.

(3) Lactantius certe, sive quisquis est auctor libri *de Mortibus persecutorum*, l. c. monogrammaticam crucem videtur describere, quod cum monumentis minime concordat : monumentis tamen ipsis exactissime conformis videtur Eusebii narratio.

(4) Donius in cod. Barb. XXXIV, 73, p. 609. Lege D. N. CONSTANTINO, etc.

Ecce ergo cur constantiniano aevo christianis monumentis prae quavis alia sollemnis et usitatissima illa signi Christi forma fuit; non quasi eam, opinor, primus omnium Constantinus fidelibus monstraverit et in Ecclesiam invexerit, ab ipsa enim Eusebii narratione contrarium videtur inferri [1], sed quod a nimis aperta et manifesta Christi nominis delineatione, nedum crucis atque a nuda crucis imagine in monumentis abstinendum sibi esse ante illud tempus plerique duxerant. Deinde vero rebus in tantam securitatem versis, quin et ethnica superstitione paene jam debellata, hoc, non quasi novum et tum primum inventum, sed quasi triumphale signum publice ubique a Christianis proponi par fuit. Et sane cum monogramma ☧ veteres ante Constantini tempora fideles jam excogitasse certo constet, quis crediderit de meliori monogrammate ⳨, quod vel ethnici alio licet sensu jam saepe adhibuerant [2], illos nihil omnino cogitasse? Praeterea si persuasum fidelibus fuisset hujusmodi notam ab ipso primum Christo Constantino Augusto divinitus ostensam, et nulli ante id prodigium christiano homini umquam excogitatam adhibitamque, nonne religioni sibi duxissent illam mutare atque corrumpere? Atqui id factum brevi fuisse jam vidimus, et qua de causa factum fuerit significabo. Invento nempe Hierosolymis ipsius sacrae crucis ligno, tantus eidem statim cultus impendi, tam sollemnis et publica in toto praesertim Oriente crucis apud christianos invalescere veneratio coepit, ut brevi omnis ejus rei dissimulatio plane inutilis, et ad aetatis mores jam minime accommodata debuerit sane videri. Praeterea quempiam crucis affici supplicio extremo vitae suae tempore Constantinus vetuerat [3]; quo et crucis imagini horror in dies minuebatur, et divinae redemptionis recordatio in ea jam unice eminebat. Vix quidquam jam ergo supererat, quod suadere Christianis posset, ut crucis imagines dissimularent; multa eos contra hortabantur, ut genio et pietati libere indulgerent. Quod ab iis primo factum est constantiniano monogrammate ad crucis similitudinem propius assimulato. Cui, quemadmodum et constantiniano ipsi labaro, litteras appinxerunt A ω, ut Christi scilicet divinitatem profiterentur, quam Ariani tantopere impugnabant : et sane illa proprie aetate hae in nummis atque epitaphiis litterae Romae praesertim ac in toto Occidente primum adparent, qua paene universa latini nominis Ecclesia Arianorum artibus et Constantii, qui se se totum illis dederat, furore vexari coepit, et in eam haeresim omni nisu compelli. Denique, quod unum restabat, a cruce monogrammatica ad ipsam crucem perventum, et omni excussa ambiguitate atque cautione, nuda ac vera crucis delineatio publice ubique proposita fidenter est.

Verum alibi paullo maturius, alibi serius totam hanc crucis victoriam consummatam esse, et per se credibile est, et monumenta ipsa videntur suadere. Namque ubi multis adhuc viribus ethnica superstitio pollebat, Christianos cautius ac lentius processisse verisimile est, fidentius autem ac praecipiti paene cursu, sicubi illa jamjam moritura extremum paene ageret spiritum. Et sane Julianus Augustus cruces in ipsis aedium privatarum foribus ubique notatas esse significat [4], quod de ipsa cruce non de monogrammate ⳨ accipiendum, vel ex orationis contextu clare intelligitur; neque illud praetereundum quoque est in littera X de initio nominis Christi, potius quam de crucis imagine Julianum

(1) V. praesertim Buonarroti, *Vetri cemet.*, p. xiv.

(2) V. Eckhel, D. N. t. viii, p. 89. Cf. Ch. Lenormant, *Des signes de christianisme sur qq. monum. numism.* (extrait du t. iii des *Mélanges d'archéol.*)

(3) V. Lipsium, *de Cruce*, iii, 14.

(4) Τὸ τοῦ σταυροῦ προσκυνεῖτε ξύλον, εἰκόνας αὐτοῦ σκιαγραφοῦντες ἐν τῷ μετώπῳ, καὶ πρὸ τῶν οἰκημάτων ἐγγράφοντες. Julian. ap. Cyrill. lib. vi, *contr. Jul.*

cogitasse [1]. Atqui hoc Juliani testimonium de toto profecto Oriente facile receperim, de Occidente vero, Italia praesertim ac Galliis, vix credibile existimo. Non modo enim nullum in nostrarum regionum monumentis hujus moris adeo antiqua aetate vestigium reperio, sed monogramma omnino ☧, rarius crucem monogrammaticam ⳨, aedibus, praediis ac privatae quoque supellectili saeculo saltem quarto et longo post Julianum tempore cum Romae tum in aliis Occidentis provinciis inscribi consuevisse plura exempla demonstrant. In quibus prae caeteris insigne est monumentum Helveticum, aedes nempe publicae a provinciae praeside extructae anno 377, et Christi monogrammate A ☧ ω in ipsa fronte notatae [2]. Demum, quod de veteri monogrammate demonstravi, ejus desuetudinem alio loco tardius, alio celerius inductam, hoc argumento est idem et de crucis imagine sentiendum, eamque in reliqua christiani orbis parte maturius quam Romae et in extremo Occidente frequentari facile coepisse. Quod si orientalium regionum pariter atque Europae nostrae christiana ad saeculum saltem quartum monumenta suppeterent, non tam indiciis et conjectura, quam re ipsa et luculentis testimoniis hanc quaestionem absolverem. Nunc quoniam probabili, ni fallor, argumentatione quantum fieri potuit rem declaravi, quis non videt carthaginienses, in quorum gratiam haec disceptavi, titulos hujus ipsius sententiae adstipulatores esse, quippe quorum magna pars ea indole est, quae saeculo quinto anteriorem aetatem prodat, et tamen crucem, eamque nudam et quam latinam dicimus, paene omnes prae se ferunt? Et sane christianam in Africa relligionem, atque in ipsa adeo Carthagine, tam altas jam a saeculo quarto radices egisse, et tam ingentem sectatorum populum sibi adscivisse, ut ejus regionis Christiani, non tam cum ethnicorum relliquiis, quam ipsi inter se dissidentibus odiis et Donatistarum factione debacchante luctaverint, quis ignorat? Africanae ergo ecclesiae historia profecto non impedit, immo suadet, ut nudae crucis publice passim proponendae consilium ab ea maturius, quam Romae susceptum esse opinemur. Ecce ergo ad propositam nobis metam, longo licet et impedito identidem cursu, utcumque tamen jam demum pervenimus.

Nunc antequam Tibi vir clarissime et carthaginiensibus a Te editis titulis valedicam, placet hanc de antiquiori apud Afros nudae crucis usu opinionem ab ipsis his titulis mihi insinuatam, eleganti sane exemplo et e medio urbanarum inscriptionum populo sumpto confirmare, et quo ipsum illud quoque africanae ecclesiae lumen, magnus, inquam, Cyprianus, præter omnium, opinor, expectationem paullisper inlustrabitur. Latinae enim proprie crucis in romanis epitaphiis duo potissimum valde antiqua, id est paullo post medium fortasse saeculi quarti facta censeo monumenta; titulum nempe Maurentiae a Maurentio patre positum [3], et elogium quoddam, scriptura non omnino ineleganti, palma itidem ac cruce, quemadmodum carthaginiensia epitaphia, notatum, cujus dictio plane insolens et oratoriam adfectans eloquentiam admirationem profecto movet, et singularem provocat animadversionem. Editum saepius fuit [4], sed juverit ad ipsius lapidis, qui in lateranensi nunc museo prostat, fidem diligentius proponere :

(1) In *Misopog.*

(2) V. Mommsen, *Inscr. Helv.* p. 3, 10. Illud vero, quod nonnulli nimis fidenter affirmant, Helveticum hoc aedificium sacram aedem esse, ab ipsa inscriptione manifesto refellitur.

(3) Bold. p. 58.

(4) Guasco, *Inscr. num.* capit. t. III, p. 138, Adami, *Del culto dovuto ai santi martiri*, p. 111, Le Blant, l. c. t. I, p. 93, aliique.

MAGVSPVER INNOCENS
ESSEIAMINTERINNOCENTISCOEPISTI

QVAMSTAVILESTIVIHAECVITAEST
QVAMTELETVMEXCIPETMATERECLESIADEOC
MVNDOREVERTENTEM. CONPREMATVRPECTORVM
GEMITVS. STRVATVRFLETVSOCVLORVM

Quid si haec adeo rara et vetusta, non immissae utcumque crucis, sed ejus proprie, quam latinam dicimus, formae in romana ecclesia monumenta ab afris hominibus facta demonstravero? Et Maurentiae quidem titulus a Maurentio patre dedicatus in ipsa nomenclatione satis habet causae cur suspicemur afris hominibus illum esse adjudicandum. Maurentii enim (rarissimum in Urbe nomen) certe a Mauris et a Mauretania appellati. Sed si haec nimis levis videri conjectura potest, firmitatem accipiet ab altero titulo, pro cujus africana origine quovis ausim pignore decertare. Nam pueri quidem nationem nomen ipsum prodit in romanis titulis plane singulare et sive MAGVS legas, sive MACVS, nonnihil quippe incerta est littera G, punicam manifesto originem refert. *Mago* quippe et *Magon* nomen apud Poenos pertritum fuit [1]; vox item *macom* tribus in Africa oppidis nomen dedit, quae *Macomada*, idest *macom-adas* (oppidum novum) sunt appellata [2]. Haec de Mago sive potius Magone puero, cui conscriptum tam disertum epitaphium est. Ipsius vero epitaphii auctorem, quem afrum fuisse jam per se verisimile est, quis talem videri neget, si demonstravero Cypriani verbis totum hoc elogium quasi centonem composuisse? Epitaphii initium usque ad verba *haec vita est*, si ab iis quae sequuntur conjecturam capere licet, e Cypriano certe sumptum, quonam autem ex opere nondum mihi liquet, nec nunc vacat diligentius inquirere. Sequitur: *quam te laetum excipet* (excipit) *mater ecclesia de hoc mundo revertentem;* adi nunc Cypriani librum de Lapsis cap. 2 et lege: *quam vos laetos excipit mater ecclesia de praelio revertentes.* Perge porro et capite ejusdem libri decimo sexto ipsam hujus elogii clausulam ad verbum reperies: *comprimatur pectorum gemitus, struatur fletus oculorum.* Quamquam haec jam in eo Cypriani libro hujus lapidis ope et testimonio sic egregie restituta in posterum legentur: ad hanc vero diem editiones omnes, vel quae optimae habentur et emendatissimae, ac recens quoque lipsiensis anno 1838 a D. Goldhorn v. c. curata, inconcinnam, imo absurdam, hanc scripturam nobis objecerant: *comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum.* Qua vel in paucis verbis instituta comparatione recensiones inter quibus utimur et lapidem saeculi quarti, licet profecto conjicere, quantum ejus aetatis codices codicibus nostris praestiterint, et quam parum nunc emendatum nobis legere Cyprianum contingat. Sed haec exiguae quasi mantissae loco; satis tamen opportuno fortasse Tibi tempore, quandoquidem africanos patres in hoc Spicilegii tui volumine excitas, et postliminio reducis nobisque restituis.

Quod si haec, quae tibi scripsi ulli christianis litteris usui futura judicabis, et quae catholicae ecclesiae multiplicem sapientemque pro rerum, regionum ac temporum varietate disci-

(1) Gesenius, *Monum. phoenic.* p. 409. — (2) Gesen. l. c. p. 424.

plinam, perpetuam vero in dogmatis summa constantiam inlustrare aliqua ex parte possint, tum haec a te in vulgus publicari non aegre patiar : quamquam tam prolixam epistolam prae multis, quibus nunc distineor, occupationibus non ea qua voluissem accuratione expolitam animi tui benignitati potius quam judicio commendari oportere probe sentio.

Dabam Romæ Idib. Juliis MDCCCLVII.

EXCURSUS

Ad pag. 506, notam 3, de christianis inscriptionibus, in quibus servorum vel libertorum mentio fit.

Praeclarum hoc argumentum multa nuper cum laude occupavit, et vix non totum exegit Edmundus le Blant v. c. (*Inscr. chrét. de la Gaule*, t. I, p. 118), cujus egregiam lucubrationem interim jubeo conferri. Pauca tamen de christianis epitaphiis servos aut libertos praeter morem exhibentibus significare pergo. Sex vel septem id genus epitaphia Le Blantius recitat, e quo numero tria vellem expungi. Primo nempe titulum Flaviani liberti (Torremuzza, *Inscr. Sicil.*, p. 226, XXXIV), qui adhuc exstat Catanae in museo Biscariano (Ferrara, *Storia di Catania*, p. 436), falsum judico; siquidem plurimas id genus inscriptiones Romae elapso saeculo duplici exemplo confictas et unum exemplum Catanam, alterum Ravennam transmissa esse certo comperi : Flaviani porro titulus Roma Catanam transmissus est, et ejusdem exemplum manifesto falsum Ravennae egomet vidi in S. Vitalis; in quo tamen non LIBERTVS legitur sed LIO (V. Spreti, *De ampl. urb. Rav.*, t. I, p. 259, n. 260). Deinde in mediolanensi Honoratae epitaphio notas HER. ET. BAL. VV. C. CKONLIB.... recte, mea quidem opinione, interpretatus est Labus (*Monumenti di Canturio*, p. 51) *Herminerico et Basilisco viris clarissimis consulibus;* quare nulla ibi conlibertorum mentio, quam Fleetwood (*Inscr.*, p. 414) nimis confidenter quasi certam proposuit, multo cautius et modestius Le Blant quasi verisimilem. Demum calaritanus Venustae conlibertae titulus, quem e Fabretti tantum volumine Le Blantius excepit et christianis accensendum esse vehementer suspicatus est, paene certam christianitatis notam praeferret, si edito per Bonfantum (p. 76, unde Mur. 1850, 1) exemplo fidem nos adhibere par esset, quippe in quo non M. ANTONIVS APELLES scriptum est, sed B. M. ANTONIVS APELLES : verum quanta hac in re Bonfanti auctoritas sit neminem opinor latere; doniani contra apographi (*Cod.* Barb. XXXIV, 37, p. 441), unde Fabrettus pendet, diligentiam tota tituli dictio et forma satis commendat. Ethnicum porro esse, non christianum, praeter alia argumenta hoc praesertim indicio unice probabile existimo, quod teste Donio inscriptus erat *tabellae marmoreae, mensura circiter sesquipalmari christiano cuidam sepulcro bifariam dividendo* adhibitae; quo ritu ethnicorum epitaphia christianis monumentis inserta saepe fuisse supra jam monui. Caeterum pro tribus his, quos exclusi, titulis ecce tibi quinque certe christianos et sincerissimos, quorum unus servum, reliqui libertos nominant; omissis aliis circiter quinque, de quorum christianitate dubia mihi opinio est. Primum dabit Marinius (*Giorn. Pisano*, t. VI, p. 70), quem vere christianum esse, qualem tantus judex judicavit, plura et nova argumenta persuadent, quae non est hujus loci enarrare; alterum Coluccius (*Antich. Picene*, t. III, p. 238); tertium Michettonius (*Mem. archeologiche su di S. Aurelia Procope, Ripatransone*, 1845); quartum ego ipse repperi in coemeterio Callisti in duo dissita fragmenta diffractum, et loci ubi olim positus fuit indicio, saeculo circiter

tertio labente vel quarto ineunte scriptum opinor, quem quoniam rarissimus et adhuc ineditus est heic adscribo :

AVRELIOSCOLACIO.PATRONO
DICNISSIMOQVI VIXITANNISLXX
INPACELIBERTIFECERVNT

Quintum demum vidit Ugonius in coemeterio S. Valentini his litteris in calce exaratis : SERBO LVCILIAN. . . . (*Cod. barb.* 1057), ubi si quis *Christi servo Luciliano* legendum suspicetur, non ego contra intercedam. Titulum Proseneti Commodi Augusti cubiculario a libertis factum in hunc censum minime refero; est enim christiani quidem hominis, at non christianum proprie epitaphium. (V. *Inscr. christ. Urb. Rom.*, t. I, p. 9, n. 5.)

Porro quam exiguus hic epitaphiorum christianos servos et libertos exhibentium numerus sit ille facile intelliget, qui reputabit innumeros certe christianos cum servos tum et libertos fuisse, ex ingenti tamen tredecim saltem millium christianarum inscriptionum multitudine (Urbis enim et provinciarum inscriptiones computavi) haec pauca aegre colligi potuisse earum appellationum exempla, quae in ethnicis adeo frequenter occurrunt, ut si titulos omnes, in quibus servi vel liberti nominantur, exscribere pergas, tota fere tibi veterum inscriptionum volumina sint exscribenda. Itaque data opera et studio ab his olim vocibus fideles abstinuisse nemo non sentit. Quod tamen manifestius fiet, si ad christiana epitaphia, quae alumnos et alumnas exhibent, parumper attendas. Hos enim sive servorum sive libertorum loco habitos esse certo constat; prae ingenti tamen servilis et libertini generis populo alumnorum numerum valde exiguum fuisse, ut nec in centenis certe servis et libertis unus fuerit alumnus, qui omnem romanae antiquitatis memoriam probe callet facile intelligit. Et sane in ethnicorum titulis raram alumnorum mentionem esse jam Orellius monuit (*Inscr. lat.*, n. 4147), ut in millenis facile servis ac libertis vix decem, ni fallor, alumni possint reperiri. Atqui christianis epitaphiis longe alia lex est; in his enim non modo non multo pauciores, ut par esset, numero alumnos quam servos et libertos deprehendes, verum in tanta horum penuria non spernendam illorum copiam redundare jure miraberis. Alumnos quidem pariter ac servos et libertos raro et praeter morem christianis in titulis interdum nominari Le Blantius affirmat, quippe quorum vix sexdecim nomina sibi nota esse significat. Verum etiamsi sexdecim non amplius alumnos, prae septem vel decem servis et libertis christiana epitaphia exhiberent, notatione digna res esset, et quaerendum, cur qui in ethnicis titulis vix singuli inter centenos servilis generis homines occurrunt in christianis duplo paene quam hi numero sint. At enim quos sexdecimo tantum numero e toto orbe Le Blantius collegit, hos ad sexaginta saltem quinque (valde incertae enim christianitatis titulos sepono) vel sola Urbis coemeteria mihi suppeditarunt : ingens profecto multitudo si conferatur cum tribus unice libertis totidemque forsitan servis, qui ex iisdem ad hanc diem coemeteriis prodierunt. Quis ergo non videat priscos illos christianos a vocibus *servus, libertus* studiose abstinuisse, ab *alumni* appellatione non item ? Hoc nempe vocabulum non servitutem significat, sed piam et christiano homine dignissimam erga derelictos praesertim infantes adhibitam a nutritoribus curam; hinc nutritorum alumnorumque non infrequens in christianis titulis mentio, et esset certe frequentior, nisi sola plerumque nomina et adclamationes, praeter annos vitae et mortis diem, epitaphiis inscribere veteres illi consuevissent. Caeterum haec digna sunt, quae pleniori commentatione perfecte explicentur, quod me alio loco propediem facturum spero. Interim Le Blantio, viro mihi amicissimo, cujus in re epigraphica christiana doctrinam valde suspicio, debitas placet laudes ingeminare, quod primus omnium tam grave argumentum non attigerit modo, sed et magno doctrinae apparatu egregie tractaverit.

EXCURSUS

Ad pag. 530, not. 6. De Nummis constantinianis cruce notatis.

De nummo sanclementiano, itemque de illo, quem Caronnius protulit (*Ragguaglio d'alcuni monumenti*, Milano, 1806, p. 184), cruce impressa notabilem, Cavedonium v. c. consulendum censui, qui opiniones suspicionesque meas datis ad me litteris adeo confirmavit, ut ipsa tanti viri verba lectoribus exhibere utile existimem. Primum enim mihi respondit : « *Mi manca il « Ragguaglio del Viaggio del Caronni, onde non le so dire altro, se non che l'autore poco critico « e frettoloso non fa grande autorità. Lo stesso dicasi del Sanclemente, che ora non ho alla « mano.* » Deinde in altera epistola sanclementianum numisma, quod potissimum mihi suspiciosum erat, his verbis, meo judicio, plane explosit et condemnavit. « *Io le scriveva, che il « Sanclemente non fa autorità in numismatica, e me persuado vie più dopo di avere letto la « sua dichiarazione del medaglione di Costantino col Redentore* (?) *tenente la croce nella sini- « stra. Io sospetto grandemente, che quel medaglione sia antico sì, ma ritoccato da mano di ar- « tefice del secolo XVI. Il Vaillant* (Banduri, t. II, p. 256), *ne diede uno simile coll' epigrafe « SALVS ET SPES REIPVBLICAE col tipo di Costantino nimbato sedente di mezzo ai « due suoi figliuoli maggiori armati, con la destra alzata in atto di tener loro discorso, e con « globo nella sinistra. Questo medaglione trovasi fedelmente riprodotto col metodo Collas in « una delle ultime tavole del* Trésor de Numism. (Iconogr des Emper. rom.) : *e confronta per- « fettamente col disegno del Sanclemente, tranne la croce et l'X posto sopra il capo del perso- « naggio nimbato sedente in trono.*» Nummum ipsum, quem Sanclementius possedit, neque in vaticano, neque ullo praeterea in nummophylacio reperire potui. Sed Cavedonii conjectura adeo sagax mihi videtur, ut nullam jam ejus monumenti rationem habendam esse mihi certe sit plane persuasum.

Quod reliquos attinet constantinianos nummos crucis sive nudae, sive monogrammaticae imagine insignes, hos rarissimos esse ipsi Bandurius (II, 250, 389) et Taninius (*Suppl. ad Bandur.*, II, 264) satis significant; nec desunt, qui de cruce in illis impressa, quo jure equidem nescio, dubitare videantur (V. Feuardent, *Rev. numism.* 1856, p. 252). Praeterea aut omnes, aut saltem plerique, Aquilejae percussi sunt; quare singularem aquilejensis praesertim officinae morem ea in re possem agnoscere. Sed quidquid id sit, mirum certe videtur crucis imaginem, qualis in saeculi quinti monumentis plerumque occurrit, in constantiniana moneta apparere : quare, nonnisi re accuratius perpensa, hac de re sententiam vel conjecturam saltem aliquam promere ausim.

II.

ILLUSTRISSIMO D. LUDOVICO EDUARDO PIE.

ECCLESIÆ PICTAVENSIS ANTISTITI.

J. B. PITRA MON. O. S. B.

Ignotum nicæni concilii decretum novam in lucem acturus, neminem vidi præter te, Illustrissime ac Reverendissime Præsul, sive conciliorum auctoritatis magis studiosum, sive nicænæ fidei tenaciorem, cujus auspicio ac nomine hoc meum commendaretur consilium. Sæpe quidem cogitans mecum anquirebam, dum contingeret aut fraterno locogiacensis abbatiæ recessu, aut ipso tuæ celsitudinis hospitio frui, quid potissimum tibi grati causa animi et obsequentissimi, votiva nuncupatione darem dicaremque. Verum quæ ad manum sunt, quasi duplici hæreditatis atque hospitii jure ad te pertinent, magni quippe Hilarii successorem in sede, acie et prœliis agentem, ad te etiam merentissimum novæ pictavensis abbatiæ conditorem. Hic enim, juxta redivivas tuis sumptibus divi Martini ædes quum me nuperrime recepissem, sedula manu versabam novum quemdam ac pene ignotum codicem quem cl. v. Minoides Minas e monte Athone in parisiensem bibliothecam cæsaream dudum attulit : ignotum sane, eoque minus tritum quod a primo conspectu diligentiorem quemque omnia ferme folia miserrime corrosa facile deterruerint. Ego quidem dum anxia manu folles tineis exesos caute dividerem, spiritum pene premebam, ne volaticæ exciderent spiculæ, aut interirent penitus tinearum reliquiæ. Interea non pauca haud exigui momenti animum pariter suspensum tenebant; præter enim plura Basilii, Epiphanii, Cyrilli, Isidori, Sisinnii plus minus nova, mirabar veterem Joannis Scholastici, patriarchæ constantinopolitani, *Collectionem quinquaginta titulorum*, ut aiunt, ibi secundis curis et novo rerum ordine recensitam. Mirabar ejusdem alteram quam dixere LXXXVII *capitulorum collectionem*, ibidem a nemine lectam, quam certe primus in lucem lubens misissem, nisi paucis abhinc annis hanc laudem alius præripuisset. Ut *Capitula* cum Heimbachio, sic *Titulos* non sine fructu conferebam cum editis a Justello, cujus quidem liber e bibliotheca episcopali ad usus meos humanissime, ut sæpe alias, adhibebatur. Inter utriusque syntagmatis conterminos hærebam aliquandiu, inque ultima quinquagesimi tituli plagula, præ ceteris corrosa, quasi cum tineis colluctabar, quum inopinum aliquid et inexspectatum me in admirationem rapuit : scilicet expletis quæ jam sub eodem titulo eduntur, puta de recolendis festis ac præcipue de observando paschate, en celeberrimum ejusdem argumenti decretum a nicæno concilio sancitum in ipso hoc loco sanis meis intuebar oculis et apertissime legebam; quale nimirum, Celsissime Præsul, harum utique causarum integerrime judex et arbiter, etiam nunc sub oculis tuis græce et latine ponere me juvat confidenter :

Τῆς ἁγίας συνόδου τῆς ἐν Νικαίᾳ περὶ τοῦ ἁγίου Πάσχα.

Πέπρακται δὲ οὕτως τὰ δόξαντα πᾶσι τοῖς ἐν τῇ ἱερᾷ συνόδῳ συνελθοῦσιν, ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ θεοσεβοῦς καὶ μεγάλου Κωνσταντίνου, ὃς οὐ μόνον συνήγαγε τοὺς προγεγραμμένους ἐπισκόπους εἰς ταὐτὸν, εἰρήνην ποιούμενος τῷ ἔθνει ἡμῶν, ἀλλὰ γὰρ καὶ συμπαρὼν τῇ τούτων ὁμηγύρει συνεξετάζει τὰ συμφέροντα τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ· ἐπειδὴ τοίνυν, ἐξεταζομένου τοῦ πράγματος περὶ τοῦ δεῖν συμφώνως ἄγειν τὸ Πάσχα ἅπασαν τὴν ὑπ' οὐρανὸν, ηὑρέθη τὰ τρία μέρη τῆς οἰκουμένης συμφώνως ποιοῦντα Ῥωμαίοις καὶ Ἀλεξανδρεῦσιν, ἓν δὲ καὶ μόνον κλίμα τῆς ἀνατολῆς ἀμφισβητοῦν· ἔδοξε, πάσης ζητήσεως περιαιρεθείσης καὶ ἀντιλογίας, οὕτως ἄγειν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς ἐν τῇ ἀνατολῇ ὡς ἄγουσι Ῥωμαῖοι καὶ Ἀλεξανδρεῖς καὶ οἱ λοιποὶ πάντες, πρὸς τὸ πάντας ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ὁμοφώνως ἀναπέμπειν τὰς εὐχὰς τῇ ἁγίᾳ ἡμέρᾳ τοῦ Πάσχα. Καὶ ὑπέγραψαν οἱ τῆς ἀνατολῆς ὡς διαφωνοῦντες πρὸς τοὺς ἄλλους.

Sancti concilii in urbe Nicæa decretum de sancto Paschate.

Actum est autem hoc modo id quod placitum est omnibus in sacra synodo convenientibus, sub his diebus religiosi atque magni Constantini, qui non solum coegit suprascriptos episcopos in unum, pacem genti nostræ faciens, sed etiam adfuit eorumdem conventui, collatisque consiliis, expendit quæ in catholicæ ecclesiæ bonum spectabant;

Postquam igitur id deliberatum diligenter fuit, utrum necesse esset concentu unanimo peragi Pascha ab universa sub cœlo Ecclesia, et inventum est tres totius orbis partes consentire cum Romanis et Alexandrinis, unam vero et solam orientalem plagam facere dissidium;

Visum est, qualibet sublata quæstione et contradictione, eodem more agendum esse fratribus Orientis, quo modo agunt Romani et Alexandrini atque cæteri omnes, ut cuncti in una die, unanima mente sursum emittant preces in illa sancta die Paschatis.

Et subscripserunt qui ab Oriente erant, utpote a cæteris dissentientes.

Neque jam fiduciæ meæ me pœnitet, nec vereor, te usque adeo idoneo judice, quin vel primis labris non simul sentiatur, et quam nova hæc inauditaque sint, et quantum in illis spiret venerandæ antiquitatis. Ab initio enim, ut ipsa nicæna tulit ætas, auspicatur Constantini laus, jam prima Ecclesiæ otia facientis, jam ut illa describeretur et in unum conveniret primam dantis occasionem. Quæ quidem, quasi adhuc circumfremente ethnico orbe, gentem se modeste dicit tandem a bello respirantem, εἰρήνην ποιούμενος τῷ ἔθνει ἡμῶν. Synodus est ὁμήγυρις, casca et vieta vox ac pene homerica, vix inde usurpata de conciliis. Sunt vero magnæ ecclesiæ patriarchales, ut apud priscos, μέρη τῆς οἰκουμένης, aut κλίματα, vel *fratres* tam *Orientales* quam Ῥωμαῖοι et Ἀλεξανδρεῖς. Et, misso demum omni cyclorum, lunarumque et computationum astronomicarum tumultu, unum idque paucis et gravissimis statuitur verbis, ut scilicet una die eodemque temporum articulo, exsultantis orbis christiani jubilus paschalis in cœlum usque ab universa terra sursum erumpat. Quid nicænorum patrum majestate dignius? quid sanctitati convenientius? Sed neque omittenda brevis subscriptio, qua mirum in modum confirmatur id quod legitur in fragmentis nostris copticis, eos potissimum patres decretis subscripsisse, qui primum a cæteris dissentiebant (V. t. I, p. 514). Vix igitur ea omnia legeram, quum rei granditate captus, statui nihil non movendum esse ut excusso quolibet dubio, et hæc esse nova, et sincera plane, tum etiam integra, mihi primum, cæteris deinde persuaderem.

I.

Quod ad priorem attinet quæstionem, nemo, opinor, arrogantiæ duxerit si promtius eam rescidisse me dixero. Nam quum non ita pridem cl. v. C. Lenormant inserebat in hoc ipsum Spicilegium ejusdem concilii canones coptice descriptos, haud negligere debui versare et scrutari quotquot alicubi supererant primæ synodi œcumenicæ monumenta. Reversus igitur ad nicæna mea adversaria, iterum sciscitabar eos qui generatim de hac synodo dixere, ut Christianum Lupum *de Concil. œcumenic.* t. I, p. 234, 285; Thomam Ittigium in *Histor. concil. nic. illustrat.* (Lips., 1712); Thomam Caccinum in italica *Conc. nicæni histor.* (Lucæ, 1634); Josephum Catalanum in *Sacrosanct. concil. œcum.* (t. I, p. 39-148, Romæ 1736). Tum inde eos adii qui severiori trutina numerum expenderunt ejusdem concilii canonum [1]: in primis vero excutiendi erant tum qui nicænum de celebrando Paschate decretum conditum esse affirmant [2], tum qui dato consilio illud ipsum scrutari et describere studuerunt; quorum facile principes erunt Aguirrius et Schelstratius, qui certe, præsertim si addideris [3] Ch. W. Fr. Walchium et Van der Hagen [4], cæterorum omnium vicem explebunt, sive vetustiorum Clavii, Petavii, Bucherii, Guldini, Bayeri, Mentzeri, Reyherii [5]; sive recentiorum Falckii, Junii [6], Bortzii [7], et Kressenstenii [8], varia in idem argumentum conferentium. Quid, quod novissimæ non defuerunt occasiones mea, si nota ulli fuissent, conceptis verbis excitandi, in nuperrima de copticis nostris fragmentis disquisitione inter cll. vv. C. Lenormant [9] et J. H. Feye [10] cum multis utriusque laudibus agitata? Sed neque etiam lucem attulere quæ ad extremum accersivi, *Analecta nicæna* sub hisce diebus e Syrorum codicibus [11] eruta, licet cum copticis meis in plura consentiant.

Verum in his aliisque terendis frustra semper eram. Nihil enim aliud longo ex labore colligebam, nisi tam esse certum probatumque olim exstitisse nicænum de Paschate celebrando decretum, quam ipsius verba incerta prorsus ignotaque latere. Ad Pictavos me iterum receperam, quum favente bono ædis episcopalis omine et hospitio, rursus singulare quoddam ac pene incredibile inopinanti mihi obvenit, ut quod in forulis ac latebris ægre quærebam, in medio pateret omnibus; in ipso quippe Urbis et orbis theatro, sed neque ab ignobili viro, quin etiam a summo vaticanæ bibliothecæ præfecto, Josephum Simonem dico Assemanum, hoc meum decretum evulgatum est, silentio nihilominus Urbis et orbis a centum fere annis præter omnem opinionem perseverante. Et liber in quo integerrimum decretum legitur, qui me fugerat, multos licet cæsareæ urbis nostræ thesauros librorum lustrantem, scilicet Assemani *Bibliotheca juris orientalis* [12], in musæo jam mul-

(1) *Canonum.* Cf. præterea Anton. de Simeonibus *de Judiciar. R. E. potestate*, c. 17; Th. Ittig. in *Fascicul. observat.* ad opp. Clem. alex. supplem. Lips. 1700; ejusd. *Hist. conc. nic.* Lips. 1712, in præfat. Christiani Ludovici; Duguet, *Confér. Ecclés.* diss. 50, 51; Jo. Chrysost. a S. Joseph, *de Num. canon.* etc. Romæ, 1742; J. G. Dorsch. *Exercit. ad Diatypos. conc. Nic.* Argent. 1681. — (2) *Affirmant.* Schelstratius in Concil. Antioch. ed. Antwerp. 1681, p. 158; Jos. Saenz de Aguirre *Coll. max. conc. Hisp.* t. I, p. 1. Appar. diss. 8, p. 117, qui et alios sibi adsciscunt. —(3) *Addideris.* Vid. etiam J. Falckii S. J. *Christianum Pascha* p. 78-98 et 175. — (4) Hagen. *De cycl. pasch.* Amst. 1786; *In Prosp. Aq. chron.* ib. 1733. Walchius *decreti Nic. de pasch. explic.* edidit in *Comment. N. S. reg. Gott.* t. I, p. 10, a. 1769. —(5) *S. Reyher.* de Epact. solarib. ad tempora C. N. reductis, etc. Kil. 1702; Balth. Mentzer, J. G. Bayer. De *C. N. auctor. atque integritate*, Jen. 1652, 1691. —(6) *Junii* Diss. de Paschatis diei celebratione C. œcum. N. constituta, Lips. 1723. — (7) *G. H. Bortz*, de die festi *Paschatos* inprimis ex decret. C. N. constituendo, Lips. 1775. — (8) *C. C. Kress von Kressenstein*, De eo quod justum est circa diversam pasch. celebrat. Helmstad. 1744. — (9) *C. Lenormant.* Études sur les fragm. copt. des C. de Nic. et d'Eph. Paris, 1852, in-4°. —(10) *Feye* in diario lovaniensi *Revue catholiq.* a. 1854. — (11) *Codicibus.* Edid. Harri Cowper. Lond. 1856. Insunt ibi patrum subscriptiones syriace et cum copticis nostris collatæ. — (12) *Bibl. J. O.* t. IV, p. 421.

tarum opum refertissimo pictavensis collegii sancti Vincentii S. J. delitescebat. Inciderat Assemanus in cod. vatican. 843, capite truncatum, nec nisi a num. 38 Collectionis *quinquaginta titulorum* incipientem; quem ut vidit esse præstantissimum, ita ob suam vetustatem genuinum Joannis Antiocheni opus plus quam reliquos codices, continere censuit: eumdem igitur cum editis sedulo contulit, collegitque varietates usque ad ultimum titulum, neque idcirco omisit appendicem, quam vaticanus, cum nostro parisiensi simillimus, clausulæ in vicem habet, quæ ipsa mea erat sententia paschalis. Quam quidem descripsit vaticanus præfectus, typisque commisit, et græce tantum, nihil latine interpretatus, sed nec verbulo quidem, sive lectorem monens, sive quid ipse sentiret, significans. Unde factum, ut tam splendidum canonicæ vetustatis instrumentum, in transcursu de nocte excitum, iterum in tenebras recideret cimmerias. An vero suspicandum hoc decretum in Assemani *Bibliothecam* venisse, ipso pene inscio, manu cujusdam συνεργοῦ, codices, editoris in persona ejusque jussu, ut aliquando fit, recensentis? Malim de tanto viro cogitare id, quod de clarissimo Zoega dicere licuit, nimirum ut huic fragmenta coptica, ita illi græcum de Paschate ψήφισμα sub oculis, non sine quadam ἀβλεψίᾳ, transiisse.

Sed ne forte aliquis cogitet ab Assemano despectam adeo fuisse hanc appendiculam, ut vel de ea dubium edere piguerit, pro me respondeant quicumque vel levem cum eruditissimo Maronita habuere consuetudinem, eam scilicet esse facundi viri indolem, ut qui tot alia longe minutiora prolixe ventilat, certe ab illo decreto, nisi raptim ab oculis fugisset, aut morose expungendo aut acriter vindicando non abstinuisset. Quibus ego asserendis vindiciis licet impar ero, nonnulla tamen symbola hic adducere animus est, eaque potissimum quæ ipsis nicænæ sententiæ verbis concipi videntur.

II.

Primus testis et omnium instar unus erit merito jure ipsa sancta synodus. Quum enim scriberent nicæni patres de felici concilii exitu ad ecclesiam alexandrinam, cui præ cæteris mitti oportuit decretum ex ipsius traditionibus exsculptum, ab initio se illud ipsum præ oculis habere pene significant: Ἐπειδὴ, inquiunt, τῆς τοῦ Χριστοῦ χάριτος καὶ τοῦ θεοφιλεστάτου Βασιλέως Κωνσταντίνου συναγαγόντος ἡμᾶς, κ. τ. ἑ. Et paulo post: Εὐαγγελιζόμεθα δὲ ὑμᾶς [1] καὶ περὶ τῆς συμφωνίας τοῦ ἁγίου Πάσχα, ὅτι ὑμετέραις εὐχαῖς κατωρθώθη καὶ τοῦτο τὸ μέρος, ὥστε πάντας τοὺς ἐν τῇ ἑῴᾳ ἀδελφοὺς, τοὺς μετὰ τῶν Ἰουδαίων τὸ πρότερον ποιοῦντας, συμφώνως Ῥωμαίοις καὶ ὑμῖν καὶ πᾶσιν ἡμῖν τοῖς ἐξ ἀρχαίου μεθ' ὑμῶν φυλάσσουσι τὸ Πάσχα, ἐκ τοῦ δεῦρο ἄγειν τὴν αὐτὴν ἁγιωτάτην [2] ἑορτὴν τοῦ Πάσχα. Haud latuit perspicacissimum Maium quo hæc contenderent, ibique legi id ipsum decretum pronuntiavit [3]. Sed potius a nostris ea derivasse rerum consensus evincit, quum varietas verborum ejusmodi sit ut suspicari non liceat hæc præivisse nostris ortumque dedisse et occasionem. Decretum igitur habes quasi sigillo CCCXVIII patrum confirmatum.

Sed videndum an non manu quoque imperatoria idem roboretur. Isto eodemque nuntio verisimile est directas fuisse ad Alexandrinos Constantini litteras quæ solent præcedentibus annecti, quarum ab initio ipse, ut antea patres, apertissime e decreto proficiscitur,

(1) Ὑμᾶς. « Lætum etiam nuntium vobis afferimus de consensu omnium in celebrando sanctissimo festo Paschatis, quod ea etiam res parta, vestris precibus recte constituta est; ita ut *omnes fratres in Oriente, qui antea Judæos imitari consueverant, jam inde cum Romanis et vobis, cumque omnibus nobis qui eumdem morem vobiscum a primis temporibus in eo recolendo tenuimus, sanctissimum festum Paschatis concordissime celebrabunt.* » Mansi, III, col. 910. Eadem leviter variant apud Socrat. lib. I, c. 6; Theodoret. lib. I, c. 9; Gelas. Cyzic. l. II, c. 33.—(2) Ἁγνοτάτην ed. Cf. ep. Constantini mox cit.—(3) *Pronuntiavit.* In *Bibl.*

ut ea quæ dicta de ipso erant pene ambitiosius, minuat et humiliter emolliat : Θελήσει Θεοῦ, συναχθέντες ἐν τῇ Νικαέων πόλει τοὺς πλείστους τῶν ἐπισκόπων, μεθ' ὧν καὶ αὐτὸς ἐγὼ καθάπερ εἷς τις ἐξ ὑμῶν, συνθεράπων ὑμέτερος, καθ' ὑπερβολὴν εἶναι χαίρων), καὶ αὐτὸς τὴν ἀληθείας ἐξέτασιν ἀνεδεξάμην [1]. Sed ecce luculentiora in altera iisdem subnexa epistola ad omnes episcopos : Τούτου ἕνεκεν πλείστων ὅσων συναθροισθέντων [ἐν ταύτῃ [2] τῇ Νικαέων πόλει θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων, καὶ] αὐτὸς δὲ [ἐγὼ] καθάπερ εἷς ἐξ ὑμῶν τυγχάνων, συμπαρὼν.. ἄχρι τοσούτου ἅπαντα τῆς προσηκούσης τετύχηκεν ἐξετάσεως, ἄχρις οὗ ἡ τῷ πάντων ἐφόρῳ [3] Θεῷ ἀρέσκουσα γνώμη, πρὸς τὴν τῆς ἑνότητος συμφωνίαν, εἰς φῶς προήχθη, ὡς μηδὲν ἔτι πρὸς διχόνοιαν ἢ πίστεως ἀμφισβήτησιν ὑπολείπεσθαι, ἔνθα καὶ περὶ τῆς τοῦ Πάσχα ἁγιωτάτης ἡμέρας γενομένης ζητήσεως, ἔδοξε κοινῇ γνώμῃ καλῶς ἔχειν, ἐπὶ μιᾶς ἡμέρας ἅπαντας τοὺς ἁπανταχοῦ [4] [χριστιανοὺς τὴν σωτήριον ἑορτὴν] ἐπιτελεῖν [τοῦ ἁγιωτάτου Πάσχα [5]]. Tum acta et quidem acriter velitatione quadam in Judæos, insignem decreti clausulam ita semel et iterum exornat : Μίαν γὰρ [ἡμῖν] τὴν τῆς ἡμετέρας ἐλευθερίας ἡμέραν, τουτέστι τοῦ ἁγιωτάτου πάθους, ὁ ἡμέτερος παρέδωκε Σωτήρ, μίαν εἶναι τὴν καθολικὴν αὐτοῦ Ἐκκλησίαν βεβούληται [6]. Omissa porro Ecclesiæ descriptione, quæ ad quatuor decreti κλίματα pertingit, summamque rei breviter complexus : Συντόμως εἴπω, κοινῇ πάντων ἤρεσε κρίσει, τὴν ἁγιωτάτην τοῦ Πάσχα ἑορτὴν μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ συντελεῖσθαι [7], pulchre præclareque ultima decreti verba exponit: Ἀκμαζούσης [δὲ] πανταχοῦ τῆς ἡμετέρας πίστεως καὶ εἰρήνης καὶ ὁμονοίας [εὐχαριστηρίους ὕμνους μεθ' ὑμῶν ἀναπέμψω τῷ πανευεργέτῃ καὶ σωτῆρι Θεῷ [8]].

Jam ad cumulum satis esset tertium adducere testem, magnum Athanasium. Triplicem enim horum testimoniorum fasciculum quis dissipabit? Et ille suo quoque digito decretum nostrum tangit, sed eo usus verborum brevi et strenuo acumine, quo innotescere solet Athanasii τὸ δριμὺ καὶ τὸ ἀπέριττον, ut bene Photius. Audiatur igitur in epistola ad Afros episcopos : Ἡ μὲν γὰρ διὰ τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν καὶ διὰ τὸ Πάσχα συνήχθη· ἐπειδὴ οἱ κατὰ Συρίαν καὶ Κιλικίαν καὶ Μεσοποταμίαν διεφώνουν πρὸς ἡμᾶς, καὶ τῷ καιρῷ, ἐν ᾧ ποιοῦσιν οἱ Ἰουδαῖοι, ἐποίουν καὶ αὐτοί. Ἀλλὰ χάρις τῷ Κυρίῳ, ὥσπερ περὶ τῆς πίστεως, οὕτω καὶ περὶ τῆς ἁγίας ἑορτῆς γέγονε συμφωνία. Καὶ τοῦτο ἦν τὸ αἴτιον τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου [9]. Hæc ille, quibuscum συμφώνως faciunt tum alexandrinus alter, Cyrillus, et semel in epistola ad Leonem papam, iterumque in prologo paschali; tum ejusdem civitatis Proterius in litteris de cyclo paschali ad eumdem pontificem scriptis, tum denique auctor chronici alexandrini, quos paulo infra operæ pretium erit sigillatim describere.

Nov. t. VI, præf. p. 1. — (1) Ἀνεδεξάμην. « Dei voluntate convocavi in urbem Nicæam magnam episcoporum copiam, *quibuscum ego ipse tamquam unus ex vestro numero* (nam me conservum vestrum esse supra modum gaudeo) operam dedi, *ut veritas diligenter investigaretur*. Socr. I, 6; Gelas. II, 36; Labb. II, c. 259; Mansi, III, c. 929. — (2) Ἐν ταύτῃ. Quæ inclusa uncinis sunt, ea Gelasius Eusebio addit, quæ omnino tacuisse Valesium miror. — (3) Παντεφόρῳ Gelas. — (4) Ἅπαντας τοὺς ἁπανταχόσε id. — (5) Πάσχα. Latinitas utrique textui accommodetur : « Eam ob causam, coactis quam fieri potuit plurimis religiosissimis episcopis in hac urbe Nicæa, *me quoque* tamquam uno ex vobis præsente... *cuncta competenti examine eo usque discussa sunt*, donec inspectori omnium Deo accepta sententia *ad unitatis consensum* proferretur in lucem : itaque nullus dissensioni, nullus controversiæ de fide locus amplius relinqueretur. *Ubi quum de sanctissimo etiam Paschæ die quæsitum fuisset*, *communi omnium sententia decretum est rectum esse salutarem sanctissimi Paschatis festivitatem uno eodemque die ab omnibus ubique christianis celebrari.* » — (6) Βεβούληται. « Unum enim libertatis nostræ festum diem, hoc est sacratissimæ passionis, Salvator noster nobis tradidit, unamque Ecclesiam catholicam esse voluit. » Labb. II, 263 A. — (7) Συντελεῖσθαι. *Placuit communi omnium judicio ut sacratissima Paschatis festivitas uno eodemque die celebraretur.* — (8) Θεῷ. Nemini non mirari subit ultima in Eusebio deesse, eumque inter et Gelasium sat magnum intercedere discrimen. Sed de hoc infra. « Fide nostra ubique florente, pace itidem et concordia, *hymnos cum gratiarum actione vobiscum concinam* in laudem benefactoris et salvatoris Dei. » Labb. II, c. 265 A. — (9) Συνόδου. « Illa enim [nicæna synodus] ob arianam hæresin et ob Paschatis solemnitatem convocata fuit, quia Syri, Cilices et qui in Mesopotamia degunt, a nobis dissentiebant, et eodem quo Judæi tempore, Pascha celebrabant. Sed gratia Domino, quod quum de fide, *tum de sancta illa solemnitate omnium una mens facta est*. Et hæc quidem nicænæ synodi erat causa. » Athanas. Opp. t. II,

Jam assurgant, vix xv annis post nicænum consessum, xxx patres concilii antiocheni, « in quibus Spiritum sanctum loquutum credimus, » ut cum Cæsario arelatensi loquar, quorum canon primus adeo luculenter nobiscum facit, ut ego mirer unde quæstio moveatur de nicæno paschali decreto, nec videam qualia præter nostra ibidem significentur : Πάντας τοὺς τολμῶντας παραλύειν τὸν ὅρον τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης συνόδου τῆς ἐν Νικαίᾳ συγκροτηθείσης ἐπὶ παρουσίᾳ τῆς εὐσεβείας τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως Κωνσταντίνου περὶ τῆς ἁγίας ἑορτῆς τοῦ σωτηριώδους Πάσχα ἀκοινωνήτους καὶ ἀποβλήτους εἶναι τῆς ἐκκλησίας, εἰ ἐπιμένοιεν φιλονεικότερον ἐνιστάμενοι πρὸς τὸ καλῶς δεδογμένα [1]. Sensit præstantissimus canonum græcorum interpres, Theodorus Balsamon, quo potissimum hæc pertinerent : « Hoc decretum, inquit super hæc, in canonibus nicæni concilii non est inventum, sed in actis primæ synodi invenitur [2]. »

Sed neque desunt alii testes, tempore saltem et ævi nicæni majestate commendabiles. Præter enim Epiphanium, de quo mox plura, cujus hæc sunt cum nostris simillima : Διὸ συνελθόντες οἱ πανταχόθεν τότε καὶ ἀκριβώσαντες, ὥρισαν μεθ' ὁμονοίας γίνεσθαι κατὰ τὸ πρέπον τῆς ψήφου καὶ τῆς ἀκολουθίας [3]. Adest historiæ nostræ parens Eusebius, a quo ipsius decreti utente verbis et disputationis momenta, et causæ judices, et sententiæ elementa, ipsæ denique Orientalium subscriptiones, strictim referuntur in opella nova quam nuperrime nobis dedit Ang. Maius, *de Solemnitate paschali* : Πλὴν τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως, μέσου τῆς ἁγίας συνόδου προκαθεζομένου, ὡς ἤχθη εἰς μέσον τὸ περὶ τοῦ Πάσχα ζήτημα, ἐλέγετο μὲν ὅσα καὶ ἐλέγετο. Ἐπλεονέκτει δὲ τῷ πλήθει τῶν ἐπισκόπων ἡ τριπλασίων μοῖρα τῆς ὅλης οἰκουμένης ἑτέρωθεν ἀντιτείνουσα τοῖς τῆς ἀνατολῆς· ἀρκτῷα γὰρ ὁμοῦ καὶ μεσημβρινὰ καὶ τὰ κατὰ δύοντα ἥλιον ἔθνη τῇ συμφωνίᾳ φραξάμενα, τὴν ἐναντίαν ἀνθεῖλκε τοῖς τῆς ἑῴας τὴν παλαιὰν διεκδικοῦσι συνήθειαν· τέλος δὲ λόγον εἶξαν οἱ ἀνατολικοί· καὶ οὕτω μία Χριστοῦ γέγονεν ἑορτή· καὶ οὕτω τῶν μὲν κυριοκτόνων ἀπέστησαν, τοῖς δὲ ὁμοδόξοις συνήφθησαν [4]. Brevius quidem, sed eadem aperte respiciens, perstringit idem in Constantini vita, illud etiam addens, certe notatu dignum, nicænos patres ea scriptis tradidisse quæ ex communi consilio decreta fuerant, eademque omnium subscriptionibus confirmata fuisse, id quod ex utraque parte nostris aptatur. Rursus igitur Eusebium audire præstat : Ὡς ὁμόφωνον μὲν κρατῆσαι τὴν πίστιν, τῆς σωτηρίου δ' ἑορτῆς τὸν αὐτὸν παρὰ τοῖς πᾶσιν ὁμολογηθῆναι καιρόν· ἐκυροῦτο δ' ἤδη καὶ ἐν γραφῇ δι' ὑποσημειώσεως ἑκάστου τὰ κοινῇ δεδογμένα. Ὧν δὴ πραχθέντων [5], κ. τ. λ.

Ea vero quæ hic dicuntur τὰ κοινῇ δεδογμένα, tria tantum esse, nec plura vult Valesius, fidei videlicet formulam et canones cum una epistola synodica. « Qui præter hæc tria, inquit, putant etiam acta nicænæ synodi scriptis esse mandata, ii vehementer falluntur [6]. »

p. 713 B, edit. BB. Palav. — (1) Δεδογμένα. « Omnes qui audent dissolvere decretum sanctæ et magnæ synodi *quæ Nicææ coacta est in præsentia pietatis religiosissimi imperatoris Constantini de sancto festo salutiferi Paschatis,* esse excommunicatos et ecclesia ejectos statuimus, si adversus *ea quæ recte decreta sunt,* contentiosius insistere perrexerint. » Labb. II, 562; Mansi, II, 1305. — (2) *Invenitur.* Rhalli, *Syntagm.* t. III, p. 125. — (3) Ἀκολουθίας. « Quamobrem *quum convenissent* qui undique ad synodum nicænam confluxerant, *et rem accurate expendissent, definierunt unanimo consensu* pascha faciendum ex idoneo calculo et consequentia. » Opp. t. I, p. 822 A. — (4) Συνήφθησαν. « Verumtamen quum Deo dilectissimus imperator sancta synodo coram medius sederet, commota illic de Paschate quæstione, dixit ea quæ dixit. Prævalebant autem tres ex quatuor partibus episcoporum in toto mundo, qui orientalibus episcopis contrarium sentiebant. Nam septentrionis, austri itemque occidentis populi concordia sua roborati, sententiam gerebant adversam Orientalibus, qui veterem suam consuetudinem tuebantur. Sed cesserunt demum Orientales, atque ita una Christi facta est solemnitas; sic a Domini occisoribus recedentes, communis opinionis [*edit. minus bene* propriæ religionis] hominibus copulati sunt. » *B. N.* t. IV, p. 214.—(5) Πραχθέντων. « Adeo ut non modo unius fidei consonantia apud omnes obtineret, *verum etiam unum idemque tempus in salutaris festi celebratione ab omnibus firmaretur. Porro ea quæ in communi placuerant,* scriptis mandata et singulorum subscriptione roborata sunt. Quibus ita gestis, etc. » Edit. Vales. p. 490. — (6) *Falluntur.* Ad h. l. Eusebii Valesius, et cum Valesio Ant. Pagi in critic. Baron. ad a. 325, n. 25, ed. Paris.; Fabricius in *Bibl. gr.* t. XI, p. 356, ed. vet.

Nolim Valesio rem facessere ab Ægyptiorum Syrorumque monumentis nuper inventis; quæ si cognovisset, egisset profecto modestius. Nolim incommodius quærere cur eodem expunxerit calamo totum Gelasium cyzicenum, quamquam eum vel ἑτεροδόξων κριτικώτατοι aliquando suspexerint[1], quem nimirum, ne multa recenseam, ex sola Constantini epistola modo rescripta jam ostendisse videor integriora Eusebianis habuisse subsidia. Quis enim hominum existimabit aut fortuito casu, aut communi multorum fraude hujusce epistolæ apud Gelasium clausulam cum insigni illo decreti nostri fine tam apte cohæsisse? Sed urgendum aliud acrius : tam ex Athanasio quam ab Eusebio, ubi supra, accepimus duplicem fuisse cogendæ primæ synodi œcumenicæ causam, unam de vindicanda fide adversus Arium, alteram de unitate in Paschatis celebratione restituenda. Ut igitur scriptam fuisse fidei formulam, qua prior controversia disceptatur, nemo ambigit, ita alteram, quin immo nostram, de paschali dissidio fuisse scripto mandatam, quum allata jam abunde testimonia, tum etiam alia, non minori fide digna demonstrant.

Mitto, meos licet, utpote qui sua fecerunt quæ mecum faciunt, Socratem, Theodoretum, Gelasium; properare lubentius juvat in urbem constantinopolitanam, ad ipsum patriarchium, ut hic novus testis adsit, uno sæculo recentior, sed multiplici major nomine, sanctus, inquam, Eutychius, et is proximus Joannis antiocheni antecessor. Qui heortastica in homilia de Paschate, quam cl. Ang. Maio acceptam, ut tot alia, referimus, diserte in hunc modum loquitur : Διὸ καὶ οἱ ἐν Νικαίᾳ πατέρες, τινῶν τῆς ἐκκλησίας τοῦτο μὴ ποιούντων, ὥρισαν πάντας ἅμα κατὰ τὰ τότε ἐν τῇ σωτηριώδει ἀναστάσει φθάσασαν ἑξκαιδεκάτην τὴν καὶ κυριακὴν, ἑορτάζειν, ὡς τὸ τέλειον καὶ πραγματικὸν ἔχουσαν, κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου φωνήν[2]. Idemque, memorata concilii ad Alexandrinos epistola, ex eo etiam loco ubi verba decreti repetuntur, camdem sententiam graviter urget, pendere scilicet vim decreti non solum ab unitate precum catholicarum, sed ab unius ejusdemque in corpore et sanguine Christi sacrificii necessitate[3]. Quibus enimvero egregie docemur id quod meminit Baronius, tunc temporis exarsisse de Paschate controversias, fortasse ob Justiniani hac de re decreta, quibus per plures annos tam civiles quam ecclesiasticæ turbæ non paucæ concitatæ sunt[4] : quæ ut sopirentur, necesse fuit et suum exserere zelum summos illos antistites, et sacram e tenebris eruere magni concilii sententiam.

Vix aliud est testimonium quod me magis delectaverit, a quo nimirum inferri illud permittitur, in ipso magnæ ecclesiæ constantinopolitanæ archivo asservata fuisse nicænorum actorum exemplaria cæteris integriora, quæ post Eutychium ad manus Joannis Scholastici, harum disciplinarum curiosissimi exploratoris, pervenerunt. Is vero quum Eutychio successisset in locum (vellem meliori jure), sed neque in tanto rerum fastigio canonica intermisisset studia quibus, opinor, præcipuam sibi et vulgi et imperatoris opinionem, indeque suam procuravit fortunam, collectionem L titulorum quam prius presbyter antiochenus digesserat, novo exegit ordine, pluribusque auxit incrementis, simulque coalescere jussit cum altero LXXXVII capitum syntagmate, et inscripsit illo communi lemmate : Συναγωγὴ τῶν θείων κανόνων εἰς ν' τίτλους διηρημένη καὶ ἐκ τῶν νεαρῶν διατά-

(1) *Suspexerint.* Tanti eum fecit cl. Vossius ut novam editionem notis suis ornatam daturum se pollicitus fuerit, quibus eum promissis non stetisse piget. Photio item lecta semel et iterum, semperque diligenter, quædam Gelasii exemplaria editis nostris locupletiora; cf. *Biblioth.* 15, 88, 89. — (2) Φωνήν. Maii *B. N.* t. iv, p. 59. « Propterea et nicæni patres, nonnullis ecclesiis secus agentibus, præceperunt, ut omnes simul... solemnitatem agerent, etc. » — (3) *Necessitate.* Λελήθασιν ἑαυτοὺς χωρίζοντες τοῦ κυριακοῦ αἵματός τε καὶ σώματος· πληροῦται γὰρ τὸ ἕτερον ὑπὸ τοῦ ἑτέρου, *Ib.* — (4) *Sunt.* Ann. t. IX, p. 654, n. VII.

ξεων τὰ πζ' κεφαλαῖα Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τοῦ ἀπὸ σχολαστικῶν [1]. Verum in hoc novo canonici civilisque juris corpore, eo opportunius erat decreto nostro sedem facere, quod ultimus ex quinquaginta titulis id ipsum omnino requirebat; et quasi auctor lectorem monere voluisset quanti faciendum erat hujusmodi auctarium, posuit illud in coronide, titulique inscriptionem ita refinxit, ut quæ prius ultimo in loco legebatur, jam prima occurreret periocha de Paschate : Περὶ τοῦ καιροῦ τοῦ Πάσχα καὶ περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐν κυριακῇ, καὶ τ. ἑ. Sed inde pauciores fuere id genus codices, quod prior collectionis editio jam in vulgus emissa, remansit solemnior.

Verum ægre tulissem deesse nostrorum occidentalium suffragia; sunt vero et præclara et antiqua. Sunt Gennadii pauca, quibus tamen commune conflatur græci latinique consensus testimonium : « Paschalem etiam recursum, ait, quem magna apud « Nicæam synodus post xcv annos agi in tempore et die et luna secundum suum sta- « tum invenerat, additis quibusdam ipsius festivitatis rationibus et expositionibus, « [Theophilus alexandrinus] Theodosio obtulit [2]. » Sunt magni Ambrosii plura et quæ minus a Græcis abludunt : « Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire paschalis et scriptura divina nos instruit et traditio majorum; *qui convenientes ad synodum nicænam, inter illa fidei ut vera, ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata*, congregatis peritissimis calculandi, decem et novem annorum colligere rationem, et quasi quemdam constituere circulum ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur [3]. » Ubi duo a patribus nicænis derivasse dicit, decretum nempe, et quidni nostrum? deinde cyclum decemnovennalem, de quo si forte quis ambegerit, non est hic locus hac de re cum eo disputandi; sed mirum quam temere, quam confuse hæc et illa quæstio ultro citroque commixtæ fuerint et interturbatæ.

Sunt etiam Dionysii Exigui verba, cum eodem discrimine legenda, et adducenda pariter in partes nostras : « Paschalis festi rationem explicare curavimus, sequentes per omnia venerabilium trecentorum et octodecim pontificum qui apud Nicæam civitatem Bithyniæ, contra vesaniam Arii convenerunt, *etiam rei hujus absolutam veramque sententiam*, qui quartas decimas lunas paschalis observantiæ per xix annorum semper in se redeuntem circulum stabiles immotasque fixerunt... Hanc autem regulam præfati circuli non tam peritia sæculari, quam sancti Spiritus illustratione sanxerunt [4]. » Eodem consensu scribebat Beda, sed confidentius : « Cyclum decemnovennalem propter xiv lunas paschales nicæna synodus instituit [5], etc. » Idemque in veteribus librorum pœnitentialium canonibus, idem in priscis computis manibus omnium terebatur [6]. Caute tamen et dextre in quodam epitimiorum libro Theodorus cantuariensis ea dixisse refertur e nicæno concilio quæ levi correctione ad nostra promtius accedunt : « In die Domino « [paschæ] et in diebus pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, « placuit sancto concilio stantes [preces *aut* stationes?] Domino persolvere [7]. »

Ab Eusebio Syrorum ad proximos transeo Orientales qui sua quoque symbola mihi præbent. Ad sæculum circiter septimum referri solet interpres canonum arabicorum quos

(1) Σχολαστικῶν. Vid. append. sequentem. — (2) *Obtulit*. De Script. Eccl. n. xxxiii. Patrol. lviii, p. 1070. — (3) *Gigneretur*. Epist. xxiii, ed. BB, col. lxxxiii. — (4) *Sanxerunt*. Præfat. ad cycl. Patrol. Mign. lxvii, p. 486. — (5) *Instituit*. De Rat. computi, c. 16. Patrol. p. 592. — (6) *Terebatur*. Wasserschleben, die Bussordnungen der abendl. Kirche, p. 166, can. 48. Halle, 1851, in-8°. — (7) *Persolvere*. Theod. *Pœnit*. ed. Petit. t. i, p. 163. Cf. cum editis : Ἔδοξε... πρὸς τὸ πάντας ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ὁμοφώνως ἀναπέμπειν τὰς εὐχάς. Alia sunt minus justa, quæ mox cum censura producentur.

latine transtulit Abraham Ecchellensis, cujus in syntagmatis parte III, cap. 21, paraphrasis decreti nostri legitur, qualem infra subjiciam. Tum idem ait eum canonem integrum referri in Marci patriarchæ alexandrini epistola ad Michaelem et Basilium episcopos. Referente eodem, pax tanta Ecclesiæ ex illa diatyposi refloruisse memoratur ut in alexandrino martyrologio sub die x mensis celebretur. Quin si eidem fides, non arabica tantum interpretatio horum canonum exstat, sed syriaca, et chaldaica, et æthiopica armeniaque; quarum prima ad D. Joannem Maronem sæc. VI refertur (ne autem ad sanctum Jacobum nisibensem, unum e nicænis PP., accedam, etiam Ecchellensis persuadet) e syriaca arabice facta anno 1059 a David archiepiscopo maronita; cæteras idem recentiori ævo ascribit. His autem plus minus incertis diutius insistere pigeret. Sed e re mea omnino est coram sistere arabicam decreti nostri ἔκφρασιν, cujus simillimæ cum nostris partes per se emicabunt :

« Facta est inter nos maxima contentio de instantis sancti Paschatis celebratione. « *Comperimus etiam tria præcipua orbis climata una cum reliquo universo sub sole orbe* « *concorditer eumdem celebrare Paschatis diem; Asiam vero solam* et subjectas ei regiones, quæ minima respectu cæterarum pars est, *in hoc dissidentem. Quamobrem bene* « *nobis visum est ut Asiatici* et qui ad eos attinent, *Romanorum*, *Alexandrinorum* ac « reliquorum *sequentes exemplum*, cæteris conformentur orbis habitatoribus et *concor-* « *diter Pascha celebrent una eademque die*, qua Dominus surrexit, quæ quartam decimam « lunam primi mensis subsequitur, *ut* in hoc etiam opere *simus concordes*, *unum idemque* « [*orationis?*] *verbum proferamus* ubique de morte et resurrectione D. N. J. C., utque « inconversi in eadem maneamus fide, et sanctum nostrum glorificetur fundamentum, « et ex hoc uno opere dignoscatur omnium nostrum unam esse fidem. » Hæc profecto suum secum habent commentarium adeo perspicuum ut nihil supra.

His addidissem minime temnendum Balsamonis scholium, nisi jam supra legeretur; reliquum est ut unde inceperim, finem operi imponens, tria ad cumulum referam testimonia e codicibus qui hactenus innotuerunt. Præter enim vaticanum et parisiensem de quibus antea dixi, tertius et parisiensis alter ad manum nuperrime venit, cujus ope lacunam exiguam explevi, sed vix unam alteramve tres præstitere varietatem, adeo omnes sibi unanimiter constant. Singularis in eo est ultimus codex, quod nicæna ecthesis non appendet, ut in cæteris, collectioni L titulorum, sed inseritur inter epistolas patrum canonicas in quodam syntagmate a Photiano non dissimili, instructo tamen passim novis argumentis et scholiis doctissimi cujusdam Theodori, quem non Balsamonem esse existimo, sed Prodromum, multo præstantiorem et antiquiorem, et magna eruditionis laude ab ipso Balsamone commendatum [1].

Ex his igitur Græcorum, Latinorum Orientaliumque testimoniis, accedente præterea trium codicum argumento, quascumque demum deprehendere licet ornandæ rei et enarrandæ varietates, id unum certe et aperte efficitur, quondam exiisse e nicæna synodo edictum de celebrando paschate, tam publicis monumentis quam privatorum historiis et litteris insertum.

1) *Commendatum*. De quo cf. Mortreuil, *Hist. du droit byzant.* t. III, p. 403.

III.

At totius orbis testes dum coram te, illustrissime præsul, sistere jubeo, teque causæ hujus amplissimum judicem appello confidenter, dicet fortasse nonnemo : Stare quidem per se quæ sibi constant testimonia; si minus, jacere. Nempe quot nicæni decreti testes, tot esse sententias. Alia ab aliis proferri, de quibus et nostra tacent. Ad veteres provocaveris? Ab illis dici modo Nicænos id unum statuisse ne cum Judæis, sed cum Romanis et Alexandrinis consentiant; modo eosdem lunas, modo cyclos, modo paschales terminos, adductis in cœtum mathematicis, excussisse. Sed quid dictu ridiculum magis[1]? Recentiorum malueris commentarios? Etiam majora esse dissidia, et quo longius ab ætate nicæna recesseris, eo acrius in diversa ferri. His nullum, illis vero non unum, sed tria, immo quatuor et usque ad septem, si superis placet, legi ψηφίσματα. Satius autem videri, sed et Nicænorum sapientiæ convenientius, ne regulis pœnisque novis potius ecclesiarum concordiæ obessent, quam providerent, nullum eos condidisse canonem censuris munitum. Quid, quod usque adeo sive ante, sive post synodum, obtinuere controversiæ, quas certe œcumenica sententia fregisset? ut vel inter summas christiani orbis ecclesias, ne romana quidem et alexandrina exceptis, quarum erat ex decreto lites componere, et exarsisse turbas et paschalia variasse non semel hebdomade tota, interdum et toto mense, hinc et inde dilata[2].

Equidem nihil censui dissimulandum. Sed mirari subit, neque aliud esse puto exemplum, tanta intercessisse discrimina sive inter veteres, quibus unum idemque lectum certe fuit decretum; sive inter recentiores, qui, quum nihil prorsus legissent, in immensas maluere prorumpere conjecturas, quam silere prudenter.

Ac primum nemo ullus rerum æquus bonusque æstimator a me petet ut hisce hodiernis aut sequioris ævi inanibus commentis inhæream. Mittatur ergo Seltius ille Calvisius, cui sex conditi sunt a nicænis patribus canones paschales[3]. Mittatur vel tantus vir Thomassinus, a quo etiam septimum habebis de pœna scilicet in contumaces lata[4]. Modestius quidem egit, sed nondum justis stetit terminis sagacissimus Petavius, quo pronuntiante, tria sunt a patribus instituta velut christiani paschatis οὐσιώδη, primum uti post XIV lunam peragatur, secundum uti fiat idem dominica die, tertium denique ut post æquinoctium vernum[5]. Quam quidem in sententiam ita cuncti descenderunt, ut ipse Benedictus pp. XIV (penes quem utique statuendi rem vis et potestas erat) e petavianis regulis pene exsculpsisse videtur hoc nicænæ synodi decretum[6] : « Resurrectionem Christi Domini, quæ pascha dicitur, ea celebrandam esse dominica post XIV lunam, quæ vel in æquinoctium caderet, vel illud proxime consequeretur; diem autem vigesimum primum martii deinceps tamquam æquinoctii diem habendum. »

Mitto plura quæ censoria carpit virgula unus e recentioribus, sed cæteris haud modestior : is Walchius est, qui cum Ittigio et Catalano aliisque nihil a Nicænis conditum fuisse pronunciat[7]. « Quod tam certum est, inquit, ut ne arabica quidem canonum ni-

(1) *Magis.* Aut supra, aut mox dantur testimonia veterum ab VIII sæculo usque ad Nicæna tempora.—(2) *Dilata.* Hæc prolixius in multis, sed præsertim in laudatis antea Walchii et van der Hagen dissertationibus; quæ jam nova collustrabuntur luce in cl. Eq. de Rossi *prolegomenis* ad tom. I *Inscriptionum christian. urb. Romæ.* — (3) *Paschales.* In *Calendar. nov.* c. 4. Apud Walchium, p. 12.—(4) *Lata.* Dissert. in Conc. N. p. 4. — (5) *Vernum.* Petav. *de Doctr. temp.* p. 353, ed. Antuerp. — (6) *Decretum*, cap. IX, *de Festis D. N. J. C.* p. 171, ed. Prati. — (7) *Pronunciat.* Vid. etiam E. Greswell *Fasti temp. cathol. and orig. calendar.* 5 vol. Oxford 1854.

cænorum interpretatio, quam constet 80 sive 84 canones exhibere, de paschate quemquam referat[1]. » Mira censoris sententia! Ergone mihi jurandum coram prætore non confinxisse me quem supra integrum recitavi ipsummet canonem arabicum?

Veterum autem eo lubentius proposuerim varietates, quod firma spes mea est fore ut, perpensis quæ sensim et minus caute ad legitimum purumque canonem vel antiquitus accessere additamenta, excussisque, uti saltem res postulaverit, dissidiis ecclesiarum, clare pateat tum integrum esse quem profero canonem, tum aliis quam nostris non debuisse dictari verbis. Sed pedem in calle non paucis impedita tricarum spinis, figere nolim, quin prius habendis amicissimo viro J. B. de Rossi gratiis defungar, ex cujus schedis prælibare mihi contigit nova et rara et similia suorum omnium, quæ mox de cyclis paschalibus diam in lucem editurus est.

Qua igitur munita via sic incedere animus est ut a recentioribus ad antiquiores ascendam et singulorum aut verba proferam aut sententias :

Occurrunt primum quæ jam antea tetigi e vetustissimis pœnitentialibus libris. In variis enim id genus libris qui Theodori, Gregorii, Cumiani nominibus præsignantur, legitur iisdem fere verbis : « Si quis contemserit nicænum concilium et fecerit pascha cum Judæis XIV luna, exterminabitur ab omni Ecclesia, nisi pœnitentiam egerit ante mortem[2]. »

Hæc autem spectant ad Britannorum de paschate opinionem, qua tam obstinatis animis persuasum habuere sibi christianam celebritatem agendam esse etiam in luna XIV, quoties ea cum die dominica obvenerat, id quod a patribus nicænis traditum esse aut excogitaverunt aut bona susceperunt fide[3].

Quod vero venerabilis Beda asseruit : « Cyclum decemnovalem propter XIV lunas paschales nicæna synodus instituit, » id a Dionysio Exiguo se accepisse testatur[4].

Dionysii vero, quem antea satis rescripsimus, omnia de eodem cyclo verba, ipso etiam teste, e græcis Cyrilli et Proterii litteris hausta aperte sunt ; quæ nimirum Dionysius, in secunda ad Bonifacium epistola, ait se « toto nisu insinuavisse[5] ! »

Alexandrinos igitur præstat integrius relegere ; quorum ultimus, auctor chronici paschalis, sæculo VII hæc satis præclare habet : « Pace deinde ac concordia cum sancta-
« rum Dei ecclesiarum dogmatum integritate stabilita, sancta ac Deifera ecclesiæ lumi-
« naria ac doctores, quum menses lunares non similiter ab omnibus putari adverterent,
« ne discordia exinde alia, turbaque in Dei ecclesiis de sancto ac vivifico paschate emer-
« gerent, hancce dissensionem, plurima adhibita cura, præcidere sategerunt, miran-
« dumque illum et insignem decemnovalem lunæ cyclum, Deo inspirante, procudere (ἐξέ-
« θεντο). » Sic ille, sed mox ipse suam sic opinionem attemperat ut illi enneadecateris

(1) *Referat.* Dissert. laud. in *Nov. comm. Acad. Gotting.* t. I, p. I, p. 13. Sed quis Harduino fuisset audacior, si staret illud quod candide asserit Jos. Falckius jam laud. in opusc. *de Pasch. christiano*, p. 79, Harduinum marte suo proprio in sua sacrorum conciliorum editione, post classicos viginti canones Nicænos, et alterum illum cudisse vigesimum primum : « Concorditer pascha celebrent una eademque die, qua Dominus resurrexit a mortuis, qui XIV lunam primi mensis subsequitur. » Multo magis miror id Falckio excidisse, quum in toto Harduini syntagmate nicæno nihil simile legatur, nec aliud certe ego invenerim quam canonem arabicum ab eo rescriptum t. I, col. 517.—(2) *Mortem.* Wasserschleben *libr. l.* p. 166, 188 et 487, § 21. — (3) *Fide.* Quæ jam laudare debui Prolegomena cl. Equitis, suis demum terminis circumscribunt confusam de Britannorum paschate controversiam.—(4) *Testatur.* Beda H. E. V, c. 22 ; *De nat. rer. et temp.* c. 44. — (5) *Insinuavisse.* Bucher, p. 489.

jam olim et ab initio, sed non scripta (ἀγράφως), in usu fuisse, nec nisi scripto mandata Nicææ firmataque existimetur[1]. »

Tum Proterius Alexandrinus, a. 455 iisdem omnino insistit vestigiis[2], quibus ante decennium processit Cyrillus, cum Leone papa de paschalibus agens[3]. Is vero : « Scrutemini diligentissime, ait, quæ (f. quas) ordinavit synodus nicæna, lunas XIV^{as} omnium « annorum per decemnovennalem cyclum... » Et paulo post : « Credite mihi quod si « non scripsisset synodus nicæna cyclum lunarem primi mensis, etc. » Sed hæc Cyrilli ad cumulum erunt, e prologo cycli XCV annorum : « Quum his igitur atque hujusmodi « dissensionibus per universum orbem paschalis regula turbaretur, sanctorum totius « orbis synodi consensione decretum est, ut quoniam apud Alexandriam talis esset re« perta ecclesia quæ in hujus (f. hac) scientia clareret, quota kalendarum vel iduum, « quota luna pascha debeat celebrari, per singulos annos romanæ ecclesiæ litteris in« timaret; unde apostolica auctoritate universalis ecclesia per totum orbem definitum « paschæ diem sine ulla disceptatione cognosceret. » Hactenus Cyrillus[4].

At priusquam communem hanc sententiam alexandrinorum de cyclo decemnovali justa lance expendamus, meminisse fortasse oportet quæ paulo ante recitata e Gennadio sunt, nimirum cyclum alium paschalem XCV annorum fuisse primum a nicæna synodo inventum, deinde oblatum Theodosio imperatori et expolitum a Theophilo alexandrino. Verum enim vero quum ridiculum sit et Nicænis et Theophilo vindicare quæ Cyrilli esse certis constat argumentis, explosa propterea sint usque adeo temere et confuse dicta.

Interea manet quinto jam sæculo omnium mentibus, maxime alexandrinorum, insitam opinionem esse[5] a nicænis decretis effluxisse cyclum decemnovalem. Quæ tamen ita non invaluit, quin auctor chronici alexandrini, sæculo VII, re fortasse maturius excussa, concesserit ante nicæna tempora eumdem cyclum in usu fuisse; quin etiam cæteri Græci et Orientales, ut ab Eutychio CP. et a metaphraste arabe comperimus, totum inventum in definiendo tantum termino quodam paschali e luna XIV coercerent. Sed ne me per tesqua et vepres cyclorum immittam in transcursu, ea paucis quæ necessaria sunt, perstringam.

A Dionysii Magni tempore jam cyclum illum decemnovalem usurpat alexandrina ecclesia, magnamque sibi in computandis temporum rationibus famam conciliat, quam suis deinceps calculis auxere Anatolius, Athanasius, Theophilus, Cyrillus, Proterius, Anianus, Panodorus, alii[6]; ut rerum cyclicarum scientia et instruendæ peritia chronotaxeos quasi jure domicilioque alexandrino uterentur. Nihil igitur mirum nicænos patres, suis saltem laudibus et litteris, aliquid egisse unde eorumdem artes aut probatæ viderentur aut commendatæ. Quid ergo egerunt? Id quidem et unanima voce : sicut Romanorum, ita et alexandrinorum præstabiliorem esse de paschate consuetudinem et omnibus probandam; id verba decreti ferunt. Deinde scripsere patres synodicam hac de re epistolam ad alexandrinos, refertam laudibus : tabellas tenemus. Quid plura? Viva voce alia commisere alexandrino episcopo cum suis communicanda, id quoque scriptum. Quæcumque autem illa fuerint, certum est invectam inde esse consuetudinem ut in definiendo quotannis die paschatis ab alexandrinis Romani, a Romanis cæteri edocerentur;

(1) *Existimetur.* Ed. Paris. p. 9 A-C. — (2) *Vestigiis.* Bucher. p. 82. — (3) *Agens.* Epist. ad Leon. pp. a. 444. — (4) *Cyrillus.* Bucher. p. 481. — (5) *Esse.* Præter Alexandrinos, etiam testimonia romana et sicula sunt S. Leonis pp. in epist. ad Cyrillum et Marcianum imper. et Paschasini episc. Lilybetani. Bucher. ib. — (6) *Alii.* Quorum cyclos fuse persequitur van der Hag. *Dissert.* de *Cycl.* p. 42, 50, 59, 65, 93, 142, 205.

unde S. Marci Ecclesia in partem venisse videtur officii quod antiquitus Petri cathedræ fuisse reservatum satis aperte testatur concilium arelatense a. 314, ut *juxta consuetudinem*, de observatione paschæ Romanus episcopus « litteras ad omnes dirigeret[1]. » Cave autem inferas jus idem et æquum fuisse penes utramque ecclesiam : alexandrinorum enim erat calculos significare, Romanorum definire diem, « unde (Cyrilli verbis iterum utar) apostolica auctoritate universalis ecclesia per totum orbem definitum paschæ diem sine ulla disceptatione cognosceret[2]. »

Invecta autem illa consuetudo cæteraque honoris et commendationis signa, a Nicænis collata, satis erant ut jam sæculo v° opinio increbuerit ab iisdem Alexandrinorum cyclos et terminos paschales emanavisse. Re autem vera, nicænos patres invenisse cyclum, aut inventum probavisse, probatumque et examinatum sua promulgavisse auctoritate, neque profecto quidquam simile patiuntur summa magni cœtus negotia, sed neque fert hujus ævi primæque synodi gravis et candida simplicitas, tum etiam nullus satis idoneus testis assequitur, immo historica et publica refragantur monumenta.

Duo enim tantum sunt sæculi IV scriptores, ex quibus tota de nicæno quodam cyclo fabula accepta jure censebitur. Primus Ambrosius est quem satis est antea totum dedisse[3], ut humani aliquid passum eum esse concedatur. Quis enim adducetur ut credat priscos illos confessores, martyres, veteranos tantis ex prœliis reduces, Nicææ demum ex universo orbe primum convenientes, quasi in ludo litterario « congregatis peritissimis calculandi, decem et novem annorum collegisse rationes et quasi quemdam constituisse circulum ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur ? » Verum conjectura quid opus ? Constat cyclum decemnovalem synodo nicæna antiquiorem esse. Illa igitur omnia quæ Ambrosius de « peritissimis calculandi Nicææ convenientibus » ut enneadecaterida construerent, incertæ traditioni et quasi dixerim populari opinioni similiora videntur quam historiæ.

Alter Epiphanius est : sed mihi quid jam dicendum, quum gnarissimus ipsius interpres Petavius doctissimusque Moshemius, post ambos alii, ingenue confiteantur se quid ille dixerit non comperisse[4] ? Adeo enim multa e Judæis christianisque, fortasse et gnosticis tumultuario congessit hic ubi cyclos, lunas, paschalia nicænaque tetigit, ut his in rebus aut sit nulla ejus auctoritas, aut penitus ignorata sententia.

Hic aliquantulum, donec ulterius progrediamur, sistendum : suppetit enim pro decreti nostri integritate non leve argumentum. Concessum esto, jam a sæculo IV atque adeo insequenti, invaluisse traditionem a nicæno concilio repetendos esse cyclos terminosque paschales. Jam concedatur haud minus necesse erit id quod in apocryphis condendis constans ac perpetua lex est et conditio : a nemine scilicet in decipiendi arte non rudi prorsus et inexperte cudi potuisse hujusmodi diatyposin in adulto extremove IV sæculo, nedum in V, quin ex industria sua inventor illa ipsa de cyclis et lunis auctaria in decretum inseruisset, quæ in nostro penitus desiderantur.

Inde jam ducimur ad tempora nicæno concilio quam proxima, solique coram stant venerandi illi sacri cœtus sessores et coæquales, quorum certe testimonia omni sunt

(1) *Dirigeret.* Mansi, t. II, 453, in can. I.—(2) *Cognosceret.* Hic multa breviter ac pene arroganter statui, quæ certus sum fore ut propediem in medium et luce clariora evadant cum primo fasciculo *Inscriptionum christ.*, quem a cl. auctore cum omnium desiderio exspectamus.—(3) *Dedisse.* Epist. laud. scripta est a. 384. — (4) *Comperisse.* Cf. Opp. t. I, p. 821 B, 823 A, 824 B.

exceptione majora. At sive summorum virorum dicta ad nos usque perlata scrutemur, sive publica instrumenta interrogemus, sive solemnem magnarum ecclesiarum in peragenda paschali celebritate consuetudinem intueamur, totum inde emergit decretum nostrum, et nihil præterea.

Incredibile enim esset, si quid aliud sancta synodus emisisset in vulgus, id reticuisse tum Athanasium, tum Eusebium, tum cæteros rerum ecclesiasticarum scriptores, Socratem, Sozomenum [1], quibus multiplex ac necessaria fuit occasio id ipsum diligenter enarrandi. Immo, quoties ad illud decretum accedunt, ut altum illis est de cyclis, lunis, terminisque silentium, sic nostra expressis verbis et αὐτολεξεί referunt.

Ecce ea publica sunt monumenta, tam imperatorum quam pontificum auctoritate consecrata, quæ adhuc supersunt, ambæ Constantini sive ad Alexandrinos sive ad omnes christiani orbis episcopos epistolæ, et synodica Nicænorum ad eosdem Alexandrinos, et vetus ille, gravi sancitus pœna, canon antiochenorum patrum. In his igitur, quum præ omnium oculis luceret authenticum et primigenium decreti nostri exemplar, nostra et ad codicum nostrorum fidem, sed neque alia, religiose descripta cernuntur.

Velim et addatur aliud quod vel præ grandibus istis rerum et hominum momentis pene dicam præstabilius magisque considerandum. Certum est ecclesiam romanam, ipso nicæni ævi tempore, proprio usam esse cyclo, puta LXXXIV annorum, ab alexandrina enneadecateride plane diverso [2] : unde factum ut, quum similiter ac alexandrina ecclesia, semper in die dominico pascha perageret, non semel id egit alio die, interposito aut hebdomadis aut integri mensis intervallo. Tritæ omnibus sunt Leonem inter et Cyrillum agitatæ lites. Vix autem uni notum [3], sub nicæna tempora, ab anno 328 ad 373, toto Athanasii magni pontificatu, quinque reperiri annos, scilicet 343, 350, 357, 360, 373, in quibus romanum pascha ab alexandrino plus minus dissitum tempore est. Hæc differentia romanum inter et alexandrinum pascha, sæculo præsertim V, multorum ingenia torsit, variisque fuit extricata modis : dum alii, e quibus Bucherius et nuperrime Ideler, constanter negarent ullum terminum paschalem fuisse a nicæna synodo positum [4]; alii vero, præsertim Van der Hagen, Walchius, cæterique nonnulli, odio fortasse adversus romanam ecclesiam incitati, latam esse ab œcumenica prima synodo legem esse voluere, et in eam ab ecclesia romana non semel et audacter peccatum [5].

Jam intercidat omnis querela, clamandum. Ego quidem candide lætor, hunc nodum ex decreto nostro tam aperte solutum scissumque esse, ac juri suo demum et priscæ libertati ecclesiam romanam iri restitutam. Quæ certe numquam a nicæno decreto discessit, quum præter ea quæ Roma legitime egit, nulla nicæna lex omnino fuerit. Quid igitur synodus sanxit? Sancita habes. Unum, quod fidei summopere intererat, abolitam esse paschatis judaici legem, ut et alia Synagogæ instituta, christianamque celebritatem ἀναστάσιμον absolvendam esse die quo ab inferis redivivus Christus assurrexit. Nec plura. Sapientissimus enim sanctorum cœtus noluit varias ecclesiarum sive romanæ, sive africanæ, sive alexandrinæ computationes ad unum cyclum cogere, aut impingere

(1) *Sozomenum*. H. E. l. I, c. 21, p. 436, cæteri supra citati. — (2) *Diverso*. Cf. Ideler *Handbuch der Mathem.* t. II, p. 204. — (3) *Notum*. Id fere solus van der Hagen suspicatus est, quem ipsum e tenebris mihi eruit cl. Eq. de Rossi. —(4) *Positum*. Multa hac de re ventilantur Bucherium Norisiumque inter et van der Hagen, *Diss. de Cycl.* § VIII et IX. — (5) *Peccatum*. Propterea multum ingemuit Falckius, cujus tamen piæ lacrymæ nodum minime solverunt, neque id fortasse satis a Theologis excussum.

salebrosis terminorum paschalium controversiis. Verum ne litibus sylvam crescere sineret, non scripto quidem decreto, sed invecta, ut diximus, consuetudine curavit alexandrinæ ecclesiæ mandari officium calculos suos romanæ ecclesiæ significandi, « ut apostolica auctoritate universalis ecclesia per totum orbem definitum paschæ diem sine ulla disceptatione cognosceret. » Confecit ergo sancta synodus id ipsum quod iisdem fere dictis agendum esse a pontifice romano postulaverat, a. 334, concilium arelatense in epistola ad Sylvestrem papam : « Primo loco de observatione paschæ dominicæ, ut uno die et uno tempore per omnem orbem a nobis observetur, et juxta consuetudinem litteras ad omnes dirigas [1]. »

Sed dum nicæna decreta suis cohibeo terminis, me minime fugit ex tota ferme christianitate unanimam vocem ab Athanasii ævo inde erumpere, quæ, quum ob regesta nicæna ab ariano furore flammis ambusta ingemiscit, spe tamen invicta spondet fore ut e flammis erepta aliquot demum exemplaria e latibulo prodeant. Caute quidem a Deo provisum est ut neque sileret symbolum catholicum, neque viginti canones classici interirent. Sed nemo me persuasum habebit nihil amplius egisse CCCXVIII illos sanctissimos patres, tanto rerum omnium miraculo in unum coactos, cum imperatore recens fide imbuto et coram orbe neophyto, nullaque ex tam multis quæ ad christianam religionem statuendam firmandamque necessaria erant, prospexisse. Nec cæcutire solet, aut inania captare, tam generale in Ecclesia sive amissarum rerum, sive sperandarum desiderium. Fuerint igitur, præter præfata hæc tria, nicænæ διατάξεις, γνῶμαι, διδασκαλίαι, ac cætera ὀρθῶς δεδογμένα ; fuerint regulæ canonibus fusiores, ἐπιτίμια, diagogicæ diatyposes, aliaque disciplinæ instrumenta. Jam enim ex authenticis veterum monumentis accessere epistolæ Constantini decem [2], Alexandri Athanasiique duæ, sermones prosphonetici duo Eusebii et Eustathii, cum uberrima subscriptionum ac nominum messe undecumque collecta, quam utinam adaugeat amissus Athanasii « liber de patrum nicænorum nominibus, urbibus et provinciis [3]. » Utinam ex hypogæo aliquo effossove cellario exoriatur aut ejusdem Synodicon Socrati notum [4], aut sanctorum patrum Metrophanis et Alexandri πολιτεία [5], in qua, referente Photio, multæ erant nicænæ res, et tota Constantini vita ab auctore æquali, aut demum Gelasius cyzicenus excitetur integer et qualis ejusdem Photii manibus versabatur [6].

TYPICA ET EPITIMIA ALIAQUE ID GENUS

MAXIME E CODICIBUS PARISIENSIBUS.

Sæpenumero mecum mirabar, dum multiplices et multa rerum copia ac varietate insignes pœnitentialium græcorum libros manu scriptos versarem, quid causæ fuerit cur tam pauci hanc juris canonici provinciam adepti sint, quum certatim epitimia Latinorum aggressi fuerint, nec sine recentissimo eruditorum plausu, viri nomine et numero spectatissimi, Hildebrand [1], Binterim [2], Mone [3], Kunstmann [4] et in primis Wasserschleben [5],

(1) *Hildebrand.* Untersuchungen über die germanisch. Pönitentialb. Wurzburg, 1851, in-8°.—(2) *Binterim.* Cathol. Eccles. monum. t. V, p. III, p. 333. *De regulis pœnitentiæ* apud Græcos et Latin.—(3) *Mone.* De fontibus ac investigationibus circa libros Anglosaxon. Stuttg. 1850. — (4) *Kunstmann.* Libri anglosaxon. pœnitential. Moguntiæ, 1844. — (5) *F. W. H. Wasserschleben.* Die Bussordnungen der abendländisch. Kirche nebst einer rechtsgeschichtl. Einleit. Halle, 1851, in-8°. Quantivis ea recentiorum opera

ceteris post illum otium locum facile existimandum. At Occidentalium canones pœnitentiales intra exiguos tum locorum quum temporum limites et obscuras angustias coercentur, dum quæ dicuntur Græcorum typica, epitimia, cæteræque diagogicæ regulæ, ab ævo steterunt et etiamnunc per omnem Orientalium christianitatem pervaserunt et obtinentur. Etsi huc appulerim in transcursu, duce meo Nicephoro, nolui ab hisce regionibus recedere, quin aliis eadem fortasse relegentis vestigia, notitiam hodœporici mei relinquam. Sed ne diutius in ultimo excursu immorer, a parisiensibus codicibus dividi me non patiar, sed iis tantum adhæream quos habui quasi familiares, missis cæteris fortasse bene multis, quos facile in hoc parergon sive catalogi publici, sive mei penes me asservati denso agmine adducerent. Deinde ex iis quæ domi asservavi, ea duntaxat et quam paucissimis memoraturus sum quæ sunt instituti mei, nimirum quæcumque sub variis confusisque lemmatibus in unum hoc conveniunt, ut vitam christianam arctissima disciplina cohibeant. Ea vero disciplina, quæ precibus maxime et epitimiis alitur, nunc typicis seu ecclesiasticæ liturgiæ ordinibus aut monasticarum consuetudinum formulis editur, nunc indicitur per epitimia seu pœnitentiales canones, nunc quasi socratico more elicitur in quæstiones et responsa, nunc denique ex generali et vetusta canonum sententia definitur. Quæ porro et deinceps edisserenda videntur.

Quo vero minus despiciantur pauca quæ dicturus sum e parisiensibus codicibus, singulis articulis brevis præibit notitia eorumdem aut similium librorum quos fuisse typis commissos agnovi, ut, explorata editorum penuria, amplius sit ἀνεκδότων desiderium. Excussis vero hinc et inde exemplaribus, quid de singulorum origine et auctore sentiendum sit, meum fuisse pronuntiare, non nemo fortasse opinabitur. Ego vero, ne volumen addam volumini in appendiculæ locum, hanc spartam aliis mitto peritioribus exornandam, vix pauca in transcursu et pro re nata de hac satis intricata causa daturus.

I. TYPICA.

Typica nomen habere a τύπος, quasi forma sint et regula, et generatim ad ea quæ sacræ liturgiæ sunt, pertinere, tritum ac perspicuum. Triplicis generis esse docet summus harum disciplinarum magister Allatius. Primo enim typica dicuntur particulæ quædam psalmorum intra matutinas preces aut missarum officia recitandæ, de quibus hic nulla quæstio habenda est. Aliud typicum est ordo recitandi per totum annum divini officii, et aliud tacticus liber, in plerisque Græcorum monasteriis usurpatus, quo quidem non tantum exiguntur precum munia, sed omnia regularis observantiæ puncta, ac si vel illa quoddam esse genus orandi visum esset.

I. E liturgicis unum typicon editum est, quod Græcis instar omnium est, sancti Sabbæ nomine inscriptum. Hunc tamen titulum edi-

feceris, noli omnino antecessores negligere, quorum princeps est doctus ille Joannes Morinus, qui tot veterum opes latinas, græcas, hebraicas in suo *commentario historico de sacr. pœnitentiæ* congessit; eo usque ut etiam synagogæ epitimia, quæ nemo præter eum attigit, reseraverit. Adde : Card. d'Aguirre, dissertat. *De instaurat. canon. priscor. circa pœnitent.* — *Doctrinam de sacramento Pœnitent.* Sanblasian. 1778. — A. Strauch, τὰ ἐπιτίμια μετανοούντων, i. e. prisci publice pœnitentium ritus historice descripti, Vittemb. 1664. — C. Beyer, *de Magno vet. Eccles. circa pœnitent. rigore*, Lips. 1725 et 1759, ult. edit.

tio princeps tantum [1] præ se fert : Τυπικὸν σὺν Θεῷ ἁγίῳ περιέχον πᾶσαν τὴν διάταξιν τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας τοῦ χρόνου ὅλου, typis J. P. Pinelli, Venet. 1603 fol.; repetita ibid. 1645. Inscribitur vero ex typis Ant. Pinelli quæ ibid. prodiit a. 1605 et 1645.

Nec plura quidem in prima libri fronte; sed mox, verso uno alterove folio, legi solet is titulus qui recentiori editioni statim præfigitur : Τυπικὸν τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἁγίας λαύρας τοῦ ὁσίου καὶ θεοφόρου πατρὸς ἡμῶν Σάββα (Ibid. typ. Nicol. Glycæ, 1771, fol.).

Sed neque tantum hierosolymitanæ lauræ peculium esse hunc librum Græci volunt, verum et ipsum sancti Sabbæ opus, semel quidem et iterum a Damasceno et Sophronio renovatum, primitus autem a Sabba acceptum ex ore SS. Euthymii et Theoctisti, ipsis antiquitus tradente sancto Charitone, egregio sub Diocletiano fidei confessore. An igitur sperandum fore ut etiam nunc supersint et dignoscantur hymni tam canæ antiquitatis? Sperandum enimvero, modo stent criteria duo quibus cl. v. Pellicia tuto secerni posse putat a recentioribus ea quæ primi illi conditores exegerunt, ut primigenia sint tum ea quæ nomine sancti Sabæ inscribuntur, tum et illa quorum initia in ejusdem typicum lemmatibus inseruntur perspicuis [2]. Obstat nihilominus primum quod mutata sæpe fuisse hæc initia vix negandum, deinde quod sancti viri nomen in hodiernis Græcorum libris nullibi compareat, etsi lectum olim haud semel vestigiis significatur indubiis [3].

Ut ut fuerit, quis non videt et quanti jam intersit ad accuratam typici S. Sabbæ editionem codices diligentissima collustrare manu?

Quorum hi sunt parisienses :

Codd. 385, XIII sæc.
— 1259, XIII sæc.
— 386, XIV sæc.
— 387, XV sæc.
— 407, XV sæc.
— 388, a. 1578.

Coislin. 38, olim montis Athonis. Adde hæc subsidia :

1. Typicon Joannis Cantacuzeni imperatoris, ejusdem qui concilio florentino interfuit, rerum sacrarum studiosissimi, cod. 389. Hic habes apographum e codice Moldaviæ principis descriptum; duobus avulsis foliis, pæne interiit procemium, sed integer superest ordo ab imperatore institutus recitandi per totum annum officium ac servandi jejunia et quadragesimas.

2. Τυπικὸς γραφεὶς ἐν ἐπιτόμῳ, passim inspersis aliquot vetustis hymnis ab anonymo quodam haud imperito, cod. 400, f. 54.

3. Dionysius, Thecarus et Theodulus *de Hymnorum origine*, cod. 351.

4. Georgius Pardus, corinthius metropolita, *in Canones dominicos*, cod. 359;

5. Acacius monachus *in magnum Canonem*, cod. 371;

6, 7. Nicolai CP. *Typicum* duplex, cum auctariis quæ suo loco dedi, eo potiori jure hic memorandum, quod vetus editio metrica solet inseri in vulgatum S. Sabbæ Ordinarium.

8. Typicum montis Athonis, ex quo non ignobilia excerpta habes supra, p. 445, 450, 451.

9. Typicum Studitarum, integrum in cod. vaticano 1609, quod hactenus abesse miror e parisiensibus codicibus, præter exiguam pericopen supra relatam, p. 452.

10-12. Pigeret omitti metrica synaxaria tum Nicephori Xanthopuli (codd. 407, 1585, 1595, Venet. vulgatum a. 1607 et 1648, et in novissimis Triodii editionibus), tum Christophori Patricii (cod. 407), tum etiam Nicolai Malaxi (cod. 369).

14. Memoretur postremo, ne omnino prætercam Orientales, Josuæ Melitenii liber *de Festorum et mysteriorum causis,* inter syriacos codd. num. CXXV.

II. Nunc vero alia typica sunt, quæ dixi monastica, ubi tam liturgicarum quam epitimiorum regulæ plerumque statuuntur, e quorum classe libenter fuisse censeo Nicephori typicum et alia Athonensium et Studitarum quæ supra sunt. Exempla pauca præmittam ex editis libris :

1. Typicum monasterii S. Mariæ κεχαριτωμένης a Montefalconio inter *Analecta,* Paris. 1688, e codice 384, in quo etiam nunc emicat nomen cinnabro pictum propriaque scriptum

multum locupletata.—(1) *Præ se fert.* Cf. Νεοελληνικὴ Φιλολογ. ὑπὸ Α. Παπαδοπούλου Βρέτου. Athen. 1854, part. I, n. 33, 37, 259. — (2) *Perspicuis.* Pellicia, *del Culto filiale,* etc. dissertaz. in-8°. — (3) *Indubiis.* Iterum iterumque occurrit in excerptis e Græcorum ritualibus libris quæ Sim. Wagnereck S. J. erudite col-

manu Irenes augustæ, quæ monasterio initium simul dedit et leges.

2. Typicum monasterii casulensis, præfixum *Anthologio* Arcudii; de quo vide Cangium in indice auctor. ad *Glossar. infimæ græcit.*

3. Τυπικὴ διάταξις, ὡς εὕρηται, τῆς κατὰ τὴν νῆσον Κύπρον σεβασμίας καὶ βασιλικῆς μονῆς τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, Μαχαιράδος ἐπιλεγομένης, Venet. 1756, 4°, impensis Parthenii, ejusdem monasterii œconomi [1].

4-6. His adde, nisi malueris ea cum sequentibus nectere, Theodori studitæ *Constitutiones* monasterii sui, *Canones pœnitentiales* et *Epitimia quotidiana*, quorum editionem maianam in *Bibl. nov.*, t. v, p. ult., per me non frustra contuleris cum paris. codd. 1318, f. 90 sqq., et 1335 A, fol. 90.

II. EPITIMIA.

Immensam illam græcorum epitimiorum provinciam aggressurus, uno tramite incedere, ne temere vager, statui, uti scilicet indiculo temporum et deduci serie nominum chronologica, sed nihil de singulorum auctorum ure et vindiciis definire. Quam autem ardua aut male tentata via sit, unum statim evincit, tam pauca, saltem apud Latinos, publici juris facta; vereor enim ut vel typis expressa non pauca venditentur apud Græcos ritualia βιβλιδία, aut tractatoriæ praxis enchiridia, multis fortasse referta epitimiis, quæ ad nos nondum pervenerunt. Excussis haud impigre bibliothecis et catalogis, exstare tantum impressa didici, quæ mox in suo loco designare non omittam.

1°. Ut a coryphæis apostolorum initium faciam, sanctorum SS. Petri et Pauli canones XLV in cod. 364, fol. 81, quorum initium : Πέντε ἡμέρας οἱ λαοί [1]; pars autem prima breve quoddam typicum est, de quo paulo infra; cætera vero quasi epitome sunt didascaliæ apostolicæ mox recensendæ. Cf. Bevereg. t. II, p. 203, Rhalli t. IV, p. 401-403.

2°. Item Petri et Pauli aliæ constitutiones in cod. Coislin. 364, fol. 367.

3°. Pauli canones XV, alias IX aut XVII, incipientes : Οἱ πρώτως προσιόντες, in codd. 1320 init., 1324, 1330, f. 85; cf. cap. XXXII, lib. VIII Constitut. apostolicar. et veterem synopsin in Bevereg. t. II, p. 203, Rhalli t. IV, p. 399.

4°. Placent in primis apostolorum, ut feruntur, canones IX, quos lubet inter rarissima codicum parisiensium κειμήλια annumerare. Nota quidem sunt, nec sine censura gravi, decreta primæ cujusdam antiochenæ synodi, a. 67, ut fertur, habitæ, partim in II nicæno concilio œcumenico multa cum veneratione relecta, deinde sæculo XVI e tenebris non sine tumultu excita a Turriano, sed quæ ferme non nisi latine innotuerant, quum ea nuper græce protulit J. W. Bickellius (l. cit. p. 138) e codice monacensi 380, chartaceo et recenti, hactenus unico. Eadem vero quum nobis præstiterit membrana coislin. 211, f. 278, certe vetustior et melioris notæ, non piget inde notare varietates et hic rescribere.

Idem titulus, quem operæ pretium est relegere : Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Παμφίλου, κ. τ. ἑ. *Sancti presbyteri martyris Pamphili ex antiochena apostolorum synodo, id est ex eorumdem synodicis canonibus pars aliqua eorum quæ ab eodem Pamphilo inventa sunt in Origenis Bibliotheca.*

Can. I. Μετὰ τὴν τοῦ μεγάλου Θεοῦ... βαπτίσματος καὶ ἐπωνυμίαν.

Can. II. Τοῦ μὴ περιτέμνεσθαι... παλαιοῦ ἀνθρώπου ἀποβάλλεσθαι τ. π. τ. ἁμαρτίας.

Can. III. Τοῦ εἰσδέχεσθαι..... τῆς ἀληθείας.

Can. IV. Τοῦ μηκέτι πλανᾶσθαι..... Ἰουδαίοις.

Can. V. Τοῦ μὴ ἐξομοιοῦσθαι... μὴ τὸ γράμμα ἀκολουθῶσιν... ἀναγωγικῶς πολιτεύωνται... τὸν μὲν ὖν [ὗν cod.] βδελύττεται... ἑορτάσθησαν ὑείων [ὑῶν cod.]... Ὁμοίως δὲ καὶ τὸν ὀστρακόδερμον καὶ ἀλεπίδοτον ἰχθὺν ἀ. τ. χ. ἀπογεύσασθαι... ἀποβαλλομένους... αἰνιττόμενος.

Can. VI. Τοῦ μὴ φιλαργυρεῖν χ. τ. κ. λέγοντες.

Can. VII. Τοῦ μὴ ἐμπαθῶς ἔχειν... [vidi hunc locum a Nicolao CP sive I, sive III adductum].

Can. VIII. Τοῦ ἀπέχεσθαι πάντα Χριστιανὸν... τοὺς ἁπλουστέρους.

In fine can. IX additur : Θεσπίσαντες καὶ κανόνας πε' διὰ Κλήμεντος διαφόρων κεφαλαίων.

legit in breviori libello : *Pietas mariana.*—(1) *Œconomi.* Νεοελλην. Φιλολ. n. 213.—(2) Λαοί. Aliquando scriptum δούλων, ut totum typicum non ad servos tantum dirigatur, sed ad plebem universam. Hanc varietatem notavit Tischendorf in codice montis sinaitici, *Anecd. sacra*, t. I, p. 93-95.

5. Sequuntur in eodem codice ἐπιτίμια τῶν ἁγίων ἀποστόλων περὶ παραπιπτόντων, seu canones VIII de variis mulctandis criminibus, f. 280. Incipiunt : α'. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος δράξεται γυναῖκα ἐν σκοτίᾳ, καθαιρείσθω. Codd. 1152, f. 25; coislin. 211, f. 279.

6. Item epitimia sanctorum apostolorum in cod. 364, fol. 25.

7. Item epitimia XII apostolorum in cod. 364, fol. 83.

8. Item Simonis cananitæ et omnium apostolorum, ib. fol. 84.

9. Apostolorum epitimia XL, additis in margine XIX, initium ut supra, cod. 1318, f. 68; 1320, ab initio.

10. Apostolorum et SS. patrum canones ecclesiastici XV. Incip. α'. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ τινος τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἐνδεῶς ὄντος μὴ ἐπιχορηγεῖ τὰ ὄντα, ἀφοριζέσθω. Cod. 1152, f. 28.

11. Sanctorum patrum et concilior. canones incip. : α'. Ἐάν τις ἐπίσκοπος πέσῃ εἰς ἁμαρτίαν γυναικὸς, ἔχει ἐπιτίμιον ἔτη ιε'. Cod. 1152, f. 26.

12. Παρασημείωσις τῶν ἐκκλησιαστικῶν κανόνων, sive ecclesiastici canones XXVI. Incipiunt : α'. Ὁ χειροτονῶν ὑπὲρ ὅρια, καθαιρείσθω. Cod. 363, f. 92.

13. S. Gregorius Thaumaturgus de V gradibus pœnitentium. Cod. 1326, f. 127, cf. Basilii canon. infr. n. 13 et in Rhalli t. IV, p. 405.

14. Gregorii ej. epistola canonica[1] in 12 codd. 1321, 1324, f. 184, 1326, f. 55, 1330, 1331, f. 344, 1337, 1338, 1339, 1389, etc.; coislin. 209, f. 67, 364, f. 260. Cf. Rhalli t. IV, p. 45.

15. Epitimia SS. apostolorum, Athanasii et Chrysostomi, supra p. 457, e cod. coislin. 363, f. 36.

16. S. Athanasii syntagma, passim in codd. niconianis infra recensitis.

17. S. Epiphanii sermo ad episcopos et monachos, supra p. 461, e cod. addidit. 483, f. 175.

18. S. Ephræm canon. XXXVI, supra p. 458, e codd. 1152, f. 18, et 1318, f. 73.

19. α'. S. Basilii epitimia e codd. parisiensibus edidit D. Garnerius inter opp. t. II, p. 526, 527.

20. β'. Ejusdem epitimia in canonicas, ib. p. 530.

21. γ'. Ejusdem de IV locis pœnitentium, coislin. 211, f. 274; 364, f. 366. Cf. Rhalli IV, p. 405.

22. δ'. Ejusdem canones XLIII, ex editis, cod. 1152, f. 1-19.

23. ε'. Ejusdem XXXIX capitula, quorum initium : α'. Πᾶσα ἁμαρτία γενομένη ἔσωθεν τῶν ις' χρόνων, plerumque diversa ab editis, nonnullis Nicephori canonibus intermixtis, cod. 1318, f. 52.

24. ς'. Ejusdem canones V περὶ μαλακίας, coislin. 211, f. 279, etc.

25. ζ'. Ejusdem epitimia XX, quæ supra p. 460, e cod. 363, f. 37.

26. η'. Ejusdem canones de nuptiis, ib. f. 51.

27. θ'. Ejusdem de peccatorum titulis et temporibus, coislin. 364, f. 366.

28. ι'. Ejusdem varii canones VIII, supra p. 460, e cod. coislin. 363, f. 39.

29. ια'. Ejusdem canones de cædibus, ib. f. 47, 93, 94.

30. ιβ'. Ejusdem sermo diagogicus ex epist. XXIII et CLXXIII conflatus, de quo supra, ex additit. 483, f. 176.

31. S. Gregorii nysseni epist. ad Letoium, codd. 1321, 1326, f. 51; 1331, f. 396; 1337, 1339, 1374, 1389, coislin. 39, f. 251; 209, f. 82; 364, f. 264, etc. Cf. Rhalli t. IV, p. 295.

32. Canones CL Patrum CP., coisl. 363, f. 40.

33. S. Joannis Chrysostomi epitimia XXXIII, supra p. 461, e cod. 1318, f. 60.

34. Laodiceni canones XII epitimiorum, ib. f. 49.

35. Chalcedonensium patrum epitimia VIII, supra, p. 464, coislin. 364, f. 206.

36. Laodicenorum patrum et S. Nicephori canones supra, p. 393, e cod. 1318, f. 78.

37. S. Nicephori canones 168 : vid. supra, p. 333-415, quos Thomas Diplovaticius in Jure græco, can. c. 38, teste Sim. Assemano, acute et manifeste probat fuisse prudentem veterum canonum moderationem. Immo S. patriarcha synodico suo tam præclare videtur universam canonum pœnitentialium disciplinam absolvisse ut nullum inveniam cujusvis post illum recentioris nomen, sive Photii, sive cæterorum orientalium græcorumque antistitum his regulis alligatum. Sed plura

(1) *Canonica.* Cujus ut et similem Nysseni ad Letoium epistolam spuriam esse vult, sed non plene docuit Binterim post Molkenbuhr, in Cath. Eccl. mon. t. V, p. 364.

his certe daturus est, si cui feliciter obvenerint sequentes libelli : 1° collectio alphabetica omnium epitimiorum in codd. vindobonens.; 2° Antonius Chrysochiras in *Explanatione synodici S. Nicephori*, Fabric. B. Gr. xi, p. 577 ; 3° Antonii Cuboclesii *Explicatio canonum pœnitentialium*; ib., p. 47 ; 4° Leonis Magentini *Explicatio* canonum pœnitentialium Petri Alexandr. et Gregorii Thaumaturgi, ib., p. 48; 5° Ejusdem, *De neglectu canonum* quem latinum se fecisse ait Nicolaus Comnenus; 6° et 7° Manuelis Malaxi et Thomæ Selybrii. *Scholia ad canones pœnitentiales S. Basilii*, ib., p. 206. Sed quum hæc in uno nugivenduli Nicola Papadopuli testimonio [1], ut vereor, innitantur, timendum, si quis forte ea quæritet, ne captet pro Junone nebulas. Nicephori saltem peculium canonicum augeri posse, jam penes me constat.

III. QUÆSTIONES PŒNITENTIALES.

Quantacumque sit canonum de epitimiis copia, quæ longe uberior evaderet, si extra codices parisienses me conferrem, non minor fortasse quæstionum, interrogationum et responsionum silva in hoc immenso juris pœnitentialis campo succrescit. Sed neque desunt illic summa nomina, quæ ut facilius non sunt audienda, ita nolim ea promtius expungantur. Concessum esto nullum intercessisse, superstitibus illis viris, sive litterarum, sive colloquiorum commercia quæ hic proferuntur. Id saltem et plerumque accidit ut veterum scripta hinc inde corrasa in quemdam dialogum verterentur, et quæ tantum calamo illi mandarunt, aut fortasse amissis libris, postmodum tamquam vivæ vocis oracula exhiberentur. Hæc porro dato consilio non collegeram, sed quæ dum parisiensia epitimia recenserem, e schedis excidere meis, charta excipiat quam brevissima, omissis quæ curiosus lector haud immerito requiret, qualia sunt initia rerum historica, critici quæstionum numeri, tum etiam assiduæ ad edita id genus aut similia scripturarum collationes.

1. Ad Dionysium Areopagitam quæstiones ejusque responsa habet cod. 1318, f. 129, itemque nonnulla cod. 2315.

2. Ad Athanasium, coislin. 363, f. 16, 116; 193, f. 207.

3. Ad Anastasium forte eumdem cod. 2500, f. 226, 252, etc.

4. Ad Timotheum, codd. 1321, 1320, 1324, f. 221, 1325, 1326, f. 55, 1327, 1328, 1330, 1369, 1374, 1389; coislin. 39; item 209, f. 89; 363, f. 21, 52, 62; 364, f. 245, supplem. 413, f. 121, etc., in quibus plura sæpe sunt diversa ab editis aut auctiora.

5. Ad CL Patres concilii œcumenici CP. quæstiones VI, coislin. 363, f. 16.

6. Ad Timotheum aut Cyrillum Alexandrinum, cod. 1331, f. 406; coislin. 363, f. 55.

7. Ad Gregorium Nazianzenum quæstiones Basilii, in codd. Armenor. num. 92.

8. Ad eumdem dubia et solutiones, cod. 364, f. 149.

9. Ad Hieronymum, cod. 1091, 1111, suppl. 124.

10. Ad Theodorum Studiten, cod. 1335, f. 90.

11. Ad S. Nicephorum (vide supra), p. 305 et 409.

12. Ad Nicephorum Chartophylacem, cod. 1321, f. 450.

13. Ad Petrum Chartophylacem, cod. 1355, 2500, f. 220; coislin. 364, f. 332, cf. Rhalli v, p. 369.

14. Ad Nicolaum CP, vide supra p. 476 sqq. et codd. 1319. f. 525, 1321, 1322, 1327, 1331, 1389.

15. Ad Anastasium, coisl. 363, f. 116-119.

16. Ad Joannem grammaticum, cod. 1326, f. 60.

17. Ad Nicetam metropolitanum Heracleæ, codd. 1259, 1337, 1339, 1342, f. 224, 1374, f. 309, 1377, 1389, f. 169.

18. Ad Theodorum Balsamonem, codd. 1259, 1331, f. 452, 1374, 1375, 2500, f. 222.

19. Ad Joannem Citrium, codd. 1259, 1374, f. 312, 1339, f. 226, 1377, f. 418, 1389, f. 171.

20. Ad Gennadium scholarium quæstiones Maximi Sinaitæ de episcopis, et Joachim de presbyteris, cod. 1259.

(1) *Testimonio*. In *prænotationibus mysticis*, de cujus libri auctoritate cf. Mortreuil, Hist. du droit byzant. t. II. Cui certe nimium confidit doctissimus Assemanus in Bibl. jur. orient. passim.

IV. DIDASCALIÆ ET CANONARIA.

Reliquum est ut syntagmata alia indicem et didascalias, sive *canonaria*, ut barbariem recentiorum Græcorum usurpem, quibus in unum et quasi in quoddam corpus series et summulas præcedentium canonum et responsionum coegerunt. Et hæc cæteris esse posteriora par erat, licet non omnino desint antiqua satis, quales sunt veteres illæ apostolorum didascaliæ quæ facile antenicæna usque tempora pertingunt. Quarum unam in hujus appendicis coronide satis erit paulo prolixius describere. Primo autem loco necesse visum est appelletur qui apud Græcos severioris hujusce disciplinæ semper gubernacula gessit, Joannes scilicet Jejunator, cujus varium et multiplex canonarion centies repetitur, sed nullibi sincerum inveniri, abunde compertum est. In nostris autem codicibus hæc invenimus :

1. α'. Κανονάριον a Morino editum primo loco in *Comment. hist. de sacram. pœnit.*, p. 101, 117, vide supra p. 436, e cod. 1152, f. 23; coislin. 364, f. 297, 331. A. F. 1389, f. 1.

2. β'. Ejusdem *sermo ad pœnitentes*, Morin. ib., p. 91-97, cod. 364, f. 65-80, coislin. 39, 57, f. 279, cf. supra p. 439.

3. γ'. Ejusdem *Nomocanon*, in cod. 1318, f. 27, 363, f. 69, 1152, f. 33. vide supra p. 438.

4. δ'. *Nomocanon* in appendice ad Matthæum Blastarem, codd. 1339, f. 220, 1250, f. 1259, 1321, f. 460, 1322, 1326, f. 140, 1337, f. 137, 1339, f, 220, 1373, 1374, f. 304, 1375, 1377, f. 477, 1389, f, 166.

5. ε'. *De quantitate et qualitate peccatorum*, coislin. 211, Rhalli t. IV, p. 432..

6. ϛ'. Canones varii pœnitentiales, coislin. 363, f. 94; a. f. 364, f. 63.

7. ζ'. *Canonarion Joannis filii auditionis, discipuli Basilii*, cod. 1152, f. 33, apud Morin. ibid. p. 219, 424, 425, append.

8. η'. Epitimia monachorum, cod. 1318, f. 26.

9. θ'. Didascalia et epitimia Monialium supra p. 416, e cod. coislin. 364, f. 279.

10. ι'. E nomocanone Νηστευτοῦ coislin. 37, f. 257, 302, 310, 326, 335.

11. Nomocanon Basilii, coislin. 37, f. 45.

12. Protocanon ejusdem, ibid., f. 367.

13. Canonarion græcobarbarum, primum in cod. 1318, f. 5-16.

14. Aliud ibid. f. 17-36.

15. Aliud ibid. f. 36-90.

16. Aliud ibid, f. 129-261.

17. Anonymi canonarion et variæ preces, cod. 1152, f. 22.

18. Nomocanon e quo editus a Cotelerio, loc. cit.

Hactenus e nostris Codicibus græcorum libelli canonesque pœnitentiales, atque epitimia et canonaria, quæ si paucissima exceperis, certe ad florentissimam illam non assurgent ætatem, quum publicæ pœnitentiæ studia ferverent, præsertim inter Græcos qui a sæculo IV, in ecclesia saltem Constantinopolitana, missa fecerunt egregia id genus spectacula, multoque citius ac tepidius quam Latini a priscæ disciplinæ zelo resipuerunt. Unde si præcedentium partem longe majorem sæculo X aut XI aliquis voluerit assignare, vix me reluctantem habebit. Hæc enim ultima orthodoxæ Græciæ ætas, quæ ab expulso Photio ad Cærularium iterum in secessionem actum circumscribitur, præ cæteris monastica est; ut a severioris vitæ monasteriis Hierosolymitanorum, Studitarum et Athonensium suam vivendi regulam, ne abstinentiis quidem multis epitimiisque ac metanœis, neque demum tribus aut quatuor quadragesimis per annum exceptis, plebs christiana acceperit, indeque ad hunc usque diem constantissime retineat.

Hoc vero vitæ genus si quis ex universo harum regularum, auctoritatum et disciplinarum ambitu considerare voluerit et ostendere, illi suadeo ut sub oculis suis ponat inque medium ferat, cæteris haud injucunde contemplaturis, libellum quemdam hactenus ἀνέκδοτον quem dixere Græci Μέγα βιβλίον περὶ ἑορτῶν καὶ τῶν ἐπιτιμίων καὶ τῶν μετανοιῶν τῶν τε νηστειῶν [1] : *magnus* autem ille *liber festorum, epitimiorum, metanœarum et jejuniorum*, quem non pauci codices plus minus integrum habent separatim [2], nihil aliud est quam septem ultima capita amplissimæ Niconis et Antiochi monachorum syllogæ *Pandectarum* sive *interpretationum de mandatis Do-*

(1) Νηστειῶν. Sic diserte cod. coislin. 363, f. 137. — (2) *Separatim.* Codd. 233, 1370, supplem. 28, 407.

mini. At negligi nimium solent ponderosa hujus didascaliæ exemplaria quæ magno numero omnium fere majorum bibliothecarum pluteos onerant [1]. Ego vero aliquid opellæ meæ deesse putem, nisi saltem titulos darem septem illorum capitum ex apographo Lauræ S. Athanasii Athonensium [coislin. 122], a quo jam multa accepi, subjectis deinceps in brevi elencho auctoribus a Nicone ejusque auctore et continuatore Antiocho adductis, quos in ultima voluminis ora excipiet capitulum ineditum, quod paulo supra promiseram ex octavo libro Constitutionum apostolicarum. Sed primum κατηγούμενα:

Ex *Interpretationum libro* (qui Domini mandata eorumque continet explanationem) caput LVI (fol. 373 cod. coislin. XXXVII). « De Epitimiis et separationibus quæ a sacerdotibus assignantur; nec posse epitimia probe ab aliquo assignata presbytero ab alio solvi; a defuncto autem sacerdote vincula aut quæ citra rationem pœnæ sunt, coram Deo non ligare, perinde atque commentatus est magnus Dionysius et alii bene multi; et quæ sint rationabiles aut citra rationem impositæ pœnæ; eas nimirum esse quæ secundum divinos canones, non secundum sacerdotum cupiditates edicuntur; verum, etsi aliquæ sint importunæ pœnæ, non posse eum qui male mulctatur, eo uti prætextu ut procaciter et imprudenter in suis adinventionibus et epitimiis maneat; sed supplicem agere multa cum humilitate, sin autem vel ita agens nihil assequi valet, ire ad majores sacerdotes, et sic ab illis absolvi, juxta sardicensem XIV canonem; atque oportet obtemperet quilibet emendatus aut separatus voluntati Dei, id est sacris canonibus, si aliquid egerit minus rationi consentaneum; a Deo vero eum daturum esse pœnas qui injustæ pœnæ temere excitaverit scandalum (ibid. f. 327). »

Laudantur :

SS. apostolor. can. XXXII.
Nicæni conc. can. V.
Antiochiæ synod. can. 6.
Sardicensis can. XIV.
Basilius in *Asceticis.*
E lege politica.
Vita S. Simeonis archimandritæ.
Dionysius Areopagita cum scholiis.
II nicæni concil. can. IV.
Vita S. Joannis Eleemosynarii.
E *Gerontico.*
E *Limonario.*
Gregorii *Dialogus* in vita sancti Benedicti [2] cum Niconis appendice.

Caput LVII. « De festis et jejuniis et de genuflexionibus quæ aut vetitæ fuerunt aut jussæ, et ab adorando ac divino Spiritu per Theophoros patres traditæ fuerunt; et quam periculosum sit ea spernere, quippe quum anathemati et separationi subjiciantur interque hæreticos in sacris canonibus connumerentur quicumque sine probabili causa hæc despiciunt; et quæ causa sit festorum, jejuniorum et genuflexionum; et cur versi ad orientem oremus (ib., fol. 307). »

Excitantur :

Constitutio Petri ac Pauli (lib. VIII, c. XXXIII).
Canon. apostolor. LXXV, LXIX constitutiones apostolorum (cap. XXXIV).
Vita S. Nicolai.
Basilii homil. et *de S. Spiritu.*
Petri Alexandrini can. XV.
S. Ignatii epist (interpolata) *ad Magnesios.*
Historia lausiaca Patrum.
Vita S. Paisii.
Visa S. Pachomii.
Timothei responsio canonica VIII.
Nicephori archiepisc. can. III, IV, LI.
Trullani concilii can. VI, XII, LXXXIX.
Laodiceni conc. can. XLIX, L, LI, LII.
S. Anastasii quæstio : *quid illud : « quod ab ore exit, etc. ? »*
Vita S. Simeonis Thaumaturgi.
Vita S. Theodori Sanctificati.
Theodori Studitæ e *constitutionibus et epitimiis.*
Ex aliquo synaxario.
Athanasius in *syntagmate* (locum habes supra p. 456).
Epiphanii [3] *sermo de fide* et adversus Aerium.
Concilii Gangrens. can. XVIII, XIX.
S. Isidorus *de resurrectione.*
Dionysii alexandrini can. I.
Dorotheus *de sanctis jejuniis.*
E Levitico cum Niconis scholio.
Nicæni concilii can. XX.
E *Nomocanone* Νηστευτοῦ, cum apologia Niconis.
Ex typico sancti Montis (ut supra p. 445).
Ex typico sancti Montis, de labore (ibid. p. 450).
Ex typicis Studitarum et Hierosolymitanorum (ib., p. 452).

Caput LVIII. « Commentarius compositus e divinis scripturis de festis : nempe illa minime

(1) *Onerant.* In sola parisiensi perfunctorie recensebam, omisso fortasse non uno, codd. 876, 877, 878, 880, 881, 882, 883, 884, 885, 1067, 1077, 1078, 1079, 1082, 1133, 1134; neque desunt arabicæ interpretationes in codd. 68 et 78. — (2) *Benedicti.* E Dialog. libri II c. XXIII. *De Sanctimonialibus quæ post mortem per oblationem communioni sunt redditæ.* Absoluto penitus capitulo, Nicon fuse disserit de potestate sacerdotum in angelos et defunctos, interque plura provocat ad Anastasium Sinaitam de puero ad baptismum suscitato et ad Innocentium PP. I in vita S. Chrysostomi quam nuperrime Maius defloravit. — (3) *Epiphanii.* Evanida aut omissa epigraphe in codice alio Montefalconius deceptus est, ratusque novum illud esse opusculum Athanasii, diserto ibidem nomine inscripti, ut ἀνέκδοτον in Coislinianam suam bibliothecam inseruit p. 112, quod purum putum esse Epiphanii fetum, iterum iterumque in operibus suis rescriptum, tam certum est, quam mirandum non vidisse recentiores Athanasii editores Patavinum et parisiensem.

fuisse christianis concessa ob delicias aut cessationem e bonis operibus, invehendasve animæ iniquitates et læsiones, tamquam infidelium festivitates; immo vero ad procurandam morum emendationem et utilitatem atque ab improbitate abstinentiam ac Dei mandatorum adimpletionem; insunt et alia capitula e divinis scripturis quibus declaratur quæ causa festorum sit, et quomodo ad virtutis exercitium salutemque animarum impertiantur, neutiquam vero ut occasio labendi sit, aut corporis maculandi, patrandive turpia aut alia id genus (ib. fol. 330). »

Proferuntur :

Timotheus in *Responsis canonicis.*
S. Barsanuphii quæstio 1, 2, 3.
E *Nomocanone* Jejunatoris [ut supra].
Ex quodam typico, cum Niconis scholio in quo laudantur : Vita S. Gerasimi, — Geronticon, — sanctus Nilus, — Constitutiones apostolicæ, — *Syntagma* Athanasii, — Sanctus Ignatius ex interpolatis epistolis, — Concilium Gangrense, — Anastasius sinaita, — Sanctus Dorotheus, — Trullensium canon adversus Armenos, — Vita sancti Simeonis thaumaturgi, — Theophilus alexandrinus et Chrysostomus.
Laodiceni concilii can. XVIII, LXVI.
Nazianzenus *de Christi nativitate.*
Chrysostomus *in Divitem et Lazarum* et *in Hexaemeron.*
Climacus *de Gastrimargia.*
Macarius *de XL^a. et Pentecoste.*
Theodorus studites e catechesi *in parasceve carnis privii* et *Tyrophagi hebdomade.*
Theophilus alexandrinus in *Heortastica canonica* [can. I].

Caput LIX. « Disceptatio sive interpretatio ex sacris collecta Scripturis, accedentibus nonnullis sanctorum patrum capitibus, ad significandum qualiter et quando oporteat tradita jejunia infringere ob patrum aut fratrum in communi loco occursum, ne fortasse ignorantiæ causa in varia peccata declinemus; et rursus qualiter accepta ex proprio arbitratu jejunia solvere debeamus; tum eos qui tradita a Spiritu sancto per sacratos patres jejunia solvunt sine probabili excusatione aut alicujus negotii necessitate, participare cum hæresi Massalianorum et Aerianorum ac cæterorum ejusdem generis, et una cum illis a divinis patribus et sanctis conciliis anathemate percelluntur (ibid. f. 340). »

Adducuntur :

Procemium collectoris in quo Vita S. Simeonis, Climacus, Basilius, Patericon excitantur.
Epiphanius in *Panario.*
Geronticon.
Cassianus abbas.

Caput LX. « De cibo et potu tam pro monachis quam pro anachoretis et cœnobitis; et regiam esse vivendi viam in pane, sale et aqua; etiam esse piis viris reprobanda vel panum edulia quæ præter necessarium sunt; tum ad hominum naturam aptum esse cibum e consilio ipsius Conditoris, qualis propemodum est ipsis pecoribus statutus, terræ videlicet herba cum seminibus; deinde, tempore opportuno obveniente, in gloriam Dei sumendum esse quod in partem monachorum reservatur et quo usque integra remaneat abstinentia. »

Deplorantur :

Vita S. Charitonis.
Vita S. Simeonis Thaumaturgi.
Narratio de SS. abbatibus in Raithu occisis.
Climacus cum scholiis.
Barsanuphii *responsa* et *epistola* ad fratrem imbecillem.
Geronticon.

Caput LXI. « De cibo et potu et de vivendi regula cœnobitarum et anachoretarum; neque de alimonia murmuretur, nec propter vilissimæ escæ corpoream vexationem secedatur e mensa fratrum ut alia quærantur lautiora et suaviora; et panem cum oleribus ad explendam famem, ut aquam ad sitim sufficere bene se habenti : et quomodo his oporteat esse contentum qui animam labefactavit ab escis aliove modo; deinde, opportuna succedente hora, in gloriam Dei sumendum esse e caseo, ovis et piscibus, cæterisve dapibus in monachorum usum sepositis, sed tantum ea copia quæ incolumi abstinentiæ non noceat (ibid., fol. 349). »

Sequuntur deinceps :

Chrysostomus in orat. *neminem nisi a se ipso lædi;* in comment. super epist. *ad Roman., ad Corinth., ad Ephes., ad Timotheum,* in serm. *de fato.*
Theodoretus ex interpret. Genesis, in cap. IX.
Basilius *de pœnitentia, ad Amphilochium* cum scholiis interpretum, et in *asceticas.*
Anastasius sinaita *in hexaemeron.*
— Ejusdem quæst. et resp.
Gregorius thaumaturg. *ex epist. can.*
Concilii ancyr. c. XIII.
SS. apostolorum can. LIII, LXIII.
Conc. Trullani can. LXVII,
Concil. Gangr. can. II.
Geronticon.
Studites ex catechesibus.

Caput LXII. « De cibo et potu pro his qui in sæculo degunt, et qualis sit Christianorum victus; quin Deum ab initio hominibus in cibum assignavisse legumina et olera, et his vesci proficuum esse, carnium vero usum et vini potationem post diluvium in vitam invecta fuisse; quibus tamen escis illos, hora data,

rite uti posse qui in sæculo sunt; idque ciborum genus per se malum non esse (ib., fol. 351). »

Testes sunt :

Chrysostomus in *dialogo de sacerd.* et *ad Corinthios*.
Theodoretus e commentar. in vetus Testamentum.
Concilium ancyr. in c. III.
Canones apostolor. 33, 36, 42, 43, 51, 62, 63, 68, 77, 78, 79.
Trullan. can. II, 12, 13, 14, 18, 38, 67, 87.
Concilium. Gangrense in canone XII.

LXIII. « De ordinatione et depositione[1] (ibid., fol. 355-369). »

Concil. nicæn. can. II, XIII, XIX.
SS. apostolor. can. XVII, LXXX, LXVIII, LXXVII, III, XLV, XLIX, LXV, XLVIII, LXII, XXXVI, XXXIII, X, XII, XIII, LXXII, XXVIII, XXXII, XXXIII.
Trullani can. VIII, XVIII, LXVII, XIV, XVIII, XI, XII, XIII, XIV, XXXVII, LXVII, LXXXVII, VI, XCVII, LXXVIII, XLVIII, XX, XXXV, XLIX, L, XXXVI, LXIX, XLI, XVI, LXXIII, XI, II, XCV.
Sardicens. can. I, VII, VIII.
Neocæsar. can. XII, XIII, XV.
II nic. concil. œcum. Prolog. et can. VII, can. XIII, XIV.
Chalcedon. can. VII, XXXIII, XIV, XI, VIII, XXXI, IX, III, XXII.
Antiochen. can. III, XI, XXIV, XXV, II, XX.
Laodicen. can. XL, XLII, XI, LI, LII, LIII, XV, XXI, XXVII.
Lex politica, fol. 356, 361, 362, 367.
Constantinopolit. in templo apostolor. can. X, VIII.
— In templo S. Sophiæ XVI,
Ancyran. can. I, X.
Athanasius *ad Rufinianum*.
Cyrillus *ad Domnum*.
Timothei responsa canonica.
Concilii Carthag. can. XXVII, XXXII.
Basilii cap. I, XXXI, LXVI, IV, XII, L, XXXIV, LXVIII, XXXV, XXXVII, XLVII. *Protocanon*, f. 367.
Concilium de unione sub Nicolao cum anathematibus.
Methodius CP. *de receptione hæreticorum*.
Timotheus presbyter CP. resp. canon.
De Paulianistis decretum.

Διδασκαλία τῶν ἁγίων ἀποστόλων περὶ χαρισμάτων τοῦ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ
(ex cod. Coislin. 211, fol. 265-271).

α' Περὶ χειροτονίας ἐπισκόπου. Ἅμα τοίνυν ὑπάρχοντες [ed. cap. IV, *de Ordinationibus*].
Εὐχή· ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου...

β' Περὶ χειροτονίας πρεσβυτέρου. Ἐγὼ ὁ Φιλούμενος ὑπὸ τοῦ Κυρίου [cap. XVI, *de Ordinatione presbyterorum constitutio Joannis a Deo dilecti*].
Εὐχή· Θεὲ παντόκρατορ, ὁ Θεὸς ἡμῶν...

γ' Ἐγὼ Φίλιππος διατάσσομαι [cap. XVII, *de Ordinatione diaconorum constitutio Philippi*].
Εὐχή· ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ...

δ' Περὶ διακονίσσης. Ἐγὼ Βαρθολομαῖος διατάσσομαι [cap. XIX, *de Diaconissa constitutio Bartholomæi*].
Εὐχή· ὁ Θεὸς ὁ αἰώνιος, ὁ πατὴρ...

ε' Περὶ ὑποδιακόνων. Ἐγὼ Θωμᾶς διατάσσομαι [cap. XXI, *de Subdiaconis constitutio Thomæ*].
Εὐχή· Δέσποτα Θεὲ οὐράνου καὶ γῆς...

ς' Περὶ ἀναγνωστῶν. Ἐγὼ Ματθαῖος ὁ καὶ Λευὶς, ὁ ποτὲ τελώνης, διατάσσομαι [cap. XXII, *de Lectoribus constitutio Matthæi*]. Ὁ Ἀναγνώστης...
Εὐχή· ὁ Θεὸς ὁ αἰώνιος ὁ πολὺς ἐν ἐλέει...

ζ' Περὶ ὁμολογητῶν. Ἐγὼ Ἰάκωβος ὁ Ἀλφαίου διατάσσομαι [cap. XXIII, *Jacobi Alphæi constitutio de confessoribus*].

η' Περὶ παρθένων. Ἐγὼ Ἰάκωβος διατάσσομαι [cap. XXIV, *ejusdem de Virginibus*].

θ' Περὶ χηρῶν. Κἀγὼ Λεββαῖος [cap. XXV, *Lebbæi cognomento Thaddæi constitutio de viduis*].

ι' Περὶ ἐπορκιστοῦ. Ὁ αὐτὸς διατάσσομαι [cap. XXVI, *idem de exorcistis*].

ια' Περὶ τοῦ ὑπὸ πόσων ὀφείλει χειροτονεῖσθαι ὁ ἐπίσκοπος. Σίμων δὲ ὁ Κανανίτης, κἀγὼ διατάσσομαι [cap. XXVII, *Simon cananita de episcopo, a quot ordinetur*].

ιβ' Τοῦ αὐτοῦ κανόνες. Ὁ αὐτὸς διατάσσομαι περὶ κανόνων [cap. XXVIII, *ejusdem canones de Episcopis, presbyteris, diaconis et reliquis clericis*].

ιγ' Τοῦ αὐτοῦ περὶ ἀπαρχῶν καὶ δεκατῶν. Ἔτι προστάσσω [cap. XXX, *ejusdem de Primitiis et Decimis*].

ιδ' Ὁ αὐτὸς περὶ περισσευμάτων διατάσσομαι [cap. XXXI, *ejusdem de iis quæ supersunt*].

ιε Παύλου τοῦ ἀποστόλου διατάξεις περὶ κανόνων ἐκκλησιαστικῶν. Οἱ πρώτως προσιόντες τῷ μυστηρίῳ

(1) *Depositione*. Brevitatis causa, sub una epigraphe sparsa ejusdem auctoris aut argumenti loca colligimus, rerum tamen serie servata qualis deinceps in codice retexitur.

[cap. XXXII, *varii canones Pauli de iis qui accedunt ad baptismum, quos oporteat admittere et quos rejicere*].

ιϛ′ Πέτρου καὶ Παύλου διάταξις περὶ ἀργείας δούλων. Ἐγὼ Παῦλος καὶ Πέτρος διατασσόμεθα [cap. XXXIII, *quibus diebus famuli debeant feriari*].

ιζ′ Περὶ εὐχῶν. Εὐχὰς ἐπιτελεῖτε [cap. XXXIV, *quibus horis et quare in eis precandum sit*].

ιη′ Περὶ τοῦ μὴ εἰσέρχεσθαι εἰς ἐκκλησίαν αἱρετικήν [ab editis exsulat, quod vide sub hisce ex integro positum.

ιθ′ Περὶ μνειῶν τῶν κοιμηθέντων. Ἐπιτελείσθω τρίτα [cap. XLII, *quomodo et quando oporteat fidelium defunctorum fieri memorias quod et ex eorum facultatibus sit pauperibus largiendum*].

κ′ Περὶ τῶν διὰ πίστιν διωκομένων. Τοὺς διωκομένους διὰ πίστιν [cap. XLV, *de recipiendis iis qui propter Christum patiuntur persequutionem*].

Αἱ περὶ χειροτονιῶν τάξεις τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐγράφησαν διὰ Ἱππολύτου καὶ τὰ ἐκ τῆς βιβλιοθήκης τοῦ Ὠριγένους διὰ Παμφίλου τοῦ ἱερομάρτυρος ἐκ τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ συνόδου τῶν ἀποστόλων, τουτέστιν ἐκ τῶν συνοδικῶν αὐτῶν κανόνων· ἃ δεκτὰ (?) δὲ ἐκεῖνα λέγονται τὰ πρὸς τοὺς ἀρχιερεῖς μυστικὰ Κλήμεντος νοθευθέντα παρὰ τῶν αἱρετικῶν, ἃ οὐδὲ γράφονται εἰς νομοκάνονα.

CONSTITUTIONUM APOSTOLICARUM CAPUT NOVUM [1].

Περὶ τοῦ μὴ εἰσέρχεσθαι εἰς ἐκκλησίαν αἱρετικήν.
De eo quod in hæreticorum Ecclesias ingredi nefas est.

Α. Εἰ μὴ δυνατὸν ἐν ἐκκλησίᾳ προσιέναι διὰ τοὺς ἀπίστους, κατ' οἶκον συνάξεις, ὦ ἐπίσκοπε, ἵνα μὴ εἰσέρχηται ἀσεβὴς εἰς ἐκκλησίαν εὐσεβῶν· οὐχ ὁ τόπος γὰρ τὸν ἄνθρωπον ἁγιάζει, ἀλλ' ὁ ἄνθρωπος τὸν τόπον. Κἂν οὖν ἀσεβεῖς κατέχωσι τὸν τόπον, φευκτέος σοι ἔστω διὰ τοῦ βεβηλῶσθαι ὑπ' αὐτῶν· ὡς γὰρ οἱ ὅσιοι ἱερεῖς ἁγιάζουσιν, οὕτως οἱ ἐναγεῖς μιαίνουσιν [2].

Β. Εἰ δὲ μήτε ἐν οἴκῳ ἅμα, μήτε ἐν ἐκκλησίᾳ συναθροισθῆναι δυνατὸν, ἕκαστος ἑαυτῷ ψαλλέτω, ἀναγινωσκέτω, προσευχέσθω, ἢ καὶ ἅμα δύο ἢ τρεῖς. « Ὅπου γὰρ, ὥς φησὶ ὁ Κύριος, δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐκεῖ εἰμὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν [3]. »

Γ. Πιστὸς μετὰ κατηχουμένου μηδὲ κατ' οἶκον προσευχέσθω· οὐ γὰρ δυνατὸν μεμυημένον μετὰ ἀμυήτου συμμολύνεσθαι [4]. »

Δ. Εὐσεβὴς μετὰ αἱρετικοῦ μηδὲ κατ' οἶκον προσευχέσθω· « Τίς γὰρ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος [5]. »

I. Si copia non datur in ecclesiam accedendi propter infideles, domi conventum habebis, o episcope, ne infidelis introeat in fidelium ecclesiam. Non locus enim hominem sanctificat, sed homo locum. Si igitur impii possident locum, locus tibi vitandus est, quia ab illis polluitur : ut enim venerandi sacerdotes sanctificant, sic irreligiosi homines contaminant.

II. Sin autem neque in domo, neque in ecclesia conveniendi copia præstatur, unusquisque secum psalmos canat, legat, oretque, vel etiam duo vel tres : « Ubi enim, ait Dominus, « duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. »

III. Fidelis cum catechumeno numquam domi deprecetur : fieri enim non potest ut initiatus cum profano commaculetur.

IV. Pius cum hæretico ne domi quidem oret. « Quæ enim communio luci cum tenebris? »

(1) *Novum.* Ultima præcedentis didascaliæ capita XV-XX sub oculis habuit auctor synopsis, quæ a Beverigio sub Aristæni nomine data est; unde ejus epitomen cum nostris utile erit conferre. Vid. Rhalli, t. IV, p. 399-403.—(2) Μιαίνουσιν. Cf. loc. cit. can. IX, X, p. 401-402. — (3) Αὐτῶν. Matth. XVIII, 20. Cf. Rhalli ib. can. XI.—(4) Συμμολύνεσθαι. Cf. ib. can. XII. — (5) Σκότος. II Cor. VI, 14.

ADDENDA QUÆDAM ET EMENDANDA.

PROLEGOMENA.

I.

Ad notam 2 p. XII *appendicula de codice vossiano lat.* 122.

Ut hunc codicem a Lugduno Batavorum ad Solesmos usque, procurante, ut dixi, liberalissima cl. v. J. Geel humanitate, adducerem ac penitius inspicerem quam olim feceram, movit me potissimum notula margini fol. 31 addita, manu fortasse Vossii : *Hactenus editi;* qua enimvero monebar (et quomodo non surrexissem?) illic latere copiosiorem quam vulgatam celeberrimæ ad Flavianum S. Leonis epistolæ lectionem. Votis quidem his excidi meis, alia vero præter spem nactus, id quod me paucis dicere juvat, describendo codicem.

Inscribitur in bibliotheca leidensis Academiæ sub eo lemmate : MS. LAT. VOSS. Q. 122. Olim vero : *Ex bibliotheca v. illustr. Isaaci Vossi* 236; tum alias O. 12 : quæ quidem ultima sigla codicibus in museo bollandiano olim asservatis, etiam nunc appinguntur in bibliotheca bruxellensi; id certe notatu dignum. Scriptus est in membrana crassa, exiguæ molis, foliis 102, manu sæculi x, eademque a primo folio ad 91; inde vero ad finem altera paulo recentiori. In eo continentur :

Fol. 1, *Definitio fidei catholicæ synodi calcedonensis* [inclinato charactere codicem refero, nihil mutans]. Vid. Isidor. Mercat. Patrol. t. CXXX, col. 305 A; Mansi t. VII, col. 109.

Fol. eod., *Symbolum apud Niceam* CCCXVIII *patrum.* Mercat. ib. D; Mansi, ib. col. 110.

Fol. eod., *Symbolum* CL *SS. Patrum qui in Constantinopoli congregati sunt.* Mercat. ib. col. 306 A; Mansi col. 111; cf. t. XI, col. 634-639.

Fol. 3, *Responsio seu allocutio sancti et universalis concilii calcedonensis.* Mansi t. VII, col. 455. Duplici serie accedunt sententiæ patrum, Basilii, Damasi, Sardicensium, Ephesinorum, Constantinopolitanorum, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli alexandrini, Procli CP., Joannis antiocheni, Ambrosii, Amphilochii, Antiochi Ptolemaidis, Flaviani antiocheni, Chrysostomi, Attici CP. Vid. Mansi, ib. p. 467-474.

Fol. 9, S. Cyrilli XII Anathematismi, id. t. IV, col. 1092, ex versione Dionysii exigui.

Fol. 10, *Incipit synodus efesena prima* CC *episcoporum, habita adversus Nestorium, constantinopolitanum episcopum.* Ibid. col. 1090 E.

Fol. eod., *Religioso Deo amabili consacerdoti Nestorio Cyrillus, vel quæ convenit apud Ephesum synodus,* ib. col. 1086.

Fol. 14, *Definitio ortodoxæ fidei quæ constituta est in sancta et universali sexta synodo Constantinopoli in palatio qui appellatur Trulist.* Id. t. XI, 623, 702, 895; melius consentit versio altera, col. 699 E ad 710 E.

Fol. 22, *Incipit epistola PP. Leonis ad Julianum;* Mansi, t. V, col. 1415-1423 : cf. infra in h. t. p. 193.

Fol. 24, *Leo episcopus Flaviano.* Mansi, t. V, col. 1367; Ballerini, t. I, p. 802 ad 838.

Fol. 30, sine distinctione attexitur cap. II, sermon. XXIII. Vid. ib. t. I, p. 68 C ad 71 D.

Fol. 31, *Ejusdem.* Vid. serm. XXVII, p. 93, 94 (in marg. *hactenus editi*).

Fol. eod., *Ejusdem.* Vid. serm. XXX, p. 106, 107.

Fol. 32, « Nam sicut ait Apostolus, » ibid. p. 109, 110.

Fol. 33, « Utramque autem substantiam, » ib. serm. XXIX, p. 102, 103.

Fol. eod., *Ejusdem.* « Post diversas. » Ex aliqua epistola quæ me fugit.

Fol. 34, *Ejusdem.* Vid. serm. XXV, cap. V, p. 83 D, 84 D.

Fol. eod., « Habentes itaque. » Serm. XXIV, cap. I, p. 78 D, 79 C.

Fol. 35, « Magnum est hujus. » Serm. xxvi, p. 89, 90.

Fol. eod., « Sicut omnibus profuit. » Serm. xxxiv, p. 124, 125.

Fol. 36, « Credo igitur in unum. » Vide supra p. xii, splendidum illud ἀνέκδοτον.

Fol. 39-46, *Beati Augustini ex libris de Trinitate quædam capitula, in primis de libro primo capit.* 4, 6, 7, 8, 10, 13; — fol. 49, 52, item de lib. ii, cap. 5, 6, 10; — fol. 55, 56, item de lib. iv, cap. 19, 20; — fol. 60, item de lib. v, cap. 4, 5; — fol. 61-63, item de lib. vi, cap. 2, 5, 8; — fol. 63, item de libr. viii, cap. 1, 5; — fol. 64-67, item de lib. xiii, cap. 10, 11, 13, 14, 15, 18, 19; — fol. 67, item de lib. xv, c. 3.

Fol. 80, *Incipit liber artis dialecticæ.* « Me lege, qui veterum cupias cognoscere sensus. » Et post alios 4 versus : « K. Quia mentionem philosophiæ in priore disputationis nostræ sermone fecimus, videatur condignum, magister, ut aliquanto latiore indagatione de ea disputare incipiamus. » Quæ velim conferas cum Alcuini operibus, ubi plures id genus *Karoli* et *Magistri* dialogismi sunt. — Fol. 81, de Speciebus dialecticæ; — fol. 82, de Categoriis; — fol. 88, de Argumentis; — fol. 89, de Modis definitionum; — fol. 90, de Topicis; — fol. 91, de Perihermeniis : mox libellus deficit, finisque desideratur. Sed omnia habes in Alcuini *Opp.* ed. Froben, t. II, p. iv.

Fol. 95, *Incipit quæstio de libro Genesis.* « Genesis enim dicitur, sive de ornatu, etc. » Post pauca fit transitus ad varios Scripturæ libros, usque in Proverbia, ubi commentario et codici idem finis est.

II.

De Rustici lemmatibus chronologicis (ad pag. xviii).

Jam properanti mihi in extrema hujus tomi Prolegomena, satius visum est rescindere telam, quam primum paulo prolixiorem præfationi, ubi de Rustico sermo est, attexere animus erat. Me vero eo minus piget videri tum fuisse jejuniorem, quod, favente inexhausta et prolixa in me cl. J. B. de Rossi voluntate, hic demum ego sum uberiora daturus. Ac primum, ejusdem usus dissertatione de Nicomachi Flaviani senioris titulo, in quo nonnullorum codicum confusa epigrammata, a priscis censoribus apposita, ut de ipsorum curis memoria perstaret, feliciter, ut semper, restituit, nil moror quin præcipuam emendem Rustici mei notationem, constanter et inepte in codicibus turbatam. Cum duobus enim simillimis parisiensi et montispessulano, quos in tabella lapidi incisa vides ad num. iv, ne apice quidem omisso, quadrat codex vatic. 1319. Nihil vero mutando, omnem nebulam sustuleris, modo majores litteras a scholiolis minutioribus secernas in hunc scilicet modum :

EXPLICIT PRIMA COGNITIO

Finivimus emendantes et conFFmā. a prid. kal. xςii *fer.* iiii. *ind.* xiii. xv *kal. april.*

CALCEDONENSIS CONCILII

Rusticus per gratiā Dī diac. scæ ecclesiæ rom̄. contuli, annotavi, distincti. Dō gratias.

INCIPIT ACTIO *secunda.*

Non defuere qui supra, in prima Rustici linea, confidenter legerint : *emendantes et conferentes apud Kalxedonam*, et alia id genus monstra (v. Mansi, vii, p. 707). Huc vero si quis primam ineuntis collationis notam admoverit : *cœpit emendari a. kl. mart.*, alteram illam sic fortasse leget : *finivimus emendantes et confirmantes a primo die kalendarum martii* (charactere unciali CIↃλR, quod facile deflecti potuit

in illud XVIII) *feria* IV *indict.* XIII *ad* XV *kal. apriles*. Sed ne incertis et corruptis diutius hæream, unum addiderim : ubi codices omnes habent *distincti*, scriptum fuisse primum putem omnino : *distincxi*, ut in celeberrimo Virgilii codice semel et iterum : *legi et distincxi codicem Macarii* v. c., etc. = *Distincxi emendans gratum mihi munus amici.* (*L'iscrizione*, *etc.*, p. 47.) Verum hæc, uti et cætera, luce perfundet sua cl. auctor *Inscriptionum christianarum :*

« Emendatio a Rustico diacono facta cœpit die kalendarum martii, toto martio mense intermissa vix est, ineunte demum aprili opus absolutum. Quare licet indictio modo XII adscripta legatur, modo XIII, modo XIIII, has numerorum varietates librariorum oscitantiæ esse deputandas, et unum eumdemque toti illi menstruæ emendationi annum adsignandum, nullo negotio intelligitur. Indictiones suprascriptas de annis 549, 550, 551 interpretandas esse neque antiquiorem aliquem vel recentiorem indictionum periodum in illis notis esse quærendum, ipsa Vigilii pontificis et controversiæ de Tribus Capitulis historia monstrante, hujus Spicilegii auctor jam definivit. Hoc unum ergo a me quæritur, uter e tribus illis annis sit eligendus.

« Feriarum adnotationes annum quem quærimus necessario demonstrarent, nisi illæ quoque corruptæ a librariis essent. Verum vix quidquam sani in his adnotationibus agnosci posse ope cycli solis et litterarum quas dicimus dominicalium, facile evincerem, si id res postularet; est autem manifesta hujusmodi notarum in hoc codice corruptela, et idem dies kalendarum aprilium primo *feria quarta* scribitur, deinde *feria sexta*.

« Neque idcirco desperandum de anni quem quærimus restitutione est. Actioni enim XI hæc subscripta sunt : *cont. die altero a kl. aprl.* Tum actionibus XII et XIII : *cont.* VI *fer. ante pascha vicinissim. d. at. kl. april.* II *ind.* XIII. Ut ut hæc quoque medicam manum requirant, illud statim perspicitur, postremis his verbis diem aliquam indicari, quæ sive ante kalendas apriles fuerit, sive a kalendis aprilibus altera, quæque item fuerit paschæ vicinissima. Atqui pascha anno 549 celebratum in universa Ecclesia est pridie nonas apriles; anno 550 a latinis XV kal. maias; ab Alexandrinis et Orientalibus VIII kal. maias; anno demum 551, ab omnibus V idus apriles. Ergo anno tantum 549 dies aliqua quæ sive ante, sive statim post kalendas apriles fuit in hebdomadam majorem incidere potuit et dici *paschæ vicinissima*. Quin ergo ulterius pergam et codicis corruptelæ accuratius mederi inani pæne labore aggrediar, annum de quo quæsitum est, mihi videor certo repperisse. » Hactenus ille, mox longe plura de toto cyclorum paschalium orbe disputaturus.

AD MONUMENTA ECCLESIÆ AFRICANÆ.

I.

De canticis in Verecundi Ecclesia frequentatis.

Nova primam in lucem educenti pronum est, dum vias terit aut spinis et vepribus obtectas, aut primis tentatas vestigiis, sæpenumero sistere gradum, ut sibi, ut etiam cæteris multa promittat, sive rerum novitate captus, sive operosi victus laboris tædio, quæ tamen, angustiis temporum et librorum cogentibus, ab eo necesse omnino est prætermittantur. Ita factum, ut e nonnullis quæ hic illic in transcursu notavi iteratis resumenda curis, ac severiori et diligentiori expendenda judicio, plura qui-

dem missa fecerim. Sed duo me potissimum vel in hac proxima laborum meta morari juberent : unum est ut de canticis in africana ecclesia solemniori consuetudine frequentatis, alterum ut de singulari loquela et insolentiore prorsus Verecundi grammatica dicam.

Sed utrumque prolixi esse operis, et alacrem, ac longo otio vegetum paratumque ἐξηγητὴν requirere, nemo non videt; quæ prorsus iniquum esset exspectare ab anhelo fessoque, immo, candide dicam, nudo pæne ac spoliato περιοδευτῇ : ecce enim hæc in itineris romani transcursu scribo, ut quæ curta nimis erat, ne ad manum quidem sit exigua schedarum mearum supellex.

Quod igitur attinet ad disputationem liturgicam, satis erit ea proponere quæ Verecundus ipse monet esse diligenter excutienda : auctor enim ipse est altius rem esse repetendam et eundum usque ad remotissima veteris Synagogæ cubilia, ut quænam fuerint prima et prisca Judæorum cantica, quænam ab Esdra in corpore psalmorum inserta fuerint, quænam inde ad Ecclesiam apostolicam primosque cœtus christianorum transmeaverint, enuncietur. Certe idem statuit ab Esdræ tempore ipsoque procurante, quatuor cantica in usu venisse, ab uno heptateucho excepta, unum Exodi (xv, 1-19), alterum Numerorum (xxi, 17, 18), tertium Deuteronomii (xxxii, 1-43), quartum Debboræ (Judic. v, 2 sqq.). Nihil quidem etiam nunc in synagogarum compitis magis omnium buccis celebratur quam horum primum et secundum, quod semper dictum ab omnibus est canticum magnum : et de utroque splendidi exstant commentarii interpretum rabbinicorum. Sed de duobus aliis ac cæteris a Verecundo expositis, non vacat inquirere quid demum habeant veteres aut recentiores hebraicæ liturgiæ canones.

Tum etiam, ut quid peculiare fuerit africanæ ecclesiæ, quidve cum cæteris in hac eadem re commune, edoceamur, tota inquirenda veniret vetus psallendi et cantandi disciplina. Id quod certe alius loci est, aliusque temporis. Agedum, ne omnino recedam ἀσύμβολος, ecce tibi sistam indiculum omnium quæ adhuc inseruntur id genus canticorum in vetustissimo codice alexandrino, in quamdam adjectorum psalterii mantissam, eorum videlicet quæ alexandrina ecclesia, sæculo circiter iv°, frequentare debuit; quorum e regione posita vides eadem ferme, sed antiquissimis inserta ecclesiæ romanæ lectionariis vi aut vii sæculi, teste pio et erudito editore, B. Thomasio :

Canticum Exodi,
— Deuteronomii,
— Annæ,
— Isaiæ,
— Jonæ,
— Habacuc,
— Ezechiæ,
— Manassæ,
— Azariæ,
— Trium puerorum,
— (Danielis),
— Mariæ matris Dei,
— Simeonis,
— Zachariæ.

Hymnus matutinus seu magna doxologia (paulo prolixior quam vulgatus hymnus *Gloria in excelsis*).

Canticum Exodi,
— Deuteronomii,
— Annæ,
— Esaiæ (*Confitebor*),
— Ezechiæ,
— Habacuc,
— Trium puerorum (*Benedicite*),
— B. M. Virg. — Zachariæ, — Debboræ et Barac.
— Esaiæ (*Vinea*),
— — (*Ecce civitas, De nocte*),
— Jonæ, — Jeremiæ, — Azariæ, — Puerorum (*Benedictus*),—Judith, — Manassæ, — Gloria in excelsis (*cum appendice*), — Beatitudines (*e Matthæo*),—Te Deum, — Trisagion, — Doxologia, — Oratio Dominica, — Symbola, etc.

Horum quidem priora erant, ut aiunt, consuetudinaria cantica, quæ fortasse non multum diversa, nec longe alio ordine vetustissimis ecclesiarum psalteriis accedere solent, sive gallicanæ et mozarabicæ, ut supra non semel monuimus, sive etiam orientalis, cujus exstant in Vaticana bibliotheca et in Museo Britannico psalteria canticis instructa a sæculo VI. (Vide Mus. Brit. codd. addit. 14433; Assemani, *Catal. codd. or. Vatic. Bibl.* t. II.)

Sed ea præter communia, alia fuisse quibusdam diebus et temporibus propria, et tam in illis quam in cæteris irrepsisse varietatem pæne infinitam, testis iterum est Verecundus, dicens : « Cæterum quot sint numero cantica non demonstrantur, quia frequenter ab aliis alia vidimus decantari. » Ubi igitur certo noveris quænam essent cantica communiori usu adhibita, neque credas istud adeo tibi facile dictu esse, difficilius oppido erit tuto distinguere tum ea quæ singulis propria erant ecclesiis, tum ea quæ his aut illis hebdomadæ, mensis, anni diebus accommodabantur. Augent dubium incerta veterum scriptorum testimonia, qui quum de disciplina psallendi perfunctorie agunt, non solum non generalia a propriis, non a topicis universalia, sed ne a psalmis quidem cantica secernunt. Adde quod Verecundus noster prope unus hanc provinciam suscepit. Ut enim omittam spuriam in canticum Debboræ commentatiunculam quæ inter Bedæ et Hieronymi dubia ventilatur, in immenso illo corpore sermonum et commentariorum qui magno Augustini nomine plus minus æquo jure superbiunt, unus est sermo CCCLXIII (ed. BB.) aliquomodo cum verecundianis in canticum Exodi consentaneus. Facta autem utrinsque ad alterum collatione, non pauca e sermone misere excidisse compertum propemodum est, tum etiam aliam usurpavisse versionem Augustinum; sed neque Verecundum hipponensis expositioni attendisse, quum multa hinc et inde toto cœlo distent, et quæ fortasse similia sunt, e communi et vulgatissima per ecclesiam interpretatione desumuntur. Hæc enim amborum sunt : *Patris mei* voce Mosen designasse Abraham, curru et exercitu Pharaonis in mare submersis intelligi multitudinem peccatorum baptismo deletam; dexteram Dei esse Christum, et alia hujusmodi. Non displiceant subinde subjectæ varietates utriusque sacræ versionis in duabus ejusdem Africæ vicinis ecclesiis.

Apud Augustinum.	Apud Verecundum.
V. 1. Gloriose enim *magnificatus* est.	V. 1. Gloriose enim *honorificatus* est.
V. 6. Dextera *manus tua.*	V. 6. Dextera *manus tuæ.*
V. 7. *Contrivisti* adversarios.	V. 7. *Conteruisti* adversarios.
V. 9. *Persequar et* comprehendam.	V. 9. *Persequens* comprehendam,
V. 10. *Descenderunt* tamquam plumbum *in aquam validissimam.*	V. 10. *Devenerunt in profundum* tamquam plumbum *in aqua validissima.*
V. 12. *Qui facis* prodigia, extendisti dexteram tuam et *transvoravit* eos terra.	V. 12. *Faciens* prodigia, extendisti dexteram tuam et *devoravit* eos terra.
V. 13. *In* virtute tua.	V. 13. Virtute tua.
V. 14. Dolores *apprehenderunt.*	V. 14. Dolores *comprehenderunt.*
V. 16. *Incumbat in eos tremor* et timor,..... fiant tamquam *lapides*,..... donec *transeat* populus tuus, *hic* quem *acquisisti.*	V. 16. *Decidat super eos timor* et tremor..... fiant tamquam *lapis* donec *pertranseat* populus tuus, *hunc* quem *liberasti.*
V. 17. *Quæ* præparaverunt.	V. 17. *Quod* præparaverunt.
V. 18. Qui regnas *semper et in sempiternum.*	V. 18. Qui regnas *in æternum et in sæculum et adhuc.*

II.

De Verecundi onomastico et grammatica.

Et sinceritate rudi vel sero nitescas.

Idem qui metrice Commodianus, idem et soluto Verecundus sermone; et quantum ille rhythmorum leges, tantum hic rhetorum et grammaticorum canones frangit ac dissipat. Ego autem, ut alias dixi, ægre quidem adductus ut credam exlegem omnino esse Commodiani poeticam, aut novam prorsus illiusque conceptam ingenio, morosius a me ipso impetrem non Verecundo præluxisse certam dicendi formulam, e priscis fortasse sculptam auctoribus, aut plebeianæ ac provinciali cuidam loquelæ accommodatam. Sed quæ mihi olim, ut etiam nunc, abscondita prope tota erat africanorum rhythmorum indoles, ratio et origo, ita primis hæreo verbis, si voluero aliquatenus describere byzacenam juncensis episcopi grammaticam. Byzacenam enimvero eam dico confidenter, quum ab cætera vel insolentiore dicendi consuetudine africanorum non parvo distet intervallo. Fac enim cum nostro admoveas aut carthaginensem Tertullianum, aut milevitanum Optatum, aut ruspensem Fulgentium, aut hipponensem Augustinum, aut madaurensem Macrobium, aut ferreum Arnobium, aut quem dixere Victorinum σκοτεινόν, suus noster remanet, ab omnibus vel a prima phrasi aperte diversus. Vocabula nova, inaudita, enormia ab ejus ore fluunt; et ubi communia, haud semel singularia. In quibus ergo sordidis pannis meo jure, opinor, saltem periculo meo expurgatis, Verecundum adduco ea indutum veste, quam ipsius esse aut ab ipso, si in consilium vocaretur, fore eligendam persuasum habui. Sed qualis demum ea vestis est? Byzacena, ut dixi, a vertice ad talos, tam textili opere, quam vestitoris opera omnino juncensis : onomastico enim, inquam, simul et grammatica noster a cæteris differt.

Onomasticon habebis infra, per στοιχεῖα satis integre pro viribus recensitum. Hic vero grammaticæ præcipua saltem addidero capita et quasi canonum instar, brevitatis causa, exegero, sumtis e trivio quæ communissime feruntur grammaticæ glossematibus :

I. Plurali numero emphatice gaudet, vel ubi de simplicissima rei spiritualis, ethicæ aut metaphysicæ substantia agitur, *impulsionum aculei*, *incursiones* humanæ, *inquietudines* scandalorum, *mortium* plagæ, alas *protectionum*, *resuscitationes* mortuorum, *sanitates* phantasticas, *sævitias* terebrare, *conscientias*, *violentiarum*, etc. (Vid. ad singula onomasticon.)

II. Iisdem delectatur verbis sesquipedalibus in casu plurali ablativo, in quo sane cæteri iisdem se quum maxime abstinere solent, *amaritudinibus*, *captivitatibus*, *imaginationibus*, *impeditionibus*, universis *improbitatibus*, *lacrymosis singulis incursionibus* nostris, singulisque *fragilitatibus*, *confessionibus* semel et iterum, *mobilitatibus aquarum*, *dispensationibus*, *violentiarum atrocitatibus delectatur*, etc. (Vid. *ibid.*)

III. Substantiva sæpissime cudit, adjectiva sumendo absolute, et rursus uti supra, in plurali plerumque numero : *Excelsa agri*, p. 123 pluries; *instructa destruat*, *directa deformet*, p. 134, v. 68; *occultum conscientiæ*, p. 46, l. 25; *ultimæ pœnæ capitale*, 9 *a*, l. 5; *non frangi irrogatis*, *incentiva vitiorum*, p. 187 *a*, l. 34, *nascentia agrorum*, p. 18 sæpe; *mirabilia varia*, p. 5, l. 19; *vacuum fragilis vitæ*, p. 10, l. 7, etc. Sed in eo cum Africanis cæteris satis convenit, non solum adjectivis utendo abstractive, sed iisdem consociando genitiva.

IV. Non omnino refugit a nominativo absolute sumto, ut cæteri ablativo passim utuntur, v. g. : « Donec *crucifixus*, tenebris irruentibus, dies in noctem est versa, » p. 74 *a*, l. 13, 14.

V. Pronomina composita non semel multiplicat, sed neque ut elegantiæ ulli aut perspicuitati consulat. *Pro eo quod*, p. 74 *a*, l. 18. *Ex eo ergo ex quo nos suis illustrationibus illustravit*, p. 75, l. 15. *In eo enim phiala... dicitur pro*

eo quod ejus, p. 80, l. 18. *Pro eo quod fuisset*, p. 81, l. 9, etc.

VI. Quæ solent comparativis respondere, *tanto*, *quanto*, *multo*, etc., his ille potissimum utitur, sequentibus positivis sive adjectivis, sive adverbiis, aut etiam nudis verbis : *quanto multipliciter comprobatur, tanto... inflammemus*, p. 25 *a*, l. 31, 32. — *Tanto propitius senties Deum, quanto ille viderit*, p. 29, l. 9, 10, etc.

VII. Comparatione aliquando in uno membro enunciata, in altero vero omissa, quasi attrahuntur ab uno ad alterum comparationis adverbia : *Tanto periculosiora*, *quanto secreta*, p. 3 *a*, l. 12. — *Tanto dulciter sapit*, *quanto plurimum ruminatur*, p. 30, l. 15. — *Tanto magis inflammatur*, *quanto pronos*, etc., p. 45 *a*, l. 34, 35; sensum deflectunt; et quum neque vox, nec sensus insolescit, rursus inexspectatis dictionum copulis, clausulis, trajectionibus ita permiscentur, ut nihil mirum multis futuram esse primam lectionem quasi ægri somnium aut delirantis balbutiem. Ego quidem attonito similis prorsus eram, non solum ea tum primum e codice hauriendo, sed quum eadem diu versavissem, unico codice semper præ oculis posito, ac demum ultimas deberem addicere typothetarum plagulis curas et nebulas in vulgus committere densissimas. Usque adeo anxie incedenti moras et ærumnas addebant innumeras tum unius et mendosi exemplaris sphalmata frequentiora nimis, tum scripturæ obsoletæ novitates vel cum apertissimis apicibus lectu arduæ, tum etiam interpunctionis fallaciæ, etsi pleraque nullo sive verborum, sive comprehensionum, sive periocharum, discrimine aut divisionis signo dissiderent.

Cum hac nocte dum luctarer, excidisse mihi quædam minus emendata, quæ mox digito candide monstrare non pigebit, quis succensebit? Sed quo magis meum fuit tenebricosum iter, eo me incessisse lentiori gressu, magisque ac magis præcavisse, candide iterum fateor. Nihil mutavi quin diu, animo suspensus, mecum meditarer, quin semper de minima varietate monerem, quin sæpe vel leve meum dubium significarem.

Diu quidem statutum habui consilium prælo committendi codicem totum, solum et purum, utique ad vivum quasi e vitreo speculo expressum; neque desunt his nostris temporibus qui rudem illam et commodiorem vetera edendi rationem usurpant, eamque tenendam esse ab omnibus jubent. Ita quidem esto, quoties de publicis instrumentis, de titulis lapide, ære, papyro exaratis, de brevi et solemniore in quibusdam rebus scriptura, tractandum erit. Sed quis feret omnes insulsas et barbaras varietates amanuensium oscitantium, et sibimet millies contradicentium, publici juris fieri, publico ære venumdari? Ut mei Verecundi utar exemplo, certe si qualem eum exhibet unicus codex meus retulissem, objecissem medusæum quoddam caput tremulæ plebeculæ; singulis enim pagellarum mearum columnis hæc monstra appendissem, quorum pleraque in notis merito latent :

Adque	*pro*	Atque.
Aiecit		Adjecit.
Aliut		Aliud.
Capud		Caput
Commedere		Comedere.
Commitatur		Comitatur.
Consummere		Consumere.
Consumare		Consummare.
Grassior		Crassior.
Queperimus		Cœperimus.
Concapesco		Concupisco.
Diabulus, diabulo		Diabolus.
Ductucultus		Ductu et cultu.
Ennaras		Enarras.
Exestimo		Existimo.
Ferbor		Fervor.
Ingemescendo		Ingemiscendo.
Lascibam		Lascivam.
Metamforam		Metaphoram.
Novos Deus		Novus Deus.
Nonagessimus		Nonagesimus.
Parvolus		Parvulus.
Peccodes		Pecudes.
Postolantem		Postulantem.
Pollos		Pullos.
Punibit		Punivit.
Resipesci		Resipisci.
Tortola		Tortula.
Volociter		Velociter.

VIII. Nihil in Verecundo frequentius quam subjunctivi præteritum plusquam perfectum, sive post indicativi præsens aut perfectum, sive post futurum, sive post subjunctivi præsens et imperfectum, interpositis variis conjunctionibus videlicet; ac 1° conjunctione UT præmissa, ex. gr. : « Prælia *consummantur, ut* illum bella suscipere *paruisset*, de quibus vincens Satanam trophæa *reportasset*, p. 4 *a*, l. 37, 38. — *Demonstravit, ut* eum fortissimum *cognovissent*, quem *illuserant* imbecillem, *ut*... adversarios *contrivisset*, p. 5, l. 17, 18. — Terruit gentes, *u*. fidei gratiam humiliter *percepissent*, p. 8 *a*, l. 4, 5. — *Sunt dispersi, ut*... varietatem gentium *discrevissent*, angelosque custodes pro merito *suscepissent*, p. 15, l. 16, 17. — Significat perditionem Titi tempore *conflatam, ut* diu terra *vacuisset*, p. 22, l. penult.—Arietem *occidit*, *ut* evidentius *demonstrasset*, p. 68, l. 23. — *Factum est ut suscepisset*, p. 77, l. 3. — Cf. p. 37, l. 14; p. 43, l. 17; 44 *a*, l. 25, 26; 50, l. 4, 5; 51, l. 31, 32; 59 *a*, l. 23; 79, l. 15,

17, 25; 87, l. 27, 28; 99 *a*, l. 8-11; 103 *a*, l. 33; 119, l. ult., etc.

2. Similiter conjunctio NE construitur : Illi pedes, *ne* fugere *valuisset;* isti manus in vinculis conjectantur, *ne*... strictim aufugere *valuisset*, p. 199, l. 8-11. — *Prohibitum est ne contigisset*, p. 112 *a*, l. 5. Idem prorsus p. 112 *a*, l. 3, 4. — Impedimento *fuerunt ne* gentes Dominum *cognovissent*, p. 86 *a*, l. 16, 17. — *Confixit*, *ne* evagari ulterius *valuissent*, p. 92 *a*, l. 22, 23.

3. Item et frequentius eo modo QUUM et DUM ponuntur : *Decantatum est*, *quum* Pharaonis exercitus *deperisset*, 1 *a*, lin. 3. — *Decantatum*, *quum* miserias *deplorasset*, p. 40, l. 12. — *Decantarunt*, *dum* baculis puteum *defodissent*, p. 1 *a*, l. 5. — *Est ostensa*, *dum* resurgens... vitam dextera *suscepisset*, p. 5, l. 3, 4. Cf. 24, l. 13-15; 67, l. 15, 30, 33; 69, l. 32; 79 *a*, l. 32; 84, l. 33, 34; 88, l. 25, 26; 113, lin. ult. etc.

4. Nec pauciora sunt exempla, in quibus QUOD et QUIA eodem modo habentur : Futuri temporis negligentiam *videt*, *quia* multi *fuissent* qui divini verbi famem sufferrent, p. 27, 28. — *Significatur* gens Judæa, *pro eo quod iis* fides *fuisset* gentibus circumdata, p. 81, l. 9. — Baptisma *conferebat*, typo monstrante *quod* gentibus *profuisset*, p. 78, l. 25. — Retulit *quod* proprio *respexisset*, p. 88 *a*, l. 29.

5. Neque demum aliter fit cum QUOADUSQUE, PRIUSQUAM : Quondam maculati fuerant, *priusquam* maculas *contraxissent*, p. 12 *a*, l. 12, 13. — Et paulo post, l. 25 : Immaculati *fuerunt*, *priusquam* scissæ charitatis macula *peccavissent*, p. 12, l. 25. — *Exivit*... *priusquam* se mentibus mortalium *intimasset*, p. 85 *a*, *l.* 13. Sed nota sequens exemplum, ubi, licet alia e Scripturis sacris prælucerent, ad propria statim Verecundus redit : « *Quoadusque exsurgeret mater Debbora in Israël;* » *quoadusque* videlicet mater Ecclesia *claruisset*, p. 113, l. 6, 7.

IX. Interdum ex opposito cum iisdem conjunctionibus transit a perfecto ad præsens, aut ad futurum : v. g. *Requievit in* cruce, *ut* transmigrando de terris, *ascendat* ad populum, quem *fecerat* ab inferis transmeare, p. 88, l. 19-21. — Adjutor factus est, *quum* humanas *adjuvat* mentes; protector autem fiet, *quum liberarit*, 2 *a*, l. ult.

X. Quoties sub iisdem conjunctionibus plura verba sequuntur, quasi per enumerationem, fere numquam singula eodem tempore ponuntur; aliquando posteriora transeunt ad præsens absolutum aut præteritum aliud quam a primo verbo significatur. Meditetur lector sequentia paradigmata : Tres Domini glorificationes *ostendit : primam* quidem, *dum* Pharaonem profundis abyssi *demersisset; secundam*, *quando* spiritualem Pharaonem... *suspendit; tertiam*, *quum* eumdem diabolum cum complicibus..... *damnaret*, p. 2, l. 25 sqq. — *Sed et quum* resuscitationes *faceret* mortuorum, integritatem *redderet* fœtidorum, sanitates *perficeret* infirmorum, vento, mari ac fluctibus *imperasset*, quis eum prodigia *non sentiat* operatum? p. 7, l. 37, 41. — Saül magos et ariolos submovit, quos postea reversus est honorare, *quum consuleret* Pythonissam ac per somnia responsa quæsiisset, p. 67 *a*, l. 11 sqq. — *Quum* enim culpam prioris hominis *nesciremus*, et in illius lapsu nostra quoque necdum damnatio *claruisset*..., p. 86, l. 18. Eadem constructio p. 45, 46; 69, l. 4-7; 110, l. 14, 15; 113, l. ult.; 115, l. 17-20, 33, 34; 128, l. 18, 19.

XI. Fit aliquando cum præfatis conjunctionibus quasi ejusdem temporis attractio, sive ob reciproca enumerationis membra, sive propter protheseos ad apodosin respectum : Quis Domini gloriam non *sensisset*, *quum* uno transitu alios sine prælio *liberasset*, alios sine gladio *liberasset?* p. 4 *a*, l. 29, 30. — Comprobamus hoc esse mendacium, quia quod promiserat deferendo, fefellerat amittendo, p. 89 *a*, l. 21, 22. — Cf. p. 44, 45; 53 *a*, l. 34.

XII. Non desunt exempla nudæ enumerationis sine ullis conjunctionibus, in quibus alia alius temporis sunt verba ejusdem consequentiæ : Lapis nulla levitate *portatur*, sed statim *corruet*, p. 4 *a*, l. 6, 7. — Animas *obruet* atque in profundum *adducit*, p. 6 *a*, l. 15. — *Resolventur* atque in suis caloribus *contabescunt*, *ibid.*, l. 24, 25. — *Caligatur* et *trahetur*, p. 22, l. 15-18. — Hæc tria illi *conveniunt* quem ipse sibi diabolus *subjugaret*, 26 *a*, l. penult.

XIII. Vide utrum auctori operis consilio an scriptoris potius indiligentiæ ascripseris alia enormia et anomalia, qualia sunt : *Attrahitur* utique, *ut* in corpore... *coadunaverit*, p. 38, 7, 8. — Deo, non sicut *currit*, sed sicut *voluerit*, tempus *observat*, p. 89, l. 25. — *Feriuntur*, quum eis manus... *fuerit* revelata, p. 8, l. 16. — Ut ubicumque *vadant* et quocumque se *vertant*, sui cordis obstinatione *trahuntur*, p. 125, l. 16-18, etc. — Ne quid ab psalmis *cantando* desistat, p. 46, l. 27, 28. — Sed et unus homo quum... *irretitur* delictis, currus esse *diceretur*, p. 3 *a*, in fine.

XIV. Idem demum Verecundus adverbia tam sæpe de suo condit nova, tot inaudita profert, notaque adeo frequenter usurpat, ut illud quoque inter ipsius scribendi canones proprios merito reputetur, de quo vide *Onomasticon*, per totum.

XV. Unum præcipue ex adverbiis illi solet in deliciis esse, *certe* scilicet, sed semper cum addito *vel*, *et*, aut etiam *an*, quasi hellenico sapore, ut significatio pura leviter temperetur;

quorum paradigmatum loca omnia in Onomastico adv. *certe* designantur. Mitto alia quæ cum sui ævi suæque regionis scriptoribus habet communia, ut varios græcissandi modos, et usum subjunctivi fere perpetuum cum conjunctionibus *quod*, *quoniam*, *quia*, *si*, *quando*, *quum*, etc., tum etiam *quo*, *non quo*, pro *ut*, et *ne quidem* positum sine ulla voce interjecta, deinde pluraliter *utraque præcesserunt*, cætera pronomina alia pro aliis, denique non pauca verba passiva et deponentia, aut active expressa aut aliis quam solet instructa casibus, etc.

III.

EMENDANDA.

Finem enimvero hisce qualemcumque imponi oportet, quum fortasse non desit qui de meo Verecundo regerat idem quod de suo Victorino Maius, vel ubi totus in eo erat illustrando, dixit ingenue : « *Et quidem obscurissimi ferreique Victorini, jam diu me tædet!* (Coll. vet. scr. t. III, p. II, p. 97.) Verum æquitatis legibus in Verecundum peccarem, nisi alteram satis longam adderem catenam annotationum, sive emendationum sphalmatum, quæ quum aut amanuensis, aut typothetarum, aut mei ipsius ἀβλεψίᾳ exciderunt, iniquum esset ea in Verecundi censuram et opprobrium vertere. Hæc igitur per me licet emendes aut deleas :

P. 4, not. 2, dele vocem italico charactere scriptam et lege : « Egregia utique veteris... »

P. 6 *a*. Ultima dictio videtur esse *eliquetur*, exciderit quippe prima littera ob ultimam præcedentis dictionis, ut sæpissime fit.

P. 7, lin. 25, dele comma et lege : *Potestates non irrationabiliter*. Idem vero adde in altera col. lin. 7, ubi locus vacuus est.

P. 11, placerent duo commata, unum lin. 18, post *vocare*, alterum lin. 24, ante *diminutum*.

P. 14, lin. 3, omnino legam : *provocet*.

P. 15 *a*, lin. 30, nihil quoque hæsitans, ubi *functiones*, scriberem *factiones*.

P. 17, lin. 3, pone comma post *circuivit*. — Lin. 26, 27, mutandus pene totus interductus est in hunc modum : *Quem christiana multitudo consequens, viventium terræ habitacula sortiatur*.

P. 26, lin. 19, hic et alias scriberetur accuratius : *reppererint*.

P. 30 *a*, lin. penult. nota *qui enim*, pro *quis enim*, ut sæpe in Tertulliano : unde nihil mutandum.

P. 39, lin. 26, notatu etiam digna lectio sacra : *et in terra pax*, cæteris, ut apud Græcos, omissis.

P. 41, lin. 13, 14. Cf. p. 137, v. 171, 172.

P. 43, lin. 9, Verecundus fortasse scripsit *fugerunt*.

P. 47 *a*, lin. 16, 17, ita demum legam illum corruptissimum locum : *quia paulatim desidioso neglectu invehitur* (primum scripsere *inveitur a*, unde : *invectura*) *a profectu*. Lin. 37, lege *abcedat*.

P. 51. Punctum pone post primam dictionem lin. 22, et comma ante ultimam lin. 23, et dele lin. 36, importunam adjectionem uncis inclusam, ut legas planius : « Laudabile esse nomen ejus in Ecclesia temporalique substantia novit, id est (sed nomini tantum) fideliter credit. »

P. 54 *a*, l. 15, nemo non leget : *omnibus vitiorum aculeis* : tum lin. 20, excidisse voculam *præ* post superlativum, dubitare non sinit quod initio pag. sequentis legitur : « Qui vere nequissimi *præ* omni sunt terra. » Cui demum in promtu non erit emendare lin. 32, modo oculum ferat ad notam 3, quæ huc respiciendo, sanam dat lectionem : *restinxit*.

P. 55. Ut adverbia sint Verecundo in deliciis, brevis ab initio periocha abunde docet, in cujus quatuor lineis quatuor adverbia continentur. Sed age, ad lin. 2, attentis apicibus codicis qui etiam solet sic scribere : *et iam*, sanior mihi erit lectio : *quod etiam moraliter agnoscatur*.

P. 58 *a*, lin. 11, e loco move comma paululum : « Licet in malo ponantur arioli, sunt tamen et in bono. » Gravius in ultima linea vulnus, sic sanandum : *Ipsaque scripturarum*.

P. 60, lin. 7, omnino lege : « Aaron *et* filiorum. » — Lin. 42 et 43, tempera sic interpunctionem : « Quod ex g. n. s. christianis, et immaculatus per gratiam baptismatis factus, hostia, etc. »

P. 62, lin. 5, lege : *in conspectu tuo*. — In fine

lin. 16, alt. col. irrepsit insulsum punctum expungendum, et paulo post, lin. 23, excidit comma prorsus necessarium post *me*.

P. 67, lin. 10, lege : « Miserationum *quarum*, » ubi pessime *quorum*. Et in alt. col. lin. 27, an melius : « incidentes *magnanima* longanimitate?.. »

P. 70, lin. 26, unum comma aut duo puncta insere post *fragmen*.

P. 71, not. 1, col. 2, lin. 1, pone *cæterum*. In not. 3, lege : *Antemurale*. Is. XXVI, 1.

P. 72 *a*, lin. 15, jam ex meliori meo consilio revoca quod in not. 11 retruditur, cum alio interjectu : « Illa altitudo vitæ, [illi nempe] quæ in ipso est Deo, qui se humiliavit usque ad portas inferni, non potest comparari. »

P. 73 *a*, lin. 4, certe : *resecare*.

P. 75 *a*, lin. 9, melius : *degenerante*.

P. 77, lin. 16, indubie : *posuit*, ut commentarius semel suadet lin. 31, et iterum lin. eadem 31 alt. col.

P. 78, lin. 6, lege : *Non solum*.

P. 80 *a*, lin. 18, neque etiam dubia lectio : « *Phila* iræ Dei. »

P. 83 *a*, l. 1, lege : *quæ effodiunt*. Non semel codex scribit *quem* pro *quæ*; levi enim ductu differunt.

P. 87, not. 6, lege ab initio : « Septuaginta, ut Breviarium Mozarabicum, inde in finem, etc. »

P. 89 *a*, malim, in lin. 3, *convenire*.

P. 91 *a*, lin. 14, fortasse *recognosces*, id quod vetus amanuensis scribere potuit : *Recognosceis*. — In argum. lin. 7, scribe : *Euchologium*.

P. 95, not. 5, lege : XL, 33.

P. 96 *a*, lin. 23, ne dubita legendum : « Ut *quadam* videantur sarcina prægravari. »

P. 97, lin. 28, quid si legeretur : « quia (pro *quippe*) me quiescente, etc. »

P. 101. Unus e junioribus meis Solesmensibus hic me haud importune monet Jonæ canticum, teste Augustino in epist. LXXI, ad Hieronymum, cantatum fuisse in Oea civitate africana; id quod minus bene majores nostri Sanmaurini, juniore rursus me monente assentientem, de alio Jonæ loco audiri jusserunt. Diserte enim Hipponensis : « Longe aliter abs te positum apud Jonam prophetam, quam erat *omnium sensibus memoriæ inveteratum et tot ætatum successionibus* DECANTATUM. » An credendum, ut multis placuit, totam ecclesiam consurrexisse succensam, pro *virgulto* et *cucurbita*? Suggerit Augustinus aperte orationem *omnium sensibus* insitam, omnium *decantatam* oribus. Et hæc dentur ingenuo strenui adolescentis acumini.

P. 108, lin. 3, dele primum comma : « Juventus adolescentiam transfert. »

P. 116, not. 1, lege : Hebr. I, 14.

P. 117, lin. 6 et 14, sensum interpunctio dissipat; auctor tibi sum ut legas in priore loco : *Et conforta Debbora;* in posteriore : *Et confirma Debbora, carnem utique*, etc. — Sed in alt. col. lin. 26, an legendum, nec ne : « virtutisque *insignem?* »

P. 119, l. 10, iterum prius comma expunge. — In not. 8 adde : I Thess.

P. 127 *a*, lin. 18, fortasse : *quam retentat*.

P. 128, lin. 13, lege : *Phiala*.

P. 142, ad not. 3, vid. novam lectionem Commodiani, p. 222, v. 1015.

P. 145, post v. 35, excidisse versum integrum eo magis miror quod sensus male suspensus lacunam esse clamabat. Addes igitur :

Sed miseros alios mandet fera dentibus atris.

P. 146, codex, quem serius meis videre licuit oculis, habet v. 80 : *Hic* fugiens ;—v. 83 : Læta *domum;* —v. 85, ut dixi, et nihil mutandum ; — v. 104 : « Omne nefas *novo*, post correctionem intra lineas, *movo*, fortasse pro *movi*. »

P. 147. Ad Livium et notissimas Annibalis obsidiones lectorem potius remittere debueram, quam polliceri in not. 3 acturum me toties acta aut de hujus poematis sinceritate operosius tractaturum.

P. 148, v. 185 : « Non *visus* erit... » cod., sed male; — v. 196 : *venient*, ib.

P. 149, v. 244 : *Et* ante oculos, ib.

P. 150, v. 291, lege : « *Nullus* jam segnis. » Sic codex, et bene quidem.

P. 151, v. 12, commate translato, lege : « Compellis votis, etc. »

P. 152, v. 64 : *Tremant* cod. — V. 68, pede uno mutilus, integer est in codice, sed ineptus, in hunc modum :

Pectore dum totus, totus stupefactus inhæret.

P. 153, v. 77 : *Tu quoque*, cod. et in v. sequenti : « Ecce parit virgo, redeunt, redeunt s. r. » — V. 102 : Delphica, Thessalice, etc. ib.

P. 154, v. 121 : *volvisve* ib.

P. 156, v. 218 : *Prolonga* ib. et sine compendio. — V. 234 : *Jacta* ib. — V. 227, lege : *Arabes gemmas*.

P. 157, v. 271, lege cum cod. : *Gemmathorus*.

P. 159, v. 346 : *Hippomone* ib.

P. 160, v. 374, legere necesse est cum codice : *superevolat*. — V. 399 : *populis* ib.

P. 161, v. 421, diserte codex et optime : *ævatasque Sibyllas*. — V. 20 : *postera turba* ib.

P. 162, v. 31 : *Qui Tityus* ib. — V. 37 cod. *incumbent*, sed corrige totum sic : *incumbet certis*. — V. 47, iterum emenda : *Hunc cœli*.

P. 166, adde codices Vatic. lat. 630, f. 320, sæc. XII; 1340, f. 361, sæc. XIV; 1344, f. 124, sæc. IX. — Argum. lin. 6; quod ibi de anno in quo Rustici codices suos contulit, dicitur, attempera ex his quæ supra accuratius in Prolegomenis et in hisce auctariis disputantur.

P. 167 *a*, l. 1, 2, omisit Vatic. 1344 illud : *qui erat injuste damnatus*.

P. 169, not. 9, in ultima dictione lege *fuerit*.

P. 185, *monit.* lin. 2, lege : 1557 pro 1550.

P. 192, codd. adde Vatic. lat. 1319, sæc. XII, in quo Scholiorum Rustici pars longe minor in marginibus occurrit; sed iisdem semper σημείων siglis ornata, ut in tribus cæteris codicibus gallicanis. Infra is codex erit D. Iterum hic juvat, quoniam recurrit vexatissima *Trium Capitulorum* causa, ultimo commendare lectori novam Vigilii ecthesin in Prolegomenis editam, qua Rustici aliorumque ejusdem causæ patronorum querelis in Vigilium satisfit; tollitur in primis iniqua Facundi criminatio, asserentis Vigilium vel ante pontificatum scripto promisisse damnaturum se Tria Capitula, quorum eo tempore fere nulla quæstio erat.

P. 193 *a*, lin. 15, lege : Mansi, v, 1415. — Lin. 26 : *Jam mediatorem* D. — Lin. 31 : *Servi hominis* D. — Lin. 33 : *totumque*. — Lin. 38 et 41, D ut A, quæ littera excidit ad varietatem not. 5.

P. 194, post num. 18, D alteram subdit varietatem : *immerito reprobabilis*, pro *merito reprobatus*.

P. 201, num. 214 : *item de lege Theodosii* D.

P. 202, num. 254, in fine scholii pone sigla A, D. — Num. 264 : *proprietas* D.

P. 203, num. 281, lege : *infidelitate*, et fini subscribe A, D. — Num. 299 : *Iterum commemorant vicarii* D. — In not. 8 lege : *in B forcipe*, etc.

P. 204, num. 302 addendum A, D. — N. 316, *sic habeatur* D.

P. 205, num. 333, *interl. solum objecta* D.

P. 206, post num. 357, D ad hæc, *ex duabus naturis unitis*, scholion addit hoc : *Eutychen negasse ex duabus naturis*.

P. 219. In act. x hoc habet D scholium : « Quod cohabitantes cum inimicis ad testimo- « nium recipi non debent. »

AD MONUMENTA ECCLESIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ.

DE S. NICEPHORO.

P. 233. Huic libello capitum numeros de nostro apposuimus

P. 262 *a*, lin. 14-17, jam paulo pressius exacta placeret hæc versio : « Et ideo potissimum quod harum artium nonnullæ, nedum utilitatis, detrimenti potius et damnorum fiunt occasiones. » Sed ab iteratis id genus curis abstineo : editioni quippe *principi*, ut aiunt, nonnulla paulo rudiora concedi ab omnibus solent.

P. 270, not. 2, corr. in fine : *col.* 15.

P. 293, not. col. 2, lin. 3, legendum : *in appendicula ad Antirrh.*

P. 311, not. 3, insere : I *Cor.* xv, 20 *et* 23.

P. 312, not. col. 2, lin. 2, item adde : *p.* 1, *p.* 13 *et* 111.

P. 365 *a*, l. 33, lege : Anthropolatriam.

P. 366, in not. lin. 2, male disjungitur εἰμὶ.

P. 370. Singularem illam quorumdam veterum de Christi in Jordani baptizati fulgore et portentis, tractare per otium quod omnino defuit, animus erat. A propositis ergo et promissis exsolvat me eruditus Grotius, quem unum adduco e commentario in Matth. III, 16 : « Ignem, inquit, eodem hoc tempore in Jordane apparuisse diserte prodit Justinus colloquio cum Tryphone, ex tradita haud dubie fama. Nam in Ebionorum evangelio, quod idem erat cum Nazaræorum, ita legebatur : Καὶ εὐθὺς περιέλαμψε τὸν τόπον φῶς μέγα. *Et statim lux ingens circa locum fulsit.* Et idem reperitur in liturgia Syrorum, in hujus historiæ narratione circa baptismum. »

P. 374 *a*, l. 4, *phantasii*, lege *phantasiis*.

P. 381. Præter tria illa canonum argumenta subinde congesta ex variis codicibus, quorum primus fons τυπικὸν dicitur, secundus διατάξεις, tertius ἀποκρίσεις, quarta etiam classis fortasse erit, quam nuperrime in codicibus vaticanis detexi, inscriptam videlicet τοῦ ἁγίου Νικηφόρου πατρ. ΚΗ. κεφάλαια. Certe jam ad manum sunt plura id genus capitula, prolixius quidem et eo grandiori insculpta stylo, digno sane magni Nicephori manu ; et pleraque videntur ex perditis multarum ejusdem synodorum actis excerpta, ex quibus plures e nostris canonibus iterum et altera truncatione exierunt. Nihil igitur mirum inter præcedentia et jejunas illas veteris disciplinæ formulas tantum intercedere discrimen. Sed alius erit hæc diligentius tractandi locus. At dolendum vaticanos codices iisdem scatere, et aliquando crassioribus, mendis quibus nostri parisienses usque ad nauseam opplentur.

P. 383. Ὅσοι ἄδηλα al. melius. — Can. 5 diserte citatur a Manuele Malaxo in codice vallicell. F. 18. Quæcumque autem postmodum ex eodem Malaxo citantur, unicum nobis dedit exemplar parisiense tam barbarie quam indiligentia insigne. Sed romana alia nuperrime in manus inciderunt, quæ vix tetigi tamen, sed certe puriora; ut duplicem fuisse editionem existimandum sit, quarum recentior, in commune Græcorum idioma translata, codice parisiensi continetur. Altera occurrit in cod. vallicell. sub siglis F, 8, ubi leguntur tantum capita 309; et duobus vaticanis, Ottob. 97 et 149, qui capitibus 479 constant. Collata autem horum testimonia tollunt mihi satis vehemens dubium quod retinueram de codicis parisiensis

auctoritate. Ea vero cum nostris morosius ventilare, ut barbarici pulvis succuteretur, tanti non visum est.

P. 384, lin. 5, legit ἀκουσίως vatic. 840, et conjecturam plane confirmat meam.

P. 385, lin. 3, lege : εἰ δὲ πᾶς ὁ βίος, corrigendo codd. — Not. col. 2, lin. 6, excidit ab initio articulus Ὁ ὄγδοος.

P. 386, lin. 19, nota varietatem vatic. 840 : Ἡγούμενος πρεσβύτερος ὁ εὐχὴν ἔχων ἐπισκόπου. — Not. lin. 8, vocula ἀπὸ excidit post βαπτισθῆναι.

P. 388, can. XXXIV, lin. 2, suspicor extra sedem esse vocem ἅπαξ, quæ potius post Δεῖ legeretur. Nodum exsolvit cod. unus vaticanus, eamdem expungendo. — Not. lin. 14, lege : *cap.* 169.

P. 390, 391. Notæ fortasse jam prolixiori addere lubet singularem canonum 45 et 46 ἔκφρασιν, quam nihil mutando omnino describere juvat e cod. vat. Ottobon. 160, fol. 105 : Περὶ τῶν ἀποκαλύψεων Ἰωσίας ψαλσογραφίας τῶν μάντων ἀνθρώπων καὶ βεβήλων, ὅσα εἰσὶ ποιήματα. — Κωλύει τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Παύλου· ὁμοίως καὶ τὰ λεγόμενα Βροντολόγια, καὶ τὴν ἀποκάλυψιν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου· ὁμοίως καὶ τὴν ἀποκάλυψιν Ἰωάννου τοῦ θεολόγου, καὶ Αἰσδρὰ τοῦ προφήτου, καὶ Ζωσιμᾶ τοῦ προφήτου· ὁμοίως καὶ τοῦ ἁγίου Κηρύκου καὶ Ἰουλίττης καὶ τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ ἁγίου Ὑπατίου. Καὶ ἄλλα τινὰ οὐ χρὴ (cod. χρεῖ) δέχεσθαι αὐτὰ, ἢ ἀναγινώσκειν εἰς νουθεσίαν ἀνθρώπων χριστιανῶν, ὅτι οὐκ εἰσὶν χριστιανῶν ποιήματα, ἀλλὰ ψευδολόγων καὶ ψευδοχρίστων καὶ διὰ τοῦτο ἀπόβλητα εἰσὶν καὶ οὐ δεκτὰ, καὶ ἀπάτωσιν τοὺς ἁπλουστέρους εἰς ἀπώλειαν, καὶ ὁ ἐν τοῦτο προσέχων ἐν ἀληθείᾳ, ἔστω ἀκοινώνητος ἔτη γʹ, εἴη καὶ ἀνάθεμα.

P. 392 *a*, can. XVIII, malim : « Propter salutationem genuflectatur die dominica, sed a pascha inde usque ad pent. »

P. 395, lin. 4. Idem Ottob. diserte habet τὸ ὕδωρ τῶν ἁγίων Θεοφανείων. — Lin. 16, dele punctum huc nescio unde invectum.

P. 396, can. LXXIII, lin. 2, *conversatus*, lege *conversus*.

P. 407, lin. 1, dele καὶ, et lege lin. 3, 4, πάντα νοῦν; tum lin. 6, καὶ μάλιστα ἐὰν μ. κ. σ. τοῦτο τύχωσι δέξασθαι.

P. 408, can. CXXXVI, lin. 4, *teneant*, corrige *tenere*.

DE JOANNE JEJUNATORE ET ALIIS QUI AD NICEPHORUM ACCEDUNT.

P. 429, eadem occurrunt in cod. vatic. 1114, et ibi vix minus inquinata.

P. 430, can. IX ab initio *puerpera* scribe.

P. 438, lin. 25, rectius legeretur ὡς ἑτέρων vel ἑτέρου, et lin. sequenti, ἑαυτοῦ.

P. 440. Eadem nomine Jejunatoris insigniuntur in cod. vatic. Ottob. 97, p. 234, et 418, p. 174 : de quorum priore id notatu dignum, a doctis sæc. X et XI monachis Nicone et Antonio acceptam esse ut authenticam illam Jejunatoris laciniam, amborumque syllogæ Pandectarum insertam fuisse. Utriusque codicis sigla sint B, Γ, quo facilius varietates relegantur.

P. 441, lin. 3, legendum : Ἡ τράπεζα. — Lin. 6, 7 : λέγεται πάλιν B, Γ. — Lin. 8 : μέλλον τι ib. Post βῆμα, Γ addit : τουτέστι τὸ τῆς δευτέρας παρουσίας κριτήριον. — Lin. 9-15 omisit Γ. — Lin. 14, restitutionem nostram optime confirmat B. — Lin. 16 : ὁ ἐπιτράχηλος B. — Lin. 17, 18 : ἤγαγον Ποντίῳ Πιλάτῳ Γ. — Lin. 22 : ἀντίφωνα ὅπου ψάλλομεν εἰς τύπον τῶν πρ. B. — Lin. 26 : ὁ τρισάγιος ὕμνος B, Γ. — Lin. 29, 30 : ὃς καὶ τ. ἀ. εὐλόγησεν B. — Lin. 33, 34 : ἀνθρ. τὴν θεότητα B.

P. 442, lin. 2 : ἠλύθη B, Γ. — Lin. 8 : διαθήκης εἴληπται B. — Lin. 10 : τὴν κλῆσιν B, Γ. Τοῦ μνημείου Γ. — Lin. 19 : Ἄλλο δὲ ὅτι καὶ σημαίνει. — Lin. 19 : Μωϋσῆς διὰ παραπετάσματος. — Lin. 20 : λαβίδος.

P. 457, notæ 6 clausulam vellem mitius statui, ex annotatis paulo supra ad pag. 395. Non est quod multis ullibi agam de auctoritate plusquam dubia horum omnium epitimiorum tot summis doctoribus audacter ascriptorum.

P. 461, In vat. Ottob. 160, sunt 43 canones sub ejusdem Chrysostomi nomine, plane alii, sed ejusdem furfuris.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

IN VETERI TESTAMENTO.

PROVERBIORUM

IN NOVO TESTAMENTO.

INDEX

CODICUM MANUSCRIPTORUM

Qui exigendo IV tomo inservierunt.

BIBLIOTHECA SORBONICA PARIS.

BIBLIOTHECA TOLETANA.

BIBLIOTHECA VALLICELLANA.

BIBLIOTHECA VATICANA.

INDEX

VETERUM SCRIPTORUM

Quorum scripta hic continentur aut memorantur.

Anecdota italico aut majori charactere designantur; canonica peculiari recenseri placuit.

INDEX

RERUM CANONICARUM.

INDEX RERUM

Præter ea quæ sunt modo regesta.

VERECUNDI ONOMASTICON

Insertis âliquot Commodiani glossematibus, quæ stellulis insigniuntur.

ELENCHUS

Rerum quæ tomo IV continentur.